Chirurgia theoretico-practica, seu trutina chirurgico-physica, in IV tomos divisa; in quibus omnium morborum ad chirurgiam spectantium causae, signa, prognoses, et sanationes nuperis experimentis, novisque observationibus, et medicamentis ... probatis proferuntur / [Carlo Musitano].

Contributors

Musitano, Carlo, 1635-1714
Musitano, Giuseppe.

Publication/Creation

Coloniae Allobrogum : Sumptibus Cramer & Perachon, 1698.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nk46rbks

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

MUSITANUS
DE MORBIS MULIEBRIBUS
EJUSDEM TIN
CHIRURG. & PHYSIC.

Unable to display this page

LIBRAIRIE MÉDICALE
CH. BOULANGE

38153/B

Lm XIX 32847

R. D. CAROLI

MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS,

Academici Peregr. Pigri, Spenſierati &c.

TRUTINÆ

CHIRURGICO-PHYSICÆ

TOMUS PRIMUS,

DE TUMORIBUS,

Præter Naturam:

IN QUO EXACTA METHODO TUMORUM OMNIUM Cauſæ, Signa, Prognoſes, & Sanationes nuperis experimentis, noviſque obſervationibus, & medicamentis longo uſu & ſedulitate probatis proferuntur, atque juxta veræ Philoſophiæ normam, & Anatomes inventa ad Trutinæ examen antiquorum Galeniſtarum, & Recentiorum doginata ſedulò revocantur.

Cum INDICIBUS *Capitum, Rerum ac Materiarum locupletiſſimis.*

LUGDUN.

Sumptibus CRAMER & PERACHON.

M. DC. XCVIII.

95250

Chirurgia theoretico-practica, seu tractatus Chirurgico-physica.

1698,

~~Duplicata~~

Variant

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

INDEX CAPITUM.

Cap. I.	Quid, & Quotuplex sit Tumor.	pag. 1
II.	De Phlegmone, sive Inflammatione.	3
III.	De Abscessu.	9
IV.	De Sinu.	14
V.	De Fistulâ.	17
VI.	De Abscessibus frigidis.	23
VII.	De Atheromate, Steatomate, & Meliceride.	24
VIII.	De Anthrace, seu carbunculo.	29
IX.	De Cancro.	40
X.	De Gangrænâ, & Sphacelo.	46
XI.	De Erysipelate.	63
XII.	De Herpete.	72
XIII.	De Scirrho.	78
XIV.	De Ecchymosi.	85
XV.	De Aneurismate.	89
XVI.	De Varicibus.	95
XVII.	De Oedemate.	99
XVIII.	De Furunculo.	106
XIX.	De Epinictyde.	109
XX.	De Esseris.	112
XXI.	De Scabie.	114
XXII.	De Leprâ.	113
XXIII.	De Elephantiasi.	128
XXIV.	De Impetigine, & Lichene.	134
XXV.	De Phlyctenis.	137
XXVI.	De Sudaminibus.	140
XXVII.	De Ganglio, Exostose, & Lupiâ.	141
XXVIII.	De Verrucis.	145
XXIX.	De Hydrocephalo.	150
XXX.	De Testudine, & Talpâ.	157
XXXI.	De Hordeolo.	160
XXXII.	De Ægilope, & Fistulâ lacrimali.	162
XXXIII.	De Narium Sarcomate, & Polypo.	166

XXXIV. De

LIBR CH

Index Capitum.

XXXIV.	De Guttâ Roſaceâ.	172
XXXV.	De Puſtulis, & Morphæâ.	175
XXXVI.	De Varis.	177
XXXVII.	De Epulide, & Parulide.	179
XXXVIII.	De Ranulâ.	181
XXXIX.	De Linguæ tumore.	183
XL.	De Tonſillarum tumore, & Inflammatione.	186
XLI.	De Columellæ laxitate, & Inflammatione.	189
XLII.	De Aurium Inflammatione.	194
XLIII.	De Parotide.	198
XLIV.	De Strumis.	207
XLV.	De Bocio.	217
XLVI.	De Mammarum Inflammatione.	222
XLVII.	De Lactis coagulatione.	227
XLVIII.	De Enteromphalo, & Epiplomphalo.	230
XLIX.	De Hydromphalo.	232
L.	De Pneumatomphalo.	233
LI.	De Sarcomphalo.	235
LII.	De Bubone ſimplici.	236
LIII.	De Bubone Peſtilenti	239
LIV.	De Phymate.	249
LV.	De Phygethlo.	250
LVI.	De Enterocele, & Epiplocele.	252
LVII.	De Hydrocele.	260
LVIII.	De Sarcocele.	265
LIX.	De Pneumatocele.	267
LX.	De Cirſocele.	269
LXI.	De Scroti, & Teſtium Inflammatione.	270
LXII.	De Priapiſmo, & Satyriaſi.	274
LXIII.	De Ani Inflammatione, Abſceſſu, & fiſtulâ.	282
LXIV.	De Ani Procidentiâ.	288
LXV.	De Ani Condylomatibus, Thymis, ficubus, Criſtis &c.	292
LXVI.	De Uteri Procidentiâ.	295
LXVII.	De Paronychiâ.	303
LXVIII.	De Unguium Pterigio.	309
LXIX.	De Pernionibus.	311
LXX.	De Roſeolis.	314
LXXI.	De Myrmeciâ.	316
LXXII.	De Spinâ Ventoſâ.	318
LXXIII.	De Clavo, & Callo.	324

Authoris Protestatio.

MVlta, Lector, in hoc Opere Philosophicè, atque Problematicè pertractavi, putà de Veneris usu, de sexto Sensu, & aliis, ac de Febribus, cùm dicitur, Anima, de sensitivâ intelligo; non enim anima humanâ est morbis obnoxiâ, & si aliter senties, meo candori injuriam facies: nàm *quæ dixi absque præjudicio dicta sint, saniùs sapientis Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, aut examini totum hoc, sicut & cætera, quæ hujusmodi sunt, universa, reservo ipsius si quid aliter sapio, paratus judicio emendare*, ut verbis *D. Bernardi* loquar *in Epist. ad Canonicos Lugdunenses*; etenim Catholicam profiteor fidem, & à Sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus filiationem agnosco, doctrinâ elongari nec volo, nec debeo.

APPROBATIO ACADEMICA.

QUa perspicacitate Clariss. Vir *D. Carolus Musitanus* in nostrâ Societate Academicâ adscriptus, naturæ arcana perscruteretur; quis solertiâ morborum causas investiget; quàm aptè opponat remedia; qua subtilitate, ac syncéritate Veterum, atque Neotericorum trutinet placita; quo demùm candore tâm animi, quàm dictionis omnia communicet, ac in propatulo exponat, Obiliterario et plerisque monumentis præsertim physicis, ac medicis in Luem iam emissis, satis superque constat. Ideó jue cùm *Chirurgices*, atque de *Febribus* opera accuratione summâ elaborata mandare velit prælo; Nostra de illis approbatio juxta constitutiones Academicas supervacanea videtur. Attamen facultate nobis ab Illustrissimâ *Pigrorum Academiâ Civitatis Barij*, ejusque *Illustrissimo Principe Sigismundo Panelli* communicata, ob publicum, & infirmorum, & Medicorum emolumentum ea Typis digna censemus; & cùm libuerit (si ità iis videbitur, ad quos spectabit), ut imprimantur, annuimus. Ipsum interea ne literariam Remp. hujusmodi utilissimis elucubrationibus locupletare desistat, impensiùs hortamur; eidemque de nostro atque nostræ, officio, studioque Academiæ, quantum fas est, omni animi alacritate pollicemur; cujus rei gratiâ has literas manu nostrâ subscriptas, sigillóque munitas Damus Neapoli 15. Mensis Januarii. A. D. 1696.

HYACINTHUS GIMMA, V. J. D. Promotor Generalis Acad. Pigrorum Barij, Peregrinorum Romæ, Spensieratorum Rossani &c.

D. CAROLUS CARAFA Abbas Titularis Canonicorum Regularium Academicus, & Censor.

ALOYSIUS CORE Ordinis Prædicatorum Lector Metaph. Censor Academicus.

CAIETANUS TRIMIGLIOZZI Philosophiæ, ac Medicinæ Doctor Censor Academicus.

D. JO. BAPTISTA NOTARANGELUS Censor Academicus.

Locus (†) Sigilli.

V. J. D. D. ANTONIUS FATTOROSI Secretarius Academicus.

VITA
D. CAROLI MVSITANI

Ab incerto Authore conscripta.

CUm in totius Orbis perniciem malum ab Aquilone erumpens, Gothi, Vandali, Hunni, cæterique hujus pestis barbari, ipsum Orbis caput, Romam, funditùs solo everterent, ut Romam in Româ quæreres; Romanæ nobilitatis reliquiæ dulces antiquæ patriæ cineres linquere, alióque novam patriam emendicare coactæ sunt. Plerique ultimam Italiæ oram, fortasse hostilibus furiis minùs obnoxiam, Magnam scilicèt Græciam (quæ nunc Calabria dicitur) elegêre. Inter hos Musitanorum familia* in Fastis Consularibus, utpotè nobilissima locum habens, potiùs Pallados, quàm Bellonæ artibus addicta, Pythagoræ exemplum secuta est: qui Samum patriam suam à Tyranno occupatam fugiens, apud Crotoniatas Italicam scholam, primum nempè in Europâ scientiarum seminarium instituit. Haud procul igitur Crotone; in oppido, quod hodiè Castravillarium appellatur, veteribus Aprustum, Musitana domus post Urbis excidium sedem fixit. Hic natus est D. CAROLVS MVSITANVS Anno CHRISTI CIↃ IↃ CXXXV. III. nonas Januarij post occasum solis, Patre Scipione Musitano, Matre Laurâ Pugliese. Humaniores literas ingenio adjutus promptissimo arripuit potiùs, quàm didicit, adeò ut vix decimum annum excedens, non modò latinè loqueretur alacriter, sed Poëticos, Rhetoricosq; canones optimè calleret. Hinc, fastidiente quamvis stomacho, Peripateticorum nugas ebibit universas, plaudente Monachorum cœtu, quibus magistris, necessitate potiùs, quàm voluntate ductus, in patriâ usus est: donec sacris initiatus Neapolim petiit. Discendi desiderio flagrans, quotquot in hac florentissimâ urbe virtute insigniores viros sibi tulisset fama, hos omnes frequenter colere, sibique magistros proficere, attentiùs studuit. Sicque factum est, ut præter pietatis studia Christianæ tùm illustrium præceptorum auditu, tùm assiduâ lectione librorum, affatim veram hauserit Philosophiam. Indè ad Medicinæ studium se contulit, præceptores habuit Thomam Cornelium Consentinum, Leonardum à Capuâ, & Sebastianum Bartholum, (quorum nomina nunc in æternâ benedictione sunt) in qua comparandâ non modò insudavit ardentissimè, verùm ante oculos, ut in cæteris semper, scopum habens veritatis, non priùs ullum medicorum, quotquot unquàm fuerunt, recepit animo, quàm in defœcati judicij trutinâ subtiliter examinavit, experientiam magistram, favente in primis, quàm optimè callet Pyrotechnicâ. Grassante in hac potissimùm Civitate Morbo Gallico, quem Galli fortasse verius, Neapolitanum appellant, præcipuum huic bellum indixit: nec ullâ pestis istius specie infecti sunt mortales, quæ accedente Caroli manu, vel pharmaco ab ipsomet parato, quàm festinanter non aufugerit, haud ampliùs rediturа. Brevitati consulens, nè tædium afferam Lectori, uno verbo dicam, nec hyperbolicè: adeò proficua fuisse, & esse Musitani medicamenta, ut felices sese existiment quicumque, morbo quolibet gravati, ipsius

* *Vide sis Haloandum in calce Codicis Justinianæi. Anno ab Vrbe conditâ* 375. *Ab ejectis Regibus* 293. *olympiade* 141.

situs operam nacti sunt. In exercendâ ægrorum curâ, æmulos passus est plurimos, religiosissimos præcipuè, qui (utrùm veræ pietatis zelo ducti, an potiùs invidiæ livore) Musitanum nostrum insectari cœperunt, canina verba jactantes foro: *Turpe esse Sacerdoti fœmellas medicinæ prætextu invisere; imo artis medicæ exercitium ecclesiasticis hominibus indistincte à canonibus vetitum.* Hujusmodi turbas, seu potiùs pueriles ineptias risit, elusit citissimè, impetrato à Clemente IX. Pont. Max. ampissimo medendi diplomate, Viri fide dignissimi Musitanum in mulierum præcipuè morbis percurandis, castitatem firmare, non perdere, audacter, & verissimè testati sunt; si enim medicis omnibus usu venit propter morborum muliebrium nauseam, Carolus noster à puero Cœlibatui adictus, constanti animo fœmineum genus semper perosus, carnis illecebras inoffenso pede calcavit. Miraberis fortasse, lector, adeò cœlebrem Musitanum prædicari, quòd in ipso Sirenum gremio Ulissem se gesserit, Homerico Ulisse fortiorem. Imò ob vitæ integritatem, aliaque laudabilia munia, annuente Antonio Pignatello S. R. E. presbitero Cardinali, Archiepiscopo Neapolitano, nunc Innocentio XII. Pont. Max. in confessariorum numero adscriptus fuit. Sed mirari desines, cùm alterum spirituali naviculæ scopulum nocentiorem, avaritiam, noveris feliciter evitasse: non solùm enim in praxi medicâ summo studio laboravit, ut prodesset multis, sed etiam ut nemini noceret; quanta emicuit charitate in tenuioris fortunæ homines, aperire operosum est, nunquàm enim ab illis pro labore quicquam pretij expetivit, imò oneraria afferentibus ea restituit, ac proindè invisendi operam gratis exhibuit, insuper iisdem pharmaca abundè, & æs suppeditavit, attamen quicquid ipsi à divitibus sponte oblatum fuit, cum gratiarum actione acceptavit. A sublimiori fastu abhorrens, nullis amicorum precibus, Magnatumque promissis unquàm flecti potuit, ut ipsorum aulas frequentaret, philosophico siquidèm contentus modo, divitias contempsit, populares auras fastidivit, nec quicquam prius otio, & libertate habuit, quæ duæ inæstimabilis pretij margaritæ in Principum aulis nullo unquàm tempore locum obtinuêre. Verbis, & calamo Reipublicæ juvandæ pro viribus studuit, testantur ejus opera, quorum hactenùs edita refert hæc pagella. In almâ urbe Parthenopeâ vivit adhuc Musitanus, fermè sexagenarius, sed viridi fruens senectâ. Tu Lector ingenue, Deo Opt. Max. mecùm gratias agito, sæculum nostrum tales viros protulisse ut superioribus sæculis clarorum virorum copiâ florentissimis, minimè invideamus.

R. D. CAROLI

D. CAROLI
MUSITANI

Physiatros Professoris &c.

TRUTINÆ CHIRVRGICO-PHYSICÆ.

TOMUS PRIMUS.

DE TUMORIBUS
PRÆTER NATURAM.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & Quotuplex sit Tumor p. n.

ANtequam ad tumoris definitionem deveniamus, sciamus expedit, quòd tumores omnes in triplici sunt differentiâ; quidam enim sunt *naturales*, qui observantur in humeris, mammis &c. Alii *non-naturales*, quia scilicet ex unâ parte non sunt extra naturæ leges, & ex alterâ actiones non lædunt, ut videre est in mulierum ventre utero gerentium, & mammis lacte turgentibus, in obesis &c. Alii demum sunt *præternaturam*, qui omninò actiones lædunt. De primi, & secundi generis tumoribus hic sermo non habetur, quia licèt sint excessus figuræ totius, vel ejus partium in longum, latum, & profundum, tamen neque in abscessum abeunt, neque actiones impediunt, neque morbum constituunt; sed

de iis, qui præter naturam sunt.

Sciendum est, id quod Græci, & Arabes apostemata appellavêre, Latini tumores appellant, & communis est horum omnium opinio, apostemata sive tumores omnes triplicem includere illam morborum differentiam, ad quam *Galenus* omnes reduxit morbos, scilicet malam conformationem, intemperiem, & continui solutionem. nàm extra dubium est quemlibet tumorem p. n. conformationem alterare in lato, longo, & profundo, undè morbum in malâ conformatione esse nemo ambiget.

Deindè quemlibet tumorem suam nutrire intemperiem secundùm humoris in eo concluſi qualitatem negari non potest ab iis, qui Galeni doctrinam sectantur, ex quo sequitur tumores omnes morbos esse in intemperie. Præterea partis fibras, in qua tumor productus est, à seipsis esse divulsas ob contenti humoris interpositionem, nemo erit, qui negabit, quod continui solutionem dicit: Tumor itàque quilibet præter naturam morbus est in intemperie, malâ conformatione, & in solutâ unitate; undè generalis indicatio tumorum curativa desumitur, scilicet necessarium esse medico, ut tumores p. n. curare possit, intemperiem ad temperiem reducere, continui solutionem ad unionem, nàm ab his duobus necessariò deindè naturalis partis situs, ac pristina naturalis conformatio emergit.

Hac stante doctrinâ, cum *Avicennâ* tumorem definimus: *Tumor p. n. est agritudo composita ex triplici morborum genere, scilicet intemperie, malâ conformatione, & continui solutione in unam magnitudinem aggregatorum.*

Horum præterea tumorum generum multæ sunt differentiæ, quarum prima est, quæ tumores omnes p. n. in auctam magnitudinem dividit, & hæc triplex esse potest, magna, vel parva, vel mediocris; hinc propterea tumor, vel erit magnus, vel parvus, aut mediocris. Tumores magni potissimum apostemata appellantur, latinè abscessus; tumores mediocres mediocrem habent naturam; parvi verò parvam obtinent, & isti adhuc subdividuntur; nàm quidam sunt mediocriter parvi, & peculiari nomine tubercula i. parvi tumores appellantur; alii sunt minimi, & nominantur pustulæ, quæ proprie ad affectus spectant cutaneos, ità ut tuberculum sit parvus tumor, pustula verò exile tuberculum. Tumores, sive magni, sive mediocres fuerint, quia actiones lædunt, semper in morborum genere reponuntur, parvi verò, ut tubercula, & pustulæ, quia actiones non lædunt, in symptomatum genere collocantur.

Interest multum tumorum p. n. magnitudinem, & parvitatem perpendere: nàm secundùm has differentias, magna, vel parva erit mala partis conformatio, ejus intemperies, & continui solutio, nisi contentæ materiæ qualitas hanc mutet regulam.

Secunda tumorum differentia est, quæ originem ducit ex iis, quæ

quæ suprà notavimus, scilicet tumores triplicem illam morborum differentiam complecti, in solutâ unitate, in intemperie, & in malâ conformatione; ex his enim quamvis situm, magnitudinem, & partium figuram quidèm alterant, ex qualitate tamen contentæ materiæ intemperiem sensilem non causant, ut sunt melicerides, atheromata &c. ac multoties neque continui solutionem producunt, ut sunt tumores appensi, qui in cutis superficie prominent; ac tandèm multoties multi tumores adveniunt, qui licèt figuræ situm vitient, habeantque intemperiem, saltèm à materiæ proprietate, actiones tamen partis non lædunt, ut accidit in verrucis, aliisque similibus.

Tertia tumorum differentia est, quæ ex motibus duris, atque inter hæc mediis membris, in quibus tumores produci possunt, dependet, nàm apostemata, & tumores non solùm in carnosis, musculosis, membranosisque partibus accidere possunt, sed etiam in molli cerebri medullâ, & durâ ossium consistentiâ, ut & in robusto cordis parenchymate.

Quarta eorum tumorum distinctio est, qui omninò ab externâ causâ promoventur, & eorum, qui omninò ab externo naturæ molimine fiunt, & tandèm eorum, qui ab externâ causâ, concitatâ priùs naturâ, producuntur.

Quinta distinctio est eorum, qui naturâ aliquid mali succi à bonis separante, & aliquò transmittente, fiunt, ab iis, qui ex malo succo in aliquâ parte existente, vel producto emergunt.

Sexta tumorum distinctio est inter eos, qui extrà, & ad cutem properant, vel contrà, qui ad viscera, partesque abditas vergunt.

Septima distinctio tumorum est, quæ ex causis desumitur, aut enim ex sanguine, aut bile, aut pituitâ, vel melancholico humore, ut dicunt, seu aquositate, seu flatuoso demùm spiritu, aut apostemata fiunt, aut ex duobus, vel pluribus ex dictis simul mistis, de quibus causarum differentiis author est *magister Galenus* 13. *meth. cap.* 4. *& alibi de tumoribus p. n. cap.* 18.

CAP. II.

De Phlegmone, sive Inflammatione.

PHlegmone apud Græcos, apud Latinos inflammatio dicitur, unus est ex tumoribus, qui excessus est figuræ partis corporis, præcipuè carnosæ à sanguine productus. Interdum perperàm *Phlogosis* nominatur, quandò scilicet immoderatus accidit calor in partibus præcipuè superioribus, & specialiter in facie, sed saltèm momentaneus absque tumore. Verùm non tantum intelligimus musculorum carnem, quæ propriissima est ea, sed etiam viscerum carnes, quæ parenchymata appellantur. Imò sub carnosæ partis nomine comprehendimus glandulosas partes, & etiam membranosas. Eapropter quamcumque

carnis ſubſtantiam, quæ venas, & arterias habet, quæ ſanguinem, inflammationis cauſam continent, & vehunt, ſubjecta inflammationis eſſe ſtatuimus.

Inflammatio apud vulgares vel eſt ſimplex, & exquiſita, quæ ex puro ſanguine originem ducit; vel compoſita, & ſpuria, & hæc rurſus eſt quadruplex, vel eryſipelatodes, vel œdematodes, vel ſcirrhodes, vel omnium particeps.

Signa.

Inflammationis ſigna ſunt tumor, calor, rubor, & dolor in parte perſeverans, & utplurimum febris. In parte inflammatâ percipitur pulſus, in qua anteà non percipiebatur; non enim in omnibus partibus accidit pulſatio, ſed his ſaltèm, quæ arterias habent notatu dignas, ubi inflammatio in notabilem ſe attollit magnitudinem.

Cauſæ.

Putant Galeni ſectatores inflammationis exquiſitæ proximam cauſam purum eſſe ſanguinem, ſpuriæ verò ſanguinem non ità purum, ſed aliis humoribus refertum; hinc eſt; quòd quandòque juxta uniuſcujuſque humoris exuberantiam, varias excitet inflammationes, ut ſi bilem in prædominio habeat, dicitur eryſipelatodes, ſi pituitam, œdematodes, ſi melancholiam, ſcirrhodes. Hinc ſi ſanguis copiâ exuberet, non tantum vaſa magna, ſed etiam parva diſtendit, & quæ anteà non conſpiciebantur, apertè in conſpectum veniunt, & cum contineri non poſſit, ex vaſorum poris in proximas effunditur partes.

Noſtra ſententia eſt, quòd inflammatio fit ex ſanguineorum tubulorum obſtructione; ſanguis enim ob ſui motûs circularis neceſſitatem ab arteriis in venas tranſit, hinc ſi ſubſiſtat, ſtagnet, vel extra vaſa effundatur, ſuo circulari motu deſtituitur, & eò facilius, quò in vaſa minora, & capillaria impingit, ibi coagulatur, ſubſiſtit, obſtructionem parit, & à novo ſanguine continuò accedente vaſorum diſtenſio fit, poſtquàm non ampliùs diſtendi poſſunt, tunc ibi ob denegatum motum hæret, ſubſiſtit, ſtagnat, & coagulatur, vel è ſuis effunditur vaſis propter eorum apertiones, aut anaſtomoſim, vel diæreſim, vel diabroſin. Interea ſpiritus in ſanguine latens in vaſorum interſtitiis, vel inter fibras fit inſolens, & hoſtilis, tunc irritatus (ſi *Helmontio* aſſentiri velimus) excandeſcit, furit, dolorem, ruborem, calorem, & pulſum provocat, ut patet in exemplo de ſpinâ quernâ digito infixâ ab eodem allato.

Cauſæ externæ ſunt, quæ ſanguinem ad partem affectam concitant, & movent, ut partis calor nimius, contuſiones, fracturæ, puncturæ, & omnes extrinſecæ læſiones. Vel ſunt illæ res non-naturales vulgò dictæ, quæ inflammationem excitare valent. Sic motus nimius, exercitium vehemens, ira effera, nimia Veneris

luctatio;

luctæ; hæc nâmque corpora calfaciunt, quæ si extemplò refrigerantur, facilè inflammationem patiuntur: Dùm enim particulæ subtiles, & nostri corporis volatiles, sive ætheræ agitantur, celerius per corpus impelluntur, nos incalescimus, deindè si earum motus feriatur, corpus refrigeratur, ac lucci, quos hæ volatiles particulæ incolunt, etiam nimio destituuntur motu, & magis incrassantur. Vel inflammationem pariunt cibi boni, & multi succi, vita otiosa &c. quæ copiosum generant sanguinem.

Prognosis.

Inflammatio aliquandò naturæ vi, & aliquandò artis auxilio resolvitur, aliquandò verò in abscessum, & suppurationem abit, ac in externis corporis partibus ferè semper ad bonum tendit; à multis enim liberat morbis, & hanc ob causam semper salutaris esse solet, nisi suâ magnitudine in gangrænam commutetur: Ità in partibus internis ferè semper malum portendit, periculosissima est, & sæpè lethalis. Inflammatio facilius curatur in juvenibus, quàm in senibus.

Ante inceptam suppurationem semper curabilis est inflammatio, absque eo, quod in abscessum degeneret, inceptâ suppuratione, in abscessum abire necesse est; sanguis enim vel grumefactus, vel è vasis effusus in naturæ gratiam redire non potest, vel resolvi, vel dum in pus abjit, neutrum potest.

Curatio.

Pro curatione advertunt primò Galenici, an phlegmon fiat per fluxionem, an verò per paulatinam congestionem. Secundò, an sit in principio, augmento, statu, an in declinatione.

In principio ejus curationem per debitam diætam complent; secundò per fluxûs prohibitionem, & remotionem multitudinis, & causæ antecedentis à toto.

Diætam non solum in principio, sed etiam in aliis temporibus instituunt, quæ tendat ad frigidam cum aliquali siccitate; undè esse debet tenuis, quantum vires ferre possunt, & potus parvus. A carnibus, & vino omninò abstinendum, quantum fieri poterit, vitentur omnia *pinguia*, *frixa*, *salsa*, *lacticinia*, *legumina*, *& alia mali succi*. Conveniunt *phisana hordeacea cum seminibus melonum*, *lactuca*, *endivia*, *borago*, *& cichorium*, *passulæ*, *amygdalæ*, *& panis biscoctus*. Alvus servetur lubrica, aliàs clysteribus proritetur. Veneris usus prorsus interdicatur, & membrum affectum in quiete detineatur.

Quantum ad secundum pro fluxionis prohibitione, & remotione multitudinis, primò sanguinem mittunt ex parte oppositâ, revulsionis gratiâ, si nullum adsit impedimentum, & deindè ob derivationem ex parte vicinâ, præcedentibus frictionibus, cucurbitulis &c. Si inflammatio sit simplex, & exquisita, bis, & etiam ter, si opus fuerit, sanguinem eliciunt, &

quidèm liberalius ; quandò sanguis solâ quantitate peccet. Si verò sit composita, aut pro magnitudine aliquod afferat periculum, corpus purgant, habito ad humores respectu, qui simul cum sanguine peccant, qui si sint bilioſi, hos prius præparant cum *Syr. de infus. ros. de cichor. & endiviâ*, deindè purgant aliquo lenitivo medicamento, ut *Mannâ*, *Cassiâ*, *vel conservarum expressione*. Si fuerint pituitoſi, vel melancholici, prius præparant *Syr. de borag. lupul. fumar. simpl.* cum aquis consimilibus, & posteà purgant cum *decoctione fol. sen. & agarici cum Syr. Suess. ros. solut. diacatholic. confect. Hamech*, vel in formâ boli cum *cassiâ*, & dictis confectionibus. Purgato corpore, conveniunt hirudines sedis venis, & maximè si evacuatio hæc fuerit consueta, & aliquo modo suppressa.

Propter fluxionis inhibitionem curatio apud vulgares existimatur inflammatæ partis refrigeratio, ac propterea à refrigerantibus, ut ajunt, utuntur, *oleo rosaceo*, *butyro recenti*, *lacte*, *& foliis herbarum frigidarum*, sed quia Galenici Galenum non legunt, haud in parvo versantur errore, & plerumque lenes inflammationes in magnos, lethalesque morbos degenerare faciunt ; sunt enim accuratissimi Galeni verba cap. 2. hoc titulo : *Suprà autem nobis est dictum, refrigeratis inflammationibus, non evenire, ut semper subsideant, quia vi ingentis, & magnæ inflammationis, in qua compactus defluxus sit, licèt eam copiosius refrigeres, tumorem non tolles, sed lividam, frigidamque partem reddes, & affectum in scirrhum commutabis : impactus igitur cùm tenaciter sit, nullum auxilium ab adstringentibus, & refrigerantibus admittit, sed evacuationem postulat.* Fuêre autem medici eo tempore, qui non modò calefacientibus ad discutiendum, sed etiam scarificationibus cuti adaptatis, ad aliquam sanguinis portionem evacuandam utebantur.

Nostra indicatio inflammationis curativa est, ut primò spiritus agitatio, & furor sedetur, deindè obstructio referetur, & tandèm ut sanguis concretus resolvatur, ac tunc curatio erit integra.

Notandum verò, quòd sedatâ spiritus agitatione, faciliter, & sanguis resolvitur, & obstructiones aperiuntur : at si postrema duo tentaveris, furioso existente spiritu, incassum laborabis, imò in pejus inflammationem convertes.

Spiritum itaque irritatum ità sedabis.

℞. *Vitrioli com.* ℥ j.
Aquæ ros. alb. lib. ß.

Fiat in hac vitrioli solutio, & madefactis in hac solutione vitriolatâ tepidâ linteis, inflammationem fove, nàm 24. horarum spatio spiritus quiescet, & dolor cessabit, dummodò puris generatio inepta non sit ; est in vitriolo vis magna anodyna, ob anodynum sulphur, spiritum sedans, non autem refrigerans materiam coagulatam, ut vulgares falsò credunt medici. Sedato dolore, si rubor, & tumor adhuc supersint, infra triginta sex horarum spatium curationem complebis *fodicationum emplastro*, cujus

mirâ

mirâ efficaciâ spiritus sedatur, sanguis resolvitur, & obstructiones aperiuntur.

Fit inflammatio ex vasorum obstructione, & hæc ab alkalis acido saturatis, quæ non tantum sanguinem grumefaciunt, & reliquos succos in suâ circulatione retardant, sed etiam partem volatilem in suo cursu sistunt. Inflammationis igitur curatio ea expostulat medicamenta, quæ acida, & austera absorbent, sanguinem, reliquosque succos volatilioribus imbuunt particulis, & obstructa reserant vasa. Hujusmodi sunt interna, vel externa.

Interna absorbentia sunt, quæ salem habent volatilem, ut *Mumia, sperma Ceti, C. C. & ebur sine igne parata, antimonium diaphoreticum, os de corde Cervi, sanguis hirci ad pleuritidem paratus Crystall. mont. &c.* Hæc enim præter volatilitatem, quam habent, alkalia sunt, in quorum poris acidæ particulæ incuniantur, earumque cuspides infringuntur, vel saltim obtunduntur, & stagnans sanguis, & succus fluidior, & mobilior redditur, tubuli laxantur, & obstructio reseratur. Prosunt quoque diaphoretica, ut *Bezoarticum minerale, Ioviale, martiale, lapis bezoarticus, aqua theriacalis &c.* His enim materia obstruens, vel effusa incidituir, subtiliatur, & vel sensibiliter, vel insensibiliter exturbatur. Eandem habent vim salia volatilia, ut *C. C. succini, scordii, rutæ, absynthii, cardui sancti, bardanæ &c.* Hæc nàmque æthereas continent particulas, quæ à quovis calore agitantur, & obstruentes particulas ad motum excitant, & à vulgaribus calida creduntur.

Si dolor urgeat, anodyna maximè conveniunt, ut *Laudanum opiatum, Nepenthes, Diascordium, pilulæ de cynogloss. &c.* quæ sudorificis commodè commiscerì possunt; hæc nàmque præterquamquòd spiritum pacant suo sulphure anodyno, vi quadam diaphoreticâ, qua pollent, & sudorificâ, morbificas expellunt causas, & acutos acidorum salium aculeos emendant.

Externè applicari possunt ea omnia medicamenta, quæ tubulos obstructos laxant, concretum in vasis sanguinem, vel in aliquam cavitatem propinquam effusum dissolvunt, fluidiorem reddunt, ac ad diaphoresim promovent. His dotibus *emplastrum de Spermate Ceti* potitur. Vel inflammata pars *spiritu Vini rectificato, in quo infusa fuerit recens radicis bryoniæ rasura, tepidè foveatur, vel spiritu Vini Camphorato, vel Crocato.* Vel fiat fotus ex herbis aromaticis, ut *scordio, rutâ, absynthio, erysimo, chærefolio, floribus chamomillæ, sambuci, meliloti, foliis lauri, in aquâ florum sambuci coctis, post coctionem vigora spiritu vini alkoholizato*, & tepidè applica, & reitera. Vel applicentur *linteola sanguine leporis imbuta*, in cujus defectu *cuniculorum sanguis* substitui potest.

Purgans medicamentum omninò inutile judicamus in inflammationibus, imò eas in pejus mutare solet, nàm humores vehementius commovet, & ad partem irruunt

ruunt affectam; verùm non improbandum censemus, si cacochymia i. pravorum humorum colluvies in corpore luxuriet, dubium non est, quin purgans conveniat medicamentum, sed non inflammationis, sed cacochymiæ ratione.

Sanguinis missio, si inflammatio sine febre sit, neque juvabit, neque nocebit, si cum febre periculosissima est, estò *Gal. 1. aph. 23.* blateret: *In ardentibus febribus, in maximis inflammationibus, & vehementissimis doloribus, usque ad animi deliquium sanguinem detrahendum esse.* In hac sanguinis missione omnem salutis spem collocant vulgares, putantque optimum, & compendiarium in hoc morbo esse remedium, ut posthabitis contra-indicantibus, eam celebrent. Verum innocentem detrahunt sanguinem, ne ad partem affectam fluat, ac si ibi se effunderet, & concresceret. Respiciunt ad posterius, id quod futurum erit, ex falsâ eorum imaginatione præcavere studentes, & noxium in radice non attingunt. Inflammatio vel resolvitur, vel suppuratur, detrahendo sanguinem, à quo omnis est calor, refrigerant, coagulant, obstruuntque & resolutio, vel suppuratio impeditur, vel in longum protrahitur tempus.

Quatuor de causis vulgares sanguinem fundunt.

Prima, quoties quantitate, seu copiâ peccat, & pletoria vocatur.

Secunda, revulsionis, aut derivationis gratiâ; revulsionem maximè celebrant quàm longissimè à parte defluxionibus tentatâ, & derivationem per loca ipsi viciniori. Hinc est, quòd revulsio debetur tantùm circa principia, derivatio verò, principio transacto, & revulsione jàm factâ.

Tertia, in morbis vehementibus, & potissimum, qui inflammationem habent conjunctam, ut in anginâ, pleuritide &c. & similiter in morbis acutis.

Quarta, in febribus refrigerationis, aut ventilationis gratiâ, & hinc *Galenus: Saluberrimum*, scripsit, *esse in omnibus febribus sanguinem mittere.* His igitur de causis vulgares sanguinem effundendum volunt. Cæterum respondemus.

Ad primam, si copiâ, seu quantitate peccat sanguis, libenter phlebotomiam concedimus, præcipuè ubi necessitas urget, malum inducias non permittit, & ex magno sanguinis affluxu periculum impendet; quotiescumque verò sanguinem minuere expedit, nec intereà à præcipiti urgentiâ cogimur, possumus multo tutius, atque commodius per dictam absolvere, nàm diæta est assidua phlebotomia.

Ad secundam, revulsio, & derivatio penitus evertitur ab Arvejano sanguinis motu, nàm sanguis cum in orbem à venâ cavâ in cor, è corde in arterias, ex arteriis in venas, à quibus iterum in cor, & arterias deferatur, manifestum est quamcumque sanguinis missionem non ad peculiarem quandam partem, sed ad universum corpus pertinere.

Ad tertiam, sanguinem mittendum repudiamus, nisi pletora adsit

adsit (sed hæc rarissimè observatur) ex qua suffocationis evidens immineat periculum, & tunc ultrò sanguinem mittendum fatemur. In pleuritide, peripneumoniâ &c. hoc remedii genus tanquàm maledictum in nostrâ *Trutinâ Medicâ* improbavimus.

Ad quartam, ut indiscriminatim in omnibus morbis sanguificinam exerceant vulgares, refrigerationem, & ventilationem commenti sunt, cum unam, vel saltim duas sanguinis uncias evacuandas jubent; sic enim sanguis respirabit! Sed quænam ventilatio, sanguine è venis prodeunte, contingere potest? Cum nihil aëris in venas ingredi possit? Quis unquàm agnovit sanguinem respiratione, & ventilatione indigere? Profectò enim natura sanguinem in venis, & arteriis concluſit, ubi nullus patet aëris aditus. Verum fortassè minus damnanda erit ejusmodi phlebotomia, quæ pauciſſimum evacuat sanguinem, cum minimum noxæ, aut periculi inferre possit.

Scarificatio in aliquorum sententiâ non erit inutilis, si fodicationum emplastro statim scarificationis dolor sedetur: Verum, per hæc vulnera sanguinem inflammationem proximè efficientem educere imaginantur, sed perperàm, nàm sanguis extra venas effusus per hanc lanienam non educitur, imò majorem sanguinis affluxum concitare potest.

CAP. III.

De Abscessu.

PHlegmonem, sive inflammationem à naturâ, vel à medico non resolutam ante puris generationem sequitur necessariò abscessus. Verum hoc vocabulum satis generale est, nàm omnem denotat tumorem, sive apostema, cujus causâ in aliquâ corporis parte ab humore p. n. collectio parata asservatur: Specialius tamen hic pro abscessu tumorem intelligimus, in quo pus, vel aliud extraordinarium latet, & cum sanie permistum. Dicitur abscessus ab abscedentibus fibrillis, laceratisque vasis.

Signa.

Quandò inflammatio in abscessum degenerat, & hoc partis opus natura molitur, dolor augetur, febris utplurimum accenditur, ut inquit *Hip. aph.* 47. *Sect.* 2. *Dum pus fit, dolores, ac febres fiunt magis quàm confecto.* Tumor autem versus cutem fit extuberantior, cutis fit tenuissima, & tactui cedens cum immediatâ elevatione, hic abscessus dicitur.

Causa.

Apud vulgares abscessûs causa in genere est substantia solida, vel unus, vel alter ex quatuor humoribus, aut omnes simul concreti,

ob quos partes, quæ anteà erant unitæ, ab invicem abscedant, distenduntur, & rodendo majus occupant spatium. Puris materiam sanguinem constituunt, & causam efficientem, calorem præternaturalem, undè pus frequentiùs inflammationem sequitur, quàm alios tumores, quia sanguis non tantùm humidus est, sed etiam calidus, & facilè calori adventitio conjungitur, quæ hæc duo ad sanguinem in pus concoquendum maximè sunt necessaria.

Nostra sententia est, quòd sanguis motu circulari sensim destitutus, & in capillaribus vasculis concretus, vel in aliquam intercapedinem effusus, ejus spiritus indesinenter avolant, & partes sulphureæ allisione atteruntur, earumque subtiliores evaporant, & viscidus sanguis coagulatus, & effetus volatilitate destituitur, & obstructione parciùs illi commiscetur pabulum nitrosum, & particulæ æthereæ, à quibus ejus vita conservatur. Tunc temporis salinæ particulæ resurgunt, quæ à crasso viscidoque sulphure exaltato irretiebantur, & fermentalis caloris ope compagem destruunt, & in pus commutantur, quod summâ gaudet corrosione ob salis exaltati aculeos à sulphure exaltato actuatos. Putridum illud liquamen partis fibras, & tubulos, in quibus cespitat, & fluctuat, spiculis suis exedit, corrodit, & cavitatem sibi struit, quam morâ adauget, ampliat, & abscessum producit. Rupto abscessu, fæculentus, & fœtidus liquor effluit, & ingrato utplurimùm odore nares afficit ob putrefactum sulphur, est etiam intensè corrosivus ob salinas particulas summè exaltatas, ut gustu quisquam comprehendere potest.

Prognosis.

Quoties abscessus versus cutem externam emergit, salubris est, eductâ enim materiâ, facilè curatur; quoties introrsum properat, vel in visceribus fit, lethalis est. Abscessûs apertio quò diutiùs protrahitur, eò pejus est; succedunt enim febres habituales, sinus, ossium subjectorum caries, imò & gangrænæ. Pus album, æquale, læve, & minimè fœtidum certò salutem pollicetur. Si acorem nimium contraxerit, sanguinem conspurcabit, febres producet, corrodet, atque exedet fluidorum canaliculos. Pus aquosum, & tenue minus, aut viscidum, & fœtidum, malum; significat enim contumaces obstructiones, præcipitationes, & putredines.

Curatio.

Vulgares chirurgi, irritis discutientibus, omni industriâ student, ut citius ad suppurationem abscessus disponatur; pro qua re in usu est inunctio *ex quatuor oleis scilicèt amygdalino, chamomelino, & utriusque lilii cum lanâ succidâ superpositione*, addunt quandòque *butyrum recens pluries lotum.* Inposterum superponunt *gallinæ adipem, & suillæ axungiam*, & partem affectam

cà-

eâ illiniunt ter, aut quater in die, & ut citius maturatio perficiatur, ac cutis extenuetur, commendant cataplasmatis usum hoc modo:

℞ *Fol maluar.*
Violar.
Althæa, &
Scabiosæ ana m. j.
Radic. utriusque lilii ana ℥. j.
Caric. ping. num. x.
Passul. enucleat. ℥. ij.
Bulliant, & contundantur addendo
Butyr. recèns loti, &
Axung. suillæ putridæ ana ℥. iv.
Ol. Camomill. &
Amygdal. d. ana ℥. ß.
Fermenti ℥. ij.
Croci fila x.
Stercoris columbini ℥. j.
M. f. cataplasma.

Hujusmodi cataplasma sæpè mutant, ne exsiccetur, & exsiccatum maturationem impediat.

Confecto jàm pure, ad sectionem deveniunt, tunc cum perfecta apparet inundatio, & est commune authorum consilium, ne expectetur, quòd à naturâ disruptio fiat ob triplicem causam; Prima, non semper tumores in parte decliviori disrumpit, sæpè hoc facit in parte superiori, per quam non benè tumor expurgari potest; secunda, foramen à naturâ fit angustum, adeò ut non sufficiet ad partes puris crassiores expurgandas; Tertia, cutis illa adeò à naturâ extenuatur laceræ vestis instar, ut difficulter agglutinari possit.

Ut hæc incommoda vitentur, aperiunt caustico *ex calce, & sapone nigro* confecto, postmodum ad escharæ casum *mantécam cum endiviæ foliis* applicant.

Vel ferro tumorem incidunt, & incisionis quantitas desumitur à tumoris magnitudine, tum à naturâ partis laborantis; à tumoris magnitudine, in majoribus tumoribus sectio facienda est major, quemadmodum in minoribus minor; à naturâ partis laborantis, nàm in facie, præsertim in mulieribus, quò ad fieri poterit, minima fieri debet. Eadem ratione in tumoribus axillarum, & inguinum sectio facienda est per transversum, quemadmodum in fronte sectio semper facienda secundum partis longitudinem, nàm si fieret per transversum, statim concideret supercilium.

Sed pro completâ sectionis notitiâ multa observanda veniunt.

Primò, ut sectio fiat in loco, in quo pus continetur.

Secundò, in loco altiori, molliori, & decliviori.

Tertiò facienda est secundum processus musculorum, ne scilicet musculi, & potissimum eorum, & tendines secentur, ac lædantur.

Quartò, ut vitentur magni nervi, venæ, & arteriæ, ne ex eorum læsione accedant convulsiones, & hæmorragiæ.

Quintò, ut tumore jàm adaperto, universum pus unâ vice non extrahatur, potissimum in magnis abscessibus, quod monet *Hip. 6. aph. 27. Quicumque suppurati, aut aquam intercutem patientes uruntur, vel secantur: si pus, aut aqua universim effluxerit, omnes moriuntur.*

Sextò, ut locus patiens, quò

ad fieri poterit, blandè, & suaviter, seu minori tractetur dolore.

Sectione jàm factâ in usu est apud nostrates chirurgos illicò *stuppam* imponere *ovi albumine conquassato imbutam.* Utuntur ovi albumine ob vim, quam habet emplasticam sanguinis fluxum sistendi: hujusmodi stuppata spatio 24. horarum detineri solet, ac sublatâ, ad digerendum malè feriati chirurgi digestivo utuntur. Ad quid digerendum, ubi quicquid digerendum erat, natura digessit? Protrahunt isti curationem, ut ægrorum crumenas digerant. Parant digestivum *ex terebinthinâ Venetâ, ovi vitello in aquali portione, additis guttulis olei rosacei*, & ex eo tum turundas, tum custodias inungunt, & partes circumstantes eodem oleo rosaceo liniunt, ut quantum erit possibile inflammationem, & humorum fluxum, & impetum reprimant, & ad eundem usum utuntur *foliis lactucæ, vel endiviæ* in tumoribus adapertis, anni temporibus calidis, frigidis verò, foliis *brassicæ, vel betæ* ad juvandam digestionem. Utuntur digestivo bis in die usque ad perfectam, vel saltem bonam puris digestionem & diminutionem duritiei circa ulceris labia. Post digestivum utuntur *Unguento aureo simplici*, si ulcus sordidum non fuerit; si verò sordidum, utuntur mundificante aliquo, ut *Unguento Apostolorum, vel Aegyptiaco*, & tandèm *Unguento de tutiâ* ad consolidandum.

Si abscessus fuerit magnus, & magna puris copia ex eo fluat post apertionem, corpus purgant, & si opus fuerit, etiam ad decocta deveniunt.

Si inflammatio neque resolventibus, diaphoreticis, vel alkalicis resolvi potuit, vel quia non statim accersitus fuit chirurgus, vel quia medicamenta applicata tantæ non fuerunt energiæ, vel quia inflammatio in abscessum properat, tunc factam, vel inceptam suppurationem promovere debemus illis medicamentis, quæ fermentationem, & calorem supputatorium in parte promovent, talia sunt *emplastrum de Cumino, labdano.* Inter reliqua suppurantia eminet *lac, in quo coctus fuerit sapo Ianuensis*, & decoctum illud parti affectæ cum linteis multiplicatis appositum, non tantum mirè maturat, verùm etiam abscessum aperit. Possumus etiam uti ex variis emollientibus *fol. alth. flor. chamomill. verbasc. melilot. sem. lini, farin. fecal. mell. vitell. ovor.* cataplasmate calido imponendo. Vel in principio *empl. filii Zacch. vel de Meliloto* superpositione utimur ad duritiem evincendam, deindè *emplastrum nostrum Benedictum* superponimus ad abscessûs suppurationem, & quod notandum, ubi emplastrum non adhæret; inibi fit tumoris apertio, & præcipuè si cuticula separetur, infra duos dies aperitur. Rupto abscessu, exprimitur pus, superponitur emplastrum, & ità producendo, infra septem dies curatur. Non credibile est, quantum hoc emplastrum valeat ad maturandos, aperiendos, & curandos cujuscumque generis tumores. Hoc unum dicimus,

mus, hoc emplastro æger non indiget chirurgi ope, sed suiipsius est chirurgus.

Quandòque nos ruptum abscessum filamentis madidis in infusione calidâ *lapidis medicamentosi* citò, tutò, & jucundè curamus; hæc enim aqua fluxiones inhibet, sanguinem sistit, dolorem sedat, abstergit, carnem pravam crescere non sinit, & breviter ad cicatricem perducit.

Aliquandò propter humorum affluxum, vel propter circumjacentium abscessûs partium intemperiem excidit in abscessûs locum fluor importunus, qui continui solutionem impedit, tunc

℞. *Aloës lucidæ,*
Myrrhæ opt. &
Croci ana ʒ. j.

aloën, & myrrham in pulverem redige, crocum minutim contunde, simulque misce in vase vitreo cum spiritus Vini lib. ij. *vas occlude, ac per quatuor dies in ventre equino materiam digere, exime tunc vas à ventre equino, per inclinationem separa balsamum rubicundissimum materialibus supernatans.* Liquorem hunc pretiosissimum serva; fluorem enim cujuscumque abscessûs, & ulceris exsiccat illinctus, durities ulcerum emollit, & perfectam cicatricem inducit, ac à recidivâ præservat. Dicitur Balsamum proprietatis, vel elixir proprietatis per infusionem.

Quandòque non expedit à topicis abscessûs ruptionem præstolari, nec procrastinandum est ad puris eductionem, sed quandò constat sufficientem quantitatem in abscessu adesse, eliminandam, & foràs eiiciendam esse judicamus; pus enim morâ redditur acrius, & ab ipso partes vicinæ magis, magisque corrumpuntur, & foveam ampliorem excavat. Præterea ubi ex partis affectæ mollitie tactu manifestâ, ut & rubedine, ac dolore diminutis puris perfecti præsentia innotuit, aut ferro puri exitum paramus, & quidèm in loco tumoris maximè molli, & declivi, at quia ægri sæpè ferrum exhorrent, vel chirurgus ex ignorantiâ, ut convenit, incisionem efficere nescit opportunam, utile erit abscessum nobilibus aperire secticis, quæ dolorem non inducunt, spermaticas non lædunt partes, & novum in parte cohibent fluxum, & hoc unum erit:

℞. *Merc. meteoriz. pulv.* ʒ. j.
Farinæ frumenti, vel
Hordei ʒ. v.

simul m. ac super planum lignum cum spatulâ ligneâ propriâ salivâ fac massam secundum pineolorum magnitudinem, quos exsiccari permitte, unoque ex eis utere ad cujuslibet abscessûs apertionem. Alterum secticum priori nobilius:

℞. *Saponis nigri com.* ʒ. j.
Calc. viv. aq. non expert. pulv. ʒ. ß.
Simul m. nàm fit massa alba,

Cujus ℞. q. s. pro abscessu aperiendo, neque deterreat nigredo, quam reperies in carne, nàm à medicamento producitur. Vel aliud secticum prioribus nobilius parari potest *ex saponariorum lixivio, ex tribus partibus, duabus evaporatis, unâ remanente.* Vel aliud nobilius pro divitibus *ex lunâ nitri spiritu solutâ, & in lapidem infernalem redactâ.*

Advertendum pro secticis, quòd semper ea infigenda sunt in medio alicujus expositi emplastri, quod abscessui superponatur, ad hoc ut secticum à loco, cui primò adhæret, amoveri non possit propter emplastri adhæsionem; nàm aliàs hinc illinc vagando, opus non perficeret.

Abscessu inciso, vel secto, laxantibus procuretur escharæ casus, pus effluat non unâ vice, sed partitim, ne agrorum vires prosternantur. Verum si in parvâ sit quantitate, omne effluat, sed sine forti, & diutinâ pressione, quo evacuato, ulcus ab acido acri liberandum, sive ut vulgares loquuntur chirurgi, mundificandum est, ad quem finem *spiritus Vini camphoratus, aqua Reginæ, balsamus sulphuris terebinthinati vel balsamus proprietatis* cum filamentis adhiberi debet; hæc enim volatilitate suâ acidum absorbent, exturbant, & prohibent, ac non solum fibras à carne sanâ disruptas separant, sed etiam ulcus mundificant. Ulcere mundificato, sarcoticis, & consolidantibus utimur, hujusmodi sunt *empl. diasulph. sodic. oppodeltoch.*

In abscessu curando utilis est diæta, inutilia sunt medicamenta purgantia, & sanguinis missio, ac quicquid propinant chirurgi, præter potiones vulnerarias, de quibus latius infrà.

Cap. IV.

De Sinu.

Quotiescumque chirurgorum incuria adapertum jàm abscessum citò ad cicatricem non perducit, vel totius abscessus locum non exactè mundificat, ichor quidam produci solet, qui in circumjacentes abscessûs partes se insinuans, sibi viam aperit, qui cum præcedenti abscessu communicat. Tumorem hunc sinum, vel cuniculum antiqui appellavêre. Est sinus cavitas in carne, producta à pure in quadam parte diutius stagnante, cujus orificium strictius est, interior verò illius cavitas amplior, & latior existit, & in quo cutis carni subjectæ adjacens non coalescit. Differt sinus à fistulâ, partim callositate, partim flexuositate, quæ in sinu non occurrunt, undè aliis dicitur abscessus ulceratus, inveteratus, & aliis ulcus sinuosum.

Signa.

Sinum adesse cognoscimus, quoties in magnis abscessibus pus diutius stagnat, sive quod tardius aperti, sive negligentius mundati fuerint, mora longiori corrumpitur, vicinasque partes, ac fibras tendinosas exedit, atque quoties absterso pure à primo abscessu, si circumcircà partes exprimantur, novum pus ab expressione erumpit: tunc sinum adesse, vel

vel cuniculum certum est, qui præter apparentem, occultam habet continui solutionem. Præterea si ulcus uniri non potest, & caro fit spongiosa, si ulcus saniem reddat nigram, oleosam; si linteamina, quæ sicca imponuntur, quoties removentur, graveoleant, hinc sinum adesse denotant. Sinum itaque in quadam parte, abscessu anteà afflictâ adesse cognoscimus, primò ex eo, quod orificium, cujus consolidatio inducta fuit, brevi pòst tempore aperiatur, & materiæ ichorosæ ab illo prodeant, secundò ex eo, quòd turunda, quæ statim in angustius orificium introducta fuit, deindè in amplam cavitatem impellatur.

Sinus est vel rectus, vel obliquus; magnus, vel parvus, cavus, vel superficialis, acclivis, aut declivis. Hæ differentiæ explorandæ sunt turundis, sive specillis argenteis, aut ferreis, itèm candelis cereis, aut similibus, in sinus profunditatem immissis.

Causæ.

Sinum fieri docent vulgares, tunc cùm pus diutiùs in profundo detinetur, & acrem, erodentemque acquirit qualitatem, & cuniculos molitur, ac partes profundiùs à se invicem, corrodendo, dirimit, & majus sibi comparat spatium, in circumjacentes partes se insinuando, quinimmò ad affectam hoc modo partem non tantùm ex vicinis, verùm etiam universo corpore excrementa, & qui superabundant humores, confluunt, undè malum augetur, & non facilè pristinum statum recuperare possunt.

Pro nostrâ sententiâ dicimus, quòd puris materia mirâ virtute corrosivâ prædita est, cum majori ex parte ejus particulæ salinæ duræ, & acutæ sint, & facilè subtili adventante materiâ, in motum adiguntur, & in abscessûs parietes impellunt, & fibras, ac tubulos scindunt, & ulterius inter has fibras, & tubulos debiles, & laxiores se insinuant, & exedendo scrobem excavant, & quò diutius stagnant, eò latiorem, & profundiorem cuniculum, & quandòque plures moliuntur cuniculos. Succingitur sinus pelliculâ, sive quadam tunicâ semicartilagineâ, ut carnosæ, membranosæque partes hac munitæ pelliculâ, à particularum salinarum spiculis lædi nequeant, verum absque hujus remotione impossibilis redditur sinûs curatio, imò temporis tractu obcallescit, & fistulam producit. Fit hæc pellicula à sulphureis particulis crassioribus, quæ à pure evolare non possunt, sed sensim partium adesarum poros, & illarum interstitia suo lentore obducunt, iisque phlegmaticæ particulæ, quæ in pure continentur, associatur, & salium spicula cicurant: ex his particulis sulphureis acidis unà cum salinis, & phlegmaticis inter se agentibus, subtilioribus evaporatis, pellicula coagulatur, & fixatur.

Prognosis.

Sinuum magna est diversitas, & non

non solum quantitatis ratione differunt, ut alius sit major, alius minor, alius brevior, & alius profundior, sed etiam figuræ, quòd alius sit rectus, alius flexuosus, sicut etiam positionis modo, quibus non parum curatio variatur. Qui sursum tendit, meliorem curationis spem præbet, quia per ejus orificium facilè pus effluit, qui verò deorsum, vel ad latera, difficilem reddit curationem, cum pus diutius retineatur, & retentum ulterius erodit, & corrumpit. Pus album, læve, æquale, & minimè fœtidum certò sanitatem promittit; sic si dolor, & tumor dispareant, bonum est. Si sanies valdè tenuis, eaque nigra, & fœtida, malum; denotat enim os subjectum cariem contraxisse. Si crassa, viscida, & fœci similis sit, solam carnem ulceratam esse demonstrat. Sinus nisi celeriter curetur, callum contrahit, & durus efficitur, nec posteà facilem recipit curationem, sed indè recidivæ, vel temporis cursu fistulæ oriri solent.

Curatio.

Chirurgorum vulgus plagellarum, & pulvillorum multitudine digestivo, vel alio unguento inunctorum sinus replent, neque animadvertunt, quòd quantò magis extraneorum corporum interpositione partes distrahunt, tantò magis eas à seipsis divellunt, unio longè abest, & partium vita ità dissipatur, ut earum œconomiam curare amplius non valent.

Si verò sinus orificium non liberè pateat, illum detergunt *mulsâ, vel vino cum aquâ marinâ misto, cui sal adjectus fuerit, vel terebinthinâ, & farinâ hordei cum melle, aut squamâ æris cum vino, & melle.*

Cum verò sinus interdum sint plures, aut major eorum sit profunditas, ut eos planè aperire non sit possibile, nec etiam unguenta per totam eorum cavitatem penetrare possint, tunc præcipuè liquida abstergentia magis probant, quia in omnes partes se insinuant, & talia per siphonem injiciunt, ut

℞. *Hord. integri p.* iij.
Centaur. min.
Absynth. ana p. ij.
coque in melicrato, & f. injectio.

Vel

℞. *Aq. decoct. hordei,*
Melicrati ana ℥. ij.
Ung. Ægyptiaci ℥. ß.
m. & injiciantur. Injecto medicamento, sinus os concerpto linteamine aliquandiù obstruunt, ne mox medicamentum refluat, & postmodùm clauso orificio *emplastro Basilico*, in sinu relinquunt. Deindè fasciarum circumvolutionibus fundum arctè constringunt usque ad sinûs orificium. Detersо sinu sarcotica liquida per siphonem injiciunt, *vinum austerum, in quo thus coctum sit, vel decoctum ex Aristolochiâ, symphyt. caudâ equinâ, rosis, & similibus cum vino*, cui nonnulli *thus, myrrham, & aloën* addunt, ac tandèm sinus orificio *emplastrum Barbarum* in medio perforatum ad saniem effundendam imponunt.

His nihil quandòque proficientibus, ut semper evenire solet. Si æger opulentus sit, convocato prius

prius chirurgorum, & urinæ medicorum consilio, corpus purgant, ne sinus noxium totius corporis humorem recipiat, & demisso ad fundum usque specillo, sinum scalpello aperiunt, & *stuppam ovi albumine conquassato imbutam* ad sanguinis fluxum compescendum superlîgant, quam post vigintiquatuor horas exsolvunt. Deindè ad crassam sordem abstergendam, & saniem exsiccandam collutionibus ex *aquâ marinâ, mulsâ, vel aluminosâ* utuntur, vel *ulcus pulveribus aluminis, chalcanthi* implent, & demum sarcoticis curationem absolvunt.

Nostra sinûs curatio consistit in solutæ unitatis unione, & cavitatis repletione; uniri enim ea, quæ dissident, non possunt, nisi prius cavitas replenda est, verum neque cavitas carne repleri potest, nisi naturalis partis constitutio restituatur, & ab omnibus sordibus liber ac mundus sit sinus. Ad has indicationes complendas, potissimum eò respiciendum est, ut salsæ particulæ, acidæ, & acres sinûs lateribus adhærentes abstergantur, & in pure domentur: in his perficiendis dupliciter procedimus, externè, & internè. Externè ad lentoris in sinus parietibus adhærentis abstersionem, & ad puris acidas particulas pessumdandas ea conveniunt medicamenta, quæ crassiores, & fixas sulphuris, & salis particulas volatizant, & exturbant, *decoctum scordii, absynthii, nicotianæ, vel succus centaurii, apii, roris marini, in quibus myrrha sit dissoluta*, per siphonem injecta. Vel *mel rosaceum in aquâ hordei solutum*; quod in frequenti usu est apud chirurgos Gallos, vel *aqua calcis vivæ, aqua saphirea n. d.* propter salia alkalia, vel *aqua salis armoniaci n. d.* per syringam eburneam intrusa; his enim pellicula illius latera obducens, & carnium agglutinationem inhibens, aufertur. Vel melius, & brevius abluatur sinus *aquæ Reginæ* intrusione, deindè immittatur *balsamus proprietatis cum emplastri fodicationum* superpositione. Dum hæc scribimus, Juvenem Januensem sinu in crure dextro ad unius spithamæ longitudinem laborantem his tribus præsidiis breviter pristinæ sanitati nos restituimus. In sinus curatione de dissectione ferro, sive igne potentiali mentionem non facimus, nam his nostris præsidiis sinum dissecari non oportet. Multum ejus curationi suffragatur diæta, purgans medicamentum potius exsiccando convenit, quàm sanguinis missio, & vulnerariæ potiones summoperè conducunt, sed de sinu fusius agimus Tomo secundo cap. 19. *De Ulcere sinuoso.*

CAP. V.

De Fistulâ.

A Sinu fistula saltèm in eo differt, quod callosa, & dura est; ideòque post sinum ut rectâ, & ordinatâ procedamus methodo, de fistulâ agimus. Si sinus celeriter non curetur, ut convenit, pus cuniculum agit, pars callum contrahit, & durior efficitur, ac

Unable to display this page

guinem, discussis quidèm, ac per halitum digestis tenuioribus partibus, ac crassioribus relictis fistulam fieri. Verùm Galenici morbos, qui ab ipsis curari nequeunt, omnes ab atrabilario originem habere dicunt, ut de Cancro dicemus.

Fistula ab abscessu, vel vulnere suam cognoscit genesim; hîc enim si ob corporis impuritatem, vel pravorum humorum copiam, vel (quæ potissima causa est) chirurgi imperitiam nimis diù curatio protrahatur, & non rectè curetur, profundiorem pure moliente cuniculum, callosus evadit. Fistularum causam tamen in sinu rimamur; si enim pus, quod salinis, sulphureisque constat particulis, diutius quàm par est, in sinu stagnet, ejus latera obducit, cum particulæ subtiles, & volatiles intestino motu agitatæ in adesos parietes se insinuant, discussis volatilibus, tantummodò crassæ, & terrestres remanent, quæ coagulantur, comprimuntur, latera incrustant, ipsisque tenaciter adhærent, agente præcipuè lentore, aluminoso puris sale, & partis succo alimentitio, ac in scirrhosam obcallescunt duritiem.

Prognosis.

Fistula recens, ac simplex, quæ in carnosis tantum partibus est, non profunda, in corpore juvenili, & boni habitus faciliter curatur; difficulter verò quandò plures partes sunt erosæ, sic etiam antiqua sensu destituta, profunda, flexuosa, varios habens cuniculos: membris nobilibus vicina, & corporibus senilibus, cacochymicis, & debilibus. Difficulter etiam curatur, quæ ad tendines, nervos, arterias, venas, ossa, articulos, dorsi vertebras, thoracis cavitatem, imi ventris, uterum, vesicam, aut intestina pertingit. Vel si occurrat circa illa loca, in quibus natura ab excrementis se exonerat, ut in abdomine, inguinibus, natibus, ano, scroto, perinæo.

Verum apud omnes medicos fistula non tantum perdifficilis est curationis, verum etiam incurabilis. Nostrates chirurgi parum differunt à tonsoribus, ideòque eos curant morbos, quos simplex tonsor curare potest, & potius inducere fistulas, quàm curare satagunt. Qui nunc chirurgos se jactant, inducunt fistulas, non curant; semper enim chirurgi defectu fistulosi fiunt sinus, eòque devenit istorum ignorantia, & impostura, ut cum ex artis errore, quam profitentur, abscessus, & sinus in fistulas abire permittant, salubres fistulas esse ægrotis suadent, exagerando, quod si superfluitates, & deliterii humores, qui è fistulâ effluunt, in parte detineantur, necessariò mors sequeretur: sic miseris imponunt fratribus duplici modo, nàm nec illos curant, nec ut ab aliis curentur, minitato mortis terrore, tacitè insinuant. Nos circa hanc materiam non relinquemus, quò ad fieri poterit, eorum malitiam, & ignorantiam detegere, nec non & exquisitam, perfectam-

&amquē curationēm radicitus indagare, adhoc ut agnoſcant vulgares medici, quanta ſit differentia inter ſpagyricos, ut ipſi ajunt, practicantes, & ipſos; bonus itàque chirurgus, & artis ſuæ gnarus nunquàm fiſtulis locum dabit, verum cum illas alterius errore factas invenerit, noſtro inſtituto curabit.

Curatio.

Vulgares chirurgi fiſtulæ curationem exordiuntur, primò debitam inſtituendo diætam, & corpus à ſuperfluis humoribus purgando; deindè ad topica deveniunt, & callum averruncant vel medicamentis, vel ferro, vel igne.

Anguſtum fiſtulæ orificium dilatant per penicillos ex *ſpongiâ, radicibus gentianæ, Ariſtolochiæ, brioniæ, aſphodeli, & hellebori nigri exſiccatis.* Hæc in pyramidalem efformata figuram, & parte acutâ in fiſtulam immiſſa omnem fiſtulæ humiditatem imbibunt, craſſiora evadunt, & ſenſim orificium ampliant.

Quòd ſi his callus non removeatur, ad fortiora deſcendunt, ut *trochiſcos de minio, unguentum Ægyptiacum, vitriolum uſtum*, vel ad compoſita recurrunt, ut

℞. *Lixivii fortis* ℥. iv.
Decoct. lupinor. ℥. j.
Mell. roſ. colat. ℥. j. ß.
Alum. ℥. ß. m.

Vel

℞. *Lithargyr. lib.* ß.
bulliat in aceto, & aquâ roſar. deindè filtra.

Vel

℞. *Ung. Ægyptiaci* ℥. ß.
Sublimati ℥. ß.
Lixivii ℥. j.
Aq. roſ. ℥. ij.
Plantag. ℥. iv.
Bulliant aliquantulum.

Hæc medicamenta turundis in fiſtulas intrudunt.

Si hæc commodè applicari nequeunt ob fiſtulæ anguſtiam, & profunditatem, eam totam aperiunt, & medicamenta ad profundum uſque injiciunt, quòd ſi tota aperiri nequit, per ſiphonem in formâ liquidâ deturbant, & diluunt, ita ſunt *lixivium, aqua marina, calcis vivæ &c.* Vel in formâ ſiccâ ob majorem exſiccandi energiam, calamo fiſtulæ orificio admoto, inſufflant.

Verùm quia non ſemper fiſtula his cedit medicamentis, ad ferrum, & ignem confugiunt. Ferro totam aperiunt fiſtulam, qua apertâ, callum acie ſcalpelli, aut novaculæ ad carnem uſque probam dettahunt, quod non ſolùm ex colore, ſed ex ſanguine, & doloris ſenſu percipitur. Contingit quandòque, ut callus perdurus ferro non cedat; tunc candente ferro expeditius, & minori cum dolore tollitur: verum quia ægroti ferrum, actualemque ignem exhorrent, ad cauſtica deveniunt, & dum hæc ſive per cauſtica, vel ferrum ignitum adminiſtrantur, partes aliquo defenſivo refrigerante, vel repellente circumcircà muniunt, ne inflammatio oboriatur.

Aduſtâ fiſtulâ, medicamento relaxante, quod eſcharam dejicit, utuntur, ut eſt *manteca cum foliis endivia, butyrum, vel unguentum de alibeâ,*

althæâ, quod quandòque est gangrænæ mater; deindè sarcoticis utuntur unguentis. Quod si in os desinat, abradunt, siquid cariosum, vel nigrum sit. Si altiùs caries os corruperit, terebrâ squamam excidunt, & si ad medullam usque penetrarit, forcipe excisorio eximunt, quod corruptum est; si totum corruptum fuerit, totum eximunt, osse jàm purgato, vel ablato, ad incarnantia recurrunt medicamenta.

Quibus omnibus adhibitis, si fistula non cedat, & non turetur, incurabilis habetur, & totum negotium naturæ committunt, sed nunquàm hactenùs auditum est fistulam per se, vel naturæ viribus sanatam fuisse, nisi per medicamenta, & optimè conditionata, aliàs minimè curabitur. Non mirum itàque, si fistulæ chirurgos rident, & ad hominis usque mortem perseverant, & in pejus, ac deterius, quàm in melius eorum arte abeunt; sperant enim ab eorum vanidis medicamentis id, quod nullo modo possunt, ac obstinati efficaciora, & validiora non vestigant.

Quòd si ob ægroti debiles vires, vel situs conditionem, neque ignis, neque ferrum locum habeat, ad palliativam recurrunt curationem i. fistulas pallio obtegunt, quod idem est fistulas in pacifica possessione conservare: in æquinoctus corpus pravis succis refertum purgant, ità enim magnoperè fistulas ad sanitatem conferre credunt.

Fistula adeò difficilis curationis existit, ut impossibilis ferè curatu sit, quia adhoc ut incarnetur, & cicatrizetur aliqua soluta unitas, necesse est, ut optima caro in parte vicinâ existat; at quia callo undequàque circumvoluitur, per consequens nullo modo in eâ cicatrizatio fieri potest, sed semper eodem modo persistit, quàmvis innumera adhibeantur sarcotica. Addimus adhuc ad majorem curationis difficultatem, quòd utplurimum neque sectica prosunt, & morbum non extirpant, nisi exquisita, & optimæ energiæ extent. Hoc autem ad evidentiam demonstratur, nàm si applicentur caustica vehementia, inflammationem inducunt, qua generatâ, utplurimùm gangræna excitatur; si mitiora fuerint, callum non extirpant, & per consequens indicationi non succurrunt, & sic debent medicamina fistulæ applicanda mediocrem tenere temperiem, adhoc ut iis dotata facultatibus, prava symptomata non inferant, & callum radicitùs enervent. Quibus adimpletis, procul dubio curatio integrè perficitur.

Fistulæ curationem aggrediuntur tum internis, tum externis medicamentis. Interna ea esse debent, quæ sanguinem, & succos corrigunt, salinas, acidasque particulas fixas temperant, & ad resolutionem disponunt, & acres ichores cicurant, talia sunt *decocta ex ligno guajaco, salsâ parilià, radice chinæ, c. c. limaturâ, rasurâ eboris &c.* Vel vulnerariæ potiones *ex radicibus consolidæ majoris, caryophillatæ, bistortæ, vincetoxici, angelicæ, ex*

herbis, agrimoniâ, hyperico, scordio, vincapervincâ, persicariâ, sanicu-lâ, rore marino &c. Vel diaphoretica ut *antimonium diaphoreticum, sulphur auratum diaphoreticum, bezoarticum minerale, sulphur antimonii fixum &c.*

Externa sunt, quæ callum incidendi, vel absumendi vim habent; si itàque fistula callum non adeò durum contineat, quia recens, felicissimè curatur aquæ calcis calidâ injectione, quæ ità paratur:

℞. *Calcis vivæ lib.* j.
Aq. font. lib. iij.

Bulliant simul ad consumtionem tertiæ partis aquæ, quæ remanet decantetur, & servetur ad usum. Si tamen fistulæ orificium ità sit arctum, ut syringam respuat, primò ampliandum est, penicillo ex *gentianæ radice* intruso, deindè immittatur *aqua calcis sola, vel Spiritu Vini acuata, cui si Mercurium dulcem* addes, potentiùs operabitur, vel sufficit sola *aqua plantaginis, in qua mercurius dulcis solutus est.* Si calidè injiciatur.

Si verò diuturna sit fistula, & durum, seu lapideum contraxerit callum, tunc maximo cum fructu applicabis *Magnum Calcinatum Paracelsi*, prodest quammaximè *præcipitatus albus*, in madidâ turundâ aspersus. Similiter *aqua salis armoniaci, aqua mercurialis, oleum antimonii*, & præ omnibus *spiritus salis armoniaci, vel oleum Mercurii album*, injectâ per syringam cum superpositione *emplastri fodicationum Paracelsi*, ac singulis viginti quatuor horis medicamenti renovatio fieri debet. Remoto callo, facilè *balsamo proprietatis, vel unguento sarcotico* pars carne impletur, & perfectè cicatrizatur.

Est hîc advertendum, quòd aliquandò fistularum ichor subjectum os cariare, vel maculare solet, præcipuè si periostium fuerit erosum; tunc licèt recens sit fistula, nunquàm curabitur, nisi os radatur, aut convenientibus purgetur medicamentis, ut dicimus *Tomo Secundo cap. 21. de ulcere cum ossis carie*, ossis verò nigredinem aufert *mercurius dulcis in aquâ plantaginis solutus*, & illitus.

Non relinquendum tamen est, quod pluries experti sumus, & semper felici cum eventu, nàm non solum recentes, verum etiam inveteratas, & malignantes fistulas adæquatè persanat, hoc autem remedium est arsenici balsamum maximum in hisce morbis, & benigniter elargimur. Advertimus quammaximè in hoc medicamine, quod nec minus secundum Paracelsi institutum, & formulam bonum evadet, & perfectè fiet, non Paracelsus id componere ignorârit, sed ut ipse in chirurgiâ manifestè loquitur, enigmaticè discurrit, & cum filiis artis tantum sermonem habere vult. Undè nos propter publicam utilitatem, & ad clariorem rei intelligentiam sic formulam componimus:

℞. *Arsenici*, &
Salis Nitri p. aq.

tunde quamoptimè. Immitte in tigillum, prunisque impone, & evaporare, ac ebullire incipiant tantisper, donec uniuntur, & ebullitio cessaverit, hacq.

ad

ad fundi imum adipis instar in tegillo fluentis se demiserint. Deindè per horam unam, atque alteram (quò diutius, eò melius) calcinentur. Sepone, ut refrigerentur; postmodum materiam hanc calcinatam accipe & in eam aliam salis nitri partem aqualem addes, & miscebis, uti prius calcinabis eodem ignis gradu, deindè hæc massa rursus pulverisetur, & in cellâ vinariâ vase terreo vitriato appones in loco declivi; nàm paulatim liquabitur in oleum, quod oleum, seu balsamum in vase vitreo conservabis, & tamdiu relinquatur, quousque in liquorem vertetur, quem pro usu servabis.

Si vini spiritum super hunc liquorem pluries accedentes, spatulâ agitando, vel vini spiritum phlegmaticum destillando evocabis, in nobile transibit medicamen, quod tanquam arcanum asservabis in deploratis chirurgiæ morbis, & præcipuè in cancro, ulceribus phagedænis, cacoëthicis, in ossium cariebus &c.

Hæc est vera formula olei arsenici, quod applicari poterit super nudam lini petiam, si superficialis fuerit fistula, si verò profunda existat, cum turundâ, sive cum spongiâ, vel cum syringâ immittatur; habet enim facultatem erodendi callum absque eo, quod carnem sanam affligat, vel inflammationem, sive dolorem inducat, quod mirabile quidèm est, ut in praxi manifestò observatur.

CAP. VI.

De abscessibus frigidis.

EGimus de abscessu calido, de sinu, ac fistulâ, qui illi succedere solent, nunc Galenistarum ordinem prosequendo, de abscessibus frigidis agemus.

Frigidos illos tumores appellat *Galenus*, quos inflammatio non præcedit, neque à sanguine, neque ab humore fiunt bilioso sed ex nutrimenti partium degeneratione, dum aliquandò in homogeneam quandam, aliquandò atherogeneam abit materiam quæ sibi locum aptando, figuram vitiat tantum; nàm ob sui lentorem, neque intemperiem, neque dolorem in partem inducere solet.

In duplici sunt isti tumores differentiâ, nàm pars eorum humidam, liquidamque continet substantiam, ut lutum, olei amurcam, vini fœcem; urinam, balnei sorditiem, melleum, mucosumque succum graviter olentem, quem omnes aversantur. Vel solida corpora, præsertim cum inveterata fuerint, vel inter duas tunicas, vel sub certis membranis continent velut ungues, pilos, lapides, ligna, ossa, carbones, testas, spinas panniculos &c. (quæ inveniri vulgares dœmonum arte ex maleficiis ineptè asserunt), tophaceas substantias. Itèmque veluti araneas, cretas, gypsum, grumos; multoties animalium, & insectorum figuras, ac similia innumera

numera pro diverso lascivientis naturæ cursu; quomodocumque autem materia contenta diversimodè variet, semper tamen ex unico succo alimentario omnes hi tumores fiunt, & secundum diversa loca, ubi enascuntur, varia nomina sortiuntur. Si enim in capite provenit, testudo, & talpa dicitur, si juxta junctúras, ganglion, glandula, & nodus vocatur. In testiculis, hernia in collo, bocium, & scrophula.

Tot itàque essent tumorum frigidorum differentiæ, quot materiarum eos producentium diversitates, atque ex cum innumeræ esse possint, sigillatim de illis neque Galenus, neque cœteri authores mentionem fecêre, sed unâ denominatione quoscumque tumores, qui lentam materiam, dolorem, ruboremque non provocantem, frigidos nuncupavêre.

Horum tumorum frigidorum causam materialem continentem effectivam Galeni assectæ solito humorum logismo, cum humorem pituitosum, tum melancholicum, tum tertium ex utroque commistum esse, sine tamen fundamento assignant; nàm certum jàm est, & apud omnes sani judicii, & excultæ doctrinæ viros comprobatum est ex uno simplici partium nutrimento degenerato tot materiarum varias apparentias produci secundum fermenti proprietates, quas in parte suscipit: quod clarum est in strumis, in quibus partium nutrimentum sæpè in tophum, durumque lapidem degenerare solet. Fiunt itàque tumores frigidi ex errore facultatis assimilatricis, dum id, quod parti assimilare debet, non solum non assimilat, sed in hoc aliquid purulentum, & mucosum transmutat, quod partis situm vitiat, & in extuberantem attollit tumorem.

Cum itàque Galenus tumoribus frigidis tantum, & nomen, & singularem tractatum tribuerit, nos quoque de iis sigillatim verba faciemus, nàm de reliquis in suis locis agemus. Sunt tres isti tumores: Atheroma, Steatoma, & Meliceris.

Cap. VII.

De Atheromate, Steatomate, & Meliceride.

Hoc peculiare habet hoc tumorum genus, materia, quæ in his continetur, in peculiari tunicâ, aut nerveo folliculo à communi cute diverso, atque distincto clauditur. A materiâ autem contentâ nomen accipiunt.

Quod atheroma Græcis dicitur, Latinis pultatio, ejusque contenta materia est veluti puls quædam, quæ ex aquâ, & farinâ fieri solet. Est autem atheroma tumor præternaturalis propriâ contentus tunicâ, originem ducens ex nutrimento degenerato pulti simili, sine dolore, simplicis coloris, nec digitis facilè cedens, nec iis remotis, facilè iterùm extuberans.

Steatoma idem sonat, ac sebatio, & tumor est in omnibus atheromati

romati respondens, præterquàm in materiâ contentâ; continet enim materiam sebo semel liquato, ac deindè coagulato similem, pinguem, homogeneam, atque compactam.

Meliceris Græcorum tumor est, quem latini melli-favium dicerent, ex eo quia viscida quædam substantia, & homogenea, veluti mel ex tali tumore dissecto educitur. Il omnibus corporis partibus tumor iste excitari solet, sed præcipuè in capite emergit, & dicitur Testudo, & talpa, ut suo loco.

Signa.

Omnes hi tumores à parvulo incipiunt, & sensim, ac diù excrescunt, ac tuniculæ suæ includuntur. Meliceris quidèm figurâ rotundior est, magisque extenditur, & ad digitorum compressionem, ob minorem humoris crassitiem celerius cedit, & amotis digitis, pari celeritate revertitur. Steatoma durum est, à strumâ tamen differt, quod non ità ut struma durum est, neque sicut struma inæqualem habet tumorem. Meliceris cognoscitur ex materiâ melli simili folliculo inclusâ. Quid verò intus in his tumoribus lateat, ut conjecturâ præsagiri potest, ità certò cognosci non potest, nisi ejectum est.

Causæ.

Solitis nugamentis insistentes chirurgi, sectatique medici, volunt horum tumorum causam pituitosi humoris sobolem esse, in uno magis, in altero minus à naturali constitutione recedentis, qui lentè temporis progressu ex tenuium partium resolutione in materiam nunc pulti, nunc sebo, nunc melli similem degenerat, & quocumque modo hi humores sub cute latitant, & per tempus ibidèm manent, naturâ adjuvante, varias induunt formas, & representant, ut modò, præter pultem, sebum, & mel, luto, amurcæ, fœci, pilis, carbonibus, vermibus &c. similis evadat, ac propriâ vestiantur tunicâ.

Horum tumorum genesis secundum nostram sententiam est, quòd fiant ex unico succo alimentitio superfluo parti alendæ destinato; crassiori quàm nutriendæ parti conveniat, hinc utplurimum hominibus inexercitatis, otiosis, quales Cœnobitæ sunt, etiam corporibus, partibusque horum laxis hi absessus accidunt. Hic succus alius tenuior, alius crassior est, cuidam inest acidum, vel salsum, vel oleosum, vel spirituosum, & juxta horum succorum varietatem in hisce tumoribus tunicatis, materia vel tenuior, vel spissior, vel pinguior, vel durior apparebit. Hi succi propter stagnationem nunc hanc, nunc illam induunt faciem; si enim particulæ volatiles ab acidis figuntur, materia stagnans commutatur in duritiem pinguedini bovinæ non absimilem, & sic producitur steatoma. Si plus salis fixi, quàm acidi colligatur, materia pulti

erit similis, quia particulæ fixæ talem mutationem, quam volatiles non efficiunt in succis, & oritur athe oma. Si materia inclusa sit oleosa, discussis particulis spirituosis, illa quæ remanet, melli assimilatur, & oritur meliceris, ut videre est in oleis destillatis, quæ amissis spiritibus, incrassescere solent.

Causæ autem, quòd talis succus aggeratur, & alteretur, est, quòd membranæ, & partes membranosæ, aut à causâ externâ violentâ distendantur, dilatentur, dilacerentur, quòd utplurimum fit, vel quando à causâ internâ nonnihil eroduntur. Undè fibris, quarum texturâ membranæ à se invicem separatis, poris dilatatis, & ampliatis, alimentum eorum proximum distributum uberius recipitur, retinetur, & ità sensim extrorsum versus protuberans, tumor generatur: nàm introrsum non patet spatium, ut eò urgere possit. Diximus utplurimum causam præcedere externam. Sic à verberibus, & allisu crebro jumentis præsertim equini generis per aliqua membra corporis extantes, & pendulas has formas sæpè vidimus. Sed ad homines noster redeat sermo: Videmus quosdam Monachos, & Moniales orationi genibus ad terram demissis factitandæ assuetos, sic (hi orant pro nobis peccatoribus Deum) ut articuli diù fatigentur, & obstupescant, adeòque dilatatione membranarum istius loci, sæpissimè tales patiantur tumores, in specie melicerides in genibus. Observetur hoc, quòd si non semper, tamen utplurimum tales tumores à causâ externâ violentâ occasionaliter oriri solent.

Quò ad folliculi generationem attinet, sequenti modo generatur: fibrillæ erosæ, aut laceratæ, aut à se invicem separatæ, cum sponte non redeant in naturalem unionem, à nutrimento collecto, & coacervato successivè & ipsæ in largius distenduntur, & hinc inde alias emittentes fibras, quæ mutuò concurrentes, tandèm se uniunt, & in perfectam concurrunt membranam, quæ nutrita, & dilatata cavitatem efformat, cum tumore incrementum capit ex parvo initio cum incremento tumoris, & ipsa accrescit, & augetur, quoniam succus alimentitius transudans per membranas læsas non naturali situ, & ritu transponitur, sed conglomeratus coacervatur, ob id nudam massam aut sevi, aut pultis, aut mellis representat, prout simul sub istâ transudatione, & collectione plus, minusvè alteratur.

Horum tumorum contenta in duplici sunt differentiâ, una enim eorum pars humidam, liquidamque continet substantiam, ut lutum, cœnum, olei amurcam, vini fœcem, urinam, balnei sorditiem melleum, mucosumque succum graviter olentem &c. Hoc provenire reimur à succi evasati diutinâ stagnatione, qui hanc, vel illam induit faciem; si enim particulæ in suo motu non conserventur, sed varios subeant motus, inter se figuras mutant, & nunc hanc,

nunc

nunc illam liquidam, humidamque ostentant figuram. Altera verò pars solida, & peregrina continet corpora, præsertim cum inveterata fuerit, ut calculos, lapides, lignorum ramenta, carbones, pilos, ungues, ossa, limacum cochleas, ovorum testulas, spinas, cornua, carnes, tum duras, tum spongiosas, panniculos, cretam, gypsum &c. Item multoties animalium, & insectorum figuras, ut vermes, muscas, araneas, pediculos &c. Hæc extranea corpora in his tumoribus tunicatis inspicientes à sectione bardi vulgares, ad diabolicas, præstigiosas, & maleficas confugiunt artes, & in hos tumores diaboli ope injecta fuisse nimis credulis circumstantibus referunt. Peccant vulgares naturæ opus in diabolum referentes. Pernicioſum est ignorantiæ asylum omnia in diabolum referre, quæ eorum caput cucurbitinum non capit. Sciant hi homines diabolici, quod diabolus nullum injiciendi jus habet, sed ut leo rugiens circuit, latrare potest; mordere nequaquàm. Sed in naturalibus, relicto diabolo cum vulgaribus, nostra sententia est in hujusmodi tumoribus variarum figurarum insecta ex ovulis, ut fusius *De Ulcere verminoso Tomo* 2. *cap.* 14. dicimus, vel ex aliis succorum miscelis oboriri. Quò ad corpora solida, & peregrina, quæ in his tumoribus in sectione nanciscimur, quomodò generentur, facilè assequi potest is, qui saniorem philosophiam modò vix à limine salutaverit: Reperiuntur hæc in tumoribus, ubi diutissimè materia latet, & stagnat, quia hæc temporis progressu plures mutationes circa figuras subit, & quarum particularum figuris, misturâ, situ, combinatione, concursu, positu, & motu nunc hoc, vel illud, hujus, vel illius figuræ corpus generatur.

Non est in humano corpore locus ab his tumoribus cisticis immunis; nascuntur enim in capite, fronte mediâ, intimâ superiori palpebrâ, pone oculi canthum, externo oculi angulo, post aurem, in auriculæ pinnâ, sub maxillâ inferiori, in cervicibus, in dorso, super ensiformi, in mediâ manûs volâ, in cubiti flexurâ, in metacarpo, in manuum digitis, in genu, poplite, parte pedis superiori &c.

Prognosis.

Tumores isti absque periculo per plures gestantur annos, & lento progreditur gradu, medicamentis etiam rarissimè cedunt, & in mortem, usque perdurare solent. Sponte tamen ob partem aliquam materiæ contentæ subtilem, & alterabilem suppurationem pati solent, ac tunc cavendum est medico, ne suppurata materia potius vergens, quàm ad exteriora ob folliculi impedimentum, vel ad os aliquod inclinans illud vitiet, vel in aliquam corporis cavitatem erumpat, propter quod mortem inducere posset, & quandoque suppurati in ulcera sordida, & fistulosa degenerare solent. Præ-

ter notatum suppurationis periculum introrsum horum trium tumorum, enormem excrescentiam, nonnunquàm deformitatem, quam in patientem aliquam corporis partem inferunt, præter inquam hoc patientes ad eorum curationem non urgentur; indolentes enim sunt, ratòque sunt partium functionibus obnoxii. Rarissimè à solâ Naturâ horum tumorum per resolutionem curatio perficitur, neque resolventibus externis, licèt efficacissimis, cedunt; etenim in eorum materiâ sæpissimè sunt partes, quæ postquàm his commistæ, subtiliores vi medicaminum evanuerint, pertinaces evadunt. Hi tumores suum habent folliculum, qui si in curatione omninò non extirpetur, estò materia emungatur, recidivam patitur, tunica illa efficit, ut iterum adjacentium partium nutrimentum degeneret in materiam illam, quæ prius in tumore continebatur.

Curatio.

Vulgares chirurgi, congruo instituto victu, & universalibus præmissis, totum evacuant corpus, verum, purgantia medicamenta, & sanguinis evacuationes, & decocta sunt his tumoribus omninò inutilia; eorum quippè materia est extra naturæ jurisdictionem in folliculo deposita, & hujus farinæ remediis cedere nescit: deindè ad humores ipsos accedunt, inter quos atheroma, & meliceridem circa initia discutiunt, & pro discussione opportunum medicamentum putant *emplastrum de lapide Pyrite*, quod parant:

℞. *Ammoniaci* ℥. iij.
Galbani,
Opoponacis,
Sagapeni ana ℥. j.
Lapid. pyritis prap. ℥. iij.
Diachylon. mai. ʒ. vj.
Ol. camomilini ℥. ij.
F. empl.

Vel *Diadictamum*, quod à *Gal. 5. de compos. per genera cap. 14.* describitur. *Sennertus* probat *emplastrum ex ammoniaco, pyrethro, & oleo succini* factum. Si discuti nequeant, suppurationem tentant, ut

℞. *Picis navalis* ℥. j.
Ammoniaci, &
Sulph. ana ℥. ß. *m.*

Si necminus suppurari possint, caustici aperiunt, vel incidunt cruciatim, quo modo brevius tumorem cum suo folliculo extrahere credunt, postmodum digerunt, & mundificant *unguento Ægyptiaco, & aureo* simul mistis, ac demùm *emplastro diachylonis* cicatricem inducunt.

Indicatio horum tumorum curativa chirurgis desumenda eadem erit omnibus tribus: est illa contentæ materiæ eductio, folliculi extractio, & exacta loci consolidatio.

Materiæ eductio per apertionem fieri necesse est, quæ vel ferro, vel sectico celebranda est; ferrum horribile est, & insalubre, nàm partes folliculo circumpositæ sanæ, & integræ sunt, propterea ab incisione crudum emergit vulnus. Sectiçum est horum tumorum

morum apertione appropriatissimum, nam paulatim sanam lacessit cutem, fermentum vicinis impressum partibus exterminat, & folliculum dissipat. Sectica suprà descripta his tumoribus aperiendis opportuna sunt, tutius tamen est illud ex Mercurio meteorizato ob suæ efficaciæ diffusionem, quæ his suffragatur tumoribus: Verum ante causticorum applicationem materia quodammodò alteranda, & emmollienda est sequenti emplastro:

℞. *Gum. ammoniaci* ℥. ij.
Sulphuris ℥. ß.
Camphoræ ʒ. ij.
Euphorbii ʒ. j.
Ol. petræ q. s.
M. f. empl.

ut causticis postmodùm facilius materia intùs contenta unà cum folliculo suo eximatur. Apertione factâ, inclusus humor educendus est, aptâ digitorum pressione, ut peni ùs abscedat.

Materiâ eductâ, magna superest pro folliculo extrahendo difficultas, etenim ille circumambientibus partibus tenaciter adhæret, nec facilè eximitur, & dolorosa est operatio eam separationem scalpro procurare; etenim nisi separetur, aliàs recidivam parit, aut relicto folliculi tantillo, in fistulam abit, aut ulcus diuturnum, ac fœtidum constituit. Nos ad horum tumorum folliculum destruendum, & recidivam vitandam, vel aliud majus fugiendum, *penicillo spiritu salis armoniaci, vel oleo Mercurii albo imbuto* leviter, & dextrè folliculum oblinimus, usque dùm æger dolorem persentiat, si sanguis appareat, completum est opus, sin minùs, pergimus, idque toties tentamus, quousque sanguis appareat: siqua superveniat hæmorrhagia, applicatis applicandis, sistenda est. Ac tunc *proprietatis balsamo* injecto, *emplastroque fodicationum* imposito, infra decem dies exactissimam complemus curationem.

CAP. VIII.

De Anthrace, seu Carbunculo.

TUmor hic variis appellatur nominibus, Græcis dicitur *Anthrax*, Latinis *carbo*, & *carbunculus*, Avicennæ *pruna*, & *ignis Persicus*, quibus vocibus etsi diversos significari tumores nonnulli credant, & particularia capita de anthrace, & carbunculo, de prunâ, & igne Persico egerint: reverà tamen iis nominibus unicum tumoris genus significatur, & utriusque eadem ferè curatio instituitur. Dicitur Anthrax, eo quod plures solet efformare sinus, & antrum quoddam repræsentare videtur, verum perperàm ità dicunt, nàm græcè Anthrax Latinè carbonem significat. Dicitur carbo, vel quia crustam excitat nigri coloris, ità ut extinctus videatur carbo; vel adinstar carbonis accensi, & igniti particulam ipsam affectam adurat, & in crustam convertat. Dicitur carbunculus, quia crustam interdùm excitat, quæ carbunculi instar fulgere videtur. Appella-

tur Pruna, quia accensæ prunæ instar prædictos gignit affectus. Ignis tandèm dicitur Persicus, quòd Persis sit solemnis.

Avicennas anthracem distinxit in pustulosum, & aliquâ humiditate vesicante refertum, & ignem Persicum appellavit, & sine pustulis, & absque ullâ humiditate, & hunc prunam vocavit; verum hi affectus accidentaliter solum, non autem in propriâ formâ sunt diversi, varia nàmque subeunt nomina ob varia quædam accidentia, quæ ipsis contingunt.

Anthrax, seu carbunculus tumor est non multum prominens, sed in parte profundus, atque durus, in centro suæ peripheriæ lividam nigredinem, eamque pellucidam præsefert, in peripheriâ rubor ad tactum albicans apparet, cum fervore, & uredine, mirum in modum dolet, febrem inducit acutam, somnum aufert, & si dormire sinit, insomniis horribilibus cruciat, sæpè phrænesim inducit.

Anthracis subjectum sunt omnes externæ corporis partes, & utplurimum tendinosæ, non excludimus tamen internas affici posse absque ullâ curationis spe, ut ventriculum, intestina, oculum, nasum, vesicæ cervicem &c.

Signa.

Anthrax, seu carbunculus incipit plerumque ab exiguâ pustulâ, interdum verò non solum una majuscula erumpit pustula, sed multæ, exiles, veluti milii semina, crebræ in particulâ residentes, quibus præruptis, ulcus crustosum fit, quale à candente excitatur ferro. Antequàm pustulæ erumpant, pruritus in parte sentitur, mox pustula, aut pustulæ oriuntur. Interdum tamen citra omnem pustulam incipit. Anthrax, & ulcus crustosum excitatur, crustulâ modò nigricante, modò colorem cinereum præseferente; mox brevi, bubonum instar, excrescit in rotundum, & acutum cum ingenti calore, ardore, & dolore, qui præsertim circa vesperam exasperantur. Adest insuper in ipsis ingens prurigo, & vehemens scalpendi desiderium, adeò ut vix manum æger continere possit, quin partem fricet, ex qua fricatione posteà plures oriuntur pustulæ. Caro circumposita effervescit, caloremque habet, & maximam phlogosim concipit, colorem etiam continet, quam in erysipelate, & phlegmone nigriorem, veluti si cum rubro aliquid nigri permistum sit. Crustâ ablatâ, non sempet pus, sed caro spongiosa, vel tendo quasi calcinatus occurrit, qui à sanâ parte, relicto ulcere cavo abscedit. Accedunt deindè alia symptomata, febris nimirùm, & magis eos infestat, qui anthrace, seu carbunculo corripiuntur, quàm qui phlegmone erysipelatode laborant. Nausea, vomitus, appetitus dejectio, tremor ac cordis palpitatio, frequens animi deliquium, deliria, quæ omnia eò magis infestant, quò maligniot materia est.

Et licèt omnis anthrax, seu carbunculus

bunculus sit malignus, vel pestilens, non omnis tamen pestilens est: discernitur autem pestilens à non pestilente, primò, pestilente aë is constitutione; vix enim possibile est, ut vigente pestilente constitutione, oriatur carbunculus, qui ipse pestilens non sit. Deindè omnia symptomata, & signa, quæ in carbunculo apparent, ingravescunt in pestilente carbunculo; nàm febris, quæ carbunculo adjungitur, pestilentem refert naturam, & licet extrà minor, quàm in non pestilenti appareat, & imò interdùm vix percipiatur, tamen intùs magis urit, & longè periculosior est. Floridus faciei color mutatur, lingua nigricat, & sicca est, alvi excrementa sunt livida, & biliosa, appetitus dejicitur: adest nausea, & pessimorum humorum vomitus: spirandi difficultas, anhelitùs fœtor, sudor multus tepidus, vel frigidus. Somnus est interdùm planè profundus, interdùm vigiliæ infestant, deliria comitantur, animi deliquia, & syncope.

Causa.

In assignandâ anthracis causâ materiali, vulgares cum ipso Galeno se ridiculos ostendunt, fingunt, ut illis placet, humorum metamorphoses, quæ non adeò Ironicè apud Ovidium inveniuntur; etenim volunt in anthrace, seu carbunculo sanguinem exuri, & partem crassam in atrabilarem succum abire, tenuem verò in exurentem, & acutam bilem, ad hujusmodi carbunculi malignitatem, dolorem, ruborem, cæteraque illius accidentia heri sibi suadent. Verùm.

Ecquis fuit ignis, qui sanguinem combussit? Quis destillator, qui tenuem à crassâ partem separavit? Ecquis absque bile, & melancholico furore has nugas tolerare potest? Eruditè ipsemet *Galenus*, ut nobis imponeret, phantastico suo humorum quaternario credidit, ac nescimus, quomodò in assignandâ anthracis materiali causâ pituitam subticuit immutatam? Hæc habet 2. *de diff. febrium cap.* 9. *Quòd si sanguis supra modum aestuat, pars quædam ejus subtilior, ac pinguior omninò in flavam convertitur bilem; quæ autem crassior, in atram, quòd in his tumoribus, qui carbunculi appellantur, contingit; vàm in his ex sanguine supra modum efferveſcente ad atræ bilis humorem fit transmutatio, ità autem hoc accipi volo atrabilis humorem, & qui nondùm exquisitè atræ bilis naturam transierit, sed in quodam sit confinio constitutus.*

Commenta hæc credat Judæus Apella, vel qui velit, nos quæ falsissima ea jàm cognovimus nunquàm erit, ut illis adhæreamus; sed causam hactenùs inauditam, & à nemine, quem sciamus traditam patefaciemus, qua authrice tumores isti omnes maligni, lethales, cacoëthes, pertinaces medicamentis non cedentes passim emergunt, qui adeò chirurgos exterruêre, ut velut à peste ab iis curandis aufugiunt, ac subverbis, Noli me tangere, ægris suadent, ut non audeant tumoris

cura-

curationem aggredi, si vitam exoptant.

Ut ergò propositioni satisfaciamus, memoriæ reducendum est, magnum Hip. in tres partes integrum hominem viventem secuisse, in contenta scilicet continentia, & impetum facientia; facientia impetum contenta esse noluit, ut nos doceret ea in continentibus esse tanquàm in domicilio, in contentis verò per modum diffusionis. Ad nostrum itàque propositu madvertendum est, quòd in his omnibus partibus vitium accidere potest, propter quod morbosum hominem fieri necesse est, summa tamen differentia est inter morbos, qui ex contentorum, impetum facientium, & continentium vitio fiunt; Etenim contentorum vitia, si continentiũ innatam, debitamque servent temperiem, separationis, resolutionis, coctionis, suppurationisque auxiliis, paulatim contentæ materiæ vitium vincent, & ad pristinum statũ corpus reducunt. Ità etiam si impetum facientia exorbitent, in furorem abeant, terrore quatiantur, aliisque passionibus urgeantur, si continentium robur constans sit, qui eorum regimine reguntur, facile est, ut ad naturalem tranquillitatem reducantur. Verumenimverò si in continentibus vitium accidat, quorum œconomiâ contenta, & impetum facientia æqualiter reguntur, indè expectanda est morbi correctio, & contracti morbi curatio, si hæ partes, quibus hoc munus destinatum est, vitio laborent, lethalis morbus expectandus est: imò potius totius corporis confusio pertimenda est, nàm non solùm continens pars vitio laborabit, sed & contenta, & impetum facientia, quæ continentium nutu reguntur, passum ibunt, & in atheſiam i. intemperiem proruent, necessarius indè mortis adventus ob defectum rectoris vitalis regiminis; ut verò hanc theoriam ad praxim reducamus, sciendum est, quòd quoties contenti in viventi corpore succi, & humores vitio aliquo laborent, in tumores eos assurgere vel calidos, vel frigidos necesse est; at quia continentes eos partes sanæ sunt, vel eos ad suppurationem inducunt, vel eorum lentorem non curant, hac sub classe tumores sunt tàm calidi, quàm frigidi, quos recensuimus, in quibus naturâ, & arte auxiliante, certa, & indubitata succedit suppuratio. Sic etiam si spiritus, seu impetum facientes furorem contrahunt, ut in inflammatione, erysipelate, aliisque similibus dolorosis affectibus, sedativis remediis ab arte præstitis sedantur, quod reliquum est, à continentibus partibus regulatur, & ad naturalem reducitur statum; undè asserere audemus, quòd si vitia contentorum, & impetum facientium in pejus abeant, & in mortem properent, id tantùm defectu medici, & non medicamentorum accidere, non autem ex contracti vitii dispositionibus; contrà verò in iis tumoribus, qui partium continentium vitio fiunt, nàm in illis semper mors imminet, ac quoties curantur,

dignus

dignus gloriâ medicus, & encomiis dignum medicamen jure merito existimari potest.

Fit ergò anthrax, carbo, carbunculus, ignis Persicus, pruna, cùm non tantùm sanguis, cæteriique succi, qui in venis, arteriis, aliisque membranis, sed & ros ille, qui inter fibras tunicarum, venarum, arteriarum, cæterarumque membranarum, pro earum vitalitate diffusus est, vitium contrahunt. Hoc vitium est à sale acri causticò, quod evaporatis partibus aqueis, quæ pro fræno, seu dilutione interviebant, exaltatur, adurit, causticat, & subitam partis mortificationem inducit in livorem, hinc omnimodam nigredinem infert, ceu id cauteria potentialia applicata testantur. Non fiunt anthraces à salibus acidis corrosivis, non enim hæc nigredinem mortificantem inducunt, sed primò intensam rubedinem, hinc consequentem albedinem insensilem in partes molles inducunt; acria verò, & lixivialia omnimodam partis mortificationem, & nigredinem excitant, ut fit in anthrace, in quo talis subitanea nigredo, & mortificatio cum diffusione in longum, & latum mox sub primo intuitu se manifestat. Hoc sal acre causticum in sanguine, cæterisque nostri corporis succis latitat, (verùm in constitutione pestilenti hujus miasmata cum aëre hauriuntur ad partes deportantur, & exaltantur) attamen dilutum, postmodùm à causis occasionalibus aqueâ parte destitutum in tantam acrimoniam, & realgarinam naturam exaltatur in vasculis capillaribus, quibus adhæret, ut continentes membranas, & fibras suo incendio concremet, carbonizet, & tandèm calcinet, non secus ac pagina, vel linteo vini spiritu omninò cremabili madefactis, qui postquàm ignem concepit, non solùm ipse ardet, sed paginam, & linteum reducit in cinerem.

Externæ causæ anthraces, & carbunculos parientes recensentur quæcumque salia acria in corpore latitantia in succis inter fibras exaltare, & in ipsis ardorem maximum, & adustionem excitare possunt, hujusmodi sunt aër calidissimus, & siccissimus, ingentes labores, validi motus, exercitia immoderata, assidui potus vinorum meracium, nimii usus aromatum, calidorumque ciborum, quales sunt sinapi, allia, piper Indicum, cæpæ &c. nimiæ iræ, excandescentiæ, ob quas validus concitatur fervor.

Prognosis.

Omnes anthraces periculosiores sunt interni, quàm externi, nisi tamen ex levi inflammatione, & febre mitior ejus natura deprehendatur. Periculosus est valdè, qui niger, quia maximam partis mortificationem, & necrosin denotat, cui proximè succedit lividus, & flavescens; leviores tamen sunt, qui albi, aut subcineritii coloris; item minùs mali sunt rubicundi. Exitiosi valdè sunt illi, qui postquàm eruperunt, mox iterùm

rùm evanescunt ; transl.ta enim materia ad interiores partes lethum affert. Exitialis est caudâ quadam præditus. Minùs maligni, mi.usq.e formidandi sunt illi, qui parvi, quàm qui sunt magni, & ex parvâ pustulâ illicò ingentem acquirunt magnitud.nem ; tùm etiam minus pernicioſi sunt soli, quàm qui alios habent conjunctos.

Locus plus, vel minus perniciei portendit ; mali enim habentur, qui partes nervosas, membranosas, vel juncturas, quàm qui obsident carnosas, hinc etiam pessimi moris censentur, qui in emunctoriis, & glandulis, prope membra nobilia, & principalia oriuntur.

Curatio.

Vulgares chirurgi carbunculi curationem quinque intentionibus curativis comprehendunt, quarum prima idoneam præscribit vivendi rationem ; Secunda idoneis præsidiis cordi succurrere docet ad affectus sævitiam vitandam ; Tertia antecedentem materiam extirpare nititur ; Quarta circa localia affectæ particulæ administranda versatur ; & ultima accidentia supervenientia corrigere studet.

Quò ad primam, aërem eligunt omninò ad frigidum, & humidum vergentem, præsertim tempore æstivo, qui si talis non fuerit naturæ, illum parant, cubiculum scilicet frequenti aspergine aceti, vel aquæ rosaceæ, & etiam herbarum refrigerantium refrigerant, & humectant. Cibos pariis qualitatis præscribunt, vitatis acribus, frixis, & salsis, prohibent aromatum usum & vini potum, cujus loco commendant hordei aquam cum paucis vitrioli spiritûs, vel succi limonum, aut granatorum acidorum guttulis. Alvum enematum usu solliciiant.

Secundam intentionem cordialibus complent præsidiis, quæ scilicet unâ ex parte cordis vires conservare, & ex alterâ pravitatem extinguere valent.

Tertiam autem perfic'unt duplici illo præsidiorum genere, quo materiam antecedentem in corpore minuunt, & extirpant, vel scilicet phlebotomiâ, vel medicamento purgante, prius sanguinem pleaitudinem, posterius verò aliorum succorum à sanguine redundantiam demit, & minuit.

Quantùm ad phlebotomiam, ferventem sanguinem fore mittendum in carbunculis in dubium non vertunt, tùm quia affectus est inflammatorius, tùm quia à sanguine gignitur adustionem patiente, tùm etiam quia eorum *Galenus* sanguinem mittit ad animi usque defectum, illis insistens principiis, quibus habet 2. *aph.* 33. docetque : *In maximis inflammationibus nullum majus inveniſſe præsidium, quàm sanguinis ad animi usque defectum, missionem* ; verùm quia nostris hisce temporibus hujus modi sanguinis missio ab aulâ medicorum recessit, pluribus vicibus sanguinem profundunt, magis, vel minùs liberaliter juxta corporis habitum, ætatem, anni tempus &c. Primâ vice revulsionis gratiâ ex partibus longioribus, & magis secundum

distan-

distantiam oppositis sanguinem mittunt; sequentibus autem vicibus ob derivationis usum ex vicinioribus extrahunt. Eodem pariter modo eandem intentionem habere credunt frictiones cucurbitulæ, & scarificationes. Maximoperè hirudinum usum tanquàm singulare præsidium celebrant, quia mirum in modum ustionem sedare, ardorem mitigare, & melancholici sanguinis copiam demere credunt.

Verùm hæc phlebotomia ad animi deliquium usque vel per repetitas vices maximoperè tanquam maledicta repudiatur, quòd vires, quarum maxima habenda est ratio, dejicit, & humorem amicum, ac vitæ thesaurum præstantissimum cum spiritibus deplet. Facilè in venæ sectionæ, etiam ad ventilandum, ut vulgò fertur, contingere potest, ut dùm sanguinem evacuant, virus, seu ad membrum nobile, seu per membrum nobile ducant, & trahant, & illius virulentiâ afficiant. Præterquamquòd perpetuò carbunculus malignitatem habet conjunctam, & venæ sectione non tollitur malignitas, imò pravus humor phlebotomiâ, quem natura ad exteriora depellere conatur, ad interiora retrahitur.

Sed quia sanguinis missione pravi humores vix deplentur, nonnulli purgatione opus esse arbitrantur, quia purgante medicamento pravi humores evacuantur, nec sinit, ut calidum nativum ab iis suffocetur, & extinguatur, & sic posteà natura expulsionem rectiùs regulare potest, neque affluentis humoris copiâ pars affecta corrumpitur. His positis purgationem instituunt medicamentis frigidioribus, vitantes, quæ calefaciendi corpus, vel succos agitandi facultatem habent, (verùm purgantia non caliditate, vel frigiditate purgant) talia creduntur ab ipsis *Manna, conservarum expressiones, Syr. ros. solut. Violar.* Post purgationem exhibitam laudant etiam præsertim tempore æstivo nonnullorum præsidiorum refrigerantium usum, inter quæ principem tenere locum credunt serum caprinum cum epithymo, quod magnoperè idoneum ad educendam melancholiam adustam censent, ut

℞. *Seri caprini lib.* j.
Epithymi ℥. ß.
Flor. cord. p. j.
& factâ levi ebullitione propinetur.

Alii utuntur *conf. viol. & flor. borag. ad* ℥. j. *pro quavis vice, & infundunt in aquam fonchi, aut aliam refrigerantium*, & manè colatas, & expressas ægris propinant.

Verùm purgantia in carbunculo semper suspecta fuêre, & omninò metuendum, ne medicamento purgante virus, quod natura ad circumferentiam expellere conatur, facto motu contrario, à circumferentiâ trahatur ad centrum; addimus, quòd in pharmacopolio non extat medicamentum purgans, quòd malignitatem exturbet, præter alexipharmaca, & vix datur carbunculus, in quo malignitatis aliquid non adsit. Præterea acuta febris, & materiæ crudi-

tas semper huic affectui associatur, quæ purgans inhibet medicamentum.

Quarta intentio, quæ respicit materiam conjunctam, completur per remedia localia parti affectæ administranda, inter quæ repellentia adhibent; verùm hæc retrocedere faciunt malignam, venenatamque materiam ab exterioribus ad interiora, & malum pejorant. Partem affectam scarificant, & quidèm plagis satis profundis, ut sanguis corruptus, malignus, & venenatus, qui nisi ex parte mox evocetur, vicinas corrumpit partes; quòd si nondùm satis evacuatus videatur, scarificationes repetunt, & quandòque loco scarificato cucurbitulas, vel hirudines apponere solent.

Verùm utplurimùm humor magno cum impetu ad partem affluit affectam, ideòque attrahentia hæc non satis tutò adhibentur, cùm metus sit, nè copiosè materiâ affluente, dolor vehementior fiat, qui vigilias excitare, febrem augere, & vires dejicere possit. Supra partem scarificatam medicamenta apponunt, quæ aliàs imponi solent, scilicet quæ pus movere assolent; verùm hæc putredinem augere possunt, cùm carbunculus putrescendo semper serpat, & aliàs mortificatio in partes tales incidat: sed potiùs siccantia, & putredini resistentia adhiberi debent. Vulgò *unguento Ægyptiaco* utuntur; verùm hoc Veterenariorum est unguentum, & partem affectam nigredine imbuit, & maximum tùm ægroto, tùm chirurgo, tùm etiam astantibus metum incutit.

Sunt, qui scarificationem exhorrent, ideòque si aliis medicamentis carbunculus cedere nolit, atque corruptionem, nigredinem, aliaque symptomata augeri videant, ad cauterium vel potentiale, vel actuale confugiunt, & quidèm, nullâ interpositâ morâ, nàm etiam quantalibet morula in maximum vitæ periculum ægrum conjicere valet. Verùm cauterium potentiale non ità tuto adhibetur, cùm crusta, quæ inducitur, tardiùs, & non nisi post nonum diem decidat, atque ità humoris corrupti, & maligni exhalatio impediatur. Actuale tutius à plerisque habetur, quia calore, & siccitate ignis putredini magis resistit, partes sanas præservat, ne & ex putredine inficiantur, attrahit è profundo materiam malignam, & corruptam, qua de causâ ut efficacissimum remedium hic à pluribus commendatur: qui id hic adeò grave remedium esse non potest; cum æger id vix sentiat, quoniam caro mortua est, & finis urendi est, dùm ex omni parte sensus doloris est. Verùm cauterium actuale suas patitur manes, quia crustam, seu escharam inducit, quæ ipsa impedimento est, ne materia maligna, & venenata exhalet. Qui hoc remedii genus adhibent, dant operam, ut eschara citò, & vel vigintiquatuor horarum spatio removeatur, cùm periculum sit in morâ, sed licèt escharæ casus citus sit in chirurgi voluntate, nullatenùs, à medi-

medicamentis tàm brevi tempore separari potest, cùm tardiùs tollatur. Ad decisionem vulgò utuntur *mantecâ*, *butyro*, *adipe suillo*, *anserino*, & similibus humectantibus. Verùm in iis affectibus ex humectantibus, & suppurantibus summum putredinis imminet periculum, ideòque tutò adhiberi non possunt, quia humiditate, & vi emplasticâ miris modis putredinem augent, & putredo, ac corruptio latiùs serpit.

Aliqui ad escharæ casum sequens commendant cataplasma:

℞. *Rutæ m.* j.
Fermenti ʒ. j.
Ficus sicc. num. iij.
Piperis ʒ. j.
Salis ʒ. jß.
F. cataplasma.

quod manè, & vesperi applicant, affirmantque bidui spatio carnem bonam à corruptâ separare.

Quidam commendant nuces juglandes veteres, oleosas, contusas, è quibus tale concinnant cataplasma:

℞. *Nuc. jugland. veter. rancid. nucleos.* iij.
Caricarum, &
Uvar. pass. partes æquales.
Coque in vino albo forti ad mollitiem, & contunde. Adde,
Salis ʒ. j.
Vitell. ovor. num. ij.
M. f. cataplasma.

Sed debile præsidium ad tàm sævum evincendum morbum putamus.

Plerique tanquàm miraculum *Prunellam* extollunt inter duos lapides contritam, asseruntque unius diei spatio anthracem curare, si credere dignum est.

Ubi eschara ablata fuerit, ulcus detergunt *melle rosaceo*, *succo apii*, & similibus. Deindè carne replent, & cicatricem inducunt.

Pro nostrâ anthracis, seu carbunculi curatione triplex emergit indicatio; prima est, ut salia caustica hebetentur, cicurentur, & eliminentur, ac statim incendium in continentibus fibris accensum, ne ulteriùs in succedentes serpat, extinguatur; secunda est, ut materia carbonizata, vel calcinata intra anthracis ambitum à sanis circumjacentibus partibus separetur, & abstrahatur; tertia est, ut pars consolidetur per cicatricis inductionem.

Primæ indicationi satisfaciendum est internis potiùs, quàm externis remediis, ac id fit per ea medicamenta, quæ alexipharmaca à medicis dicuntur, & quibus veneno, pravæque qualitati oppugnatur. Hæc empiricè ab illis tractantur, nàm à totâ substantiâ, à posteriori, & ab experientiâ edocti prodesse ajunt, ut de theriacâ, lapide benzoar, bolo armeno, cancris fluvialibus in rabidi morsu, & similibus pronunciant; erubescunt in his ad primarum qualitatum aniles fabellas recurrere, cùm interim ex firmioris philosophiæ regulis manifestissimæ sunt vires, quibus alexipharmaca venenatos evincunt affectus. Ea quidèm sunt vis diaphoretica, & anodyna opportuno tempore adhibita, & activitate earum activitati veneni respondens. Venenum

enim quodlibet vel coagulando sanguinem, vel rorem illum, qui in fibris spermaticis stabulatur, diaphæresim impedit, vel vitam suffocat: quoties ergò pharmacum diaphoreticum, & celeritate, & virtute celeritatem, & virtutem veneni superat, inefficax erit venenum, neque suos in corpore producet effectus, nàm ab efficaciâ diaphoretici immutatur potius, quàm immutat, ut de veneno viperino intra stomachum assumto dicemus *Tomo Tertio de Vulneribus cap. 29. De Vulneribus ex venenato morsu inflictis*, & passim in multis animalibus observatur ob vehemens virtutis digestivæ robur cibos aliquos digerere, qui aliis venena forent, ut bobus, & sturnis cicuta, capris Nerium &c.

Nec aliter philosophandum est de virtute anodynâ, nàm cùm venena vivis venena sint, non autem mortuis, necesse est, ut vita veneni efficaciam in actum deducat, ut de purgantibus medicamentis dicemus; quoties itàque opportuno tempore vis anodyna vitam, & partium spiritus sopit, veneni vis non invenit facultatem illam, quæ in actum illud deducere debebat, ac sic illud quoque quiescit; hinc est, quòd tantum apud Galenum, quantum apud recentiores Theriacâ habetur pro tutiori, & universaliori antidoto, ex eo quia utrâque illa est prædita virtute, diaphoreticâ scilicet & anodynâ: etenim si opium à theriacæ compositione demas, actum erit de ejus alexipharmicâ virtute, ità enim si quatuor, aut quinque simplicia, quæ maximam vim diaphoreticam habent, ab ejus compositione demas, inutilem experieris theriacam.

Ut itàque non solùm sistatur, sed abstergatur in anthrace id, quod inter fibras concrematum est, ut supposuimus, valido diaphoretico, atque celeriter per corpus penetrante opus est. Habemus illud apud *Paracelsum*, & multoties à nobis expertum:

℞. *Vini correcti* ℥. x.
Theriacæ ℥. ß.
Myrrh. rubr.
Croci ana ℥. j.
Liquoris zingiberis,
Piperis ana ℥. ß. *m.*

Macerentur simul per quatuor dies, deindè quod tinctum est, & liquidum, separetur. Hujus ℞. ℥. ß. *m. cum medio vini optimi cyatho*, & ægro propina, jejuno stomacho, componatque se, ut sudet, quòd si sudor erumpat, salutis signum est, quod fiat quolibet manè, adhibitâ tenuis victûs ratione, & ab iis, quæ refrigerant, aufugiat æger, ut à sanguinis missione, purgante medicamento, & ab immoderato aquæ potu.

Sed quia prædictum Paracelsi diaphoreticum non facilè in officinis invenitur paratum, ejus loco aliis diaphoreticis uti possimus, ut *lapide benzoartico, stibio diaphoretico, benzoartico minerali, sale volatili viperarum in theriacâ chymicâ, vel in decocto C. C. vel in electuario Diascordii, vel aquâ scabiosæ.* Pro pauperibus substituimus *bolum armenum, terram sigillatam, cretam Militensem, C. C. præp. sine igne,*

igne, aquam theriacalem cum spiritu vini, aquam rutæ capratiæ, radices scorzoneriæ conditas &c.

His internis medicaminibus institutis, ad anthracis locum devolvimus, & in parte hoc remedium applicari poterit:

℞. *Theriacæ opt.* ℥.ß.
Rad. Zinzib. ʒ.j.
Myrrh. q. 5.
F. cataplasma,

Et manè, & serò parti affectæ applicetur. Vel imponimus *theriacam, vel Diascordium.* Notum est aliàs, quòd sympathetico modo circulus ter in die circa anthracem ductus à sapphiro annulo incluso, etiam inhibeatur progressus ulterior carbunculi, quin carbunculus excidat, & ulcus cavum relinquat, superponendo post sapphiricam circumvolutionem *fodicationum emplastrum*, quod suâ efficaciâ sanas partes anthraci circumstantes fovet, & roborat, veneni qualitatem immutat, & uredinem remittit, sic sensim anthracis materia dissolvetur, & à sanis partibus separatur, & hoc fodicationum emplastro curatio perficietur.

Nonnulli *spumâ venenatâ duorum dracorum i. butyro antimonii* utuntur, in quo beneficio plumæ intinctæ circa anthracem circulum ducunt in confinio nempè cum parte sanâ; sic nàmque virulentia carbunculi causticà optimè extinguitur, & ulterior mortificans progressus potenter inhibetur: & hinc separatur pars emortua carbunculi, parte vicinâ sanâ, ut ulteriùs serpere nequeat, quia intra circulum contenta pars à carbunculo mortificata sponte excidat: & postmodùm ulcus mundificandum, ac more consueto consolidandum relinquitur.

Alii *emplastrum de magnete arsenicali* adhibent, quod ipsum applicatum etiam brevi crustam inducit, qua separatâ, si adhuc malignitatem carbunculi quandam subesse suspicio sit, denuò applicant, donec ejus virulentia fuerit extincta. Hinc facilè ulcus consolidant. Verum in hujusmodi tumorum curationibus à corrosivis, & secticis, aliisque dolorificis omninò cavete, uti etiam à ferro, mors enim irreparabilis ab his sequeretur.

Cœterùm quia sæpissimè anthracum, & carbunculorum frequentia grassatur, pestem non longè abesse multoties compertum est, vos hîc arcano non defraudabimus, in clade hujus regni uberrimâ multoties experto, ac semper cum eventûs felicitate. Ut plurimùm incipiente peste ex politicis causis dissensiones inter medicos oriuntur; alii enim obstinatè pestem esse tuentur, alii quoque obstinatè illam non esse dicunt, alii neutrum affirmare audent secundum Principis politicas rationes, ac interea contagium hinc illinc serpendo, cùm in rei certitudinem veniunt, totam urbem coinquinatam inveniunt, & remedio incapacem. Vos itàque si id (quod Deus avertat) nunquàm acciderit, statim ad disputationem experimentum reducite. Habebitis experimentum ex sequentis cataplasmatis applicatione super anthracem, vel bubonem,

nem, vel alium quemvis tumorem, qui an pestilens sit, in dubium vertitur; nàm eo superposito, si verè pestilens sit, infra horæ quadrantem pars dolore privatur, ac infra duas horas perfectam suppurationem acquiret, educeturque per anthracis, vel bubonis apertionem totum pestilens venenum per corpus diffusum, si accurata sit medici industria: contrà verò si pestilens non sit tumor, sed malignus, & cacoëthes, absque tamen contagio, ex cataplasmatis appositione nulla eveniet doloris remissio, neque ulla apparebit suppuratio, sed perseverabit tumor in suo statu, ea causando, quæ malignorum tumorum sunt propria absque contagio. Cataplasma sic concinnabis:

℞. *Bufonem vivum, illumque in furnum immitte, ut sensim moriendo exsiccetur, & in pulverem redigi possit. Hunc pulverem m. cum farina hordei, & cum salivâ, vel urinâ humanâ reduc in pulticm, quam tela impone, & anthraci, vel bubonisuperpone.*

Cap. IX.

De Cancro.

Quotiescumque in mulierum mammis, vel in hominum scapulis, naso, labiis, axillis, inguinibus, genitalibus, aliisque partibus tumor apparet durus, profundus cum rubedine ad lividum inclinante, puncturis profundis, & in suppurationem pro calidorum apostematum more, destinato tempore non abit. *Carcinoma* Græcè, Latinè verò *Cancer* non exulceratus dicitur. Tùm deindè temporis diuturnitate, quod intra cancri tumorem corruptum jàm est, foràs erumpit per cutis laccrationem pessimo, cadaverosoque odore cancrum ulceratum dices.

Hic tumor dicitur cancer à similitudine cancri marini, aut fluviatilis; nàm circa hunc tumorem plures observantur venæ, quæ cancri animalis pedes videntur præseferre; vel ità denominatus fuit, quia sicut cancer animal quicquid suis apprehendit pedibus, arctè retinet, & vix ab eo evelli potest: sic qui tali correpti sunt affectu vix liberari possunt; vel denique sic dictus fuit à similitudine pariter prædicti animalis, quia sicut hoc animal inæqualem habet superficiem, asperam, & duram: sic iste tumor est inæqualis, & ostracosus.

Appellatur ab aliis *Noli me tangere*; verùm carcinoma, seu cancer in tres dividitur species, prima in cancrum absolutè, qui à vulgaribus definitur, quòd sit tumor p. n. ab atra bile ortum habens, rotundus, colore lividus, aut subniger, dolens, qui venis circumcircà turgidis, atque repletis, cancri pedes refert; attamen nonnulli cancri nomen pro genere ad quædam ulcera serpentia scilicet phagedænica referunt, sub quo erysipelas exulceratum, gangrænam, & sphacelum comprehendunt. In noli me tangere, seu

seu *Pravam tentiginem*, quod in facie, præsertim supra mentum, os, & nasum oritur tumor, vel ulcus exulcerati cancri similitudinem referens, lento initio crescens, quasi parva pustula toto anno manet, qui aliàs minùs serpit, quàm cancer, undè cancer plùs corrodit uno die, quàm noli me tangere integro mense. Dicitur noli me tangere, seu prava tentigo, quòd fricari non debet, cùm quò plus manu tangitur, & fricatur, eò deteriùs redditur; vel quia remediis potiùs exasperatur, quàm demulcetur, & in sanas serpit partes. In *lupum*, si in tibiis, & cruribus sit, in reliquis verò corporis partibus, etsi ejusdem sit pravitatis, lupum absolutè nominari non censent. Dicitur lupus ob vehementem erosionem, & excisionem, quia vulgus existimat famelici lupi instar gallinarum carnes, imò & alias carnes absumere, ut fusius secundo Tomo dicemus.

Duplex est cancer, unus occultus, reliquus non occultus; occultus est ille, qui in penitioribus corporis partibus oritur, ut in sede, palato, aut in sinu muliebri conditus; non occultus, qui in extimâ, & summâ corporis oritur parte, qui quia oculis cernitur, non occultus, sed patens dicitur.

Signa.

Circa cancri cognitionem oportet chirurgum optimum esse botanicum, qui nascentes herbas habet cognoscere; nàm herbæ, dùm nascuntur, quia tenellæ, & parvæ, difficilis est earum cognitio, sicut ipsæ nascentes à malis botanicis non cognoscuntur, sic cancri incipientes, quia ciceris, vel fabæ magnitudinem vix adæquent, à malis, inexpertibus medicis non cognoscuntur, ex quo postea infamia, & dedecus sequi solet. Quare cognoscitur cancer primò, quia lente proserpit, & vix pisi magnitudinem exæquat: aliquandò illicò, aliquandò sensim accrescit. Secundò, ex colore, qui ad nigrum, vel fuscum inclinat. Tertiò, ex duritie. Quartò, à venis circumstantibus similibus cancrorum pedibus. Quintò ex dolore, nàm etsi non prematur, non dolet, dolere tamen potest post compressionem ex inæqualitate tumoris. Ex aspectu demùm formidoloso, quandò est magnus tonsoribus, & lippis est notus.

Causæ.

Pro hujus morbi causâ vulgatium cœtus humorem melancholicum in atrabilarium degeneratum accusare solent. Ità *Galenus* vulgarium antesignanus inquit 2. *ad Glauc. cap.* x. *Ex putrefacto melancholico succo ulceratus fit cancer, ex non putrefacto verò non ulceratus cancer gignitur, cujus humoris est causa cacochymia, quæ causari solet ex malâ victûs ratione, ex usu scilicet lentium, cochlearum, aut eorum omnium, quæ possunt melancholicos gignere succos, præcipuè facit aër nimis siccus, ut est in Alexandriâ. Ad id etiam valet suppressa aliqua hæmorrhoidum, vel menstruorum evacuatio, obstructio lienis, hepatis &c.*

Contendunt vulgares, an inter calidos tumores, an frigidos sit malum hoc annumerandum, cùm supponant in cancro atrabilarium humorem omninò calidis, tenuibusque carere partibus, & hæc quæstio est de lanâ caprinâ, ac de asini umbrâ, quæ nihil ad morbi sanationem facit, & adhùc inter ipsos sub Judice manet.

Atrabilarium humorem sub silentio involuimus, veluti responsione indignum, tanquàm inutiles nænias, & ignorantiæ asylum spernimus. Omnes ferè morbos, quos lethales habent, quia ab ipsis pro eorum sanatione non est inventum remedium, ab atrabilari ortum ducere fatentur. Adoriuntur tamen morbos, quos quilibet tonsor, vel histrio curare potest, morbos verò difficiles, ut cancrum, caducum, epilepsiam, lepram, podagram &c. intactos relinquunt, quasi Deus pro istis non creârit medicinam.

Nonnulli vulgares morbi squitiam in carnes corrodendo meditantes, illum explicatu difficilem asseruêre esse, quomodò atrabilis, quæ nuspiàm tantoperè aliàs sæviat, ac hujus loci, de atræbilis insufficientiâ in suspicionem venerunt, & aliquid peculiarius, ut est anguis in herbâ, sublatere rati sunt, quod huic ingenti corrosioni ansam præbeat. Non eos dicere puduit in hoc malo minutissimos innasci Vermiculos de Syronum specie, præ minutie fermè visum effugientes, mobilitate suâ in tàm sensibilibus locis maximum pruritum, & catarrhalem excitantes fluxionem, quæ suo affluxu ulteriorem putredinem, & vermiculorum generationem inducere potest, undè partes tàm putredine, quàm erosione absumuntur. Quò pervenit vulgarium medicorum insciția! Hos minutissimos vermiculos in hoc morbo nos unquàm nec in terso speculo, nec mycroscopio observare potuimus.

Ut de carcinomatis causâ nostram proferamus sententiam, supponimus primò dupliciter fieri corruptiones; vel enim composita optima, & perfectissima, vel imperfecta, sive mediam vitam habentia corrumpuntur; si corrumpantur hæc, eorum corruptio non erit tàm pessima, & prava, sed mediocriter se habet; si corrumpantur eximia composita, & optimè præstantia, delateria quidèm intensa nimis resultat, & effluit putrefactio, undè Aristoteles hanc noscens veritatem inquit: *Corruptio optimi pessima*, quod assertum adhuc experimento comprobatur, nàm si corrumpatur aliquod vegetabile, & aliquod sensitivum, cùm nobilius sit hoc illo, intensior multò fit in sensitivo, quàm in vegetabili corruptio.

Supponimus secundò in nostro corpore ex fermentatione duas generari partes, unam homogeneam, volatilem, sulphureamque, alteram verò fixam, ætherogeneam, & tartaream, quæ doctrina adhuc autopsiâ patet; omnia enim quæ in hoc terrarum orbe reperiuntur, duas continent partes, unam volatilem, alteram verò fixam: sic in homine idem erit dicendum, cùm utrobique sit par ratio.

His

His breviter suppositis, sic nostram de carcinomate causam demonstramus, dicendo, quòd quotiescumque corrumpitur, vel degenerat pars volatilis, & homogenea, ut quæ in partium alimentum cedit, toties scirrhus, cancer, formica, vel aliud quodpiam sibi conveniens succedit; si verò corrumpatur pars fixa, semifixa, vel omninò non homogenea, abscessus ordinarii, tumores benigni, & carbunculi, absque eo quod malignitatem sapiant, erumpunt. Pars ista volatilis tota per insensilem evacuationem post vitæ sustentationem in auras resolvitur: accidit quandòque ob prohibitam transpirationem per cutis poros transpirare non posse, tunc condensatur, & coagulatur in principio in parvam pustulam, vel tuberculum, vel verrucam. Hæc pars volatilis est de naturâ salis, quæ in coagulum versa fixatur, & ob perennem diaphæresim nova pars volatilis ipsius salis diaphoretici supervenit, & fixatur, quia *volatile agens supra fixum fixatur, & omne simile tendit ad conservationem sui similis, tàm secundum generationem, quàm secundum conservationem*, & in dies præpotenti vi attractiva, qua refercitur, magis, magisque pollet, majorem salis mictocosmici copiam in se trahit, & imbibit, qui ob moram sensim fermentatur, acuitur, exaltatur, in sal acutum, mordax, corrosivum, arsenicale, & realgarinum degenerat, quod urit, caustícat, non secus ac caustica potentialia; cujus salis caustici ope ulcera fiunt, dolorosa omninò sunt difformia, & variis variegata coloribus, putrida prorsùs, & infecta supra ulcerum omnium modum.

Fit cancer in mulieribus ut plurimùm ob menstrua retenta, vel non sufficienter evacuata, in viris verò ob sanguinis hæmorrhoidalis suppressionem, retinetur enim sanguis in suis conceptabulis obstructionis vitio, quamediante, sale acuto imbuitur erosioni apto. Suppresso itàque sanguine, ex sympathiâ i. consensu uteri cum mammis, acuitas illa in ultimum partium albarum nutrimentum imprimitur, non resolvitur per diaphæresim, ac sensim degener fit, coagulatur, & suo viro quodammodò torpido continentes inficit partes, ac temporis progressu ferè utilitate eas privat: Undè fit in ipsis, & præsertim partibus glandulosis obstructio, cujus ope sanguis per venas transfluere non potest, venæ tumori circumpositæ turgidæ, varicosæ, & nigricantes apparent, ac cancri chelas representant, quia sanguinis motus ab affectæ partis densitate & constipatione feriatur. Hinc duritiæ, & circumstantium partium dolor percipitur; semper enim salia diaphoretica non transporata exaltantur, ac in realgarina degenerant, hinc corruptio, & ab eâ ichor resultat, qui, cùm vivas, sanasque partes tangit, eas vellicat, & ad contentæ corruptelæ dispositiones excitat, & ita paulatim per totum mammæ corpus, tam corruptela continentium, & contentorum, quàm tumor expandantur.

Relinquimus cæteras sententias

tàm Paracelsi, qui vult cancrum gigni in hominibus ob venarum hæmorrhoidalium suppressionem, vel in mulieribus ob menstrua detenta, verùm hæc sunt causæ occasionales, quàm fabri sententiam, qui ex materiâ tartareâ hunc morbum generari prætulit.

Prognosis.

Cancer in sui ortûs principio non curatur, & præcipuè ille, qui in summâ corporis parte hæret. Qui mediis utuntur actioribus, cum exulcerant. Confirmatus, aut inveteratus nisi radicitùs per sectionem, aut ustionem extirpetur, curationem non admittit; verùm occultus, sive cavitate quadam corporis detentus curationem respuit, ut consulit *Hip. 6. aph.* 38. *Cancros occultos* (per occultos non ulceratos nos intelligimus) *omnes melius est non curare; curati enim citius intereunt, non curati longius tempus perdurant.* Ulcerati immedicabiles sunt apud medicorum vulgum, & pro lethalibus apud ipsos semper habentur, quia adhuc remedium non invenere; undè omni salutis spe destituti ægri miserrimè inter ejulatus, dolores, & cadavericos putores deplorabilem protrahunt vitam, & pigrè tendunt ad mortem.

Vulgares chirurgi Hip. aph. persuasi in hujusmodi tumore curando fugam honestam arripiendam esse consulunt. Sunt isti vulgares non a similes illi sacerdoti, & Levitæ evangelico, ut habetur *Luc. cap.* x. *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones. qui etiam despolianterunt eum: & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eâdem viâ: & viso illo, præterivit. Similiter & Levita cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordiâ motus, approprians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit.* Hunc morbum curare tantùm sciunt Dogmatici Spagyrici, non verò vulgares; nàm hi veluti Gorgonis capite perculsi aufugiunt.

Curatio.

Curatio à vulgaribus adimpletur pluribus intentionibus, quarum prima consistit in optimo rerum nonnaturalium regimine; secunda in materiæ antecedentis regulatione; Tertia demùm materiam respicit conjunctam.

Prima completur pro earum sex rerum nonnaturalium moderatione, secunda per medicamenta evacuantia, idoneis primò exhibitis, syrupis, ut

℞. *Syr. de fumar. simpl.*
De succ. acetos. &
Endiviæ ana ℥. ß.
Aquæ lupul. ℥. iij. *m.*

Qui assumi debent ad plures dies, saltim ad decem, deindè purgans exhibent medicamentum humori melancholico appropriatum, quod non debet semel administrari, sed pluries, & pluries, prout videbitur. Hortantur, ut memoriâ teneatur id, quòd à *Mesue* docetur, qui

qui tractando de humore melancholico, hanc pulcherrimam ex *Avicennâ* adducit sententiam, & Canon quidem est: *In ægritudinibus melancholicis, ut non semel, aut bis, sed per intervalla faciamus evacuationem talem habentem temperiem, ut Natura regulet evacuationem, non autem evacuatio naturam.* Et post pauca verba sequitur: *Melius est in hac materiâ multiplicatio numeri, quàm multiplicatio quantitatis.* Undè medicamenta semper esse debent leviora, & mitiora, ac dùm administrantur, Fallop. imitantur, qui per intervalla adhuc quædam exhibet antidota, ut *jus cancrorum fluvialium, & eorum pulveres*, ex quibus cum melle electuaria confici possunt. Idem Fallop. felici cum successu expertus est *aquam stillatitiam ex virgâ aureâ mane exhibitam ad ʒ. iv.* cujus modus apud ipsum est legendus cap. 19. de cancro, quibus administratis.

Ad localia accedunt, quæ in principio repellentia esse debent, adhoc ut ipsius augmentum impediant, nec fortiora esse debent, quia nimis constipant, nec leviora, quia nihil agunt; undè convenit *succus rosarum, plantag. solani, lactuca &c.* Modus utendi pariter apud ipsos est varius, vel madefaciunt linteola in prædictis succis, & superponunt, vel *excipiuntur succi in micâ panis, addito ol. ros. f. cataplasma*, vel tutiùs capiuntur succi prædicti, & oleum ros. completum, & ponantur in mortario plumbeo, continuò agitando cum pistillo plumbeo, donec acquisierint æqualem crassitiem, & imponantur parti.

In augmento cum repellentibus digerentia admiscent, quæ etiam sint leviora, ne pars nimis calefiat; undè cum prædictis succis miscent calcem decies loram, spodium pariter, vel tutiam eodem modo ablutam, & in mortario plumbeo agitatam.

In statu autem medicamenta tantum conveniunt digerentia supradicta.

Sed accidit quandòque (imò semper dicere debebamus), ut cancer neque prædictis sanetur auxiliis, neque augeatur, non decrescat, non doleat, sed quiescat prorsùs, quid agendum sit, in hoc casu *Fallop.* legendum præcipiunt, qui docet: *Nàm multi supervixerunt, & aliquandò ad plures annos, quòd si fuissent aliquo præsidio adiuti, citiùs periissent*, ut patet *ex aph. 38. sect. 6. Quibus occulti cancri* (id est non ulcerati) *adsunt, non curare melius, curati enim citius intereunt; non curati verò longius vitam trahunt.* Igitùr quiescendum putant, & solùm vere, & autumno convenienti pharmaco corpus purgandum.

Ex his debilibus, & vanis barbatorum medicamentis, quæ tàm sævo, & pertinaci adhibent morbo, facilè quisquam omnimodam sanationis impossibilitatem conjicere potest; nunc nostram proponemus hujus tetri affectûs curationem, ut arbiter esse possit.

Curationem initio instituimus, antequàm malignam cancer naturam induat, corpus deplendo purgantibus mercurialibus; his enim præstantiora in hoc morbo

non dantur, & eâdem ratione, ut de Lue Venereâ diximus, luem veneream potenter eliminat Mercurius, quia luis causa est exaltatum, & corrosivum nutrimenti sal redditum, quod cum Mercurii corpore immutatur, nec corrosivam vim amplius retinet, in cancro quammaximè proficua sunt. Si stomachus superfluitatibus oneretur, *mercurius vitæ*, *vel nostrum Hippocras emeticum in nostrâ Trusinâ lib. 1. cap. 2. de Apoplexiâ* descriptum, exhiberi potest, quod non tantùm superfluitates exturbat, verùm etiam fibras à causâ occasionali abstergit. Deindè ore tenus *Mercurius diaphoreticus primi ordinis Theophrasti Paracelsi* sumatur, qui non tantùm prohibitam transpirationem in parte reserat, verùm salia corrosiva cicurat, coagulum resolvit, & obstructiones aperit; vel maximè prosunt sudores ab *antimonio diaphoretico* eliciti. Tuberculum maximoperè convenit *oleo ex frumento* lenire, vel præstantiùs *empl. fodic.* cui duplex mercurii vivi pondus in tigillo supra lentum ignem sit optimè admistum, superimponere. Summoperè conducunt *vulnerariæ potiones*, *vel magisterium oculorum cancrorum in aquâ persicariæ*, in cujus magisterii defectu *pulvis cancrorum fluviatilium* à nobis alibi descriptus sustitui potest.

Si cancer ex menstruorum, vel hæmorrhoidum suppressione occasionaliter oriatur, ad obstructiones reserandas ex Matte medicamenta confecta ad mensem chymicum, & ultra exhibemus.

Non agimus hîc de cancro exulcerato, quia de eo *Tomo 2. cap. 23. de Ulcere canceroso* fusissimè tractamus.

Cap. X.

De Gangrenâ, & Sphacelo.

GAngræna non semper sub tumorum genere comprehenditur, cùm non semper tumori associetur; nàm plerumque maligna insequitur ulcera, sæpè etiam venenatis instrumentis inflicta vulnera, & venenatorum animalium morsus, absque eo, quod iis associetur tumor; verùm quia plerumque magnis inflammationibus accidere solet, ideò ejus tractatum hic instituimus.

Gangræna est incipiens, & imperfecta mortificatio in mollibus corporis partibus, plerumque post gravem, aut malè curatam inflammationem sequens. Dicitur *ignis sancti Antonii*, ignis Persicus, & esthiomenus, quia exedendo, seu depascendo procedit.

Sphacelus est perfecta, & plenaria mortificatio, corruptio, & putrefactio non tantùm partium mollium, sed etiam durarum. Dicitur Græco nomine sphacelismos à jugulando, & enecando, quia partes, quas semel aggreditur, nisi citissimè succurratur, enecat. Dicitur etiam ab aliis Esthiomenos, Necrosis. Latinè sideratio i. sideris percussio, plerumque tamen retento Græcorum nomine, sphacelus appellatur.

Vulgò

Vulgò verò Ignis S. Antonii vocatus fuit.

Differunt hi affectus, nàm gangræna est mollium tantùm particularum passio; in ipsâ enim tùm cutis, tùm etiam subjecta caro afficiuntur, non autem ossa, & junctura. Sphacelus contrà, & ossa, & junctura devastat, ac propterea non tantùm molles, sed duras apprehendit particulas. In sphacelo partes prorsùs sunt emortuæ: in gangrænâ emori incipiunt, & sensus nondùm est abolitus. In gangrænâ cutis aliquo modo rubicunda apparet: sed in sphacelo pallida est, mox livida, & tandèm nigra evadit. Sphacelus plus fœtoris adfert, quàm gangræna.

Ex horum affectuum differentiâ patet falsam esse Galeni sententiam, qui gangrænam carnosas, sphacelum verò spermaticas apprehendere partes statuit, & in ossibus exesionem, seu erosionem, vel cariem vocari existimavit:

Omnes humani corporis partes tùm internas, tùm externas gangrænâ, & sphacelo corripi posse, præter experientiam quotidianam pluribus, & innumeris practicorum observationibus compertum est: sic brachium, pedem, penem, scrotum, perinæum, pudendum muliebre, sphacelata observavimus. Nec ab hoc diro, & pessimo malo interna viscera sunt immunia, intestina, stomachum, œsophagum, & os sphacelata vidimus. In quadam infantulâ quatuor annorum in gingivis, & labiis sphacelum observavimus. Imò cerebrum ipsum nec immune est, ut pluries nobis compertum est, insuper & cor sideratum in peste inventum tradidit *Helmontius*.

Signa.

Gangrænæ signa facilia sunt; quinimmò sensu ipso discernuntur; ex inflammatione enim color ab initio flavus apparet, mox ingravescente malo cum diris, & vehementissimis cruciatibus mutatur in fuscum, & lividum colorem, deindè ad nigrum convertitur, vel ad hos accedit colores, simul exoriuntur pustulæ grandiores ichore loturæ carnium simili refertæ, calor, dolor, & pulsus multo remissior insequitur, quàm qui cum inflammatione præcessit. Tumor quoque qui anteà extensus erat, collabescere incipit, & si tangatur œdematis instar foveam relinquit, vel si pungatur locus affectus, minimus, & ferè insensilis percipitur dolor, calor extingui, pulsus aboleri incipit, & caro flavescit. Quæ symptomata quò magis ad perfectam corruptionem accedit gangræna, eò magis augentur, & evidentiora reduntur. Verùm quia gangrænæ signa pro causæ occasionalis diversitate variant, ideò

Si à frigore contracta est gangræna, dolor vehementer pungens in parte percipitur affectâ: hæc primò rubra, mox pallida, & tandèm nigra evadit: naturalis calor paulatim extinguitur, & oritur horror illi similis, qui in quartanâ percipitur febre, & locus gla-

cie-

cici instar frigidissimus evadit.

Si à causâ externâ calidâ, rubedo in album, & deindè in nigrum mutatur; pulsatio, & dolor cessant: sensus imminuitur, & tandèm quædam apparent pustulæ, ex quibus ichor profluit.

Si ex alimenti defectu, ab initio nec dolor, nec inflammatio, nec tumor adsunt, sed macies, pars redditur frigida, ac torpida, & utplurimum morbus externos, manus scilicet pedes, nares vel aures occupat artus, & affectus hic absque dolore ad totalem transit mortificationem.

Si à venenato animalis morsu, aut humore, dolores, & febres malignæ continuò affligunt, syncopes adsunt frequentes, vomitus, & deliria: pustula hìc oritur, sub qua nigra macula est, quæ deindè per partem dispergitur nigram.

Si tandèm ex constrictione, & forti ligaturâ, pars tumet, distenditur, intensè dolet, inflammatur, vesiculæ exoriuntur ichore loturæ carnis similes plenæ, livescit, nigrescit, membrum fit grave, & & immobile, pars cum vaporibus intumescit, & ipsa cutis à carne discedit, si incidatur, nihil præter vaporem cum paucâ lymphæ quantitate effluit.

Si sphacelus adsit, locus planè nigrescit, tumet, putridi pomi instar mollis est, ac penitùs cadaverosus apparet, omnis arteriarum pulsus cessat, nec ullus doloris sensus supereſt. Si caro sphacelata scindatur, pungatur, vel aduratur, ut non prorsùs sentiat æger, ac simul exsucca omnia existant, sphacelus dicitur, si verò adhuc sentit, dicitur gangræna. Caro digitis compressa facilè pastæ instar cedit, & remotis digitis non resilit, sed scorbificata manet, nec secta etiam usque ad periostium quicquàm sentit, quod indubitatum sphaceli signum est. Cutis à subjectâ carne abscedit, fœtidum, ac cadaverosum immittit halitum, atque ichorem, quem adstantes vix ferre possunt. Febris adest maligna in summo gradu, ac in ipsâ pestè.

Monendus est hic chirurgus, ubi ex signis his gangrænam, & sphacelum deprehendit, ut ea, quæ agenda sunt, ne amplìùs differat deceptus motu, qui interdùm aliquis in membro etiam mortuo reliquus est; moventur enim partes sphacelo corruptæ non integri musculi motu, sed quia saltem musculi caput adhuc integrum est, quod dùm movetur, unà continuum sibi tendinem, & caudam suam etsi jàm emortuam trahit.

Causæ.

Galeni sectatores pro gangrænæ, & sphaceli causâ, quia vitam in caloris integritate reponunt, caloris nativi destructionem, vel corruptionem, suffocationem, dissipationem, vel extinctionem assignant, undè dicunt, quòd,

Destruitur noster calor à contrario manifesto, ut ob vehemens frigus externum, aut aëris, aut hyemis, aut medicamentorum repellentium; sic enim non rarò videmus hyberno tempore vehementem

tem pruinam teneras enecare, & arefacere herbas: ità consimile frigus etiam extrema pedum, manuum, aures, nares mortificat. Idem etiam contingit ob medicamenta repellentia, nimis refrigerantia, in phlegmone, aut erysipelate adhibita, partem gangrænâ, aut sphacelo corrumpi. Verùm aliqui hunc modum potiùs ad prohibitam transpirationem referunt; alii ad sanguinis coagulationem refundunt, qui suâ circulatione impeditur; & interdùm mortificatio sequitur. Vel

Corrumpitur à contrario occulto, quod à medicis vulgaribus appellatur contrarium à propriâ formâ, seu totâ substantiâ, seu ab occultâ qualitate, hujusmodi est venenum, vel venenata aliqua qualitas, quæ corporis nostri calorem corrumpit. Interdùm enim humores in corpore nostro adeò degenerant, & tantam nanciscuntur malignitatem, ut in iis partibus, in quas à naturâ demandantur, mortificationem inducant, ità ut plurimùm mortificationes in febribus malignis, carbunculis, bubonibus observantur. Ità vulnera venenatis inflicta instrumentis illicò liveſcunt, & facilè in gangrænas abeunt. Sic pariter maligni, & venenati halitus, morsus, & ictus venenatorum animalium in gangrænam terminantur. Hoc efficiunt medicamenta sectica, quæ calorem, & carnem corrumpunt, non satis prudenter adhibita, præcipuè in locis calidis, & humidis, ut in emunctoriis, & pudendis.

Suffocatur, sive strangulatur noster calor, si non ventiletur; calor enim noster perpetuâ indiget ventilatione, si illa denegetur, facilè vaporum copiâ suffocatur, ità sæpissimè observatur in admodùm largis, & grandibus tumoribus, præcipuè in partibus humidis gangrænam accidere, calore nativo suffocato.

Dissipatur nativus calor ab extraneo, & vehementi calore, sic interdùm post magnas ustiones, gangrænæ observantur.

Extinguitur nativus calor alimenti defectu, non aliter ac flamma in lucernâ, deficiente oleo: sic noster calor nutrimento indiget, quo denegato, extinguitur. Hoc modo gangræna in extremis corporis partibus accidit, in atrophiâ, tabe, & similibus morbis chronicis corpus emaciantibus. Ob sanguinis defectum, si majores articuli luxati non benè reponantur, os luxatum vicina comprimit vasa, & sanguinis, ac spirituum influxum in subjectas prohibet partes, tabes indè, & earundem sequitur macies, & procedente tempore, gangræna. Ità quoque contingere potest à ligaturâ in membris vulneratis, vel dislocatis, qua pars aliqua nimis arctè, & diù vinculis constringatur, qua spiritus intercipiuntur, & sanguinis motus inhibetur. Eâdem de causâ vehementes contusiones, quemadmodùm poma contusa facilè putrescunt, ità etiam membra fortiter contusa tumorem, & corruptionem sortiuntur.

Prædictos quinque modos, quibus gangrænam, sphacelumque causari autumant Galenici, non omninò rejicimus; verùm tanquàm causas immediatas repudiamus, & solummodò inter procatharticas, & occasionales reponimus. Horum affectuum causam immediatam pro nostrâ Galeni sententiam amplectimur, pro qua notatus hîc Galenistarum pervicaciam, & profundissimam Galeni doctrinam, quæ ex eo, quod rudes sortita est sectatores, adeò latuit, ut recentiores veluti novam pronuncient. Suprà nos asseruimus, quòd carbunculus, cancer, similesque tumores maligni, non ratione atrabilarii humoris tales erant, sed ratione solii tantum, & continentium partium corruptionis: legite totum id apud accuratissimum *Galenum de tumoribus p. n. cap.* xi. hæc scribentem: *Gangræna cùm est ipsa quoque solidorum corporum mortificatio, quæ maximis consequitur inflammationibus*; cùm itàque solidæ, & continentes partes corrumpi non possint, nisi nutrimentum ultimum in earum fibris receptum corrumpatur; necesse igitur est, ut in iis inflammationibus, quibus gangræna succedit, primariò vitium sit in ultimo partium nutrimento, secundariò verò in sanguine, qui per accidens in parte coadunatur, & effervescit, nàm solidæ partes, quæ vitio proximi nutrimenti laborant, nihil cogitant de affluentis eò sanguinis circulatione, cujus concretione celeriùs suffocatur continentium partium vita, undè gangræna emergit.

Ultimi nutrimenti vitium in partibus continentibus est sal acre, lixiviale exaltatum è causis occasionalibus in causticam, realgarinamque naturam, quod cauteriorum potentialium more partes continentes abscindit, undè obstruuntur, & ob vasculorum obstructionem sanguis, cæterique succi cespitant, à circulatione feriantur, & in coagulum transeunt ob denegatum, prohibitumque affluxum; hinc primò pars rubeum, aut subpurpureum nanciscitur colorem, deindè cutis, & caro ad nigredinem transit, quandòque fit sicca, & arida. Majorem mali mineram augere solent succi concreti in propriis conceptabulis, vel evasati, quia nullam in his fermentationem conservant, undè ob ætherogenearum particularum stagnationem corrumpi necesse est, ut aquæ stagnantes efficiunt paludes fœtidas, & corruptas. Partes frigent motu, & sensu destitutæ ob denegatam nutritionem, fermentationis feriationem, & ob spirituum denegatum influxum, ac denegatam vitæ irradiationem.

Gangræna, & sphacelus tantùm gradibus differunt; in gangrænâ enim pauciſſimi tubuli adhuc sunt aperti, per quos sanguis, & succi fluere possunt; in sphacelo verò est totalis tubulorum obstructio, omnes sunt disrupti, corrosi, & adeò corrupti, ut nullus motus intestinus, fermentatio nulla inter hos intercedat, omnia corrupta, & mortificata, omnia emortua, & vitæ expertia redduntur.

Prognosis

Prognosis.

Tanta est hujus mali truculentia, & tanta malignitas, ut nisi citissimè occurratur, partem illam, quam adoritur, corrumpit, & mortificat, ac totam humani corporis machinam destruit. Neque aliorum morborum instar perfunctoriè infestat, aut ad salutem quandòque terminatur, sed ubi semel pedem fixit, pertinacissimè adhæret, nec suis coërcetur limitibus, cito pede graditur, & nisi citissimè sistatur, exedendo, & depascendo, ægrum jugulat, & enecat. Chirurgus interdùm desperato tàm malo accersitus, institutâ itàque exquisitâ prognosi, meritò sibi consulat, ne incautè se, & suam artem prostituat; audiat quæso *Celsum: Est prudentis medici, ubi gravis est metus in morbis, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse, ut si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse non videatur, vel si mori contingat laborantem, medicus occidisse credatur, quem sors dira peremit.*

Gangræna gravissimus est affectus, verùm si non dùm planè obsideat, ac partem teneat, & adhuc incipiat, præcipuè in corpore juvenili, si recens corruptionem in cute, & carne superficiariam habeat, ubi neque musculi, vel vasa adhuc læsa non sunt, magnâ adhibitâ solertiâ, haud difficile curari potest, si celerrimè ferantur suppetiæ, quòd si protinùs non sistatur, inane erit opus; nàm gangræna breui in sideratione, sive sphacelum degenerat, & in succedentes alioqui sanas serpit partes, vicinasque itidèm mortificat, & non solùm vasa exedit, sed etiam ossa, & enecat ægrum. Partium internarum gangrænæ præsertim cerebri, hepatis, lienis, massæ sanguineæ, mesenterii, intestinorum, renum &c. Semper lethales sunt; externarum verò quandòque curationem admittunt. Periculosior est gangræna, quæ in partibus mottibus & laxis, ac quæ in corporis cavitatibus humidis incipit, ut in naribus, auribus, sive gingivis, ore, pudendo, ano &c. ejus curatio difficilis est; citiùs enim nutrimentum corrumpitur ab humorum copiâ in talibus partibus existente. Eâdem quoque ratione gangræna, quæ in hidropicorum tibiis, & scroto oritur, rarò sanatur, sed plerùmque in sphacelum degenerat. Gangræna, quæ oritur à contusione, motu, ustione, fracturâ, vulnere &c. Sanabilior est, & minùs pernicioſa censetur eâ, quæ ab internis provenit causis sanguinem coagulantibus, sicut & illa, quæ in senili ætate, ex alimenti defectu oritur. Si pus album appareat; signum est, quòd gangræna separanda sit. Gangræna, quæ fit à veneno, difficilis est curationis paucos enim à tali gangrænâ ereptos vidimus.

Sphacelus verò longè adhuc periculosior est affectus, nec pars sphacelo correpta in integrum restitui potest, sed mors ipsa erit impromptu, quia parvâ corporis parte sideratione correptâ, intra paucas horas totum corpus sidera-

ratione corripitur, veneni instar suo contactu, quod adhuc sanum, & integrum est, inficit, corrumpitque, idòque nulla salutis spes superest. Si sphacelus jàm factus in unâ tantùm corporis parte, qua ad vitam destitui potest, nempè in brachio, vel pede adhuc hæserit, vita sæpiùs cum hujus partis sphacelatæ amissione servari potest, si illicò sphacelatum membrum, ut dicemus, à sano recidatur, ut cecinit Ovidius 1. Metamorph.

Cuncta prius tentanda: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

alioqui præsentissima mors præforibus adest. De durationè hujus morbi nihil determinare licet, modò brevioris termini est, & intra paucas horas vitæ finem imponit, modò longiùs durat, vel ad unum, alterumque diem protenditur, vel ad tres, ut Hippocrati placuit.

Hic non possumus inemendatum relinquere illum *Hippocratis aph.* 50. *qui sect.* 7. de cerebri sphacelo loquens inquit: *Quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt: si verò hos evaserint, sani fiunt.* Nàm falsus deprehenditur, quod enim emortuum est, neque corrigi, neque emendari, neque in naturæ gratiam redire potest, cùm à privatione ad habitum, seu à morte ad vitam, naturaliter loquendo, non detur regressus. Igitur optimè dixisset Hip. quibus cerebrum est sphacelatum in tribus diebus pereunt, si *ut plurimùm* addidisset, perperam verò si hos evaserint, sani fiunt, nàm cerebrum sphacelatum habentes impossibile est supervenire posse. Imò *in tribus diebus pereunt* falsum deprehendimus, multi nàmque pervenêre ad decimum, undecimum, & decimum quartum, ut refert *Brasavola* de quodam ægroto, cum qui si quæras, quomodò potuerit cognosci jàm cœpisse sphacelum? Respondet *ex vehementissimo dolore, quem ager patiebatur, primo die effectus est attonitus, octavo die omnes amisit sensus, decimoquarto obiit. Huic, ablatâ calvariâ, totum cerebrum corruptum apparuit.* Nonnullorum medentùm ingenia hujus aphorismi interpretatio torsit, sed insano indulserunt labori, & oleum, & operam perdiderunt. *Galenus*, ut quamplurimos omittamus, hunc explicans aphorismum, pro sphacelo gangrænam accepit: *Hanc enim Græci sphacelum etiam appellabant, & Erodotus dixit coxam Cambisys sphacelari, cerebrumque ità, quispiam diceret sphacelari tantùm modò. Jàm verò propter quid velox in eo mors sit, manifestum est, nimirùm quia, & morbus gravissimus, & pars principalis maximè sit.* Hinc videtur Galenus in hanc explicando aphorismum ad scopum non collimasse, muscas in aëre venatus, & cancrum pro cete expiscatus fuisse. Nos hujus aphorismi posteriorem partem expungendam esse arbitramur, cum hujus adverbii additione, utplurimùm, & sic illum pronunciamus: *Quibus cerebrum est sphacelatum, in tribus diebus ut plurimùm pereunt.*

Uter-

Uterque affectus comitem habet febrem acutissimam, & in sphacelo præcedunt deliria, vigiliæ, syncope, convulsiones, tuctus, singultus, toto corpore frigidus erumpit sudor, alii inter loquendum, aliique veluti somno sepulti moriuntur.

Curatio.

Vulgares tribus præsertim intentionibus curationem complent, quarum prima idoneum respicit victum; secunda totius corporis evacuationem à præcedentibus succis requirit, tertia demùm circa laborantem particulam idoneum operandi modum, & opportuna præsidia designat.

Prima, quia acutissimus est affectus, tenuem exposuit victum ac abstinendum à carnibus, vino, ab omnibus tùm cibis, tùm fructibus, quæ corruptionem pati, vel augere possunt. Cibos condiendos imperant aliquo ad putredinem inhibendam, hujusmodi sunt, *acetum, succus limonum, citri, aurantiorum &c.* Pro potu, ut utatur æger *aquâ scorzonoriæ, vel sonchi*, cui pariter *acetum, vel limonum succum &c.* admiscent ad eam proportionem, ut bibi possit. Verùm hæc rationi non consona sunt; ipse enim morbus ab acidi excessu est, omnisque corruptio, & putredo ab acido excessivo dependet, & ab acidorum exhibitione potiùs summè invalescit, talesque gangrænicos, qui acetum, limonum, citri &c. succum bibere, vel sorbere, vel buccellas in ipso intinctas, vel cibos conditos comedere appetentes, ultra biduum non supervixisse observavimus; ideò omnia acida longè ab ipsis arceri debent, dandaque potiùs alkalioſa, ut oculi cancrorum, & similia. Prohibendi quoque sunt tales ægri à somno, putredinem enim auget. Aërem, qui potiùs ad siccum, quàm ad humidum vergat, eligunt. Alvinæ fæces quotidiè enemate extuibandæ sùt. Membrum affectum in quiete detineatur, & animi pathemata, quantùm fieri potest, vitentur.

Secundam complent intentionem per duo illa vulgaria præsidia totum corpus evacuantia, phlebotomiam scilicèt & medicamentum purgans. Statim itàque ac gangrænæ vestigia apparere incipiunt, illicò sanguinem effundunt, & pluries etiam juxta corporis habitum, temperamentum, ætatem &c. Primâ vice revulsionis gratiâ, ex loco longiori, postmodùm viciniori in derivationis gratiam, & consimili ratione scarificationes, & venarum sedis apertiones juvare credunt. Verùm nos observavimus gangrænicos, quibus sanguis detractus fuit, infra biduum, vel tandèm triduum periisse. Si gangræna à frigore originem duxerit, phlebotomia magis refrigerat; si à veneno vel morsu venenato, vel malignitate, est ipso veneno nocentior; si ab alimenti defectu, nullo modo sanguis detrahendus est, cùm subtrahatur alimentum; si ab æstu externo, phlebotomia impressum non aufert æstum; si à

magnis inflammationibus, si plethora adsit, utique sanguinem mittendum conjectamus; si ab humorum affluxu, ut dicunt, tales humores purgandi, dummodò maligni non sint; si à pororum constipatione, phlebotomia poros non reserat, imò magis constipat: Itàque in gangrænâ sanguinis missionem tanquàm maledictam rejicimus.

Deindè corpus purgant in vitiosorum succorum abundantiâ, & si succi fuerint calidiores, præsidiis bilem ipsam expurgandi vim habentibus utuntur, semper tamen minora, & frigidiora eligentes, (verùm quàm barbari sunt vulgares dari purgantia frigida putantes!) ne inductâ in corpus agitatione, detur ansa, ut magis ad partem affectam fluant, inter hæc apud ipsos principem tenet locum *Manna, cassia, syr. ros. solut. syr. viol. de Cichor. Nicolai, expressiones conf. ros. pers. &c.* Contrà si succi fuerint crassiores, ut phlegmatici, & melancholici, confugiunt ad pharmaca tales humores exturbantia, ut sunt *syr. de fumar. mai. sues. Diacatholicon, Diaphœnicon &c.* Illud advertunt, quòd ubi in corpore copiosa malorum succorum colluvies, & ubi gangræna non statim, nec facilè cedere videatur, in his casibus corporis purgationes reiterant per epicrasim.

Verum si vulgares chirurgi gangrænam purgantibus medicamentis curare intendant, eam in sphacelum commutabunt, nisi à magno humorum affluxu ortum ducat, nàm eadem militat ratio pro purgante, ac quam pro phlebotomiâ suprà notavimus.

Tertiam demùm complent intentionem per localia præsidia, & manuales operationes laboranti particulæ adhibenda, quæ, quod in eâ putridum est, absumant, & extirpent, ac quod putrescere promptum est, & paratum, à putredine vindicent.

Statim itàque ac gangræna incipere videtur, ex Galeni consilio cutem partis laborantis vel pluribus sectionibus ad partem usque sanam, vel saltim pluribus utuntur scarificationibus; nàm si gangræna fuerit incipiens, superficialis, nec multùm profunda, utuntur scarificationibus magis tamen, vel minùs profundis, secundum quod fuerit gangræna: Si autem non fuerit incipiens, sed ulteriùs progressa, sectiones adhibent, quibus, quod putridum est, à sanâ separatur parte.

Post scarificationes, aut sectiones, si remanet in parte aliquis sanguinis grumus, abluenda est *aquâ salsâ, vel lixivio barbitonsoris*, in quo *fuerint decocti lupini*, quòd si velint efficaciùs reddere dissolvunt in eo *unguentum Ægyptiacum*, vel hujusmodi utuntur ablutione, ut

℞. *Aceti acerrimi lib. ß.*
Oximell. scyllitici ℥. iij.
Salis ℥. ß.
Ung. Ægyptiaci ℥. j.
M. f. lotio.

Verùm nos acetum repudiamus in hoc morbo ob rationes suprà notatas, & unguentum Ægyptiacum

tiacum propter viride æs omninò damnamus; affectam enim partem livore inficit, qui non tantùm patienti, verùm etiam adstantibus, & chirurgo metum incutit. Hujusmodi lotione adhùc calidâ utuntur, & potissimum si frigidum fuerit anni tempus.

Post lotionem prædictam consulunt, medicamentum aliquod imponatur absumendi putredinem vim habens, aut saltèm ejusdem inhibendæ; ad hunc usum utuntur pulveribus *Chalcanti usti, præcipitati rubri, viridis æris, & aluminis rochæ usti* simul unitis, quibus universam replent particulam, desuper imponentes filamenta sicca, vel unguento Ægyptiaco allinita. Circumstantes particulas proximas loco laboranti hoc cataplasmate defendunt, ut

℞. *farinæ lupinor.*
Oribi,
Fabar. &
Lentium ana ℥. jß.
Bulliant in aquâ maris, vel in lixivio barbitonsorum addendo
Salis comm. ℥. ß.
Oximel. scyllitic. ℥. iij.
Sapæ ℥. ij.
M. f. cataplasma.

Post vigintiquatuor horas si in parte affectâ inveniatur inducta crusta, eaque dura, & valida, ac fortiter adhærens, tunc medicamentis relaxantibus ejus casus procurandus est; tunc enim argumentum est gangrænam, & putredinem jàm esse evictam: Si autem vel crusta inducta non fuerit, vel mollis omninò, quia tunc argumentum est nec putredinem desiisse, nec evictam fuisse gangrænam, tunc ad majora confugiunt præsidia, & hanc ob causam vel pulveribus prædictis mercuriis sublimati pulverem addunt ad paucam, sed congruam dosim, vel infrà descriptis utuntur pulveribus, quibus tanquàm arcanis nonnulli utuntur, ut

℞. *Arsenici crystallini* ℥. jß.
Realgaris ℥. iij.
Terantur supra lapidem marmoreum, desuper inspergendo nonnullas vini generosi guttas, ut ad unguenti formam perducantur, postèà siccentur, & in pulverem subtilissimum redigantur, & serventur ad usum.

Verùm hoc medicamenti genus est periculo plenum; est nàmque venenatum, & potenter suo sulphure inflammabili, & sale causticò penetrat, cujus virus (licèt defensiva adhibeantur) calorem suffocat, carnem corrumpit, sanguinem inflammat, & cordis arcem petit, ac proindè nos multoties observavimus à causticis non satis prudenter adhibitis gangrænas exortas fuisse.

Deligant partem affectam post vigintiquatur horas, & crusta in eâ inducta suppurantibus, & humectantibus, ut decidat, procurant, & in usu habent *butyrum recens, sive mantecam*, illudque undequàque supra inductam escharam lenientes, desuper *lactuca, vel indiviæ folia* ponunt, & id bis in die repetunt, ut mollior reddita facilè, & decidat.

Decisâ escharâ, si subtùs puram inspiciunt carnem, & ulcus non fuerit sordidum, cicatrizantibus

ad

ad sanitatem ducunt; si verò ulcus cavum remanserit, cavitatem sarcoticis implent pulveribus, ut sunt *pulveres mastiches, thuris, sarcocollæ sanguinis draconis &c.* postmodùm cicatrizant *unguento de tutiâ plumbo, lithargyrio &c.* Si caro aliquali sorditie imbuta inspiciatur, utuntur unguento mundificativo, ut est *unguentum apostolorum, vel aureum cum præcipitati pulvere admistum in congruâ dozi.*

In iphacelo autem, quia nulla supereit salutis fiducia, proximas sanas tuentur partes, totius sphacelati membri incisionem, & abscissionem moliuntur. Verùm in rectâ hujus præsidii administratione plures salutares attenduntur animadversiones, ne ægrum in actuali operatione miserum in modum deficere, animamque efflare contingat, ut non rarò accidit.

Prima ut corpus sit optimè purgatum.

Secunda, ut validas obtineat vires, quibus non constantibus, nequaquam ad hoc præsidii genus confugiat chirurgus, ne postmodùm homicidiarii nomen mereatur.

Tertia, ut æger intrepido, ac forti animo sit dotatus, adeò ut à chirurgo proximè imminentis lethimonitus, valido animo ad opus prædictum deveniat.

Quarta, ut idoneo in loco locetur æger, & à validis ministris convenienti loco alligetur, ne membrum affectum in sectione vac illet.

Quinta, ne in articulis, aut parùm suprà sectio instituatur, sed saltim quatuor digitorum spatio ab articulis administretur.

Sexta, ut idonea parentur instrumenta, quibus exactè positis, chirurgus sectionem aggrediatur, priùs tamen ad sensum obstupefaciendum opiata exhiberi debere consulunt, hujusmodi sunt *Theriaca novella, Tripherà magna, Requies Nicolai, Philonium Romanum, quorum dosim ad ʒ j. cum syrupo de papavere* propinant, sed debilia præsidia hæc ad sensum obstupefaciendum pro tantâ carnificinâ, & priùs cibo, & potu roborato, operationem aggrediuntur, sed priùs caro, & cutis sanæ partis quantùm fieri poterit, sursùm ad superiora retranatur. Postmodùm quinque, aut sex digitorum spatio supra ægram partem, sanam fortiter vinciunt, & alligant, ut vasa adstringantur, & quantùm fieri poterit, sanguinis fluxus inhibeatur. Hinc ad sectionem deveniunt, & aliquid de parte sanâ apprehendunt; quapropter novaculis benè incidentibus per spatium semi digiti à sanâ particulâ distantis priùs corruptam carnem ab osse separant, & deindè os ipsum à suo proprio periostio denudant, & ad sanguinis fluxum evitandum prædictis labiis gossypium aquâ rosaceâ, & aceto rosaceo madefactum imponunt. Postmodùm ignitis instrumentis corruptam carnem à sanâ particulâ derelictam absumunt, & cauterizant, cujus terminus erit cùm sanguis ampliùs non fluxerit & æger dolore infestabitur. Hinc acutissimâ serrâ os secant, & incidunt, ac postmodùm denuò

ignitis

ignitis instrumentis ossis prædicti labia, & extremitates cauterizant. Advertunt tamen, ne medulla intra os contenta igniatur, quia illicò os sanum inflammaretur. Post ejus sectionem parti ipsi stuppatam applicant, & infra scriptos adjiciunt pulveres:

℞. *Calchanti usti*,
Sarcocollæ,
Aloës,
Boli armeni ana ℥. ij.
Thuris,
Mastiches ana ℥. j.
M. & f. omnium pulvis.

Deindè accipiantur albumina ovorum ad sufficientiam, & cum prædictis pulveribus f. stuppata.

Vincula, & ligaturas suprà dissolvunt, & carnem, & cutem ad inferiora retrahunt, ut os ipsum vel in totum, vel saltim majori ex parte tegant, & tueantur. Sequenti die stuppatam prædictam removent, & escharæ casum procurant butyro &c. Si os medullosum fuerit, in medullæ loco sicca adhibent filamenta, ne ipsa medulla computrescat. Post escharæ casum ossi ipsi *unguento de Gummi elami* medentur, deindè incarnant, & cicatrizant juxta necessitatem.

Gangrænæ curationem specialiùs pro causis procatharticis perficiemus.

Primò à nimiâ perfrigeratione, si pars refrigerata sit, ita tamen ut gangrænæ tantùm suspicio timeatur, & non dùm præsens sit, neque dùm pars livida sit, & frigida, sed potius rubor sit, in parte, dolorque vehemens, & urens: tùm æger circa ignem illicò non collocetur, nec igni admoveatur ad congelationem tollendam, & ratio est, quia repentini irradiatio ignis particulas volatiles restantes penitùs expellit, undè maxima confusio, & partium textura planè tolleretur, quod experientiâ constat; id enim videmus in pomis congelatis, quæ si igni admoveantur, statim putrescunt. Sic quoque quotidiè in nobismet observamus, quandò digiti nostri à frigore immobiles facti, si statim igni admoventur, indè est, ac si mille aciculis pungantur, sensum præbent; è longinquo ità que collocetur, ut sensim calor parti restituatur. Quinimò modò membra planè frigore non rigeant, ut nullus sanguis amplius subsit, priùs aquâ frigidâ niveâ, vel ipsâ nive fricentur, ut calor ab internis partibus fortiùs ad exteriores se extricet, verùm hoc aliis paradoxum videtur, sed si ritè rem perpendamus, ratio id nobis persuadebit, cùm curatio tantùm hoc modo inchoëtur, sed non perficiatur, sensim enim succi coagulati resolvi debent, & ad pristinam mistionem redigi, & hoc optimè perficitur ope aquæ frigidæ, vel nivis frictione, ratio est, quia per partem congelatam aquæ impositam plus materiæ subtilis perfluit, quàm per congelatas, & nimis strictè compressas particulas, per quam materiam subtilem particulæ iterùm fluidiores redduntur, quæ in parte affectâ fixæ fuerant, frictio quoque cum nive eapropter juvat, quoniam ipsis in manibus nostris liquescit, & hinc

hinc amicabilis fit particularum congelatarum resolutio; adde, & quod commotione istâ reliquos quoque succos stagnantes ad motum incitat, postmodùm succi inspissati calore fortiori dissolvendi sunt, ut

℞. *Rad. angelicæ,*
Galang. ana ℥. ß.
Raparum,
Bryon. ana ℥. ij.
Herb. ruiæ,
Scordii,
Roris marini
Absynth.
Nicotianæ ana m. ij.
Sem. cumini,
Urticæ,
℈ *Erucæ ana* ℥. j.
Piper. long. ℥. vj.
Salis armoniac. &
Salis tart. ana ℥. jß.

Coque in unâ parte vini generosi, & duabus partibus urinæ, & benè cocta adde

Spiritûs vini lib. ß.

Et membrum congelatum calidè immittatur, & deindè sequenti:

℞. *spiritûs vin.* ℥. vi. *in quo diss.*
Camphoræ ℥. i, ß.

Membra fricentur. Si congelatus sit æger, in ventre equino, ut chymici loquuntur, collocari debet. Præter externa, interna quoque interponenda sunt, ut *Hippocras vel vinum, in quo cinnamomum, caryophyll. Zingib. & similia aromata ebullierint, clauso tamen vase, vel calido in vino theriaca, vel Mithridatium* exhibeatur. Si dolor, & frigus se remiserint, æger in lecto collocetur, sudorque provocetur sequenti, ut

℞. *Vini generosi* ℥. ij.
Spiritûs C. C. ℥. ß. *m.*

Vel in eodem vino m.

Elixiris vitæ ℥. ij.

Secundò, à calore nimio si gignatur gangræna, frigida instituatur diæta, calidis humoribus attemperatis, & depletis; si malum causam agnoscat externam, membrum affectum lapidis medicamentosi infusione fovendum est, quòd si ulteriùs serpat, abluto priùs refrigerantium decocto, imponenda sunt, quæ pluries præscripsimus.

Tertiò, ex succi nutritii defectu, quæ oritur gangræna, cùm quasi ipsa pars vitâ privetur à nutrimenti plenario defectu, vix curatio supereſt, ne ægros planè sine auxilio deseramus, alimenta euchyma exhibeantur, & interim propinanda est *Aqua Magnanimitatis*, & ad ipsam partem gangræna affectam omni conatu alimentum trahendum est. Pars affecta simul fricetur *oleo terebinthinæ, guajaci, succini, tinctura assæ fœtidæ, spiritu lumbricorum*, quæ omnia inspissatos, congrumatosque succos attenuant, Nec relinquenda sunt, quæ succos crassos fluidiores reddunt, ut decoctum *ex radice chinæ, salsæparillæ, galangæ, zedoariæ, macis, croci, nasturtii, sem. anisor. salis tart. armoniaci in vino generoso*, cujus pro libitu bis, vel ter in die tres uncias assumat æger. Defensiva in hoc casu maximam inferunt noxam, quia sanguinis, & spiritibus aditum præcludunt, ne ad partem fluant affectam. Junctiones tamen *ex oleo amygdal. dulc. viol. oli-*

varum,

varum, lumbric. scorpion. axung. human. viperin. ursi, gall. &c. etiam ad humectandum fieri possunt, at fugienda sunt, quæ corpus exsiccant. Si gangræna ulteriùs processerit, pars scarificanda est, & ea medicamenta, quæ recensuimus, apponenda sunt.

Verùm si ex sanguinis, & spirituum interceptione gangræna accidat, sit quæcumque causa, quæ sanguinem, & spiritus intercipit, ea statim auferenda, ut si ab arctâ ligaturâ sit illa interceptio, illa laxanda, & postmodùm ad succos stagnantes, & corruptos, fluidiores, & volatiliores reddendos, præter sudorifica, in parte affectâ cataplasma aromatica conducunt, & reliqua spirituosa, sæpiùs jam dicta, imponantur, attamen calida. Si gangræna invaluerit, locum scarificamus, & reliqua, quæ in gangrænâ requiruntur, agenda censemus. Si adstringens, vel repellens medicamentum sit gangrænæ causa, illo remoto, frictionibus, & inunctionibus calor revocetur. Ità & gangræna ab aliis causis spiritus intercipientibus excitata, tractanda est.

Quartò, si gangræna ex veneno oriatur extrinsecùs allato, vel ex animalis morsu, vel ictu, tunc imprimis sudorifica, quæ stagnantes succos attenuant, fluidiores reddunt, acidum corrumpens temperant, absumunt, emendant, & obtundunt, ac venenum extrahunt, usurpanda sunt, & defensiva, ne venenum in partes interiores, nobilesque se propaget, in actum veniant. Ratione veneni sit sequens mistura:

℞. *Aq. rutæ capriæ* ℥. iv.
Theriacalis ℥. j.
Elixiris vitæ ℥ ij.
Spiritus c. c. &
Salis volatil. ejusdem c. c. ana ℥ ß.
Camphoræ gr. v.
Diascordii ℈. j. ß.
M. f. mistura.

& singulis horis sumat æger cochlearia duo, donec sudor erumpat, & ea sumat medicamenta, quæ in febribus malignis, & peste usurpantur, & quæ in nostrâ *Trutinâ* fusiùs notavimus; verùm necesse est cognitum haberi venenum, ut specialim naturæ veneni alexipharmacum exhibeatur. Calidissimè externè parti affectæ cataplasma applicetur *ex herbis rutæ, scordii cum aloë, myrrhâ, camphorâ, theriacâ, ol. nuc. mosch. &c. cum vino generoso, & urinâ fiat cataplasma.* Proderit demorsam partem ablui *aquâ theriacali cum spiritu vini, aquâ calcis vivæ, spiritu vini camphorato.* Item conveniunt ea omnia, quæ *Tertio Tomo cap. 28. De Vulneribus ex venenato morsu inflictis* descripsimus.

Si ex humorum malignorum affluxu, ut dicunt, aut venenatâ qualitate in nostro corpore genitâ ortum ducat gangræna, phlebotomiam, & catharticum execramur, & anathematizamus, tanquàm ipso veneno nocentius. Hæc duo præsidia vulgaribus medicis tanquàm per fideicommissum à Galeno tradita repudiamus. *Malignitas, & venenum neque phlebotomiâ, neque purgante medicamento exturbatur,*

tur, sed tantum alexipharmacis ab interioribus ad exteriora propulsanda est, ut in malignis febribus facere consuevimus, & ferè talem instituimus curationem. Vulgaria sunt *tormentilla, contrherba or. scorsoneria, scordium, ruta capraria, &c. &c. aqua theriacalis cum spiritu vini, Mithridatium, elect. de bacc. juniperi, unicornu &c.* Sed utinàm hæc tanto mormo prodesse possent, sicut à vulgaribus decantantur. Summopere prodesse observavimus *Diascordium, stibium diaphoreticum, benzoartica ex mineralibus desumpta, mercurium diaphoreticum, theriacam de mumiâ &c.* His, aliisque medicamentis danda est opera, & sudor, vel saltim insensilis transporatio proritetur, ut venenum expellatur, non omissis topicis.

In generali gangrænæ curatione à quacumque causâ ortæ ad eum finem collimamus, ut ante omnia sal acre, & lixiviale à causis occasionalibus in causticam, & & realgarinam naturam exaltatum obtundatur, cicuretur, immutetur, & superetur; Secundò, ut tubulorum obstructio tollatur, & stagnantibus succis liberior concedatur transitus, & motus progressivus, utramque complent paginam, ea medicamenta, quæ æqualiter per totam vitam propriam vim diffundunt, nàm vis mortificans celeriter agit, & nisi eam vis resistens celeriter deprimat, inutilis erit, hujusmodi sunt primi ordinis diaphoretica, cardiaca, absorbentia, spirituosa, balsamica, oleosa, salia volatilia, quæcumque, & simul aromatica facta, quæ vim quandam fermentalem statim ex ipsis in vim diffundunt; quòd si hæc deficiant, ad anodyna recurrendum est, quæ statim vitam sopiunt, ità ut mortificans venenum non sentiat, usque dùm per sectica illud immutatur, & hæc erunt *theriaca recens, pilul. de cynogloss. confect. Nepenth.*

Externè in gangrænâ commendamus, si ea superficialis sit, *aquam calcis vivæ, vel lixivium forte*; Si profunda, ad faciliorem penetrationem, scarificationem ad partem sanam usque admittimus, hæc nàmque lixivialia, & alkalia sunt, omne acidum & corruptione resultans combibunt, & moriatur; necesse est, vel uti possumus pro partis scarificatæ lotione *unguento Ægyptiaco magistrali in vini spiritu dissoluto.*

Sed efficacior, & promptior est sequens liquor paratu facilior:

℞. *Sp. V. omni phlegm. depurat. lib. ß. Merc. meteoriz. pulv.* ℥. j. *simul m. & super calidos cineres fove, ut fiat mercurii meteorizati solutio.* Credibile non est, quantùm hic liquor celeri motu penetret, & mortificativum fermentum immutet.

Si pulveres loco conveniant, sequentibus utimur:

℞. *Merc. meteorizati com. q. s. F. pulvis.*

& eo partem mortificatam aspergere; nullius pulveris sectici actio celeritate mercurium meteorizatum vincet. Singulari quoque privilegio gaudet mercurii meteorizati pulvis, nàm lithargyrii admistione miùs asper, & blandior reddi

reddi potest pro medici arbitrio, si *accipiatur lithargyrii aurei subtilissimè pulverisati* ʒ. x. *mercurii meteorizati pulveris* ʒ. j.

Quandòque pars mortificata mollis non est, sed duritiem quandam callosam habere solet, tunc mercurio præcipitato utimur albo, vel incarnato, qui quia fixior est, efficacius in illam callositatem aget, ex eo quia non adeò faciliter effluit.

Magnæ energiæ in gangræna erit lapis infernalis nostræ descriptionis, ut

℞. *Lixivii saponarior.* ʒ. xii.
Salis armoniaci ʒ. j.
Vitrioli Rom. ʒ. ij. ß.
Opii Thebaici ʒ. ß.

Coque s. a. in lapidem, quem in vase vitreo optimè clauso serva. Si hæc simul infundantur per trium dierum spatium, & sæpè agitentur, post duarum partium evaporationem ex tribus, factâ colaturâ insignem habebis liquorem causticum, non solùm in gangrænâ pretiosum, verùm etiam ad quemcumque tumorem aperiendum.

Si verò in fieri sit mortificatio, neque omninò sensus in parte defecerit, tunc minori sectico chirurgus uti debet, quo potiùs mortificans virus extinguat, quàm escharam causet, id obtinebit, si relictis liquoribus, & pulveribus secticis, unguento utatur, quod propter unctuositatem non sinit, ut pulveres sectici, quos continet, magno cum impetu agant, sed remissè, ac blandè. Unguenta sectica ità paratis:

℞. *Cera novæ* ʒ. ij.
Terebinth. &
Ol. com. ana ʒ. j.

liquescant simul in tigillo, & dùm fluunt injice

Merc. meteorizati, vel
Præcipitati ʒ. ß.

m. benè cum spatulâ ligneâ, & ab igne remove, semperque spatulâ agitabis, usque dùm omninò materia refrigerit, tunc serva unguentum, quod admirabile est in omnibus ulceribus, in quibus ob putrilaginem, obtusus, aut nullus habetur in superficie sensus. Verùm hoc unguentum efficacissimum in usum revocavimus admistione mercurii præcipitati citrini ad ʒ. ß. quem ità paramus:

℞. *Aquæ calc. viv. lib.* iij.
Merc. meteoriz. subtil. pulv. ʒ. j. *in quam iniice mercurium, & brevi temporis spatio se præcipitabis in fundum, in pulverem citrinum, decanta, & mercurium exsicca.*

Adhibitis hujusmodi secticis, ut eschara producatur, & sanæ partes à secticorum acrimoniâ non lædantur, superponendum est liquoribus, pulveribus, vel unguentis secticis sequens emplastrum, quod nunquàm eventu felici in sistendâ gangrænâ medicum defraudabit:

℞. *Colophoniæ lib.* iij.
Myrr. puræ lib. ß.
4. gum. in acet. solut. ana ʒ. j. ß.
Fac. ut simul fluant in emplastrum, quod appositis secticis superpone, separabit enim brevi spatio mortificatum à vivo cum doloris remissione in parte sanâ, & præservatione ab accidentibus quæ secticis accidere solent.

An ignis actualis ad sistendam gangrænam conveniat? Certum est primò ignem actualem magnum terrorem infirmis incutere, & in morbis mortificativis patientis apprehensio magni timoris summi est detrimenti; vitam enim quatit, & mortificativo fermento non ità promptiùs obedit. Secundò, non æqualiter diffunditur vis ignis actualis, nàm ipsa partium humiditas, quæ igne liquescit, ignis activitati resistit. Tertiò, ichorem mortificativum fermentalem non solùm non sistit, ne serpat, sed illum mulcet, ut intimiùs penetret; cùm itàque ignis potentialis non solùm causet quicquid actualis causat, sed horrorem non incutit, æqualiter se diffundit, & mortificativum fermentum immutat, potentialem potiùs, quàm actualem ignem nos consulimus, ut quisque exerceat.

Nullam pro sphacelo curationem admittimus, quia pars totaliter emortua est; pro mortuo enim nullum habemus remedium, sed tantùm superest sepulchrum; quia à privatione ad habitum scilicet à morte ad vitam naturaliter non datur regressus, soli Deo hoc reservatum est, in cujus manu mors, & vita posita est. Unum tantùm chirurgus agere poterit, ut pars emortua à vivâ separetur, ne pars sana mortificetur. Si itàque gangræna in sphacelum transierit, ad extremum remedium confugiendum est, scilicet ad ferrum, vel ignem, juxtà illud *Ovid. lib. de remedio amoris*:

Ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignem.

pro aliquâ parte vivâ servandâ, sed crudele est remedium, quia crudele malum, nihil tamen interest, an tutum sit hoc remedium unicum; *satius est* cum *Celso Anceps remedium experiri, quàm nullum, melior est dubia spes, quàm desperata salus: satius est aliquam partem, quàm totum hominem perire, nec illa dura videtur curatio, cujus effectus est salutaris.* Omnes chirurgi, nemine excepto, priùs emortuam partem instrumento appropriato secant, deindè igne actuali eam tractant, & medicamentis appropriatis curant, in qua manuali operatione *Paulum Aginetam, & Actium* consulite. Verùm nostræ indicationi triplici modo, ferro scilicet, igne actuali, & igne potentiali satisfaciendum est, qui triplex modus adhibendus est à medico juxta mortificatæ partis necessitatem; etenim vel superficies emortuæ partis multùm distat à viventis superficie, ac tunc necesse est chirurgo ferro uti, quo id, quod emortuum est, resecet ad doloris usque sensum, ac tunc potentiali igne sectæ parti imposito, escharam inducere debet, quæ nisi inducatur, lethale signum erit. Hic ignis potentialis diversus pro loci applicationis exigentia multoties esse debet, nàm aliquandò ob situs dispositionem liquor causticus, aliquandò pulvis, & multoties unguentum conducit. Inter liquores,

res; qui sequitur, efficacissimus est:

℞. *Spumæ Venenatæ Duorum Draconum q. s.*

eâ asperge æqualiter partem mortificatam; nam illicò quicquid vivum non est, in fumum resolvitur, & mortificativum fermentum exterminat, ubi mortificatio celeri passu serpit, nullum erit hoc medicamine magis præsentaneum. Et nos ingenuè fateri possumus multos hoc remedio fuisse liberatos; nàm mirabiliter fixat, magnam escharam in parte generando: attamen advertendum magnum inferre dolorem, & inflammationem quandòque generare, undè monemus, ut non nisi magno in morbo, & gangrænâ ad sphacelum ruente applicetur, nàm symptomata prioribus pejora infert. Non tacendum tamen, quòd potest dulcius fieri hoc remedium, si rectificetur i. si denuò ponatur in cornutâ, & rursùs destilletur; derelinquit enim tantam acutiem per secundam destillationem, & sic suaviùs applicari potest.

CAP. XI.

De Erysipelate.

APud *Galenum de tumoribus p. n. cap.* 9. alius descriptus reperitur tumor, erysipelas à Græcis dictus; *Celsus* Latinè eodem usus est nomine, qui Celsum Latini non secuti sunt, hunc tumorem *ignem* appellavêre *Sacrum* ob ingentem caliditatem, & ignem; dictus fuit *Sacer*, i. *execrandus.* A nonnullis dictus fuit *ignis Sylvestris*, quasi efferatus ob fervoris ferociam.

Distinguunt hunc tumorem erysipelatosum cum Galeno ejus sectatores in exquisitum, ac purum, & non exquisitum, & impurum. Exquisitum erysipelas illud est, quod ex solâ bile, vel naturali, vel non naturali fieri autumant; non exquisitum verò, & illegitimum dicunt, quod ex bile non solâ, sed aliis admistâ humoribus originem ducit: undè erysipelas dicitur phlegmonodes, si sanguinem habeat admistum, œdematodes, si pituitam, & scirrhodes, si melancholiam, atque hæc est communis Galenistarum opinio.

Discriminatur erysipelas à phlegmone primò, quia phlegmon, seu inflammatio præter cutem subjectas quoque afficit particulas; erysipelas verò ferè solius est passio cutis. Secundò, in inflammatione color magis vergit ad rubrum; in erysipelate autem ad flavum. Tertiò, inflammatio est tumor durus, ac circumscriptus vergens ad acutum, ac propterea in uno membri loco collectus; erysipelas contrà, est tumor planus, & inæqualis, qui ferè totum obsidet membrum, quinimò inflammatio in eodem semper loco persistit, ac tardiùs augetur, nec locum mutat; erysipelas contrà, celerrimè incrementum sumit, assiduò serpit, variatque locum. Quartò, in erysipelate major percipitur fervor, ac incendium, quàm in inflammatione, adeò ut partes erysipelate obsessas quodammodò uri

perci-

percipiant ægrotantes. Denique erysipelas, si tangitur, color evanescere videtur, qui tamen, remotis digitis, illicò redit; quod tamen in inflammatione ob duritiem non accidit.

Æquali haud semper larvâ medici oculis se offert erysipelas, propterea certa de eo definitio assignari non potest, sed eas larvas, quibus utplurimùm se manifestare solet, describere conabimur: Quoties in aliquâ corporis superficie rubor cum obtuso, & profundo dolore apparuerit, & in acumen non attollitur, ut in abscessibus simplicibus calidis evenire solet, ac se ultrò per succedentem superficiem diffundit, eam æqualiter elevando, vehemensque rigor, dùm inceperit, apparuerit, vehemens sequatur febris cum siti, vigiliâ, aliisque hujus modi accidentibus, erysipelas in promptu esse dicas. Accidit aliquandò, ut color rubeus non sit, sed flavus, aliquandò pallidus, & aliquandò lividus. Multoties evenit, ut tota pars magno tumore, sed æquali, non autem acuminato excrescat, & cutis in superficie ichore quodam madescat, qui veluti vesiculas causat. Accidit interdùm, ut vix tumescens pars videatur, sicca permaneat, & furfurem quendam producat. Evenit quandoque, ut ad certos serpat limites, & aliquandò, nisi sistatur, ut per totam se diffundat corporis superficiem. Aliquandò symptomata levia, aliquandò vehementia causat. Multoties celerem inducit mortificationem, utpluriùm recidivus est morbus, sæpè enecat ex virulentiâ, sæpissimè ex medicorum ignorantiâ.

Signa.

Erysipelatis signa haud difficilia sunt ex dictis, nàm ingens rigor ægrum quatit, quem vehemens sequitur febris, sitis, oris amarities, vigilia, aliaque symptomata. Postmodùm in aliquâ corporis superficie rubor ad flavedinem tendens cum obtuso dolore appareat cum tumore plano, & æquali, nec aliquo circumscripto loco, sed ultrò per succedentem superficiem serpens. Si digitis prematur, color evanescit, quibus ablatis, illicò revertitur.

Causæ.

Quoties ab absoluto humore bilioso vel naturali, vel non naturalie erysipelas producitur, id legitimum, & exquisitum tantùm appellant vulgares; *Galenus* verò ex tenuissimo, ferventique sanguine, aut huic admistâ bile erysipelas fieri dixit, & ex purâ bile herpetem potiùs produci, quàm erysipelas constanter asseruit. Declaravit quoque de *Tumoribus p. n. cap.* 10. hanc *Galeni* inconstantiam in tradendâ erysipelatis causâ materiali multis in locis, ut animadvertere poteritis *lib. de atrabile* 13. *meth. cap.* 1. & 14. *meth. cap.* 1. 2. 3. & 17. 2. *de diff. feb. cap.* 5. *lib. de ratione curandi per sang. miss. cap.* 8. 2. *de compos. med. secundum loca cap.* 1. 2. *de crisibus cap.* 12. & in sexcentis aliis, quorum locorum

corum conciliationes, qui in his vanitatibus terere tempus cupit, is legere potest apud *Ingrassiam in cap. 1. tractatûs primi de tumoribus.*

Cœterùm imaginatus fuit Galenus, & cum eo ejus sectatores quoscumque morbos à quatuor humoribus excitari, quorum conjecturâ deceptus rudem, & vulgarem efformavit medicinam. In erysipelate color flavus non est, nec pallidus, sed rubicundus, qui sanguinem potiùs, quàm bilem testatur. Insuper pletorici, & non bilioſi huic malo sunt obnoxii.

Immediatam erysipelatis causam ob alicujus partis corporis vitium à causis occasionalibus rimemur oportet, sunt hæ vulnera, contusiones, ulcera, fracturæ, tumores, ignis, vel solis calor, vel frigidorum ciborum, ac potulentorum abusus; hæc nàmque ultimi partium nutrimenti inter fibras cuti proximas post vitæ sustentationem, insensilem transporationem in carnis poris retardant, intercipiunt, nàm hoc si assiduâ transporatione non ventiletur, quod remanet, proximum partis nutrimentum inficit, ac proindè major fit ad partem congeries, fibrillæ magis anguſtiantur, obstruuntur. Hocidem ultimum nutrimentum à partium calore agitatum sub constipatâ cute degenerat, partes continentes irritat, fermentescit. Salinæ particulæ, quæ indesinenter à sanguine in hoc partium nutrimento degenerato volatilitate destitutæ, lymphæ consortio hærent, & sulphureæ nullo modo ampliùs à salinis temperatæ, & à mistione solutæ in extraordinariam temperiem evehuntur, & efferatæ evadunt, excandescunt, incendium adaugent, & nutrimentum partium vicinarum inter partium solidarum fibras contentum fit exoticum, & hostile, continentes fibras vitiat, in motu depravat, sanguinem exagitat, & in mistione conturbat. Sanguis circulans ad hos anguſtiores tubulos pervenit, quos præterfluens non tamen iù stagnat, quàm in inflammatione, sed cuticulæ magis appropriat, sit sacer ignis, idest execrandus, & maledictus, erysipelas nempè, & tumor igneus, & quia sanguinis mistio turbatur, erysipelas febris comitatur.

Color rubicundior in parte erysipelatâ apparet, quia sanguis non jàm diù remoratur, sed sub cuticulâ fluit, in inflammatione penitiùs latet, & stagnat; hinc est, quod digitorum pressione facilè exprimitur, & color albus sub digitis apparet, quibus remotis, eundem repetit locum, quia succi fluidiores sunt, & fibræ ab eodem irradiantur. Vel color rubicundior apparet, quia fibræ, & tubuli sunt mutati, & vitiati, undè lucis radii aliter reflectunt, defervescente verò humore, color ad flàvedinem vergit ob particulas sulphureas parti adhærentes.

Serpit de loco in locum, ignis fatui instar, erysipelas, quia particulæ volatiles, fluidæ, & lubricæ sunt, ac vel locum mutant, ac solutâ obstructione, & particulis

per insensilem transpirationem resolutis, disparet, at ubi vicinarum partium nutrimentum vitiavit, novum erysipelas gignit, & serpere videtur.

Oritur dolor à particulis sub cuticulâ coërcitis, & perpetuò agitatis, quæ motu suo spiculis urentibus cutis, cuticularum fibras impetunt, illas contrahunt, convellunt, distenduntque & dolorem acicularum pungentium excitant. Si verò has vellicant, & titillant, quia paucæ sunt particulæ, pruritus fit, ut contingit, cùm erysipelas resolvitur.

Tumor non altè in erysipelate elevatur, quia minor est humorum coacervatio, & stagnatio, ac major horum fluiditas.

Pulsus ab erysipelate abest, quòd minores tantummodò arteriarum tubuli, non verò earum majores trunci comprimuntur.

Contingit quandòque, ut quidam succi lutuosi, & viscidi tubulos sub cute obstruant, & erysipelati adjunguntur, & vulgares Galenici erysipelas œdematosum appellant.

Utplurimum particulæ acidosalinæ nimiùm agitatæ in cuticulam irruunt, eam distendunt, & in vesiculas elevant, elevatæ cuticulæ pori omninò anguştiantur, & illæ particulæ non exhalant, hinc vesiculæ turgent, ac disruptæ ichorem tenuissimum, aquæ lucidæ instar, aquam causticam æmulantur, fundunt, qui sudore tenus insensibiliter evaporare debebat. Si particulæ illæ à continentibus partibus régi non possunt, pravam qualitatem scilicet erodentem, & sectícam à salibus adipiscuntur, quam natura superare nequit, tunc ulcus cancrosum, vel mortificatio in parte erysipelatâ succedit, & mors inevitabilis.

Prognosis.

Erysipelas ratò pernicioşus est affectus, & facilè recidivat, sæpè verò ex virulentiâ, & sæpissimè ex medicorum ignorantiâ enecat. Foràs vergens nihil mali denotat, sed potiùs fortem naturæ constitutionem, quæ illud per insensilem transpirationem resolvit; Si verò ab exterioribus ad interiora ejus materia pellatur, lethale, ut dicebat *Hip. aph. 25. sect. 6. Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, malum; ab interioribus autem ad exteriora, bonum.* Et 336. *sect. 2. co. Erysipelas verò foris quidèm extare, utile, intrò autem vergere, lethale; cujus quidèm rei indicium est cum robore evanescente, pectus gravatur, & agriùs spiritum trahit ager.* Periculosior est circa partes principes, vel nobiles, ut in facie, faucibus, & capite, vel pectore, & axillis, aut in abdomine, & inguinibus, aut in utero, ut ajebat *Hip. aph. 41. sect. 3. Si prægnanti fiat in utero erysipelas pernicioşum est.* Secùs autem in locis ignobilioribus, & à principibus remotis, ut potissimùm sunt crura, tibiæ, aut etiam brachia, & manus. Pernicioşum est erysipelas, si suppuretur, vel putrescat, ut habetur *aph. 20. sect. 7. Ab erysipelate putredo, & suppuratio malum.*

malum. Et eò magis pertimescendum est, si ossis nudatio contingat, ut *aph. 19. sect. 7. Ab ossis nudatione erysipelas malum.* Malum quoque cùm vulneri, ulceri, fracturæ, aut luxationi erysipelas se socium addit. Malum similiter, si magnam, acutamque annexam habeat febrem, quæ malignitatem sapiat, & exitiale, si in gangrænas terminet: secùs autem quod nulli, vel dumtaxat levi, vel exiguæ annectitur febri. Erysipelatis resolutio tunc planè portenditur, cùm æger partem erysipelatam magno scalpendi desiderio tenetur, sentitque in parte veluti formicas gradientes, & vix manus continere potest, vel color in ordinarium mutatur, vel cùm cuticula in squamas fatiscit.

Curatio.

Curandi erysipelas ratio apud medicorum turbam tumultuaria est, & causis non benè congruens; sanguinem multoties mittunt, cùm vitium in sanguine intra venas existente minimè supponant. Refrigerantibus, & repercutientibus utuntur in parte vitiatâ fovendâ, cùm bilem erysipelatis causam imaginentur, quæ evacuatione, non autem refrigeratione indiget, illamque frigidis intùs remeare urgent, ut inquit *Hip. aph. 23. sect. 5. Frigida erysipelas non ulceratum juvant*, quem omnes medicinæ periti execrantur. Victu tenui absque vino utuntur, cùm biliosis affectibus talis non quadret, & corpus refrigerare tentant, cùm quicquid mali intùs lateat, extra per rarefactionem expellere deberent.

Ubi magnum fuerit erysipelas, & periculosum, illicò sanguinem mittunt, nec illis obstat *Gal. eodem 2. ad Glauc. cap. 2. & 13. meth. cap. 3.* in his enim locis non damnat Gal. venæ sectionem tanquàm noxiam, sed inquit *non semper esse necessariam*, quam doctrinam intelligunt pro levioribus, & parvis erysipelatibus, non autem in magnis, ut dicunt. Quòd si erysipelas fuerit phlegmonosum, non solùm semel, sed etiam pluries sanguinem mittunt. Locus sanguinem mittendi brachia sunt, quoties inferna loca erysipelas infestat; secùs verò ex pedibus in partium supernarum erysipelate; & hoc revulsionis gratiâ, & derivationis fine ex locis vicinioribus. Cum venæ sectione comprehendunt alia præsidia, frictiones, cucurbitulas &c.

Medicamentum purgans convenire fatentur, & hoc admittit Gal. isdem locis citatis, in quibus phlebotomiam non esse necessariam inquit, admittit tamen medicamenti purgantis usum. Hoc medicamentum debere esse bilem purgans nulli est dubium, tamen de lenientium genere; quapropter non admittunt medicamenta valida, vel quæ corpus calfacere possunt, qualia sunt *scamonium, colocynthis, pilula &c.* Commendant autem *Mannam, cassiam syr. ros. solut. de Cichor. Nic. diaprunum lenitivum, express. conservar. &c.* At si erysipelas non fuerit exquisitum, sed œdematosum, vel scirrhosum, in his casibus cum me-

dicamentis bilem purgantibus ea, quæ pituitam, vel melancholicos succos adhuc allicere valent, admiscent, hujusmodi sunt *sena, agaricus, diacatholicon, confectio Hamech, syr. Domini Augustini, & de fumar. mai.* Verùm errant hardi Galenistæ cum Galeno; fit nàmque purgantium ope motus contrarius, & erysipelas ab extrà intrà remearet.

Cœterùm, quia duo maximoperè in erysipelate urgent, calor scilicèt & plurimum incendium, hæc præsidiis refrigerantibus, & humectantibus temperant. Communiter in parte usurpant *oleum rosaceum, violaceum, lac, vitis folia, plantaginis, endiviæ, lactucæ &c.* At si erysipelas non fuerit exquisitum, sed vel œdematosum, vel scirrhosum, tunc mistam instituunt curationem, partim verò ex œdemate, vel scirrho.

Ut citò, tutò, & jucundè, ut bonum decet medicum, erysipelas curare possimus, quod morbus est, qui frequenter in opere chirurgico accidit, sumenda est indicatio primò à pororum cutis apertione, ut patentes fiant, adhoc ut erysipelatis materia foràs emergat, non autem introvertatur. Secundò, ut si vitium aliquod in parte præcesserit, undè erysipelati fortassè fuit occasio, corrigatur, & auferatur. Tertiò, ut spirituum furor, & excandescentia sedetur, & remittatur.

Ut ei, quod primò indicatum est, satisfaciamus, necesse est, ut ægrum erysipelate affectum in calido detineamus loco, vel saltim non frigido, ne à vento, vel ab aëre frigido cutis magis densetur; deindè temperatus victus, non autem refrigerans est ægro adhibendus, qui potiùs crassus sit, quàm tenuis. Iymphatum vinum exhibendum est in quo si *alkali cancrorum fluviatilium* infundatur, salubertimum erit, vel si æger vinum non bibat, utatur *decocto cornu cervi.* Si æger fastidiosam patiatur vigiliam, vel *theriacâ recenti, vel pilulis de cynoglossâ, vel Nepenthe* uti debet; anodyna enim & morbo, & symptomati suffragantur. In erysipelate omninò à refrigerantibus cavendum est, in parte scilicèt in qua erysipelas apparuerit, non enim quia affectui non convenirent, sed quia pertinaciorem redderent causam, ut in sexcentis locis notat *Galenus*, ac præcipuè in libello quos, & quandò purgare oportet, ubi purgantia alioquin calida in febrium curatione consulit, non quia refrigerant, nàm potiùs calfaciunt, sed quia febris materiam evacuant. Medicis, qui refrigerantibus in erysipelatis curatione utuntur, duo inconvenientia occurrunt; primum est, quod erysipelatis materia à refrigerantibus repercussa, in internas, nobilioresque partes remeat; secundum, quod frequenter accidit, quòd cùm à refrigerantibus impediatur, materia non exhalat, fit pravæ qualitatis, & solidarum partium calorem suffocat, ac mortificationem, sive gangrænam inducit.

Eadem ratione indicata non est in erysipelate sanguinis missio

quæ

quæ non solùm bis, ter, & quater, sed ultrà in praxi à medicis vulgaribus cum infirmi discrimine celebratur; nàm materia erysipelatis intra venas non continetur, ac propterea sanguinis missione curari nequit. Corpus phlebotomiâ refrigeratur, fit debilius, & ad expellendum trans poros ineptius; fatemur ergò ingenuè nos observasse quamplures in erysipelate phlebotomatos periisse, contrà vero omnes, qui sanguinis missionem vitârunt, convaluisse vidimus.

Non solùm propterea, quæ refrigerant, erysipelati non convenire nostra docet praxis, sed quæ tenuium sunt partium, altiùs penetrant, & erysipelatis materiam resolvunt, esse validissima erysipelatis remedia pro comperto habemus, id quod adhuc à Galeno memoriæ proditum est de *emplastro Diachalciteos* 1. *de compositione pharmacor. per genera cap.* 14. *& de compos. med secundum loca lib.* 8. *cap.* 5. ubi ex *Asclepiade* pro erysipelatis curatione hoc describit emplastrum:

℞. *Ammoniaci*,
Thymiamatis lib. j.
Ceræ lib. j.
Rosacei lib. j.
Croci ℥. j.
Aceti q. s. f. massa.

Et ut alia loca prætream, legite 14. *meth. cap.* 3. ubi rem largiùs tractat.

Nostrâ verò ætate è spagyrico promptuario efficaciora, & paratu faciliora pro erysipelate emersêre remedia, quorum usu nobis erysipelas curare semper evenit; erysipelatis itàque incipientis ter, vel quater in die partem, in qua apparuerit, spiritu vini omni phlegmate destituto, & omninò cremabili irrora, id fiat per tres dies, nàm si erysipelatis materia fermentalis facta non est, eo spatio curatio perfecta est, & quartâ die febris omninò cessabit; vini enim spiritus partium spermaticarum, & continentium amicissimus est, earumque robur multùm adauget, & profundissimè penetrat, poros aperit, & erysipelatis materiam resolvit, ac siquis vini spiritûs usum exhorreat, ex eo quia calidus existimetur, hic sciat, quòd tantùm abest, ut vini spiritus excalfaciat, ut intensè refrigeret, quod experietur, si mediâ æstate vini spiritus totus cremabilis, sine ullo phlegmate super propriam carnem aspergatur, frigidiorem illam sentiet, quàm si à glacie tangeretur.

Verum ut ex fundamento hanc praxim quisque intelligat, sciendum est, quòd calor, qui in affectibus, quos calidos appellant vulgares, sentitur, non quidèm à materiâ producitur, sed à vitâ, quæ ab ipsâ materiâ concitata excandescit: curatio ergò in his affectibus erit materiam educere; quæ calorem provocat, & calor illico cessabit; cùm itàque degener nutrimentum, quod erysipelas causat, in carne sit detentum, eo resoluto à vini spiritu per pororum apertionem, cessat statim excitatus calor, cui doctrinæ suffragatur Galeni sententia in citato

libello; quos; & quandò purgare oportet, ac in ejus confirmationem hoc utere exemplo: Si spina in digiti carnem alioquin sanam infigatur, illicò excitatur in digito dolor, deindè pulsus durus, posteà calor exorbitans, cui color accensus, & tandèm inflammatio, & tumor succedunt. Curiosum est scire, à quo tot repræsentantur in digito scenæ, certè non à spinâ; nàm ipsa neque dolorem, neque ruborem, neque calorem, neque inflammationem in se habet, sed his omnibus indifferens est: ergò si ea accidentia à spinâ efficienter, & effectivè non producantur, vitam nàmque digiti à spinâ stimulatam ea producere necesse est. Ac si ulteriùs curiosus interroges, an per refrigerantium applicationem calor, color, dolor, tumor, & inflammatio à digito tollatur? Ab experientiâ disces, quòd non solùm ea accidentia à refrigerantium applicatione non cessabunt, sed alia deteriora, & pejora provenient; cessabunt sanè, & pars ab agitationibus quiescit, si spina infixa abstrahatur, nàm ea abstracta, vita à spinæ insolentiâ liberata furorem, iramque deponet, & digitus ad pristinam reducetur temperiem.

Finge nunc degener nutrimentum spinam esse, quod in aliquâ parte erysipelas excitet, & ex fundamento cognosces in erysipelate refrigerantia non solùm non convenire, sed esse necessarium, ut per medicamenta penetrantia, resolventia, & rarefacientia spina educatur. Est itàque vini spiritus remedium minimè empiricum pro erysipelatis curatione, sed certo, & vero curationis fundamento congruens, & genuino textûs *Galeni* intellectui *de tumoribus p. n. cap.* 2. in quo hæc habet: *suprà autem est etiam vobis dictum refrigeratis inflammationibus non semper evenire, ut subsideant, quia vi ingentis, & magnæ inflammationis, in qua compactus defluxus sit, licèt eam copiosius refrigeres, tumorem non tolles, sed lividam, frigidamque partem reddes, & affectum in scirrhum commutabis; at cùm non tùm impactus defluxus sit, tùm facillimè refrigerantibus, & adstringentibus tumor repellitur, præcipuè verò si sit exiguus, quòd si antè impactus tenaciter sit, nullum auxilium ab adstringentibus, & refrigerantibus admittit, sed evacuationem postulat.*

Prætereà si erysipelatis materia fermentalis effecta sit, scilicèt quòd quandam dispositionem sit nacta, qua in partes circumpositas suas diffundat qualitates, tunc vini spiritûs applicatione remittuntur symptomata, sed erysipelas perseverat, ac ultrò diffunditur, tunc vobis remedio utendum est, cujus applicatione materiæ fermentum figitur, immutatur, & ultrò non amplius serpit.

Ad hunc finem medicamen mirabile inventum est, cujus descriptio extat apud *Osvaldum Crollium*, dicitur *lapis medicamentosus*, seu *lapis salutis*; ad omnes enim cutis alterationes fermentales certum, & indubitatum est medicamentum, ac erysipelas præcipuè intra vigintiquatuor horarum spatium radicitùs

ditiùs curat. Descriptio apud *Crollium* hujus lapidis multis materialibus abundat, hîc itâque nos reformatum trademus receptum, & eo instituto, quo hîc Neapoli tàm nobili utimur medicamine felicissimo semper eventu:

℞. *Vitrioli com. lib.* j.
Salis nitri lib. ß.
Cerussæ,
Aluminis, ℥ *&*
Boli armeni ana ℥. iv.
Salis armoniaci ℥. ij.

Fiat omnium pulvis, cerussa, & bolus armenus in marmore lævigentur, mista ponantur in ollâ capaci, super addendo aceti acerrimi tantum, quantum per duos transversos digitos materiam superet, & lento igne coquantur, semper agitando cum spatulâ, usque dùm inspissari incipiat, & exsiccari, abstrahatur tunc ab igne, nàm materia in lapidem durescet.

℞. *Hujus lapidis* ℥. j. *reduc. in pulv. &*
In aquæ pluviæ, vel
Plantaginis lib. j.

injice, leni igne foveatur, ut calida aqua fiat, in hac aquâ lintea infunde, & super erysipelas impone, & sæpissimè ea renova, nàm sensim observabis erysipelatis locum naturalem acquirere statum.

At quid agendum iis, qui hoc medicamine carent, vel ob præparationis difficultatem, vel ob aliam causam, an aliquid substituere possint, quod notato lapidi æquivaleat? Sufficit sanè unicuique, ut *vulgare vitriolum* impromptu habeatur, nàm eo non secùs ac lapide medicamentoso erysipelate affectis prodesse potest; si enim vitriolum in aquâ pluviâ solvas, & linteis madefactis in solutione, ut suprà diximus, utaris, erysipelas citò, tutò, & jucundè sanabis.

Traditâ erysipelatis curatione, quæ à prohibitâ transpiratione propter pororum cutis obstructionem evenire solet, dicendum est de remediis, quæ erysipelati ab aliquo partis vitio excitato adhiberi debent. Vitium partis vel ex vulnere, vel ulcere, vel fistulâ, vel fontanellâ, vel aliquo tumore originem ducere potest; quod quoties à causâ internâ, vel externâ promoveatur, erysipelas producere potest, cùm id evenit, præsentaneum ibi erit remedium fodicationum emplastrum; eo enim vitiato loco adaptato, illicò vitium corriget, ac erysipelas cessabit, & si vicinis in partibus perseveraverit, utere lapide medicamentoso, vel vitriolo, nàm salutis eventu non defraudaberis.

Interim tàm in erysipelate ex pororum obstructione, quàm ex aliquo partis vitio non desint propinanda medicamenta, quæ diaphoretica dicuntur, ut pororum obstructio, & partis vitium corrigatur, hujusmodi erunt *stibium diaphoreticum, bezoarticum minerale, ebur, & c. c. phil. prap. ocul. cancr. c. volatile succini, c. c. &c. in* ℥. *vel aquâ cardui sancti.*

Superest, ut postremæ indicationi satisfaciamus, quæ desumitur à furore, & excandescentiâ spirituum partium continentium, in quibus erysipelas excitatum fuit, multoties enim spirituum furor sustratam illis materiam immutat,

mutat, & degenerem, virulentamque reddit, ac quamvis resolventibus remediis erysipelatis materia dissipetur, illa spirituum agitatio faciliter eam reproducit. Sedanda itàque vita in parte, & ejus spiritus placandi; propterea notare debemus, quod lapis medicamentosus, & vitrioli communis usus, adeò erysipelas curant, quia anodyna medicamenta sunt, spirituum furorem sedant, & morbum curant, quia materia non reproducitur, & antecedens abirritatione cessat; sulphur enim vitrioli anodynum est, ut alibi docuimus, propterea in lapidis medicamentosi defectu vitrioli solum opus complet.

At si nobili medicamine, omnique laude digno pro integrâ erysipelatis curatione uti velitis, eo vos non defraudabimus, est illud *Leporis sanguis*, qui ab eo educitur, postquàm à canibus in magnum est adorsus timorem; linteum enim in dicto sanguine infusum, ac deindè exsiccatum. Si aqueo rore madefacias, & erysipelati imponas infra vigintiquatuor horarum spatium erysipelas sine dubio cessabit, eundemque effectum talis sanguis producet, si exsiccatus ad mediæ drachmæ quantitatem propinetur in vino. Totum id efficit Leporinus sanguis, quia furorem, & vacuandam spirituum in erysipelatis loco sedat, & placat energiâ ideæ timoris à lepore in ejusmet sanguine impressâ, dùm à canibus urgebatur, quia pavidissimum est animal; hinc quisque discat, quòd omnium morborum sanatio potiùs in vitæ sedatione, quàm in causarum occasionalium eductione consistit.

Cap. XII.

De Herpete.

Dicitur herpes, Latinè serpigo, itèm ulcus serpiginosum, seu pustulæ serpiginosæ, significatque affectum exterius in cute serpentè, & unâ parte senescente, serpendo proximas apprehendit partes. Plerique ineptè herpetè pro erysipelate acceperunt, qua de causa Celsus herpetè sacri ignis nomine proposuisse videtur; verùm magnum inter utrumque intercedit discrimen, licèt aliqua inter utrumque sit affinitas, quia erysipelas derepentè oboritur, herpes verò sensim, & multâ temporis protractione, omnisque febrilis accessionis est expers: ubi contrà erysipelas perpetuò febrilem paroxysmum cum dolore, & ardore comitem continet, brevique soluitur, herpes verò tantum pruritum inducit, & longò pòst tempore sanatur. Verùm herpes morbus est in tumorum genere, & erysipelati quodammodò affinis, & saltim dùm erumpit, dolorem in parte, rigorem, febrem, sitim, & vigiliam causat, post verò eruptionem omnia feriare solent, licèt herpes perseveret.

Herpes vulgò duplex statuitur, unus miliaris, alter esthiomenus, seu exedens, seu ferus. Miliaris ille dicitur, qui summam exaspe-

rat

rat cutem, in qua exiguas producit pustulas prominentes milio semini non absimiles. Esthiomenus, ruptis pustulis, cutem exulcerat, & profundiùs hæret, sensim in latum, & profundum serpit, multoque tempore emergit, pustulas ostendit aridas. Undè alius dicitur siccus, qui nullum habet serum; alius humidus, qui plurimo irroratur sero; alius tandèm sordidus, qui serositatem graveolentem profundit.

Signa.

Herpes miliaris facilè cognoscitur, cùm sensibus pateat; est enim tumor latus sine omni ferè extuberantiâ, & pars vix attollitur, sed potiùs exasperari, quàm extuberare videtur. Adest præterea duricies quædam, & quidam quasi tustionis dolor, & sensus. Minutissimas producit pustulas in summâ cute granorum milii instar, quàm ob causam miliaris appellatur, quarum estò quædam sanescant, aliæ tamen denuò pullulant, & plerumque sanantur in medio, quæ postmodùm in proximis oriuntur particulis, & sic serpendo procedunt. Si pustulæ rumpantur, aliquid inter pus, & saniem, quasi medium effluit, locus ipse est rubicundus, coloremque & pallorem medium habet. Herpes tandèm esthiomenus, seu exedens cùm multa ulcera serpentia, prava, & foraminata apparent, quæ tamen ultra cutem non procedunt, coloremque ex rubro subnigrum habent. Nonnulli peràm herpetem miliarem, & esthiomenum sub formicæ nomine collocârunt, sed ignorantiâ decepti fuêre.

Causa.

Herpetis causam assignant Galenistæ flavam bilem citra alterius humoris admistionem secretam in parte aliquâ consistentem, si bilis crassior fuerit, magisque acris, & fera, totam cutem ad subjectam carnem usque exulcerat, & dicitur herpes esthiomenus. Si verò flava bilis tenuis, & minùs acris, ac calida fuerit, pustulas in cutis superficie excitat milio similes, & vocatur herpes miliaris. De herpete verba facit *Galenus lib. de Tumoribus p. n. cap.* 10. 2. *ad Glauc. cap.* 1. & 14. *Meth. cap.* 17. Verùm nec sibi constat, & in dictis citatis locis nullibi est conformis; materiam enim nunc bilem, nunc phlegma bili commistum in hujus affectûs causam adducit, & nunc morbi genus, nunc simplex morbus herpes apud illum habetur; quicumque verò Galenum secuti sunt, in ejusdem insulsitates impigêre circa causæ materialis assignationem.

Herpetis causa materialis eadem est cum erysipelatis causâ materiali, degener scilicet nutrimentum in partibus carnosis, eâ intercedente inter herpetem, & erysipelas differentiâ, scilicet quod in erysipelate ob partium continentium imbecillitatem, vel nimiam oppressionem tota materia versus cutem non fertur sed tan-

tùm pars illius, reliqua in ipsâ carnis substantiâ remanet, parteſque continentes oppreſſas retinet, ut integram sarcinam non transmittant ad cutem; in herpete verò vel robur partium, vel materiæ parvitas, vel qualitas, vel utrumque simul efficit, ut quicquid in carnis substantiâ degeneratum est; foràs in cutis superficiem sub cuticulâ erumpat, ob tenuitatem bullas excitet variolarum instar, subjectamque carnem omninò liberam, exoneratamque relinquat, & hæc est herpetis materia, ejusque genuinus fiendi modus.

Congruenter deindè à posteriori, & ab effectu triplicem herpetis cognoscimus speciem, quarum una est, in qua inconspicuæ ferè bullæ in cutem erumpunt, & in ulcus non degenerat, diciturque simplex herpes. Secunda est, in qua cutis conspicuis ferè bullis rubeis conspersa videtur, parumque ab erysipelate inflammato differre videtur, & hæc species herpetem miliarem constituit. Tertia denique est, in qua bullæ erumpunt, & in ulcus exedens transeunt, & hæc herpetis species dicitur esthiomena.

Accidunt hæ tres herpetis species à materiæ dispositionibus, à vi, & partium continentium robore. Herpetis materia est primaria nutrimentum degeneratum, & occasionales causæ sunt salinæ particulæ in sanguine luxuriantes, cùm sal, & ipsum sulphur uberiùs ab alimentis massæ sanguineæ suppeditantur, vel acidæ particulæ ob depravatam digestionem ipsi sanguini subministrantur; tunc hæ particulæ unà coëunt, & sanguini acido-salsam diathesin communicant. Circulant hæ unà cum sanguine, à lymphæ copiâ dilutæ, & assiduo motu atteruntur, comminuuntur, à sanguine secernuntur, & per poros exhalantur ubertim plùs in aliquibus partibus, quàm in aliis, ubi nutrimentum degeneratum inter fibras inveniunt; tunc si partium robur validum sit, & particulæ plurimâ lymphâ dissolutæ, & obtusæ sint, ad littus microcosmicum, nempè ad corporis superficiem, scilicèt ad cutem spumescunt, cuticulamque levi cum pruritu exasperant, & bullæ ferè inconspicuæ erumpunt, & simplex producitur herpes, seque ipsum exsiccat absque exulceratione, & multoties sine medicamento sanescit.

Si verò nutrimentum degeneratum, vel quantitate, vel particulis acido-salinis paucâ lymphæ quantitate imbutis partium continentium robori resistat, ità ut illud totum cum particulis ad cutem transmitti non possit, quia pars illa, quæ in carnis substantiâ remanet, naturæ efficaciam retundit, efficit, ut illa neque totam materiam abstergat, neque eminentes bullas supra cutem excitet, ac propterea erysipelas veluti inflammatum producit, cutis superficies impulsa eximitur, & minutissimis granulis illam commaculat, & affectus herpes miliaris dicitur. Si in lymphâ absumantur aquosæ particulæ pars tenacior in squamulas, seu crustas concrescit, & dicitur

herpes

herpes squamosus, & crustosus. Differunt tamen à crustis squamæ, cùm sint tenuiores, & in superficie exteriori siccatæ, à cute dissiliunt, quod in crustis non ità fieri solet. Sub crustis effusa lympha fermentescit, & particularum acutarum punctione in nervorum fibrillis pruritum, imò ardorem cum leviori erysipelate, & sæpè dolorem, & ustionis sensum excitat pro majori, vel minori particularum acredine.

Si tandem dùm materia resolvitur, & foràs cutem versus expellitur, fibras vellicat, & pruritum provocat, ad quem sedandum ægri cutem scalpunt, abradunt, ac canales aperti liquorem quendam, roris instar effundunt, qui particulis erodentibus præditus, si vicinam cutem, sanamque tetigerit, illicò in eâ herpetem excitabit, sic ultrà serpit, & exaltatur, donec tubercula cum foraminulis profundis proximè conjungantur, & hujusmodi herpes esthiomenus, sive exedens dicitur.

Prognosis.

Herpes simplex facilioris est curationis, nisi in miliarem, & deindè esthiomenum transit, qui magis tœdiosus, quàm pernicioſus est, & diuturnus, dummodò valdè exulceratus, & putris non sit, ac intempestivè adhibitis repellentibus, intrò in corpus non pellatur; tunc enim idem periculum, ac à repulso erysipelate sequitur. Si negligatur herpes esthiomenus, augeaturque, ut universum obsideat corpus, mortem infert.

Curatio.

Herpetem curant vulgares miliarem, & exedentem (relicto simplici, quia facilioris est curationis, & quandòque spontè sanatur) primò debito instituto victu ad tenuem, & frigidiorem inclinante; Secundò venæ sectionem celebrando, verùm hæc semper pernicioſa fuit; & corpus deplendo: inquiunt enim nisi corpus purgetur, nunquàm ægrum sanatum iri, sed in exedente non sufficit semel corpus purgare, undè reiteratas celebrant purgationes, tùm ad viscera, & corpus universum à pravis succis purganda, tùm etiam ad hepatis intemperiem, ex qua mali succi generantur, corrigendam. Summoperè ad hunc affectum persanandum syruporum magistralium usum commendant, & præsertim *de fumariâ majori*, valet quoque *Syr. de Cichor. Nicolai florentini*, & maximè ubi simplex biliosus succus affectum generare videbitur. Probant etiam *Seri lactis* usum, & maximè cum *epithymo* propinetur, quandò affectio ex adustis succis ortum habere videtur.

Cæterùm tàm phlebotomia, quàm medicamentum purgans in omni herpetis specie tanquàm noxia repudiamus; utrumque enim corpus refrigerat, & quod natura à centro ad corporis periphæriam evocare nititur; facto motu contrario, ad interiora detrudit, & idem ac ab erysipelate repulso emergit periculum.

Quantùm verò ad localia spectat in miliari herpete, ea adhibent medicamenta, quæ modicè refrigerant, & exsiccant, undè supra partem affectam *folia plantaginis, solani, lactucæ, sedum, portulacam, umbilicum Veneris, vitium capreola &c.* applicant. Alii lenimento utuntur ex *unguento rosaceo pluries loto cum succo plantaginis, solani, vel sambuci.* Verùm hæc semper infelici cum successu applicant: nàm licèt quandòque his adhibitis, pars sanescere videatur, tamen in alterâ iterùm erumpit, & hoc est minus malum, sed quod pejus perpetuò causa occasionalis frigidis ad interiora repercutitur, & febris, aliaque excitantur symptomata.

His vanidis non proficientibus hoc magistrali utuntur linimento, ut

℞. *Succ. plantag.*
Solani ana ℥. j.
Succ. lapatii ℥. ß.
Acet. ros. ℥. iij.
Fol. lapatii,
Ros. rub. incompl. ana p. ij.
Alum. rocc. ℥. j.

Bulliant omnia usque ad succorum, & acetì consumtionem, deindè terantur in mortario plumbeo, saltem per horam addendo postmodum

Litharg yrii aurei, &
Argentei, ac
Cerussæ ana ℥. ij.
Flor. æris loti ℥. ij.
Pulv. tutiæ præp.
Boli armeni, &
Hypocistidis ana ℥. j.
Adipis caprini ℥. j.
Ol. myrt. ℥. ij.
Ceræ ad suff.
M. f. Ung.

In herpete exedente ad valentiora confugiunt præsidia, cùm omne ulcus exsiccari desiderat, undè laudant primò ablutionem ex aquâ maris, quæ valentior efficitur, si componatur, ut

℞. *Aq. maris lib.* iij.
Sulphuris, &
Alum. usti ana ℥. ij.
Myrrhæ ℥. j. ß.
Malicorij.
Cortic. granator. &
Gallarum,
Cupressi ana ℥. ß.

Bulliant unicâ fere ebullitione, addendo vini austeri cyathum unum, & servetur ad usum. Qua ebullitione peractâ suprà dictum linimentum est adhibendum.

His parùm, vel nihil proficientibus, ut semper accidit, deveniunt ad usum *unguenti de plumbo, apostolorum, usque ad unguentum Ægyptiacum,* & quoniam nec his cedit affectio præcipitati pulvere, vel aliis pulveribus, quos capite de Gangrænâ, & sphacelo in vulgarium curatione retulimus, utuntur, & quia interdùm ulcuscula ob diuturnitatem callum contrahere solent, in his casibus prædicta cauterizant ulcuscula.

Prænotatæ tres herpetis species, tres quoque indicationes exhibent curativas; simplex enim herpes exigit, ut aqua in bullulis contenta educatur, ità ut in vicinam non effluat cutem, & ut bullularum locus consolidetur. Id obtinebitur, si cutis circum exortas bullulas *oleo rosaceo* irroretur,

&

& ceruſſâ in pulverem redactâ, deindè aſpergatur; pulvis enim ceruſſæ, cutem ſubjectam defendit, ut ſanies à bullulis effluens illam non lædat: locus deindè bullularum, ut citò exſiccetur, & morbi recidiva vitetur, *linteis in aquâ madefactis, in qua ſolutus ſit lapis medicamentoſus*, ſupra de eryſipelate deſcriptus, foveatur, nàm morbi curationem habebis, quam quoque præſtare poteſt *pulvis ceruſſæ, minii, cinci, lithargyrii, lapidis calaminaris, & ſal ſaturni lævigatiſſimus*, & aſperſus, ſed præ omnibus præſtat *Mercurius dulcis in pulverem redactus*; hi enim pulveres ſaniem imbibunt, & particularum ſpiculos obtundunt.

Herpes miliaris, eryſipelati valdè affinis, *lapide medicamentoſo, vitriolo communi, & ſanguine leporino* curatur, non ſecùs ac eryſipelas; at aliquis pandectarius, pragmaticus, & in formâ medicus, qui Galeni unquàm legit doctrinam, elato ſupercilio, rugoſâ fronte, ſardonico riſu, & veluti ex tripode, ni potiùs velis ex quadrupede, loqueretur, quæreretque, cur vini ſpiritûs uſum in herpete pro curatione non propoſuimus? Verùm reſipiſcat iſte talis, ſeque aſinum fateatur potiùs, quàm in homines latret: in eryſipelate vini ſpiritus convenit; quia materia in carne degenerata reſoluta non eſt, & ejus mole vis partium continentium oppreſſa manet; at in herpete materia reſoluta eſt, & in cutem tranſmiſſa, & vis interna continentium libera remanſit, propterea, vini ſpiritu non utimur in ejus curatione, ità philoſophandum, ità medendum, non autem in calore, & frigore inſaniendum.

Herpes tandèm eſthiomenus, quia cutem exulcerat, illam exedit, ac ſe ultrò diffundit, deſcriptis tantùm remediis non ſiſtitur, ſed exedentium particularum correctionem, & ſpiritûs irritati ſedationem exigit.

Primò opportunum eſt huic herpeti eſthiomeno, ut cutis ſana circa ipſum oleo, & ceruſſâ, ut ſuprà diximus, defendatur, quod ſuffragatur ad reſiſtendum externæ ſaniei effuſioni, ſed in hoc herpete eſthiomeno vis exedens eſt intrinſeca, & ſerpit per ipſoſmet cutis poros exedenti qualitate, alio remedio ſuccurrendum eſt. Primò ad id obtinendum ſpecificum, & infallibile eſt remedium *ranarum ſperma, vel ſperniolum*, ſperma copioſum menſe Aprilis circa ſtagna ante ſolis ortum colligitur, eo ſpermate ter, & quater in die aſperſo, herpes eſthiomenus curatur; eſt enim ſperma illud anodynum, & immutans ſaniei acredinem, ſi hoc non habeas, promptum remedium hoc aliud para efficaciſſimum:

℞. *Mucilag. de fœnugræco,*
Pſyllio, &
Cydoniis ana ℥. ß.
Maſtich. &
Camphor. pulveriſat. an. q. ſ. ex-
rum,

Ut mucilagines ad unguenti formam reducantur. Hoc utere pro hujus herpetis curatione, quòd ſi herpes chronicus factus ſit, & expan-

fus, utere hoc emplastro molli, & observabis curationis celeritatem:

℞. *Ol. lini lib. ß.*
Virid. æris pulv.
Ceræ novæ ana ℥. iij
Simul m. lento igne fove, ac superadde
Bdellii solut. & colat. ℥. j.

Hoc cerotum herpeti impone, & admiraberis eventum. Scias quoque, quòd *minii, cernssæ, croci Martis, litharg yrii, & cinci* pulveres herpetem sanant, vel summoperè juvant, verùm *sulphuris balsamus, vel Peruvianus* complementum absolvit.

Quòd si herpes esthiomenus debitis applicatis reluctetur remediis, & nimis exedens sit, ac antiquatus diaphoreticorum usum continuum, vel luis venereæ remedia expostulat; hæc nàmque salinarum, & acidarum particularum acrimoniam corrigunt, & per sua emunctoria exturbant. Quibus ritè præmissis, non inutilis erit curatio, undè *potiones ex salsâ parillâ, radice chinæ, guajaco, santalo citrino &c.* Vel *decocta, vel Aqua nostra Anti-Venerea* à nobis de Lue Venereâ descripta omnem absolvunt paginam. Interim pars affecta illinitur *unguento Pomato, vel de mucilaginibus, in quo dissolutus sit servus fugitivus, quo usque nullum granum compareat.* In istis nostris regionibus mirabile est *Balneum Gurgitelli, & Fontanæ in Insulâ Pithecusæ.*

Cap. XIII.

De Scirrho.

Scirrhus Græcè idem sonat, ac durities, & in materiâ medicâ idem ac tumor durus, undè apud *Gall. lib. de tumoribus p. n. cap. 9.* definitur scirrhus, quòd sit tumor naturæ modum excedens, dolore vacans, & durus. Apud quem duplex est, unus veluti incipiens, & non dùm confirmatus, & hic non omninò indolens, sed pressus aliquantulùm dolet; alter exquisitus, & confirmatus, qui omnis doloris, sensúsque penitùs est expers. Nos hanc distinctionem rejicimus, pro causæ enim & partis affectæ ratione saltèm differunt. Ulteriùs Gal. distinguit scirrhum in phlegmonodem, erysipelatodem, & œmatodem, quam nos tanquàm inutilem ab aulâ medicorum explodimus, cùm doctrina hæc humoristis sit relinquenda. Describi potest scirrhus, quòd sit tumor durus, renitens, & indolens, absque inflammatione, sensim in partibus mollioribus genitus, partes internas æquè, ac externas invadens.

Signa.

Scirrhi signa facillimè cognoscuntur, nàm est tumor durus, & renitens, ac dolore vacans, qui initio exurgit exiguus pisi, vel fabæ instar, & sensim augetur, modò lividus, modò pallidus juxta

juxta humorum stagnantium varietatem, & exindè enatam partium texturam, absque inflammatione, calore, & dolore apparet scirrhus, ex quo patet hujus tumoris succos non esse fermentescibiles, sed potiùs in ipsis particularum minimarum motum intestinum feriare, quòd nullus calor, nullusque dolor percipiatur. Sed qui ex medici imperitiâ è prægresso alio tumore in scirrhum degenerat, non crescit, sed totus tumor anteà mollis induratur per refrigerantia, & adstringentia, ut interdùm in erysipelate, & phlegmone contingit. Undè hic notamus, quòd si nunc *Galenus* viveret, contra nostræ ætatis medicos inveheret, qui indiscretè refrigerantibus utuntur; ait enim ad *Glauc. lib. 2. cap. 4. Crebriùs verò scirrhus medicorum imperitiâ paratur, dùm vehementer erysipelata, & inflammationes adstringunt, & refrigerant.* Plerùmque scirrhus in uno loco fixus manet, interdùm tamen priorem relinquit sedem, & aliò migrat.

Produci possunt scirrhi non solùm in partibus externis carnosis, sed etiam in internis visceribus, ut in hepate, liene, mesenterio, renibus, utero &c. in quibus eadem currit curationis ratio, scilicèt si omninò indolentes sunt, incurabiles sunt, siquem præsefetunt dolorem, curationem admittere possunt. Congruentiùs propterea erat, ut Galenus tumores duros, qui aliquo doloris sensu sunt præditi sub variâ specie, & non sub scirrhorum specie descripsisset, eò magis quia citato libro de tumoribus p. n. scirrhum definivit, quòd sit omnis dolore carens.

Causa.

Galenus ipse, & Galenistæ humorum quaternario insistentes, duplicem asserunt scirrhorum causam, materialem, lentam scilicèt siccamque pituitam, resolutis ejus partibus tenuioribus, atque humorem melancholicum, quibus etiam tertiam addunt mistionem, scilicèt utriusque humoris, cujus doctrinæ tanta est inconstantia, ut nec ipse *Galenus* in ipsâ sit constans; multis enim in locis, ac propterea *l. de simpl. med. facul. cap.* 8. negat melancholicum succum scirrhos causare posse, sed tantùm cancros, quicquid tamen sit de inutilibus quæstionibus, quas legere, qui vult, potest apud *Ingrassiam.*

Remotæ causæ, quas assignant sunt multiplices, nàm quandòque est inordinata mala victûs ratio, obstructio hepatis, lienis &c. Aliqua præcipue evacuatio menstrui, vel hæmorrhoidum suppressa, aliquandò medici curantis error vel insscitia, ut sæpissimè contingit, dùm aliquem curant tumorem, & ad leniendum forsan dolorem; qui infestat, refrigerantibus plus justo utuntur remediis, ex quibus duriores facti humores, ex illis geniti tumores in scirrhum degenerant, ut clarissimè est videre apud *Gal. 2. ad Glauc. cap. 4. in curatione filii Cercilii.*

Ab hac vulgari Galeni sententiâ dis-

dissentit *Felix Platerus*, & non ex humoribus excrementitiis, sed ex succo alimentario, verùm crassiori, quàm carni nutriendæ conveniat indurato scirrhum fieri statuit, cui tamen interdùm alius humor adjungitur. Quodammodò Platerus ad veritatem collimare videtur, quia à Galeni opinamento dissentit.

Hanc Plateri sententiam sic nos explicamus, quòd scilicet errore virtutis assimilatricis insita est, eveniunt; luxurians enim aliquandò insitus partium spiritus, quicquid illi transmittitur, ut adæquatè resolvat, non resolvit, sed subjectæ parti spermaticæ illud, & veluti glandulam ex eo efformat, undè est quòd cùm hoc durum productum sit de partis indole, in qua producitur, indolens omninò est, etiam tactu vehementi adhibito, neque nisi per accidens læsionem inducit, neque suppurationem, vel resolutionem patitur.

Fit scirrhus à glandularum obstructione; sunt enim glandulæ veluti filtra, cribra, & cernicula, per quas corporis succi filtrantur, & percolantur, ut lympha, succus alimentitius, & sanguis. Quoties hi succi sunt tenues sine resistentiâ per glandularum substantiam transeunt, nec quicquam damni in transitu patiuntur. Cæterùm si crassi, tenaces, & viscidi evadant, item si particulis terrestribus inquinentur, vel sale, ac sulphure crasso, & rigido turgescant per sua vasa testudineo gradu ad angustos glandularum ductus deferantur; partibus fluidioribus permeantibus, quia angustis glandularum poris se accomodant, relictæ particulæ crassiores, tenaciores, viscidiores, & præcipuè terrestriores sensim in glandularum tubulis stagnant, & remorari coguntur, eos angustiant absumtis particulis serosis, & volatilioribus à crassis, & terrestribus, posteriores in glandularum interstitiis poros in auras destruuntur, quæ continuâ aggestione adimplent, infarciunt, obturant, nec attenuari, aut comminui possunt, deindè glandularum fibræ, & membranæ per assiduam successionem dilatantur, & tenduntur, undè majus incrementum tumor subit, & quia neque glandulis assimilari, neque in earum substantiam migrare valent, ab acidâ terrestreitate coagulantur, arctiùs invicèm colligantur, & anaticâ compage indurantur, ac tumorem indolentem glandulæ non absimilem scirrhi nomine efformant. Eodem modo scirrhosi tumores in inflammatione, & erysipelate oriri solent post sinistram refrigerantium, & austerorum remediorum applicationem.

Hujusmodi succi crassi, tenaces, viscidi, austeri, terrestreitates salia, & sulphura crassa in corporis humani succis aggeruntur à causis remotis, nempè ex rebus non naturalibus per eràm à medicorum vulgò dictis, quæ huic tumori ansam præbent. Sic aër nimiùm æstuans poros dilatando, subtiliores succos evaporare facit, relictis crassioribus, & terrestribus. Aër frigidus poros occludit, eosque

Unable to display this page

ratiùs accidit, & in cancros degenerant. Item si tubulis, & fibris circa scirrhum inflammatio, vel erysipelas superveniat, gangræna, si non sphacelus succedit.

Curatio.

Scirrhi curationem putant vulgares in diætâ consistere, ac proindè cibos instituunt, qui facilioris sint digestionis, & bonum suppeditent nutrimentum, quique ad calidum, & humidum vergant, ac in paucâ sumantur quantitate, undè ante omnia laudabilem præscribunt diætam; à pravâ enim omnes morbi originem trahunt. Aëria omnia, quæque gradu tertio, aut quarto calida prohibent, quia noxam adferunt. Potus nec crassus, nec fortis sit, at aliquantulùm calefaciens. Aër sit purus, moderatè calidus, & humidus. Somnus, & vigilia modum non excedant, alvus servetur lubrica, alma Venus fugienda, & animi pathemata vitentur. Moderata corporis exercitatio admodùm est necessaria.

Quantùm spectat ad interna præsidia, præparatis humoribus proportionatis syrupis, materiam evacuant convenienti, & idoneo pharmaco, habitâ ratione ad humores peccantes, corporis habitum, anni tempus, cœli constitutionem &c. Corpori nàmque robusto fortiora applicant medicamenta teneris, & mollibus mitiora; in recenti scirrho mitioribus, inveterato, & indurato valentioribus utuntur pharmacis, & hæc toties reiterant, quoties opportunum videbitur juxta periti physici consilium. Deindè, si malum oriatur ob hæmorrhoides suppressas, illas aperiunt, & si ob menstrua retenta, illa provocant: Si sanguis in toto redundet, sinistri lateris basilicam aperiunt, sat foramine amplo, ut sanguini fœculento detur exitus, sed in hoc tàm medicamentum catharticum, quàm sanguinis missio parùm, aut nihil præstare potest, imò malũ pejorat. Si obstructiones in hypochondriis adsint, eas referant, primò adhibitis præparantibus, & postmodùm evacuantibus, quæ sæpiùs repetunt.

Deindè ad localia descendunt, & quia humor est crassus, tenax & viscosus per repulsionem evacuari non potest, repellentia non adhibent, nec minùs evacuari potest per tumoris sectionem, quia humor est ità impactus, ut quamvis adhibeatur sectio, ne humoris quidèm tantillum egreditur; opus igitùr est evacuatione, quæ per insensilem evaporationem fit, & quia crassa est materia, ex qua scirrhus generatur, in halitum verti non potest, nàm planè in duritiem abiret: prima indicatio erit, ut emolliatur medicamentis emollientibus, verùm si nimis emolliendo evacuant, metus est, ne scirrhum in cancrum degenerare faciant. Eapropter tutum putant consilium, ut nullum, vel tantùm humectandi vim habens medicamentum ulurpent, sed vel alternis vicibus emollientia, & discutientia miscent; quapropter quæ minùs discutiunt in principio, quæ magis successivè, & in progressu, prout

materia

materia apta reddatur magis ad discussionem, undè primò *vituli, & cervi pinguedinem* adhibent, quæ emollit, & non discutit, secundò *ursi & leonis adipe*, utuntur, sed familiaris est magis *anserinus, anatinus, gallinaceus &c.* Inter has pinguedines magis discutit caprinus, & hircinus. Ad eundem effectum adhibent *mucilagines althææ sem. lini, fœnugræci*, quæ omnes valdè emolliunt. Ad idem etiam valet *emplastrum de mucilaginibus, & filii Zachariæ.* Inter resolventia laudat Galenus, si capiatur *Lapis pyritis*, calefiat, deindè superfundatur acetum, & eo modo adhibeatur, ut fumus ille affectum penetret locum, in cujus defectu *lapis* accipiatur *molaris*, qui eandem retinet virtutem. Post fumentum locus affectus aliquo oleo emolliente inungatur: deindè per aliquod spatium iterùm mollientia adhibent, Galenus imponebat *emplastrum de ammoniaco in aceto dissoluto, donec emplastri foramen acquireret*, & post tres, vel quatuor horas auferebat, & denuò unguento aliquo emolliente utebatur. Ex hac Galeni methodo vulgares chirurgi verum modum scirrhum curandi eliciunt; cùm itàque emmollitus est tumor, applicant resolventia, deindè apponunt emollientia, & postmodùm resolventia, & id toties iterant, donec scirrhus ad nihilum redactus fuerit. Sed utinàm curatio ex voto succederet, est palliativa, & non curativa, & medicus potiùs politicus, quàm doctus esse debet; nàm qui tali correpti sunt affectu, cum tali tumore ferè semper commoriuntur.

Quò ad nostram de scirrho curationem attinet, primo optima vivendi ratio sumenda est, aliàs incassùm medicus, & æger laborabit. Vitet aërem nimis calidùm, ac frigidum, & imprimis hyemalem, sed aër eligatur temperatus. Cibi acidi, salsi, crassi, vilcidi, & terrestres absint, sed copioso sale volatili sint referti. Potus sit vinum generosum defœcatissimum, & si hoc non bibat æger, aquâ tepidâ, in qua decocta fuerint radix chinæ, & lignum saxafras pro potu ordinario utatur. Motus magis, quàm quies conducit, se ergò exerceat æger, nunc equitando, nunc curru vehendo, nunc ambulando, vitet tamen exercitii nimietatem. Somnus, & vigilia modùm non excedant. Excreta, & retenta ordinarium servent statum, purgantia sint procul, & angue pejus vitentur. Animi pathemata omnia, & præ aliis mæror, & terror, ac pulchra Venus exulent.

Scirrhi nisi initio sui curentur, postmodùm vix curationem admittunt, hinc danda est opera, ut succi coagulati leniter ad motum excitentur emollientibus; hoc enim modo non tantùm fluidiores reddi, tubulos referati, verùm etiam poros aperiri speramus. Eapropter, quæ digerunt, & tubulorum reseratorum apertionem promovent medicamenta, tàm interna, quàm externa conducunt. Interna sunt, quæ succos volatiles reddere possunt, ut *sal volatile viperarum, c. c. salis armoniaci, & omnia salia volatilia, ut etiam succini,*

cardui sancti, spiritus camphoræ &c. Ad obstructa vascula, eorumque incidenda m, & attenuandam materiam de obstruentia conducunt, ut *oculi cancrorum, crystallus tartari, tartarus vitriolatus, spiritus tartari, tinctura tartari.* Item Martialia, ut *vitriolum Martis, ejusque tinctura, & Iulep. n. d. Vinum Martiale, crocus aperitivus, pulveres cachectici n. d.*

Quò ad externam scirrhi curationem spectat, impossibilis non est, si aliqualem doloris sensum habeant, & in carnosis corporis partibus externis, secùs si latentes obsideant, appareant, verùm quò magis emollientibus malum tentabis, eò sæpissimè latius extendes, & fortioribus discutientibus ità indurabis, ut tandèm hi tumores in materiam tophaceam, vel gypseam degenerent.

Si spurij itâque sint, ea quæ emolliendi, & resolvendi energiam habent, conferunt medicamenta, ità sunt *cataplasma ex vini fœcibus cum sulphure, & semine carvi, de radice bryoniæ, & de stercore caprillo. Unguentum de arthanitâ. Emplastrum de Ranis cum quadruplicato mercurio, de Ladano, Cicutâ cum gummi ammoniaco, cumino, lapide pyrite &c.* Sed utinàm hæc prodessent. Pro duris, & rebellibus dissolvendis tumoribus ad sidera extollit suum *emplastrum de herbâ Theæ Iohannes Dolæus*, quod ità parat:

℞. *Gum. Galb.* ℥. iij.
Sagapeni,
Ammoniaci ana ℥. ij.
Solve in ol. terebenth. addo
Gummi elemi ℥. j. ß.
Ol. c. c. ℥. vj.
Tacamahac. ℥. ij.
Tart. fœtid. ℥. j.
Camphoræ ℥. j. ß.
Myrrh. ℥. ij.
Pulv. herb. Theæ ℥. iv.
Sperm. ceti ℥. ij.
Picis ℥. vj.
Terebinth. ℥. v.
Colophoniæ ℥. iij.
Sal. volat. succini ℥. j.
Tartari ℥. ß.
Ceræ q. s. m. l. a. f. empl.

Quod resolvit, & discutit pertinaces, ac scirrhosos tumores, confert & plurimis aliis affectibus externis.

Exquisiti verò scirrhi omni dolore carentes curationem non admittunt, quia eorum duritiem neque suppurationem, neque resolutionem recipit, cùm sit velutì quædam naturalis glandula in debito loco producta, & qui hujusmodi scirrhos remediis urgent, vel ferro, vel igne tentant, quia loci constitutionem dissolvunt, mala pejora inducunt, quàm quæ scirrhus producere poterat; at nos esto exquisiti scirrhi curationem consultò non tradamus, arcanum communicabimus, quo crescentem scirrhum sistere potestis, ut ultrò augmentum non suscipiat:

℞. *Ol. myrtill.* ℥. ij.
Nuc. mosch. ℥. ß.
Axung. jumentor. ij.
Ol. petreoli ad pondus omnium
F. mistura,

Qua scirrhi locus per mensem chymicum inungatur.

CAP.

CAP. XIV.

De Ecchymosi.

AB externâ causâ aliquandò vivens corpus contusionem patitur, quæ fit, dùm caro ossi superposita ab alio corpore duro externo urgetur absque cutis laceratione, verùm in subjectam carnem divulsæ ob contusionem venulæ in carnis poris sanguinem fundunt, qui dùm grumescit, lividum in cute colorem inducit, qui sensim transit in flavum, elevatumque tumorem, qui tumor cum dicto livido colore Ecchymosis, & Ecchymoma à Græcis dicitur genericè, in specie verò si cutis decoloratur, ac livescit, tunc hujus livor *Pelioma* vocatur, sed hujusmodi lividitates ex contusionibus, vel violentâ subcutaneâ effusione communi vocabulo *Sugillata* appellantur: Si autem ex concussione minuta saltèm puncta, vel lineæ sanguinis subcutanei relinquuntur, ut à flagris, & alicujus globuli illapsu, tunc puncta illa *Stigmata* vocantur, lineæ verò *Vibices*. Est igitur ecchymosis sanguinis effusio sub cute in spatia vicina, undè pars affecta lividum sortitur colorem.

Signa.

Ecchymosis nullis indiget signis, quibus cognoscatur, nam ipsius coloris, & tumoris, si tumor adsit, oculus est judex. Causæ ex iis, quæ præcesserunt, & præsentes, ægri relatione patescunt, num à causâ violentâ, & externâ producta fuerit, ut si percussio, contusio, casus, flagrum, & similes præcesserunt; ex iis enim contunduntur, eroduntur, vel rumpuntur, & lacerantur venulæ, undè sanguis exudat, ruborem, dolorem, inflammationem, & livorem excitans. Tumor est mollis, & lividus, quandòque cum, & quandòque sine doloris sensu.

Causæ.

De ecchymosis causâ materiali nobis cum Veteribus non est controversia, cùm utraque sententia sanguini evasato eam refundat; fit namque à sanguine evasato, cùm caro ab aliquo pondere fuerit percussa, venulæ, quæ per eam in retis formam sunt dispersæ, contusæ, vel pressæ, ruptæ, vel laceratæ sanguinem per rimas, fissuras, vel rupturas profundunt subter cutem, adhuc integrâ cute, eamque inundat, sanguis aggeritur, ac stagnat, stagnatione acrior redditur, in grumulos abit, & cutem colore nigro, aut sublivido inficit.

Fit quandòque hic affectus à causâ internâ, nempè à venularum obstructione, & sanguinis stagnatione; hinc factâ vasorum obstructione, ab humorum corrosione, vel nimiâ horum vasorum distensione, fit sanguinis evasatio, quæ propriè ecchymosis dicitur.

Prognosis.

Ecchymosis levis nullum habet periculum, nisi cutis defœdationem, nec ejus tumor magni est momenti, quia facilè discutitur: tamen si hoc debitè, & celeriter non fiat, & sanguis diutiùs in parte affectâ extra venulas detineatur, periculo non vacat, cùm inflammationem, abscessum, vel herpetem, scirrhum, & hydropem particularem; si verò intra corporis cavitates extravenatus, & in grumum conversus, nisi resolvatur, universalem hydropem, & ferè incurabilem inducat. Præterea sanguis sub pelle concretus, nisi mox insensibiliter discutiatur, in pus degenerat, quod necessariò fit, ubi caro simul valdè contusa est, atque hinc pars mollis adhuc manet, vel putrescit, vel corrumpitur, & facilè gangrænam, aut sphacelum inducit, & mortem parit. Hoc imminet periculum, cùm pars affecta non est amplius livida, sed inflammatur, fit rubicundior, durior, ac tensa.

Curatio.

Ecchymosis tàm in internâ corporis superficie, quàm in internis partibus evenire potest; dùm in internis accidit, sedulus medicus quamcelerrimè potest, ad illius curationem procedere debet: nàm pessima mala, ut dictum est, è sanguinis grumo in corpore retento evenire possunt: curatio itàque alia erit externa, alia interna pro loco, in quo sanguinis effusio facta est.

Vulgares chirurgi in omnibus illorum operibus ridiculi, credunt sanguinis missione ecchymosim curare, sed frustrà, licèt centies id tentent. Hoc totum peragunt, ut sanguinis affluxus præcaveatur, & inflammatio ne excitetur, undè prava symptomata, & sæpè mors originem habent. Venùm futurum præcavent, & quod præsens est, intactum in radice relinquunt. Syrupos sanguinis coagulationem, vel putredinem prohibentes propinant, uti sunt *syrupus de succo limonum, de succo acetosellæ, de acredine citri &c.*

Eodem quoque tempore circa partem defensiva, & repellentia admovent, hæc conficiunt ex *sanguine draconis, terrâ sigillatâ, bolo armeno, rosis, myrtillis, nucibus cupressi, balaustis &c.* & tali, vel alio modo concinnant:

℞. *Pulv. ros. rubr.*
Radic. consolid.
Farinæ volatilis ana ℥. ß.
Cum Ol. myrtill.
F. cataplasma.

Alii pro communi usu habent *ovi albumen cum aquâ rosarum conquassatum, & cum stuppâ* affecto loco applicant. Sed hæc quia humida sunt, & viscosa potiùs sanguinem extra venas elapsum putrescere sinunt, quàm resolvunt, & prava excitant symptomata.

Deindè, ut sanguis concretus dissolvatur, & per alvum, urinam, vel sudores eliminetur, dant operam, & sequentibus utuntur medicamentis, *rhapontico, rhabarbaro,*

baro, bolo armeno, terrâ sigillatâ, coralliis rubris, c. c. rubrâ tinctorum cum aquis fumariæ, florum tiliæ, scabiosæ, cardui *benedicti, syr. de acetositate citri, & similibus.* Familiariter *pulveribus Mesues ad casum, & percussionem* utuntur, qui tali concinnantur modo:

℞. *Rhabarbari elect.* ʒ. j.
Boli armen. or. ℈. j.
Rubiæ tinctor. gr. xv.
F. Pulvis.

Quantùm ad topica, si particularis aliqua sit contusio (in universali ægrum arietis in pelle recèns detractâ, & adhuc calente involvunt, conspersâ sale, bacc. myrtill. pulvere nasturtii) illinitur tali linimento, ut

℞. *Ol. ros.*
Myrtill.
Chamæm. ana ʒ. j.
Ovi album. num. j.
Pulv. myrtill. &
Ros. ana ʒ. ij. *m.*

Sed in communi, & vulgari usu utuntur *ol. ros.* pro affectæ partis inunctione, deindè eam *pulveribus ros. & myrtill.* aspergunt, & sæpè partem *foliis brassicæ* calidis fovent, & reiterant, sed hoc est mulierum medicamentum.

Quòd si his, aliisque medicamentis sanguis extra venas effusus discuti non possit, cucurbitulas, si locus ferat, adhibent, quas efficacissimum existimant remedium ad sanguinem extrahendum, qui profundiori continetur loco. Quandòque ad scarificationes confugiunt, ut sanguis manifestè effundatur. Sed nescimus, an sanguis concretus, an fluidus per hanc lanienam effundatur?

Quò ad nostram curationem pertinet, in ecchymosi totus curationis cardo in eo consistit, ut ea medicamenta, quæ coagulatum sanguinem, quantùm possibile, attenuant, & in debitam fluiditatem redigunt, usurpemus, ac in venas resorberi possit, qui ineptus misceri, apertis poris, medicamentis ejus quietem in motum restituentibus insensibiliter transporetur; præsertim si suspicio sit in aliquâ corporis cavitate sanguinem in grumum abiisse. Hæc medicamenta vel sunt interna, vel externa. Interna sunt, quæ incidunt, attenuant, sanguinem fluidiorem reddunt, vel resolvunt, præcipuè, quæ in pleuritide, & inflammatione descripsimus, ità sunt *Rhabarbarum, sperma ceti, lapides cancrorum, spiritus tartari, salis armoniaci spiritus, spiritus matricalis, c. c. stibium diaphoreticum, sanguis hirci ad pleuritidem, extractum hyperici, florum papaveris rhœados, sal succini &c.* His diversimodè concinnatis utere, ut

℞. *Sang. hirci* ʒ. ij.
Stibium diaphoret. ℈. ij.
Mumiæ ʒ. ß.
Laccæ rubr. &
Spermatis ceti ana ʒ. j.
Extract. flor. papav. errat. ℈. iv.
F. Omnium pulvis subtilis,

Cujus exhibeatur ʒ. j. in syr. hyperici, vel papaveris errat. cum aquâ cheræfol. vel flor. tiliæ ter, vel quater.

Vel

℞. *Ocul. cancr.* ʒ. ß.
Fœcul. rad. bryon. ℈. j.

Terrâ

Terræ ſigillatæ, &
Corall. rubr. pp. ana ʒ. ß.
Salis c. c. gr. v.
M. f. pulvis

unicâ doſi ſumendus. Vel

℞. *Aq. cheriſol. &*
Flor. tiliæ ana ℥. j.
Menthæ ℥. ij. ß.
Spiritûs ſalis armoniac. ʒ. j.
Syr. hyperic. ℥. ß. *m.*

pro duabus vicibus. Credibile non eſt quantùm hujus ſalis, vel communis ſpiritus valeat ad ſanguini reſtituendam, vel conſervandam fluiditatem, qui ambigit ad experimentum confugiat, & nos vera dicere experietur, vel ſaltem à lanis hoc diſcant vulgares, qui ad porcorum ſanguinem fluidum conſervandum, quem pro conficiendis botulis vendunt, ſale, pulvere tenus, aſpergunt. Alkalia maximoperè proſunt, quia aciditati reſiſtunt, & ſanguini ſtagnanti, ac quieſcenti motum reſtituunt, & ſic fluidus redditus à venulis reſorberi poteſt, vel in auras reſolvi.

Topica, ſeu externa medicamenta ea eſſe debent, quæ ſtagnantem, vel coagulatum reſolvunt, & denuò fluxilem reddunt ſanguinem, ità ſunt, quæ plurimo ſale volatili, vel alkalico abundant, ut *ſpiritus vini per ſe, vel cum ſpiritu ſalis armoniaci cum calce vivâ parato miſtus, vel ſpiritus vini camphoratus, vel crocatus*, qui tepidè cum linteis duplicatis ecchymoſi imponitur. Item *ſpiritus lavendulæ, aqua Reginæ Hungariæ, vel ſpiritûs matricalis* tantoperè à Dolæo decantatus non tantùm in ecchymoſi, verùm etiam in quamplurimis affectionibus tàm internè, quàm externè, quemità deſcribit:

℞. *Maſtiches,*
Myrrhæ,
Olibani,
Succini ana ℥. ij.
Spiritus Vini rectificati lib. ij.
F. infuſio, deindè diſtilletur, poſtmodum cohobetur ſpiritus, qui ſolus calidè applicatus ecchymoſim tollit. *Balſamus Peruvianus in ſpiritu vini ſolutus* in partium nervoſarum contuſionibus egregium eſt medicamentum. Efficax eſt emplaſtrum de ſpermate ceti. Alii commendant Unguentum de cynogloſſo, quod ità paretur:

℞. *Radic. cynogloſſ. rub. lib.* ß.
Butyri recentis lib. j. ß.
Vini rubr. ℥. iv.

Coquantur ad vini conſumptionem, & colentur. Valet ad contuſa, & ſugillata; ſanguinem enim concretum tàm intùs aſſumptum, quàm foris ſecùs illitum diſſolvit.

Sed promptius, & efficaciùs infra octo horarum ſpatium grumefactum ſanguinem ſub cute effuſum hoc medicamine reſolves, nàm illum extrà in aquæ formâ educet, & priſtinum colorem naturalem cuti reſtitues:

℞. *Raſuræ radic. bryon. recentis q. ſ.*

eâ ecchymoſim aſperge, & linteum ſuperpone, infra octo horas eximè, & admiraberis effectum. Verùm meliùs, & tutius operaberis, ſi *bryoniæ ſucco æqualem vini ſpiritûs portionem miſcebis*, & linteola madefacta calidè ecchymoſi ſuperpones. Efficaciſſima etiam eſt in ecchymoſi curandâ *radix Sigilli Salomonis*

Salomonis, quæ vel recens, vel tempore hyberno vino macerata, & contusa, cataplasmatis formâ apposita, unicâ sæpè nocte ecchymosim tollit, adeò ut parti affectæ nativus redeat color. Meliùs adhuc est, si simul applicetur radix symphyti majoris. Hæc tria nempè *radix bryoniæ*, *sigilli Salomonis*, & *symphyti* expertissima sunt ad ecchymosim, quæ in unum magnum medicamentum transire possunt, ut

Radic. bryoniæ,
Sigilli Salomonis, &
Symphyt. mai. ana ℥. iij.
Flor. chamom.
Meliloti ana m. j.

coque in suff. quantitate vini albi ad consistentiam cataplasmatis, cui adde croci parum. Applicetur ecchymosi, & in gravioribus contusionibus est probatissimum.

Verùm si suppurationis notæ pateſcant, locus protuberet, ad tactum mollis appareat, dolor pulsatilis, rubedo circùm, & febris apparere incipiat, tunc juvanda, & promovenda est suppuratio, nec perfecta expectetur; nàm si pus, quod ex sanguinis grumo generatur, diutiùs in loco affecto detineatur, febres, dolores, & multa alia mala excitare, partes vicinas, nervos, & ossa corrumpere potest, ut multoties nos autopsia docuit, undè posteà ulcera cacoëthe, carcinomata, gangrænæ, sphaceli non rarò ortum ducunt. Hinc vulgares, & bardos hortamur chirurgos, ut non expectatâ perfectâ suppuratione, scalpello aperiatur, ulcus purgetur, detergatur, carne impleatur, & tandèm cicatrizetur.

CAP. XV.

De Aneurismate.

ECchymosi aneurisma affinis est, uterque consanguineus est tumor, ac differunt fluxûs ratione, sicut etiam ratione sanguinis; ecchymosis enim ex sanguine effuso, grumefacto, & qui ampliùs non effunditur, constat, & utplurimum sanguis est venosus: aneurisma verò tumor est sanguine fluenti plenus naturæ legibus subjecto, & continuò fluxuro, si illi daretur exitus, ex arterioso fit sanguine, coloreque livido cutem minimè fœdat: sanguis enim in hoc tumore intra membranulam arteriæ dilatatam continetur, ac quoties cumque tumor comprimitur, recedit sanguis in arteriam, sed dùm à compressione cessatur, iterùm redit cum pulsu.

Signa.

Aneurisma non difficulter cognoscitur: tumor initio parvus paulatim crescens, in quibusdam multùm, in aliis parùm, dolore carens, (præterquàm si est à vulnere, tùm enim immensùm dolet, vigilias, & convulsiones parit) ad tactum mollis, & spongiosæ laxitatis, aspectu cum reliquâ cute concolor, turgens, & plenus conspicitur, digitorum compressione

promptissimè cedens, adeò ut totus ferè tumor evanescere videatur, sed sublatis digitis, momentaneè iterùm redit tumor fortiter pulsans, sed inordinatè cum aliis arteriarum pulsationibus procedens. Quod à vulnere fit, non ità molle est. Quandò aneurisma magnum evasit, tunc non ampliùs tàm fortiter pulsat, & compressum ad interiora non redit: motus tamen, & strepitus quasi bullientis aquæ tùm percipitur, idque non solùm cum digitis, sed etiam aliàs, & strepitus ille non saltèm digitis sentitur, sed etiàm admotâ aure, quod accidit ob spiritûs vitalis per angusta meantis motum.

An autem genitum sit aneurisma per viam dilatationis arteriarum, an verò per alium modum adjucendum; cognoscitur primò ex causis præcedentibus, nàm in priori modo non præcesserunt causæ pungentes, vel vulnerantes, aut arterias contundentes, quæ tamen semper præcedunt secundùm aneurismatis speciem. Secundò colligere licet ex ejus situ; quoties enim hoc gignitur, in profundioribus arteriis, & interioribus semper gignitur ex dilatatione, secùs autem in arteriis exterioribus, & prope cutem; nàm hæ facilè punctiones, & vulnera sustinere possunt.

Signum certum pro distinctione inflammationis, in superficie tumoris anticipatio, nàm si inflammatio præcessit, mollities illa suppurationis est signum; si verò inflammatio non præcessit, tumor pulsat pressus, retrocedit, & deindè redit ad situm, aneurisma esse tibi suadeas.

Pars affecta sæpissimè, imò ferè semper ob arterias carotides, collum est, & præcipuè supra claviculas, observamus tamen nos aneurisma in inguinibus, genubus, & brachiis, imò duo aneurismata interna ex casu levi, quasi juxta renes, dexterum, & sinistrum.

Causæ.

Præcipua aneurismatis causa est nimius sanguinis arterialis impetus, arteriam dilatans; multùm nàmque celerior, & rapidior fit sanguinis motus per arterias, quàm per venas; unius enim momenti spatio plus transit per arterias, quàm decem momentis per venas, propter longè majorem impetum à corde sanguini intra arterias impressum. Et sciendum est pro completâ aneurismatis cognitione, quòd arteriarum substantia est membranosa, ut facilè dilatari, & constringi possit; constat autem duplici propriâ tunicâ, externâ, quæ ambæ, ne à continuâ, præcipuè majori pulsatione dolerent, sensum habent obscurissimum. Externa tunica tenuis, rara, & mollis est, rectas fibras plurimas, paucas verò obliquas, transversas habens nullas, & hæc ab exteriore cordis tunicâ derivari videtur, cum eâque continua est. Interna durior, densior, multòque crassior existit, qua crassitie, & duritie indiguit, ut spirituosum

tuosum, absque magnâ dissipatione tutiùs veheret sanguinem. Ideòque si vel extensione, quod facilè fieri potest, cùm durior sit, tunica rumpatur interna, vel sectione aperiatur, non facilè ut durior coalescit; externa verò ut mollior facilè coalescit: & quia mollior est. Fibrisque obliquis, & transversis caret, à sanguine, & spiritu vitali exitum impetuosè quærente extenditur, & sanguis pulsatione in externam mollem impingens, eam magis, magisque dilatat, in eâque quasi in sacco coacervatus tumorem producit, in quo manifesta, imo sæpè admodùm molesta pulsatio, systolesque ac diastoles reciprocatio sentitur.

Nonnulli sagaciores medentes impossibile ferè putárunt internam satis crassam tunicam rumpi posse, externâ tenuissimâ incolume manente. Non ità putent, nàm tunica interna estò duriuscula ab irruente sanguine, & aliquantisper impingente propter salia acria, & erodentia, scinditur, dissecatur, exeditur, & per patefactas hujus tunicæ fibras sanguis se insinuat, & interiorem ab exteriori eximit, ac circulans in suo cursu hiatum obvium sensim subingreditur, exterior dilatatur, quia mollior, & majus sibi comparat spatium.

Externæ causæ; quæ per dilatationem aneurisma progignere possunt, primò occurrunt, & esse possunt, ob quas fortissimâ spiritûs compressione, & violentâ cohibitione opus est, ut sæpè accidere solet mulieribus difficulter parientibus ventris compressione, & similibus, ubi potior compressionis vis ad collum fertur, ut quilibet in se ipso experiri potest. Secundò, validi clamores, & vociferationes, vel etiam violenti conatus in ponderum elevationibus. Inter causas internas numeratur primò laxitas, & arteriæ mollities, ob quam facile dilatatur. Secundò copia, vel ebullitio arterioši sanguinis, undè facilè fit, ut arteria dilatetur. Tertiò, numerantur obstructiones internæ, ex quibus facile fit, ut sanguis non rectè per corpus distributus magis in parte aliquâ abundet, & cumuletur, ob quam causam majori collectus mole, arterias dilatat. Quartò animi pathemata, ut sunt ira, & furor, deindè corporis passiones, quæque igne, sole, cursu cibisque acribus producuntur.

Altera aneurismatis species scilicet per vulnerationem, plures agnoscit causas, sunt præsertim vulnera, puncturæ, collisiones, è sublimi casus, contusiones. Itèm ab imperitis chirurgis excitatur, qui nonnunquàm loco venæ arteriam, vel eam venæ subjacentem secant; vulneratâ enim arteriâ, incumbens ei cutis, & externa tunica cicatricem quidèm contrahit, at tum vulnus interioris tunicæ incuratum manet, neque coalet, nec carne occluditur, & aneurisma fieri necessum est.

Causæ internæ ad quatuor reducuntur, vel scilicet ad apertionem osculorum ipsarum arteriarum, quæ apertio græcè dicitur anastomasis; vel secundò ad diæresim,

leu erosionem earundem arteriarum; tertiò ad diapedesim, seu rarefactionem ipsarum arteriarum; quartò tandem ad risim, seu ruptionem.

Contra hanc, & præstantissimorum practicorum sententiam, atque experientiam de aneurismatis causâ sese acriter primò *Platerus* & mox *Regius* opponit, docet uterque aneurisma fieri, cùm extra dilatatam, vulneratamvè arteriam effluit sanguis inter musculos, aliasve partes, tunc sanguinem ex viscidioribus sui particulis sibi ipsi pelliculam generare, & circumjicere, ut in eâ contineatur, tradit. Verùm uterque delirat, etenim si ex sanguinis arterioši sub cutem effusione fieret aneurisma, certè sanguis ille in latum, & longum, & circumcircà sese diffunderet, cutemque alieno tingeret colore: quemadmodùm observamus in contusionibus, & venæ sectione minùs rectè peractâ, quandò vena vel tota pertunditur, aut venæ vulnus ob sanguinis impetum non rectè clauditur. Tunc enim sanguis sub cute sæpè ad extremam usque manum effunditur, & cutis rubro, viridi, & flavo fœdatur colore. Id, quod multo magis arteriâ aperta fieri deberet; cùm sanguis arterioşus sit tenuior, & majori cum impetu efluat: quod tamen non accidit in aneurismate, in quo tumor ille suis continetur limitibus, neque cutis alieno inficitur colore. Præterea sanguis in aneurismate contentus non corrumpitur, nec usquàm suppurationem patitur, cùm alioqui sanguis copioşus extra vasa inter partes effusus semper corrumpatur, ac inflammationes, & apostemata generat secundum *Hip. sect. 6. aph. 20. Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.* Insuper sanguis extravasatus non potest sibi membranas circumjectas generare, quin potiùs putrescat. Item in aneurismate ab extravasato sanguine producto non sentiretur pulsatio aliqua insignis, qualis in aneurismate continuè procedit. Tandem in aneurismatis dissectione nunquàm talis pellicula, seu folliculus observatus fuit.

Non defuêre medentes, qui perperàm crediderunt in aneurismate non contineri sanguinem, sed flatum spirituosum, qui alicubi inter utramque tunicam minima initio copiâ se colligat, paulatim abinvicem divellat, sensimque tumorem quidèm turgidum, tactui tamen facilè cedentem, sed eo amoto, illicò in pristinam turgentiam resilentem efficiat: Sed hæc sententia est nimis rustica, & non ægrè à sectione repudiatur.

Prognosis.

Aneurismata minora, recentia, & præcipuè ab imperitâ venæ sectione provenientia ægrè curari possunt; ex crescunt, & augentur utplurimùm in magnam molem, & mortem inducunt, nisi dùm incipiunt, sistantur, curationem non admittunt. Magna, antiqua, & spontè venientia nunquàm curantur, præsertim in collo, ubi ne unicum exemplum alicujus curati notum

notum est : diù tamen curâ palliativâ hujusmodi ægri vitam producere possunt, quia aneurismatis tumor nullum insigne habet periculum. Si aneurisma aperiatur, uti interdùm imperiti chirurgi illud abscessum esse credunt, patiens, aperto aneurismate, mox sub manibus expirat. Itàque cauti esse debent chirurgi in aneurismate cognoscendo, nàm si ob ejus mollitiem, & exundationem supponant esse suppuratum abscessum, & illum aperiant, à sanguinis effusione irreparabilis sequitur mors. Nec sectione aneurisma curationem facile recipit, sed æger in discrimen, & mortem præcipitatur; præstat proinde levius incommodum tolerare, quàm periculosæ se submittere curationi, nihilominùs sin major, materiaque putrescat, gangræna, & mors expectanda est, quæ pariter metuenda, si sponte suâ rumpantur aneurismata.

Curatio

Duplicem aneurismatis curationem instituunt vulgares, unam scilicèt per medicamenta, alteram per chirurgiam; medicamenta adhibent aneurismati per dilatationem genito in penitioribus arteriis existenti, cujus indicationem à repellentibus, repercutientibus, & adstringentibus sumunt, ut sanguinis impetus compescatur, & arteriæ foramen claudatur. Priorem complent indicationem victu tenui, & refrigerante, tum venæ sectione ex latere opposito, tùm lenibus, frigidis, & repetitis corporis purgationibus: sed hæc duo præsidia omnibus morbis sunt communia, nec quicquàm pernicioso tumori prosunt; ad hanc etiam indicationem refrigerantibus auxiliis, frictionibus, ligaturis &c. utuntur.

Quantùm ad localia, si aneurisma circa principia fuerit, supra partem affectam *laminam plumbeam* fortiter alligatam adhibent, quam repellere, densare, & arteriam adstringere laxatam dicunt, sed inane medicamentum est, nec unquàm hac laminâ aneurisma vidimus curatum. Quidam *emplastrum ad rupturas Augustanorum*, *vel de pelle arietinâ* superponunt, non aliter ac hic tumor esset hernia scilicet enterocele, sive bubonocele. Et quia aneurisma etiam interdùm oritur ob aliquam ipsius arteriæ unitatis solutionem, cùm scilicet arteria ipsa vel pungitur, vel vulneratur, quòd sæpe accidit, cùm imperiti tonsores adeò profunde venam secant, ut subtus venâ arteriam sub eâ contentam etiam pungant, tunc dant operam, ut mox coalescat: quòd cùm ob sanguinis arterioli impetum, non ità facilè fiat, ut in venis, quæ unicâ gaudent tunicâ, ad arteriæ vulnus glutinandum, sequentia diversimodè concinnata parant, ut sunt *thus*, *mastiche*, *radix symphyti majoris*, *terra sigillata*, *bolus armenus*, *aloë*, lapis hæmatites, malicorium, hypocistis, myrtus &c. sed præ cæteris valdè commendant sequentem compositionem, ut

℞. *Thuris part.* ij.
Aloës part. j. ß.
m. cum ovi albumine conquassato, & pilis leporinis, excepta vulneratæ arteriæ imponatur. Sed oleum, & operam perdunt, nàm hæc per cutem, panniculum carnosum &c. non penetrant ad interiorem arteriæ tunicam usque, ideòque erit cura palliativa, ut aliquid molliri videantur, & reverà in nihilo agendo sunt occupati.

Si aneurismatis incrementum non sistunt, vel magnum sit, à chirurgiâ suppetias prælolantur, ac propterea cutem incidunt, & detectam arteriam supra, & infrà vinciunt, partem mediam cum tumore excidunt inter duo vincula, quæ priùs non solvunt, antequàm natura vulnus curare non obduxerit, & nullus hæmorrhagiæ metus fuerit. Modus aneurisma incidendi prolixiùs traditur ab *Æginetâ de remedio lib. 6. cap.* 37. Sed hoc remedii genus facilius est dictu, quàm factu, & non solùm valdè barbarum, & quod vix pauci tolerent, verùm etiam non sine vitæ periculo, nec ægrum sanat, imò inter hanc carnificinam expirare potest, ut pluries nos observavimus, & ex tot hujusmodi ægrorum myriadibus vix unus adeò constans in cruciatibus ab hoc affectu eripitur. Demus, quòd arteria arcte vinciatur, tamen postquàm fila solvuntur, metus est, ne vel hæmorrhagia, vel novum fiat aneurisma. Tutiùs itaque est tumorem saltèm vinculis, ac medicamentis constringere, ac comprimere, ne amplius augeatur, si fieri potest, quàm ægrum certissimo, & necessario mortis discrimini exponere.

Unus itàque in aneurismate supereſt curandi modus s. reductio membranæ arteriæ ad pristinum situm, id, incipiente aneurismate, difficile est, in dilatato verò, & magno, impossibile. Tu verò in incipiente aneurismate per dilatationem hoc utere arcano: *Nuces cupressi viridis eò in aquâ ebullire permittas, quò in quandam mucilaginem abeant, hanc cum fabarum farina misce, & fac cataplasma*, quod incipienti aneurismati impone, adaptatâ ligaturâ, ac ter, & quater renova.

In aneurismate ex malâ venæ sectione nullum majus præsidium, quod multoties nos experti sumus, quam *Aqua Arterialis*, si debito modo, & vinctu superponatur. Hujus aquæ conficiendi rationem in nostrâ *Pyrotechniâ* tradidimus, & nunc huc referimus ejus compositionem genuinam:

℞. *Colcothar.*
Alum. usti, &
Sacch. candi ana ℥. ß.
Urinæ junioris hominis,
Aquæ ros. ana ℥ ß.
Aquæ plantag. ℥. ij.
Diù simul omnia agitentur in mortario, postea mistura in phialam vitream injiciatur, & asservetur pro usu, quo tempore liquor per inclinationem erit effundendus. Hac aquâ imbutum linteum, & arteriæ resectæ applicitum manu impositâ, sanguinem sistit; eâ etiam potest humectari linteolum, atque in nares introduci ad narium hæmorrhagiam.

Potest

Potest eadem aqua interiùs assumi ad supprimendum sputum sanguineum ; ad dysenteriam, fluxum hæmorrhoidum, hepaticum, & menstruum. Dosis à guttis x. ad xx. in aquâ Polygoni.

Non desint interna, si aneurisma ab internâ acrimoniâ canaliculos sanguiferos corrodente natales habeat dies ; præscribenda sunt itàque, quæ talem obtundunt acrimoniam, ut sunt *lapides cancrorum*, *corallia*, *ebur*, *c. c. sine igne pp. crystall. mont.* & sexcenta alia. Sed de aneurismate legite *Marcum Aurelium Severinum nostrum* de novissimis observatis abscessibus cap. 7. qui de hoc tumore peculiarem scripsit librum.

CAP. XVI.

De Varicibus.

SIcut ex internæ tunicæ arteriæ apertione, & externæ dilatatione oriuntur aneurismate, ità ex venæ tunicæ dilatatione varices, quæ sunt dilatationes nodosæ, lividæ, & molles illarum tractum, & colorem observantes, quæ compressæ quidèm digito impositò cedunt, & mox recurrunt. Fiunt à sanguine crasso, & ad stagnationem apto circa alicujus venæ valvulas, cujus membranæ à majori sanguinis copiâ ibidèm cumulatâ, & ità distenduntur, ut sacculos sanguine repletos efforment. Ab aliquibus venæ strumosæ vocantur, eo quod ejusmodi venæ sanguine turgent, & protuberant strumarum instar.

Signa.

Varices oculis conspiciuntur in cutis superficie absque cutis læsione, (interni vix à medico oculatissimo cognosci possunt) quia sunt tumores molles, nodosi globulorum instar, nigri, lividi, vel subcœrulei ad mori, vel uvæ magnitudinem, & ultrà, ità ut quandòque digiti crassitiem æquent. Tumor digitorum pressioni retrocedit, quibus remotis, protinùs returget.

Accidunt varices in diversis corporis partibus ; frequentissimè tamen in cruribus, & prope malleolos, aliquandò in temporibus, femoribus, quandòque in imâ ventris parte sub umbilico, nonnunquàm in scroto, qui tumor in specie græcè Cirsocele nominatur, latinè hernia varicosa, de qua suo loco agimus.

Causæ.

Galenus solitis insistens nugamentis varices generari vult ex sanguine melancholico, quem natura sæpenumerò ad eas transmittit venas, quæ sunt in cruribus, à quo distentæ, ac dilatatæ varicosæ redduntur, & cutis, quæ hujusmodi venas attingit, procedente tempore, nigrescit. Verùm hæc sententia falsa deprehenditur ex nostrâ ; nàm dicimus sanguinem è venâ cavâ ad majores, & à majoribus ad minores descendere venas, undè perpetuò varices in fe-

more, tibiis, & hæmorrhoidibus obſervantur, quia ille ſanguinis motus p. n. contingit, quòd debilitatæ venæ ſanguinem ſurſùm non mittunt, ſed colligunt; hinc in inferioribus venis cumulatus, accedente ſemper ex arteriis novo ſanguine, venarum dilatationem molitur circa valvulas, propter quam ſanguinis portio cumulata ſtagnat, in circulatione remoram contrahit, & achorem, particulæ in ſanguine craſſæ, viſcidæ, & terreſtres, quaſi in lacunas impingunt, & varices cauſantur. Noſtram confirmant ſententiam in prægnantibus varices, quia fœtu jam grandiori, eorum crura grave onus ferre coguntur, ac propterea venæ debilitantur ſanguinem ſurſùm non impellunt, & dilatantur. Accidunt etiam varices illis qui plurimum laboris pedibus ferunt, ut ſunt curſores, bajulatores, diù ſtantes, captivi, quorum crura diù compedibus conſtringuntur; hos etiam cauſare poſſunt lapſus, contuſio, aliæque crurum affectiones.

Eſt varicum ſanguis quaſi à naturâ proſcriptus, nec grumeſcit, vel putreſcit, quia in ſuis ſtabulat conceptabulis, nec vitâ deſtituitur, ſed ab hujus vitalitate illuſtratur, & multoties in naturæ gratiam redire ſolet, & remeabilis per venarum tubulos evadit, ut obſervare eſt in gravidis, in quibus varices turgeſcentes à fœtu excluſo, fluentibus lochis; iterùm ſponte ſubſident, & oblitterantur.

Accidunt frequentiſſimè varices in cruribus, quia valvulæ in ramo crurali ſunt frequentiſſimæ, imò duplices. Se manifeſtant etiam varices potiùs in tibiis, & fortioribus corporis partibus, quia ſanguis venoſus ibidèm aſcendere debet per viam orizonti perpendicularem, & aliquandò hæc via aliquatenùs occluditur à ligaculis illis, quibus crura conſtringere ſolemus ad retinendas caligas.

Quandòque in varicibus oboritur dolor, quòd ſanguinis particulæ acidiores in carnem vicinam tranſeunt per ſinus, & fibrillas, illas irritant, & planè diſcindunt, & oboritur dolor, & ſi plures fibrillæ diſcinduntur ab iſtis acidioribus particulis, ulcera dolorifica, & profunda excitantur, & ſordida redduntur, & vocantur, ulcera varicoſa.

Prognoſis.

Varices nec dolorem inferunt, nec vitæ impedimentum pariunt, nec per ſe periculum afferunt, ſed eorum curatio ſaltem propter decorem, & non neceſſitatis gratiâ expetitur. Interdùm varices in prægnantibus per ſe corroduntur, plurimum ſanguinis profundunt, & niſi fluxus tempeſtive ſiſtatur, patientem in vitæ diſcrimen adducunt. Quandòque tandem varicum cutis in turpiſſimum, fœtentiſſimumque aperitur foramen: quod ſi cum laterum punctionibus accidat, tunc judicatur morti morbum obnoxium eſſe.

Si varices intempeſtive tollantur, doce *Gal. lib. de atrabili cap. 4.* inſaniam,

insaniam, pleuritidem, renum dolorem, hæmorrhoidum fluxum, tussim, sanguinis expuitionem, apoplexiam, cachexiam, hydropem, aliosque oriri morbos. Interdùm in elephantiasim transeunt varices.

Verùm non adducit Galenus causam, quare in varicum sublatione tot varii etiam in causâ obortiantur morbi.

Præservant, & liberant varices à morbis dictis melancholicis, undè *Hip. 6. aph.* 21. inquit *In insanientibus si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio.* Verùm si verus hic Hip. esset aphorismus, varices non deberi sanari sequeretur, quia illi abscissi insaniam inferrent, de quibus experientia oppositum demonstrat; multos nàmque nos, & alii varices sustulimus, nec insaniam, illosque diros morbos, quos recenset Galenus, & Hippocrates observavimus. Verumenimverò ne Hippocrati detrahamus, dicimus quandòque accidere posse ex alio potius capite, quàm ex varicum ablatione, & Hippocrates insontibus varicibus insaniam præfert. Idem dicendum putamus de hemorrhoidibus, prout Hippocrates refert. Præterea observamus nos, & nobiscum quamplures alii insanientibus varices, vel hæmorrhoides supervenisse, nec insaniæ solutionem subsequutam fuisse.

De varicibus loquens *Hip. lib. 6. aph.* 24. pronunciavit: *Quicumque calvi sunt, iis varices magnæ non fiunt: quibus verò calvis varices magnæ superveniunt, ij rursùs capillati fiunt.* Verùm falsum quoque esse hunc aphorismum deprehendimus, & idem asseverat nobiscum Galenus in comm. hujus aphorismi, quia de calvitie loquitur; si utique aphorismus de capillorum defluvio, ophiasi, & areâ loqueretur, quodammodò quandòque verificari posset, quia hæ affectiones à succis erodentes habentibus particulas ortum ducunt, si hæ particulæ in crura translatæ varices faciant, utique ægri capillos recuperare possent. Nàm si priùs à vitiosis succis capillorum erosis radicibus eorum hebat jactura, meritò nunc iisdem aliò migrantibus, ad naturalem statum capilli reverterentur; sed quia de calvitie loquitur, falsum talem omninò aphorismum arbitramur.

Curatio.

Vulgares chirurgi varicum curationem à venæ sectione, & ventris evacuatione exordiuntur, ea per medicamenta, quæ humorem exturbant melancholicum, idque non semel, sed bis, & ter. Verùm hæc duo vulgaria præsidia de communi morborum omnium venas dilatatas non corrugant, nec stagnantem sanguinem fluxilem reddunt, estò centies sanguinem profundant, & humorem vulgò melancholicum purgent.

Dietam instituunt, vitando omnia, quæ sanguinem melancholicum generant, ut sunt *lentes, oriza, caules, caseus vetustus, caro porcina, bovina, salita, & fumo indurata, panis azymus, cibi assi, & frixi*; conveniunt *hordeum, & avena decorticata,*

ticata, fœniculum, petroselinum, spinachia, chereſolium, juſcula piſorum, caponum, ova ſorbilia, & alia euchyma. Deinde adſtringentibus, & exſiccantibus medicamentis, faſciiſque & ligaturis, quæ ſanguinem à partibus inferioribus ad ſuperiores detrudunt, utuntur. Nonnulli ad hunc finem conſequendum *Laminam plumbeam* fortiter ſupra varicem alligatam adhibent, vel *caligâ ex pelle caninâ* confectâ, qua exactè varicem adſtringunt, & induunt, utuntur.

Si hæc non profuerint, ad ſectionem recurrunt, de qua operatione quiſque *Celſum*, *Hieronimum ab Aquapendente*, *Avicennam*, & *Hippocratem* legere poteſt. Verùm varicum per exciſionem curatio non ſolùm aſpera, & difficilis eſt, ſed & plerùmque propter ſanguinis effuſionem, quæ operationem impedit, non feliciter ſuccedit. Nonnulli cauteriis curationem adimplent, ſed eadem, & majora recurrunt pericula.

Quidam vulgares chirurgi varicum curationem aggredi reformidant *Galeni præſagiis*, & *Hippocratis aphoriſmo* 21. *ſect.* 6. perculſi, ne iis ſanatis, graviora accidant mala, cùm ea ſanare dicantur, quæ hominem omninò liberant, non quæ alium generant affectum priori periculoſiorem. Verùm ad hunc eliminandum tumorem, ea conducunt, quæ ad melancholiam hypochondriacam, melancholicamque inſaniam in *noſtrâ Trutinâ medicâ* conſignata ſunt.

Pro noſtrâ varicum curatione dicimus ejus unicam eſſe indicationem, ſcilicet acidum in ſanguine deliteſcens temperare, ſanguinis coagulationem impedire, & deinde venam dilatatam adſtringere, ſeu corrugare, hoc uno peracto, ſtagnans ſanguis in corpore varicoſo fluxilis redditur, & in naturæ gratiam revertitur, ut videre eſt in prægnantium varicibus poſt partum. Eapropter vitentur ſtatio longa, portatio oneroſa, motus laborioſus &c. Vitentur quoque alimenta, quæ ſanguinem craſſum, fœculentum, terreſtrem, & impurum generare valent, quòd ſiqua craſſities, fœculentia, impuritas, terreſtreitas, & aciditas adſit, quæ in varicoſi corporis fundo ſtagnet, medicamentis, quæ ſanguinem mundificant, utimur, hujuſmodi erunt, præmiſſa tamen corporis evacuatione, *Decocta ſalſæ parillæ, chinæ, ebuli, radicis lapathi majoris & minoris*, ſimiliumque. Acidum in ſanguine deliteſcens corrigunt, & temperant omnia alkalia per vices aſſumta, ut *oculi cancrorum, corallia pp. cryſtall. mont.* & ea omnia, quæ in melancholiâ hypochondriacâ conducunt. Deinde ad ſudorifica temperata, quæ eandem habent intentionem, accedimus, ut *ſtibium diaphoreticum, cornu cervi &c.*

Poteſt varix aperiri, attamen apertio cautione fiat in inferiori parte circa malleolum, totuſque ſanguis è totâ venâ, factâ priùs fortiter ligaturâ, à ſummo ad imum verſus ſuaviter per foramen latè factum exprimatur, ut exire poſſit, non tamen unâ vice, ſed pluribus, donec venæ tumiditas

ubique

ubique ablata videatur, adhibeatur deindè ligatura fasciæ ad quatuor digitos latæ priùs madidæ in lixivio juniperi, vel querno cum modico aceto misto, quæ ligatura in imo strictior esse debet, in altiori autem laxior. Lixivium non fiat in aquâ simplici, sed in decocto caulium, additis quoque corticibus tamarisci. Crus in quiete, & elevatum per dies quatuordecim detineri debet, postmodùm æger pedetentim ad temperatum redeat motum.

Præstat in varicibus hoc Hartmanni Unguentum:

℞. *Butyri majalis, vel in ejus defectu Ol. ros part.* j.
Succ. ex contusis cancr. express. part. ij.
Vel iij. *m. & ad ung. formam coque.*

Hujus unguenti usus est post varicosi sanguinis expressionem è totâ venâ, & in ejus circuitu præfatum unguentum probè inungatur, addi quoque potest axungia leporina.

Præstantius erit sequens unguentum, ut

℞. *Ping. human. q. pl.*

inunge, & admiraberis effectum. Vel admisce quoque *oleum juniperinum stillatitium*, & ut dictum est, procede. Multùm prosunt externa linimenta emollientia, & resolventia ex *sevo hircino, butyro majali, oleo hyperici &c.* Necnon fotus, & balnea ex *radicibus althææ, scrophulariæ, bryoniæ, herbis agrimoniæ, malvæ, foliis, & floribus sambuci &c.* parata, quibus sanguis spissior ad fluorem restituitur.

Nos expertum, & infallibile habemus remedium ad varices curandos, quod nunquàm nos felici defraudavit eventu, hoc est *Bryoniæ succus*, qui sanguinem in gurgite stagnantem fluxilem reddit, venam dilatatam corrugat, pristinoque statui restituit, de legite nostram *Pyrotechniam*.

Cap. XVII.

De Oedemate.

Antiquiores medici œdematis nomine omnes omninò in genere tumores accepére, attamen recentiores per œdema certum aliquod tumoris genus intelligunt, & in specie œdema nuncupant. Est autem œdema tumor laxus, mollis, indolens, sine calore, & rubore, coloris subalbidi, in superficie utplurimùm lividus ob cutis distensionem, pressus à digitis digitorum foveas servat, quæ pigrè ad situm redeunt. Estque duplex, unum est tumor collectus, & circumscriptione definitus, sæpiùsque magnus, ac pressus digiti pressioni facilè cedens, atque impressionis vestigia aliquandiu retinens, isque propriè, & simpliciter œdema vocatur. Alterum est diffusus, & indeterminatus, ideòque non œdema, sed tumor œdematosus appellatur, ac sæpiùs in cachexiâ, tabe, leucophlegmatiâ, post quasdam febres occurrit, præcipuè in cruribus, atque ob majorem laxitatem impressionis digiti vestigium relinquit.

Signa.

Oedema facilè ex dictis cognoscitur, cùm sit tumor mollis, laxus, indolens, & si digito præmatur, non ægrè cedit, ac fovea, & digiti vestigium relinquitur. Est cum cute concolor, vel saltim subalbidus, abest ab eo calor, nec ulla, ut in aliis tumoribus, notatur pulsatio, & hæc signa ab aliis tumoribus œdema discriminant.

Omnes corporis partes tùm internæ, tum externæ possunt esse œdematis partes affectæ, cùm collectio humoris viscosi, ac aquei in hac, vel illâ parte facilè fieri possit, præsertim verò in extremitatibus quidèm manuum, & pedum, hic tumor observari solet ob loci declivitatem: Sunt itàque œdematis sedes vasa lymphatica œfferam lympham vehentia cum intemperie sanguinis viscidâ, & panco sale refertâ, hinc cùm vasa sanguifera comprimantur, lymphatica autem distenduntur, & oritur pallor.

Causæ.

Gal. 14. meth. cap. 4. & 2. ad Glauc. cap. 3. duplicem œdematis materiam, ipsumque œdema duplex descripsit, unum, quod fit ex pituitâ non siccatâ, ut scirrhus, sed ex eâ aquosâ, tenui, ac lubricâ. Hæc pituita continetur in sanguine, & si ità augeatur, ut expultricem stimulet, à naturâ è majoribus vasis ad minora exturbatur, & ad imbecilliora à nobilibus partibus proscribitur, donec tandèm suo pondere deorsùm ad extrema, & debiliora loca se deponat, ibique detineatur. Hinc colligunt vulgares, estò œdema in omnibus corporis partibus excitari possit, tamen in manibus, & pedibus præsertim, ut in cachecticis, hydropicis, & phthisicis observabile est. Eapropter œdema non ex templò generatur, sed sensim, quia hic humor pigrè procedit. Generatur pituitæ proventus, quæ œdema causat, sanguificationis vitio, & quia hepar per ipsos sanguificat, ipsum inculpant vulgares, verùm apud ipsos hepar est turpe ignorantiæ asylum. Alterum œdema non ut morbus, sed ut morbi symptoma apud Galenum habetur, ut in hydrope crurum inflatio.

Oedema multiplex est apud vulgares, ut de aliis quoque tumoribus dictum est; quoddam enim est verum, exquisitum, & legitimum, aliud non verum, illegitimum, sive spurium; verum fit à pituitâ secundum naturam dispositâ, nec scilicet putridâ, nec adustâ, fit ab eâdem insuper dulci existente, non salsâ, nec vitreâ, nec acidâ; non verum fit à pituitâ. p. n. dispositâ, vel scilicet putridâ, vel adustâ, vel salsâ, vel acidâ; exquisitum, & legitimum fit à pituitâ syncerâ, & simplici, nulli alteri scilicèt succo permistâ; spurium contrà fit ex pituitæ prædominio cum aliorum succorum in subdominio miscelâ. Et hoc rursùs est triplex, phlegmonosum scilicet in quo sanguis pituitæ admis-

admiscetur; erysipelatosum, in quo bilis pituitæ admiscetur; demum scirrhosum, in quo una cum pituitâ melancholici succi portio admiscetur.

Iohannes Philippus Ingrassias duplex œdematis genus constituere conatur, unum è pituitâ tenui, alterum è vaporoso spiritu, illud morbum, hoc symptoma statuit, quod phthisin, aquam intercutem, & cachexiam sequatur. Verùm etsi negandum non sit, incipiente fermentatione, quasi quædam cadavera intumescere, tamen in cachexiâ, vel phthisi pedum tumores œdematosos hoc modo fieri non facilè crediderimus, cùm talis fermentatio tùm non accidat, sed ex sero abundante in corpore decliviori se detinente, talem humorem fieri credibilius est. Et sit sanè, ut in partibus similaribus spiritus aliquis flatulentus colligatur, partemque in tumorem attollat, tamen is non propriè œdema est, sed Emphisema.

Fit œdema juxta recentiorum sententiam à succorum stagnatione in suis tubulis, cùm enim tubuli sunt patentes, & integri, succi circulare possunt, & nullus tumor succedere potest. Fit igitur œdema à seri stagnatione, quod per ductus lymphaticos Bartholini in renes traducitur, ut expurgetur per urinam: quoties itaque dicta vasa obstruuntur, illud stagnat, & œdema necessariò producitur. Obstruuntur vasorum lymphaticorum angustiora orificia à lymphæ visciditate, & crassitie, ac nova adveniens lympha cespitat, nec ulteriùs remeare potest, remoram contrahit, & assiduo affluxu vasorum tunicas distendit, & adjacentes partes in tumorem œdematosum assurgunt. Quandòque tanta fit hujus lymphæ in vasis aggestio, & in tunicas impulsio, ut fibræ ampliùs sese extendere non possint, & disrumpantur, ac per disruptos, vel distentos ductus lympha exstillet, & in adjacentes effluat partes, ibique sensim colligitur, & stagnat, quæ deindè aciditatis ope in lutuosum coagulum, seu gelatinam transit, non aliter ac si decocto cornu cervi acidum affunderes liquorem, in gelatinam mutatur.

Constat lympha ex alkalibus, & sulphuribus volatilibus, & fixis, ac phlegmate, dùm hæc principia suam servant simmetriam, æquali aguntur motu, nec lympha retardatur; at si ex his principiis volatiles resolvantur particulæ, necessariò lympha crassescit, remanet effœta, & excrementi indolem subit, nec in gyros agi, nec intra ductus absorberi, nec ad renes delabi potest, sed vitæ irradiatione destituta nullum habet motum intestinum, & proprio gravata pondere deorsum tendit. Subsequitur œdema morbum chronicum, & acutum, nullâ evidente causâ prægressâ, nisi quod in his morbis maxima sit spirituum deperditio, & pauca illorum reparatio, volatiles particulæ in sanguine dissipantur, & lympha, quæ ex sanguine à glandulis separatur, particulis suis volatilioribus destituta,

stituea, remanentibus sulphureis crassioribus, acidis, & pituitosis, & paucis alkalicis, necessario concrescit, & effœta remanet. Quandoque oboritur œdema, nullâ prægressâ causâ manifestâ, tunc sex res nonnaturales inculpare debemus; omnia enim ea conspirant, quæ vel volatiliora alkalia resolvunt, & dissipant, aut abundantiora acida sanguini, vel succis communicant, lympha nàmque à sanguine, & ejus sequestratione originem ducit.

Prognosis.

Œdema per se morbus periculosus non est, est tamen diuturnus, undè *Hip. lib. 1. prognost. 38.* inquit: *Tumor mollis, ac digitis cedens, dolorem non inferens, longiori tempore finitur, verùm non ità grave ab eo periculum pendet.* Rarò in suppurationem abit, sed plerùmque per resolutionem terminatur, sæpissimè verò per indurationem, sive conversionem in nodos, & excrescentias. Si resolventibus, & exsiccantibus remediis diù tractetur, tandem faciè indurescit, & in materiam nodosam, tophaceamve convertitur. Si in cruribus tumores œdematosi paulatim augeantur, & sensim assurgant, ac in ventre colligantur, in ascitem terminantur. Si œdema in locis osseis, ut sunt tibiæ, & coxæ, vel cavernosis, ut est pectus, existat, interdùm fistulam producit. In phthisi, cachexiâ, & hydrope ex dyscrasiâ laborantibus sæpè ægris periculum imminet, id non ob œdema accidit, sed ob morbos illos, quos œdema sequitur; eapropter distinguendum est, an œdema ex se oriatur, an alios sequatur morbos. Ubi tumor pedum œdematosus phthisin, vel hæmorrhagiam, vel hypercatharsin sequatur, pessimum est signum, & mortis adventum sæpè denotat. Aliquandò ob nimiam vasorum nerveorum compressionem, & salis volatilis defectum in succis, œdema in gangrænam, & sphacelum transit.

Curatio.

Tota vulgarium curatio in œdemate primo consistit in optimâ victus ratione, quæ non faciat pituitæ prouentum, unde victus laudatur ad calidum, & siccum vergens, potissimùm si œdema fuerit exquisitum; eapropter se abstineat æger ab omnibus succum pituitosum gignentibus, ut sunt omnes fructus, in primis & recentes, caseus, caro porcina, pisces, item potus, & cibus nimius, ne naturalis obruatur calor, & eo debilitato, cruditates generentur. Panis sit benè coctus, & fermentatus: à pane verò non fermentato se abstineat æger, olera, & jusculà sint rariora, caro assata præstat elixâ. Non conveniunt pisces, nisi saxatiles, & qui solidiorem habent carnem, qui & ipsi, sicut & alii cibi, aromatibus, & herbis siccantibus condiantur. Somnus diuturnus, ac meridianus, otium, & quies vitentur, quapropter somnus sit noctur-

nocturnus, & quidem brevior, vigiliæ, & leves exercitationes probantur, ut humiditates superfluæ absumantur, & calor nativus excitetur. Aër vitetur frigidus, & pluviosus, calidior, & ficcior commendatur, excitatis in cubiculo suffumigiis ex betonicâ, rore marino &c. etiam ex levi sulphuris odore. Alvinæ fæces quotidiè exturbentur, quòd nisi fiat, aliquid de aloë ante cibum assumere utile est, quæ alvum lenit, humiditates assumit, & exsiccat.

Secundò, in materiæ fluentis inhibitione, & fluxionis jàm factæ dissolutione curatio consistit; qua de re in exquisito œdemate sanguinis missionem tanquàm noxiam repudiant, quia nullo modo sanguis peccat, sed pituita, & ex sanguinis missione pituita magis incrudatur, convenire tamen ajunt, si à mensibus retentis, vel hæmorrhoidum suppressione originem ducat œdema. Si phlegmonosum fuerit, vel ex salsâ pituitâ genitum, aut cum febris, vel alicujus doloris præsentiâ, in pauciori copiâ administrant, & eò magis si ex suppressâ aliquâ sanguinis excretione ortum duxerit.

Deindè pituitam præparant *Syr. de cortic. citri, betonicâ, oximel. &c. cum aquis lemnissâ, lupulis &c.* præparatam medicamentis phlegmagogis evacuant, inter quæ summoperè commendant *mel. ros. solut. Syr. Suess. confect. Hamech, diaphœnic. diacatholic.* & maximè ad hoc valere prædicant *Agaricum*, ex quo etiam conficiunt pilulas ejusdem facultatis, ut sunt *pilulæ cochiæ, seu cephalicæ, Arabicæ, & aggregativæ*, & quoniam pituitosus succus ob sui crassitiem, & lentorem ineptus est evacuationi, illum per repetitas vices evacuant, & quoniam incisione, & absterfione eget, meritò commendant *salsæ parillæ, & corticum guajaci decocta*, quæ utrumque præstant effectum, tùm scilicet pituitam extenuandi, & incidendi, tùm etiam eandem evacuandi partim per sudorem, partimque per dejectionem, si decocta cum alvi solutione parentur, vel singulis ternis, vel quaternis diebus dejectorium aliquod pharmacum propinetur.

Quantum ad localia spectant, circà initia vulgares chirurgi locum œdematosum linteis calidis, & asperis priùs fricant, antequàm fotus, emplastra, cataplasmata, & linimenta applicent, ut pars frictionibus excalfiat; aliàs enim medicamenta non facilè in actum deducuntur ob partis frigiditatem. Deindè medicamenta, quæ exsiccandi facultate prædita sunt, applicant. In primis spongiam novam, etiamnùm prægnantem virtute aquæ salsæ marinæ, aceto infusam aquæ admisto, ex Galeni consilio, idque calidè, & in morbi principio adhibent. In defectu autem spongiæ omninò novæ, spongiæ loco stuppâ, vel duplici linteolo pariter madefactis, & expressis utuntur. Verùm vulgares, nescimus, qua ratione in œdemate acetum commendant, cùm apud ipsos frigidum existimetur, & nescimus, quomodò frigidum, cum ejus pater sit vinum, quod calidum existit;

existit; deindè scire vellemus, cur acetum exsiccandi vim habeat, quin potius humectet?

In augmento portiones addunt resolventia scilicet spongiam aliam novam in lixivio aceti, & modico aceto infusam, cui addunt quandòque alumen, vel salis, aut sulphuris ʒ iij. Nonnulli hoc utuntur linimento, ut

℞. *Ol. ros. complet. lib.* ß,
Aceti ʒ. ij.
Salis, &
Sulphuris ana ʒ. iij.
M. f. linimentum.

Deindè deligant ab inferiore sursùm versùs, ità ut ligatura in infima parte incipiat cum mediocri arctatione, & in altiori desinat, ut moris est in deligatione fracturæ ossis, quæ in suâ infimâ inceptione magis arctatur, ac deinceps paulatim remissiùs stringitur. Alii hoc applicant

℞. *Acaciæ,*
Aloës hepat.
Myrrhæ,
Croci
Musc. querni
Bol. armen. an. q. v.

& cum succi brassicæ, & aceti rosacei ana æquabili parte pulverem prædictorum attemperant in cataplasma, quod per aliquot dies applicant, augendo deindè aceti quantitatem cum adjectione modici aluminis pulverisati. Alii fomentis utuntur ex adstringentibus, & liquoribus, seu aquis naturâ, vel arte salsis, & nitrosis.

In statu, & declinatione ad validiora confugiunt resolventia, undè nonnulli commendant *in lixivio parato ex cineribus ficûs, vel vitis spongiam madefactam.* Utiliter usurpant *emplastrum quod ex rutâ, melle, & sale conficitur, cui aliqui cuminum* addunt, quod potenter resolvere dicunt. Probant alii *stercus bubulum*, quia emollit, & resolvit, *è quo cum sulphure, thure, melle, aceto, & brassicæ decocto fieri potest cataplasma.* Et quia *emplastrum de lapide pyrite* potenter discutit, & extenuat, illud frequenter usurpant. Verùm ex nimio potenter resolventium usu, tenuiori portiunculâ resolutâ, crassior indurescit, & ad Scirrhi naturam convertitur, quamobrèm ubi hæc aderit suspicio, admiscent simul cum prædictis resolventibus auxilia emollientia, ut sunt *axungia suilla, gallinacea, anatina &c.*

Si ad suppurationem tumor vergat, quòd rarò contingit, tunc suppurationem sollicitant, cataplasmate confecto ex *malvâ, viol. radicibus altheæ, lilior. ac duabus capis albis sub prunis coctis*, quibus etiam alii addunt *limaces numero septem, vel octo, decoctis his omnibus in caulium decoctione, addunt fermentum, pinguedinem suillam, & gallinaceam ad sufficientiam cum pauco croco.* Tumore suppurato, ad apertionem deveniunt, postmodùm ulcus regunt, ut in tumoribus suppuratis faciunt.

Hæc sunt vulgarium chirurgorum remedia pro œdematis curatione, sed palliativa potiùs, quàm curativa, nec in suppurationem abit, nàm non continet humorem ad suppurationem aptum, nec resolutivis auscultat medicamentis, quibus

quibus pro illo curando utuntur. Falluntur vulgares in œdematis causâ, & ægros quoque in remediorum applicatione fallunt, quapropter non mirum, si muscas in aëre venantur.

Oedema symptomaticum scilicet quod alium sequitur morbum, ut ex tabe, cachexiâ, hydrope, vel lienteriâ originem ducit, ægrè curari potest, nisi ipsi priùs morbo, à quo dependet, succurratur; eo enim primariò sublato, etiam œdema sponte evanescet.

In œdemate idiopathico, optimâ institutâ victus ratione, ea interna propinari debent medicamenta, quæ sanguinem, cœterosque succos ab aciditate purgant, quæ ductuum lymphaticorum obstructiones reserant, & quæ lympham, & gelatinæ instar coagulatam attenuant, & resolvunt. Ea itàque in lympham lutulentam volatiles intruduns particulas, ut eam ad motum suscitent, & calorem imprimant, usurpamus; lympha nàmque fluidior reddita tùm per urinam, tùm per sudorem exturbatur. Sanguinem, cœterosque succos à particulis acidis purgant alkalia, seu porosa, eas incuniando, obtundendo, & cicurando, ut *oculi cancrorum*, *crystall. mont. c. c. ebur prap.* & alia centies à nobis relata, cujusmodi etiam sunt salia volatilia, aromatica, & alkalia, quæ etiam per urinam movent.

Postmodùm ad ductus reservandos, & lympham attenuandam, & educendam, remediis incidentibus, & resolventibus lymphæ crassitiem, & lentorem utimur, ad quem finem adhibemus decocta & vegetabilibus plurimo sale volatili turgentia, & sudores moventia *ex radicibus chinæ, salsæparillæ, bardanæ, angelicæ, imperatoriæ*; *lignis guajaco, saxafras, buxi*, juniperi, *quercûs*; *herbis scordii, capill. Ven. &c.* in varias formas parata. Sed advertendum, quòd ante decoctorum usum, & in eorum cursu cathartica propinamus, quibus lymphæ quantitatem minoramus, ità est *conf. flor. persic. resina jalap. extractum mechoacan, & gutta gambæ.* Sæpè *radicis brioniæ decoctum* sufficit intrinsecùs exhibitum ad hos œdematosos fugandos effectus. Præter hæc ex vegetabilibus mineralia sudorifica commendamus *antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, & magnoperè Mercurium vitæ fixum, adempta vi emeticâ, & catharticâ*, qui sudores profundit. Locus, in quo æger decumbit, sit calidus, ut calor externus cum remediis internis simul operetur. Æger pro potu ordinario tincturam sassafras n. d. bibat, sed parciùs, quòd si quandoque sitis excruciet *spiritu salis dulci* compescatur. In œdemate proficua sunt ea omnia remedia in hydrope descripta: sed cùm lympha non tantùm per poros sudorum beneficio extruditur, sed ejus excretio per urinas, juvat ad diuretica confugere, ut ad *anodynum minerale, spiritum salis armoniaci, circulatum majus Paracelsi &c.*

Dùm hæc adhibemus non negligenda sunt externa, quæ lymphæ lutulentam, & coagulatam attenuent,

nuent, fluidiorem reddant, actualem excitent calorem ex particulis actis, & diluentibus, ac obstructos referent ductus, hujusmodi sunt fomentationes ex vegetabilibus aromaticis, & sale volatili constantibus, ut sunt *ruta, calamintha, absynthium, scordium, origanum, rosmarinus, semen cumini, fœniculi, bacc. lauri, juniperi, flores sambuci, meliloti, camomilla &c.* Vel cataplasma ex iisdem vegetabilibus cum *radicis bryoniæ* additione, cum *spiritu vini* calidè applicata. Vel balnea *ex sale armoniaco, sulphure, nitro, cineribus clavellatis*, & supradictis vegetabilibus in vino decoctis; quibus peractis, spirituosa penetrantia, rarefacientia, & fortiter resolventia illinimus, ut lympha lutuosa dissolvatur, fluidior reddatur, & per affectæ partis poros exhalet, vel per urinæ ductus devehatur, hujus energiæ sunt *oleum philosophorum, macis, spiritus vini, camphora, florum sambuci, vel aqua Regina Hungariæ.*

In tibiarum ulceribus inveteratis frequenter tumor œdematosus occurrere solet, qui diuturnitate adeò confirmatur, ut postmodùm medicamentis reluctetur, & in quibusdam per totam vitam ità perduret, ut semper ipsis unum crus sit altero crassius.

Cap. XVIII.

De Furunculo.

FUruneulus Græcè Dothien appellatur, Arabicè verò clavus, vel spina nominatur, vel quia in acutum desinit clavi, vel spinæ instar, vel quia punctionis sensum non rarò excitat ad modum spinæ, vel clavi. Definitur furunculus à *C. Celso lib. 5. cap. 28. Est tuberculum acutum cum inflammatione, & dolore, maximèque ubi jam in pus convertitur.* Dicitur tuberculum ad differentiam phlegmonis, & carbunculi, qui ex dictis sunt in tumorum genere, quod autem tuberculum sit parvus tumor, in principio mentionem fecimus; ex quo sequitur, quòd furunculus sit quædam parva inflammatio ovi columbini magnitudinem non excedens. Ut plurimùm furunculus noctù oriri solet, undè censent nonnulli talem appellationem sortitum esse, quia furis instar invadit. Non desunt, qui arbitrantur furunculum dictum esse, eo quod repente, & subitò invadit, ut fur parvus facere solet.

Signa.

Furunculorum signa ex dictis liquent, nàm à primordio exigua pustula, & inflammatio sensim excrescens apparet cum ardore, & duritie, eorumque eruptionem horror, rigor, & febris comitari solent. Dolor est valdè intensus, & præsertim cùm ad suppurationem tendunt, adest pulsatio, & calor cum maximâ totius artûs inflammatione. Diversæ sunt magnitudinis, ut plurimùm in tuberculum acutum clavi instar tendunt, quod ovi columbini magnitudinem non superant. Cutem non extuberant,

tuberant, & vix roborem cum dolore aliquandò in cutis superficie producunt. Alii minores, alii sunt majores, rarò solus advenit, mult in eodem loco producuntur. Si unus abit, alter revertitur, & hoc per menses aliquot sæpè durare solet, rariùs sponte evanescunt, sed utplurimùm in suppurationem abeunt, tunc febrem inducunt, & suppuratam materiam intùs continere tumores signum est, quamvis per alia signa id non constet. Materia, quæ prodit, valdè tenax est, lutuosa, & coagulata, aliquandò cum sanguine mista. Sæpè foraminula in cutis superficie exhibent, per quæ humor stagnans subtilis emanat, & aliquandò durities excutitur. Si sævi, & pravi fuerint, admodum dolorosi esse solent, præsertim dùm in pus vertuntur, & præcipuè si fuerint in locis nervosis. Si maligni, & pestilentes fuerint, sunt nigri, & virides, adest febris maligna, & pestilens, & alia prava symptomata.

Causæ.

Oritur furunculus, ut *Gal.* docet 5. *de comp. med.* 5. *loc.* ex sanguine crasso, & vitioso, non tamen ità exusto, & corrupto, ut in carbunculo, quem natura à reliquo secernens, tanquàm inutilem, & infensum in summâ corporis superficie propellit, atque ità furunculus oritur in cute, & carnosis partibus cuti subjectis. Verùm has Galeni nænias cap. 8. De carbunculo refutavimus.

Immediata furunculi causa est serum crassius in sanguine particulis tenacibus, caseosis, & lutulentis imbutum, in quibus salia alkalia sunt grossiora, & graviora, nec sanguis, per universum corpus, per venas, & arterias circulare potest, nisi per ampliores glandularum poros, at cùm ad glandulas miliares, in angustioribus earum poris, in partibus musculosis, & carnosis pervenit, stagnat, & hæret, nullam sensibilem perturbationem in sanguine, nullamque in corpore alterationem ob materiæ visciditatem inducunt, ab acido sollicitatur hujus seri coagulum, particulæ tenues, seu fluidæ à crassis separantur, ac continuo affluxu pars valdè distenditur, & in sanguine vehementior excitatur ebullitio, dùm particulæ ramosæ nullo modo à cruore subigi, & resolvi, ac obstructos meatus foràs extrudi non possunt, fit tumor ovi columbini magnitudinem non excedens.

Prognosis.

Furunculus mitis, & benignus omninò periculo vacat, etiam si nulla adhibeatur curatio; maturescit enim per se, sed tardiùs rumpitur, & sanescit, ast dolor cogit, ut potior adhibeatur medicina, quæ maturiùs liberet. Ex furunculis salubriores sunt, ac minùs timendi, qui extrà extuberant, & acutè sunt fastigiata, ac æqualiter matureſcunt, non duri, neque bifidi, seu deorsùm vergentes. Contrà verò qui profundior

vitæ periculo non vacat; plerumque enim ob dolorem, & vigilias, quas excitat, non parùm molestus est, quinimmò & febres affert, & maximè si vitiosus adsit in corpore apparatus, specialiter periculum minatur, ne in carbunculi naturam degeneret. Diù sæpè durant, ac facilè recidivant, si unâ in corporis parte aperiantur, & curentur, in aliâ iterùm repullulant. Quandòque in ulcera transeunt diuturna. Difficillimæ curationis sunt furunculi, qui aperti foramen profundum, & rotundum excavant. Maligni demum, & pestilentes, vel epidemici ratione venenatæ qualitatis, cujus sunt participes, nulli dubium est, quin sint periculosissimi.

Curatio.

Nostrates chirurgi in furunculi curatione victum refrigerantem instituunt, eodem ferè modo ac in affectibus inflammatoriis faciunt, ad fervorem, & antecedentem materiam minuendam perperàm phlebotomiam præscribunt, deindè ad medicamenta deveniunt localia, circa quæ nunquàm repellentibus, & resolventibus utuntur, sed solis maturantibus. Inter maturantia ridiculum laudat medicamentum *Galenus, scilicèt frumentum ore mansum, & ad cataplasmatis formam redactum*, & loco impositum. *Celsus* commendat *galbanum, resinam, & fermentum*, vulgares autem chirurgi utuntur *diachylone simplici*, quod singulis diebus mutant.

Si affectus admodùm urgeat, adhibent cataplasma de micâ panis, quod ità concinnant:

℞. *Micæ panis alb. in lacte maceratæ*
Per plures horas lib. ß.
Olei rosarum ℥. ij.
Vitell. ovor. num. iij.
M. f. cataplasma.

Lenito aliquantulùm dolore, ad maturationem juvandam extollunt cataplasma ex *foliis maluarum, & violarum decoctis, & contusis, additis pulpâ passularum, adipe gallinæ, & fermento*, factâ maturatione, vel furunculum aperiunt, vel expectant, ut disrumpatur, & expurgetur digestivo, digestum replent, & ad cicatricem deducunt.

Malignos demùm, epidemicos, & pestilentes curant attrahentibus, cucurbitulis scilicèt pullis gallinaceis, causticis, vesicantibus, & si opus fuerit, actuali utuntur igne.

Furunculi mites & benigni cutem solam, ex dictis, occupantes, medici opem non exposcunt; ferè enim ex seipsis maturantur, maturati disrumpuntur, disrupti, & expurgati sanescunt. Sævi, & rebelles sub cute subjectas occupantes partes, sunt adeò molesti, ut chirurgi auxilio, & curatione indigeant, ac propterea indicatio curativa est, ut lympha lutulenta, ejusque coagulum in sanguine impediatur, & circulatio excitetur: hoc obtineri potest, si acidum in sanguine obtundatur, ejusque crassities attenuetur, ad quem finem conducunt diaphoretica fortiora, & fixiora, ac absorbentia, ut *stibium diaphoreticum, lapis cancrorum*,

crorum, c. c. & ebur sine igne parata &c. Item salia alkalia, & volatilia, ut *cardui benedicti, salis armoniaci, c. c. Viperarum &c.* similiter *vinum martiale.* Diuretica magnoperè etiam commendamus. Non contemnenda sunt in hoc affectu decocta *radicis chinæ, salsa parillæ, & bardanæ, ligni sancti &c. cum antimonio crudo in nodulo.*

Cæterùm hæc interna medicamenta inserviunt tantùm ad præcavendos furunculos imposterùm, ne aliorum productioni detur occasio, aliter per plures menses artus divexare solent. Qui actualiter infestant, cave, ne discutientibus tractentur, sed potiùs suppurantibus, aliàs materia diù retenta profundiùs excavat, & corrodit. Si inflammatio vehementer urgeat, *cataplasma ex theriacâ, vel diascordii* tepidè superponatur. Suppurant hos tumores, & particulas coagulatas, & lutuosas ad motum intestinum concitant medicamenta, quæ ex materiâ subtili, sale volatili, & oleo balsamico constant, quorum ope particulæ stagnantes ad suppurationem promoventur, undè suppuratio facilè sequitur, hujusmodi sunt *emplastrum Benedictum nostrum, vel fodicationum*, quod furunculo superpone, & terno quoque die renova, nàm summoperè continentes roborat partes, & pravam materiæ qualitatem immutat. Suppuratus furunculus, nisi sponte erumpatur, ferro, & quò citiùs, eò meliùs, aperiendus est, ut materia educatur, postmodùm mundificandus, & ut sinus regendus.

CAP. XIX.

De Epinyctide.

EPinyctis græcorum tumor est, quem nos nocturnum appellamus, non quòd noctù oboriatur, sed quia horis nocturnis dolorosissimus est hic tumor, diuturnis verò à dolore cessat, ea propter epinyctidem illum dixêre. Putârunt nonnulli noctù illum oriri, & noctù vehementiùs excruciare; verùm utraque ratio simul constare potest, & tumorem hunc noctù enasci, & noctù excruciare. Describitur à *Celso: Pessima pustula est, quæ epinyctis vocatur. Ea colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba esse consuevit. Circa hanc autem vehemens inflammatio est, & cùm adaperta est reperitur intus exulceratio mucosa. Color est humori suo similis. Dolor ex eâ supra magnitudinem ejus est, neque enim ea fabâ major est; atque hæc quoque oritur in eminentibus partibus, & ferè noctu: Undè nomen quoque à græcis ei epinyctis impositum est.*

Confundunt nonnulli epinyctidem cum termintho, verùm terminthus est tuberculum ità dictum, quia in colore, & magnitudine simile est terebinthi fructibus, *Galeno teste 6. epid. sect. 3. com.* 37. undè appellatur albothin: quare terminthus propriè est tuberculum in quo nigra pustula eminet, in colore, substantiâ, & magnitudine similis est terebinthi fructibus, potissimùm in crutibus, & infernis locis oriens. Quinimmo non pau-

ci arbitrantur epinyctides esse pustulas illas, quæ ab *Avicennâ lib. 4. fen. 7.* appellantur esseræ, vel sairæ; nàmque de his pustulis docet *Avicennas*, consentire videntur cum iis, quæ de epinyctide docet *Celsus* loco citato, habet enim *Avicennas*, quòd *Esseræ est pustula parva, lata instar vesiculæ, ad alicqualem tendens rubedinem, quæ subitò utplurimùm evenit & quandòque ab eâ effluit humiditas, quæ fortasse est sanguinea, & noctù utplurimùm evenit, vel in eâ augetur eius vehementia, & malitia, & pruritum faciens, & angustiam.*

Creditur quoque à nonnullis has epinyctides esse eas affectiones, quæ à nostratibus mulieribus dicuntur roseolæ saltantes, ob similitudinem accidentium, quam habent; primò enim in nostris roseolis saltantibus conspicitur macula quædam subrubra rosam quodammodò referens, undè factum est, credimus, ut roseolæ fuerint appellatæ, quasi parvæ rosæ instar. In hujus maculæ medio percipitur exiguus quidam tumor, fabæ, aut lupini magnitudinem non excedens, suprà quem color apparere solet magis ad fuscum tendens, vel sublividum, ut de epinyctide citato loco docet Celsus. Quinimmò interdùm supra idem tuberculum exigua aliqua pustula apparere solet, si non à principio, temporis saltem progressu. Secundò in hujusmodi maculis, & proximis in partibus dolor non levis sæpè cruciat, plusquàm magnitudini illius affectus convenire videatur, cùm maculæ non sint admodùm latæ, dolor tamen, & cruciatus sit admodùm vehemens, ut pariter de epinyctide docet Celsus. Tertiò, licèt roseolæ saltantes plura interdùm corporis loca occupent, frequentiùs tamen in brachiis, tibiis, prope manus, & pedes, ac etiam prope genua oriri solent, quæ loca, eodem authore Celso, dici solent eminentes corporis particulæ, & in eisdem epinyctides nasci affirmat. Sunt denique roseolæ saltantes noctù præsertim molestissimæ; nocturno enim tempore exacerbantur magis, & vehementiori dolore excruciant, ut in epinyctide ex eodem Celso accidere retulimus. Quamobrem ex dictis inferri posse videtur nostras roseolas saltantes non esse eundem affectum cum græcorum epinyctide, vel saltèm simillimum, nàm si aliqua inter eos intercedat differentia, illa existit, quòd epinyctis sit pustula ulcerosa i. ad ulcerationem tendens, vel ulcerationi adjuncta, nostræ autem roseolæ saltantes ferè nunquàm in exulcerationem terminantur, licèt quandòque, rarò tamen aliquam excitant in medio pustulam.

Signa.

Horum tumorum signa describere non est opus, cùm ex dictis facilè innotescant; sunt nàmque pustulæ, quales ab aqua fervente excitantur, suâ sponte nocte præsertim infestantes. Interdum sunt sublividæ, & nigricantes, nonnunquàm rubræ, & albæ cum inflam-

flammatione vehementiori, atque dolore, vix fabæ magnitudinem excedentes.

Causæ.

Epinyctidum causæ apud vulgares sunt humor salsus, serosus, & pituita, cui modò sanguinis, modo bilis portio, modò melancholiæ admiscetur, undè colorum diversitas pendet. Noctù magis inquietat, & exacerbatur, quia ater humor noctù prædominari, & moveri solet, & nocturnum frigus cutis poros magis adstringit. Verùm errant vulgares in epinyctidum assignandâ causâ, quia in humorum quaternario perpetuò, tanquàm sues in cœno, volutantur, nec ullum morbi genus, quod humanam adoritur vitam ab aliâ pendet causâ, nisi ab horum humorum combinatione.

Vera itàque & genuina epinyctidum causa materialis juxta nostram sententiam est lympha à sanguine separata, & glutinosior reddita, & turgens particulis salinis, & acidis minùs volatilisatis, sub tubulis cutaneis stagnans, & quia viscidior ad exhalationem est ineptior, non potest cum particulis per cutis poros exhalare, undè aggesta pustulas elevat. Noctù magis infestant epinyctides, quàm die; nocturno enim tempore ob majorem pororum obstructionem minor fit, lymphæ, & particularum præcipuè transporatio, quòd non contingit de die. Excitatur in his tumusculis inflammatio à sanguine in suis vasis compresso, ob quam compressionem in suo motu retardatur, & stagnans excandescit, & inflammationem parit. Conspicitur color ater, vel sublividus à radiorum luminarium suffocatione. Dolor excitatur à particulis acutis cutis texturas lacerantibus.

Prognosis.

Epinyctides sunt affectus non pernicioli, doloris tamen ratione, & nocturnæ inquietudinis, maximam pariunt molestiam, qua de re celerem, & rectam exponunt curationem, qua neglectâ non solùm maximam cuti defœdationem inferunt, & facilè exulcerantur, & non facilè curantur, sed etiam in carbunculos degenerare possunt. Aliquandò sine febre infestant, quandòque cum febre, & nunc levior, nunc gravior observatur, verùm horum vesiculæ pravam sapiunt qualitatem, ac si febrem comitentur acutam, ut plurimùm sunt lethalia signa, præcipuè si epidemii, vel pestilentes fuerint epinyctides.

Curatio

Hujus affectus curationem triplici intentione complent vulgares, primâ idoneâ victûs ratione, secundâ materiæ antecedentis ablatione, & tertiâ materiæ conjunctæ extirpatione. Quantùm itàque ad primam, utile est cibum imminuere, & ab omnibus acribus abstinere, juvat vitare omnia salsa, frixa, & mali succi cibaria,

cibaria, ac etiam aromatum, vinorum meracium &c. usus.

Pro secundâ sanguinem mittunt, ad ejus fervorem sedandum, semel, vel pluries, prout expedire videbitur, & sedis venas aperiunt, præcipuè si evacuatio aliqua suppressa fuerit. Corpus à pravis purgant succis, qui sanguini admisti prædictum excitant affectum, melancholici scilicet & pituitosi, & iis utuntur præsidiis, quæ succos prædictos purgandi vim habent, hujusmodi sunt *Syr. de fumar. mai. fuess. cassiâ, syr. ros. solut.* & hoc genus alia, sed venæ sectio, & purgatio plus nocet, quàm juvat.

Quantùm ad tertiam adversus materiæ conjunctæ in hoc affectu extirpationem, communis, & consueta doctrina habetur per incisionem, vel scarificationem pustularum, ea adhibetur tali conditione, ut sanies, quæ in epinyctide continetur, effluere permittatur, egressâ sanie locum digerunt consueto digestivo ex ovi vitello, terebenthinâ pluries lotâ, addito etiam oleo rosaceo, & si timeatur, ne ulcus in aliquam desinat corruptelam, ad illam corrigendam miscent digestivo prædicto præcipitati nigri pulverem ad gran. duo, vel plura, prout usus exposcere videbitur, & tandèm locum digestum consolidant, & cicatrizant.

Epinyctidum nostra curatio in massæ sanguineæ à particulis salinis, & acidis depuratione, lymphæ crassioris attenuatione, & hujus foràs exturbatione per suas emunctoria consistit. Omnem harum indicationum paginam absolvunt Diaphoretica temperatiora, ut *sulphur auratum diaphoreticum, cinnabaris antimonii, stibium diaphoreticum, lapis bezoar, gelatina cornu cervi &c.* Itèm decocta sudorifica ex lignis, & radicibus parata, similiter diuretica, ut *anodynum minerale, spiritus vitrioli Martis, salis dulcis &c.* quæ particulas acutas per urinæ ductum educunt. Ad nocturnas epinyctidum infestationes multùm conducunt *anodyna*, quæ præter hanc energiam, etiam sunt diaphoretica.

Quoad topica præstat pustularum ablutio *oleo tartari, spiritu matricali, vel spiritu vini camphorato &c.* Vel apertas pustulas *aquâ theriacali* abluimus. Vel has *emplastro fodicationum* tutò curamus; emplastrum enim hoc sanguinis ichorem immutat, dulcem reddit, cutis bullas aperit, & remanens ulcus consolidat. Idem præstat *limacum cum corticibus emplastrum*, si optimè terantur. Si febrem comitem habeat, & præsertim pravam sapiat qualitatem, præsentaneum remedium erit *emplastrum filii Zachariæ, & theriaca ana.*

Cap. XX.

De Esseris.

Est quoddam tumorum genus, qui ab strabibus esseræ nominantur, & sunt tubercula parva ad rubrum vergentia, durius-cula, cum insigni pruritu, statim universum obsident corpus, non aliter

aliter ac si ab apibus, vel vespis, vel culicibus homo demorsus, aut urticis percussus esset; attamen non diù perseverant, sed evanescunt, nullo ichore, nullâque humiditate effluente, & cutis colorem, & lævitatem pristinam adipiscitur. Aliqui hoc tuberculorum genus ad epinyctides referunt, sed perperàm; nàm diversi sunt tumores epinyctides, & esseræ, cùm epinyctides sint tubercula cum pustulâ lividâ, vel subnigrâ, vel alba, ad ulcerationem tendentia, quæ saniem effundunt, quod non faciunt esseræ, quæ absque emanante humore evanescunt. Insuper epinyctides noctu potissimùm infestant, undè nomen sortiuntur: esseræ verò rarò noctù erumpunt, sed plerùmque de die, & utriusque tumoris diversa est curatio.

Signa.

Ex notis suprà descriptis horum tuberculorum signa facilè patescunt; nàm interdùm lassitudo ulcerosa præcedit, tùm tubercula per totùm corpus insigni pruritu erumpunt, ac si homo ab apibus, vel vespis, vel culicibus punctus, vel urticis percussus esset.

Causa.

Vulgares pro talium tuberculorum causâ humorem bilioſum, vel pituitosum mordacem, & volatilem accusant ab hepatis vitio, vel à causâ procathartica genitum; Verùm vulgares sunt de genere rabulanorum, & semper easdem repetunt nænias.

Pro nostrâ sententiâ dicimus esserarum causam materialem esse lympham in suis conceptabulis à causis procathartics agitatam, & expressam, ac effervescentiam parere, undè à dictis tubulis evasatur, cutis porositates angustantur, & solummodò materiæ æthereæ subtilissimæ datur commeatus, ac celeriùs commota fibrillas variè verberando inflammationem parit, & sub cute hujusmodi efformat tubercula, sed quia tota transpirabilis est, sponte evanescunt, & non suppurantur. Sunt hæc tubercula pruriginosa, quia in lymphâ diaphoretica coërcentur salia, & ob morulam exaltantur, & pruritum excitant, donec in auras abeant.

Solent quandòque hæc tubercula, ut multoties nos observavimus, dùm ægri in loco calido sunt, emergere, & dùm frigido sese exponunt aëri evanescere; Quandòque contrà, in frigido emergere, & in calido evanescere: quorum prius ideò accidere videtur, quia materia valdè mobilis, & tenuis est, & ab ambiente aëre frigido statim intropellitur; posterius verò, quia ità mobilis, & tenuis non est, sed paulò crassior, quæ propterea in aëre frigido transpirare non potest, in calore verò transpirat.

Prognosis.

Esseræ brevi temporis intervallo, etiam nulla adhibitâ curâ spon-

te evaneſcunt, propterea non ſuppurantur, nullaque ex iis humiditas effluit; quòd ſi quandòque accidat, id potiùs ſcalpturæ ratione, ac ob vehementem pruritum, qui ægros moleſtat, quàm ob tumorem. Interdùm eſſeræ febres antecedunt, eapropter qui hiſce frequenter moleſtantur tuberculis, curationem non negligant, ne in febres, & gravius incidant malum.

Curatio.

Diæta refrigerante, & humectante inſtitutâ, ad ſanguinis, & humorum fervorem compeſcendum vulgares venæ ſectione, alterantibus, & evacuantibus utuntur. Sanguinem pluries detrahunt juxta corporis conditionem. Verùm phlebotomiâ oppoſitum ex diametro motum cauſant, ex quo malum pejorare poteſt. Deindè humorem compeſcunt bilioſum *ſucco, & ſyr. granator. de Ribibus, agreſtâ, ſerò lactis, emulſione quatuor ſeminum frigidorum*, vel ægri corpus in *aquæ tepidæ balneum* immergunt. Tandèm humorem detrahunt bilioſum *tamarindis, myrobolanis, rhabarbaro &c.*

In eſſeris plerùmque non eſt opus, ut ad topica confugiamus, tantummodò totius curationis cardo conſiſtere debet in lymphæ volatilis cum particulis ſalinis reſolutione per diaphæreſim, vel ſudorem; eapropter maximoperè commendamus *mercurium diaphoreticum, bezoar. minerale, ſulphur. auratum diaphoreticum, ſtibium diaphoreticum, tincturam antimonii, ſal volatile viperar. cardui ſancti &c.* ut

℞. *Sulph. aurat. diaph. gr.* vij.
Stibii diaph. gr. x.,
Bezoar. mineralis gr. iij.
Tinct. antimonii ℈. j.
Syr. card. bened. ℥. ſ.
Aquæ bardanæ, vel
Scabioſæ ℥. iij.

Diuretica quoque hùc revocari poſſunt, & præcipuè quæ cap. 17. de œdemate deſcripſimus. Ad iritatum ſpiritum, & pruritum ſedandum anodyna commendamus, quia ipſum pacant, & diaphoreticâ potiuntur energiâ, ut nos ſummo cum juvamine in hoc affectu multoties exhibuimus. Si quandòque ad topica deveniendum eſt, utiliter eſſeræ illinuntur *aquâ vitrioli calidâ*, propter rationes, quas cap. 2. de inflammatione recenſuimus. Vel *lixivio Reguli antimonii, vel aquâ plantaginis cum Mercurio dulci, vel oleo tartari cum oleo amygdalarum dulcium*, vel omnibus illis remediis, quibus ſcabies curatur.

Cap. XXI.

De Scabie.

Scabies Latinis, Græcis pſora, puſtularum genus eſt, quæ non ſolùm univerſam defœdat, & commaculat cutem, ſed ejus actiones & lævitatem lædit; tantummodò cutis vitium eſt, quia etiam in optimâ valetudine per contactum ab uno ad alium transferri, atque etiam iterùm ſolâ inunctione curari poteſt. Duplex eſt ſcabies,

una

una humida, altera ſicca. Humida, in qua materia humida, & ſanioſa ſimul effluit; ſicca verò, in qua parum, vel nihil ejuſmodi materiæ emanat, & *caninam* vulgus appellat.

Nonnulli medici peculiaris ſcabiei mentionem faciunt, quod malum mortuum nominant, quia corpus nigrum, & quaſi mortificatum videtur, quæ eſt ſcabies cum livore, & nigredine, ac puſtulis cruſtoſis, nigris, fœdis, ſine ſanie, & ſenſu, ac dolore, in coxis, & tibiis præſertim.

Signa.

Scabies notiſſimus, & frequentiſſimus morbus eſt, nàm contagioſus exiſtit, & contactu ſani cum ſcabioſo, in ſano producitur, ac pro corporis diſpoſitione in cute vel ſiccas, vel ichore turgidas producit puſtulas; ubi incipit, acredine ſuâ ità mordicat, ut vehemens excitetur pruritus, à ſcalptione, & conſtrictione talis delectatio percipitur, ut impoſſibile ſit ſcabioſum ſe abſtinere, poſt conſricationem dolor, & ardor, ac cuticulæ, & cutis corrugatio accedit. Præſentis ſcabiei ſigna viſui ſeſe offerunt, & cognoſcuntur ex moleſtiſſimis ægri cruciatibus, præſertim noctu, dùm ægri in lecto incaleſcunt, & fermentatio major excitatur. Cutis exaſperatur, prurit, & quò magis ſcalpitur, eò magis excitatur pruritus maximâ cum delectatione, & cutis eroditur. Puſtulæ aliquandò majores, aliquandò minores, modò humidiores, modò ſicciores, aliæ quaſi confluentes. Puſtulis ruptis, & apertis, fiunt ulcuſcula, à quibus aqua effluit, & ſenſim gummi inſtar concreſcit; non enim ſimplex aquoſitas eſt, eſtò aqua limpida videatur, ſed corporis ſuccus, qui ſemper gummeæ eſt naturæ, & ab externâ aurâ frigidâ in cruſtas concreſcit: perfricta verò ulcuſcula interdùm etiam purulentas puſtulas ſimul producunt, quæ apertæ pus, vel aquoſitatem profundunt. Sufficit non tantùm, ut condormiendo cum ſcabioſo in eodem lecto, vel ejus utendo veſtibus, ſèd ſat eſt, ut minima, & extrema aliqua corporis pars contagium recipiat, ut infra paucos dies per totum ſe diffundat corpus. Refert Helmontius ex chirothecâ ſcabie infectâ ſe ſcabiem contraxiſſe, & nos annis elapſis cùm mulieri Hiſpanæ ſcabioſæ eryſipelate correptæ mederemur, ex pulſûs attactu infra tres dies ſcabiem etiam contraximus, quam illicò aquâ mercurii meteorizati manus, & brachia ter abluendo intercepimus.

Cauſa.

Vulgares, neſcimus, quid ſalſæ pituitæ, vel bilis flavæ in ſcabiei cauſam materialem adducunt, & verè cachinno ſunt digni in re tàm manifeſtâ, in qua ſaniſſimo exiſtente corpore, nulloque peccante humore, ſcabies exteriùs advenit, cutem inficit, eamque diſponit, ut quicquid nutrimenti eò pertingit, in putidum

corrumpatur ichorem, qui dùm cutis fibras vellicat, pruritum producit intolerabilem.

Certissimus ìtàque unusquisque esse debet, quòd scabiosa corpora nullibi vitium fovent, præterquàm in cute; viscera omnia, & partes sub cute omnes, nisi aliundè læsæ fuerint, optimè valent, proprias functiones exactissimè exercent, optimumque producunt nutrimentum, verùm quia id in cute vitium invenit, illud contrahit, & suâ degenerat indole, ejusque partes ità disponit, ut urticæ instar acutissimè mordeat.

Pro scabiei causa Galenicorum sententiam tanquàm ridiculam, & verè puerilem repudiamus, nàm non ex vitiosis, biliosis, adustisque humoribus, neque ex hepatis intemperie suum desumit genesim; impossibile nàmque censemus ex contactu, quadrantis horæ spatio contractam hepatis intemperiei refundi posse, nàm sic insonte hepate, effectus esset ante causam. Scabies ìtàque secundum nostram sententiam pro causâ peregrinum cognoscit hostem, & pellis est ejus natale solum.

Ichor, & halitus è corpore scabioso emanantes sani corporis cutem vitiant, eosdemque affectus in cute producunt, in qua sunt noviter impacti. hoc evenit, quia scabiei ichor sal acidum subtilius continet, hinc facilè per sudorem, halitum, vel contactum in manibus, vel aliis corporis partibus communicatur cutis poris, & totam cutem contagione imbuit. Quomodò id fiat, res est in arte medicâ apprimè necessaria; ut sciatur, & cardo est, cui omnes morbi, qui fermentales à Neotèritis dicuntur, innituntur; Verùm de hac profundissimâ indagine fusiùs egimus *lib. 2. De luè Venereâ cap. 5. De luis Venereæ essentiâ*, quæ etiam ab externâ propagatur labe, tantæ consequentiæ materiam, & à nemine, quem sciamus, hactenùs pro dignitate examinatam expositimus.

Sufficiat hìc scire scabiem suum habere in cute hospitium, in qua apparet, ejusque materiam nullibi in corpore, præterquàm in ipsâ cute produci, in qua quicquid à partibus internis, licèt perfectissimum emandatur, vitium contrahit, & in scabiei materiam substituitur. Ichor, vel halitus in scabioso corpore, linteo, suppellectile infectâ progredientes sale acido subtiliori imbuti, sanæ cutis poris adhærentes, vel impingentes, eos obstruunt, & ità inficiunt, ut laudabile ab internis partibus nutrimentum in cute emandatum sensim in suam indolem transmutent exotici fermenti instar, & per mirabile rete, id est per universam cutis texturam sese diffundunt, non aliter ac amphora una aceti vini dolium in acetum convertit, vel pastæ fermentatæ uncia una sensim quantavis azimæ pondera in fermentatam transmutat.

Pro cutis texturæ, & ichoris acredinis diuersitate nunc humida, nunc sicca emergit scabies; nàm si laxior erit, & particulæ acriores, dicetur humida, & ichorosa cum materiâ purulentâ,

&

& sæpè ab erosis vasis sanguiferis cruenta: si cutis tortura erit densior, seu strictior, appellatur sicca cum squamis majoribus, vel minoribus, ob diversorum vasculorum adeorum multitudinem, & materiæ visciditatem, cum pruritu, ac ardore, decidentibus pustulis novæ succedunt.

At dices, aliquandò à pravorum humorum redundantiâ absque contagio externo pustulæ pruriginosæ in cute producuntur: datur itàque casus, in quo è profundis corporis partibus scabies producitur in cutis superficie.

Concedimus libenter produci posse pustulas pruriginosas in cutis superficie à pravâ succorum illuvie in corpore stagnante; attamen pustulæ hoc modo productæ contagium non habebunt, quod est scabiei proprium, stabunt tales pustulæ sine contagio sub alio nomine, nàm vel sub epinyctide, vel esseris, vel sub herpete simplici, vel miliari, vel esthiomeno militabunt, & distinctis remediis ab iis, quæ scabiei conveniunt, curantur.

Iterùm dices, multa corpora lue Venerea contaminata in scabiem Gallicam prorumpunt, quæ contagiosa est, attamen à corporis penetralibus originem ducit.

Respondemus, quod contagium Gallicum adhuc ab externo concipitur, estque scabiei contagio analogum, ac propterea licèt à corporis penetralibus in cutem feratur, postquàm cutem contaminavit, veram scabiem ibi produxit proprio fomite subsistentem, quæ nullo modo conservatur ab humoribus è corpore emergentibus, sed producto proprio, quod experientiâ convincitur; nàm nisi eam remediis externis, quibus curatur scabies non Gallica, curatur & perfectissimè scabies Gallica absque eo, quod virus Gallicum intra corporis diffusum habeat, externis remediis.

Dices tertiò, vel dandus erit in scabiei contagio processus in infinitum, vel aliquandò absque contagio externo hic morbus incepit ex humorum vitio in corpore glisscentium: non implicat ergò ex internorum succorum vitio scabiem produci posse.

Respondemus verum esse aliquando scabiei contagium humorum internorum fuisse productum in cute, attamen postquàm productum fuit, ut conservetur, internis vitiosis non indiget succis, sed materiâ propriâ perseveravit; idque nunc etiam accidere potest, & in hoc casu duobus laborabit morbis æger, vitio scilicèt internorum succorum, & scabie occasionaliter tantùm à dictorum succorum vitio productâ: nàm potest medicus internos succos vitiatos appropriatis pharmacis purissimos reddere, attamen perseverabit scabies; contrà potest scabiem specificis in cute perimere, vitiosis remanentibus in corpore succis. Scabies itàque cutis est tantùm morbus fermentalis per contactum in sanum corpus se insinuans.

Prognosis.

Scabies non tàm pernicioſa eſt, quàm moleſta, tamen ob ingentem pruritum non tantùm moleſtior eſt, verùm & omnibus inviſiſſima, quia per contactum in ſana ſe propagat corpora. Nec per ſe lethalis exiſtit, imò medicorum vulgus, quos ſtolida ſequitur plebecula, ſcabiem bonam eſſe, & ſalutarem, ut ſignum, nàm multos morbos curat, & ab aliis præſervat, quatenùs ſanguis liberatur ab impuritatibus; malam eſſe, ut cauſam, quatenùs pravos ſuccos in maſſa ſanguineâ abundare perperàm credit: nihilominùs ſemper tuta non eſt, ſi enim ob hominis ignaviam, vel puſillanimitatem non abſtergatur, & diù duret, contumax, & curatu difficilis evadit, cruſtoſa fit, & temporis tractu in lepram degenerare poteſt. Inter ſcabiei ſpecies difficiliùs ſicca curatur, quàm humida. Peſſima quoque ſcabies eſt, ſi caput obſideat. Qualiſcumque itàque ſit, ſpernenda non eſt, ſed ſedulâ curâ vel ob deformitatem, vel quia inviſa, tollenda eſt; neglecta enim in lepram, & ulteriùs degenerare poteſt: verùm in ſcabiei ablatione poſt inunctionem, vel ablutionem veſtes mutari, vel ſaltim optimè ablui debent, nàm fermentum veſtibus adhærens, ſi adhibeantur, ſcabiem recidivare facit.

Curatio.

Rectam victûs rationem præſcribunt vulgares, & à cibis humores aduſtos, & ſalſos generantibus obſtinendum, ut ſunt ſalſa, acria, amara, olea, & oleaginoſa; contrà verò cibos boni ſuci aſſumendos præcipiunt. Generaliùs abſervant, ut cibi, qui ſcabioſis exhiberi debent, elixi potiùs, quàm aſſi, aut frixi ſint; aſſa nàmque & frixa acriorem, & ſicciorem præcipuè generant humorem.

Deindè humorum acrimoniam temperant, & præcipuè hepatis intemperiem ad naturalem deducunt ſymmetriam, ne ſalſos, acreſque gignat humores, quos præparant *ſyr. de cichor. lupul. fumar. ſimpl. viol. de endiviâ.* Quibus ritè præparatis, & temperatis, ſcabioſum purgant corpus *ſyr. de fumar. mai. de Cichor. Nic. cum rhabarbaro, confect. hamech, diacatholicâ diſſolut. in decocto epithymi, polyp. quern. & fol. ſen. or.* Purgato corpore ſanguinem ex cubiti venâ profundunt.

Verùm inutilia ſunt, quæcumque pro ſcabie curandâ intrò aſſumuntur, & hodierni medici inſaniunt in exhibendo ſcabioſis mille ſyrupos, quos refrigerantes exiſtimant; imaginantur enim ob hepatis calorem ſcabiem concitari: undè decies ſanguinem mittunt, vigeſies ſyrupis magiſtralibus purgant, centies decocta ex lignis, & radicibus propinant, verùm ſcabies ſemper magis, atque magis inſulſam,

insulsam eorum medicinam ridet, nosque ipsos ridemus. Helmontius cùm scabiem ex chirothecâ scabie infectâ contraxisset, per reiteratas purgationes, & phlebotomias, adeò macilentus, raucus, & laxus evasit, ut vix stare potuerit, nihilhominùs scabies invicta permansit. Ne universalium remediorum, quæ vocant, nos ignorantes existiment potiùs, quàm quod ad curandam scabiem aliquid faciamus necessarium; scabiosos hoc modo purgabimus:

℞. *Seri lactis lib.* j.
Ac dum fervet, injice.
Sen. or. ℥. j.
Cinnam. contus. ʒ. ij.

Ferveat parùm, aufer ab igne, & f. colatura, quam scabioso propina.

Sanguis quoque unâ vice detrahi potest, nàm licèt non juvet, nocere tamen non potest, & detrahitur ad gerendum vulgi, & vulgarium morem. Pro syrupo quotidiano hic universaliter propinatur:

℞. *Conf. Viol. recent.* ℥. ij.
Infundantur in aquæ Cichor. lib. ß.
Asperge spiritûs vitriol. ʒ. j.

stent per noctem, manè f. colatura, quæ integra propinetur.

Solent vulgares in scabiei curatione antequàm ad topica deveniant, *sulphur crudum in syrupo de acredine citri* propinare, quandòque *ad viperarum pulveres*, & tandèm *ad decocta*, *& stusas* devenire. Cœterùm scabiosis imponunt, si ad specifica contagium in cute necantia non deveniant.

Tandèm ad inunctiones pro corporis affecti ratione deveniunt, quibus humores summæ cuti adhærentes discutiunt, & innumera unguenta, & linimenta præscribunt, ut

℞. *Butyr. rec.*
Terebinth. ana ℥. iv.
Ol. ros.
Myrtin. ana ℥. j.
Vitell. ovor. num. ij.
Ceruss. ℥. j.
Salis ʒ. ij. *m.*

Vel

℞. *Terebinth. lotæ in aquâ scabiosæ* ℥. ß.
Ol. ros. ʒ. vj.
Butyr. recentis,
Axungiæ porcin. ana ʒ. ij.
Salis ʒ. ß.
Lithargyr. ʒ. j.
Vitell. ovor. num. ij.
Succ. limon. ℥. ß.
Cera q. s. f. Ung.

Pro robustis in confirmatâ scabie fortiori utuntur linimento, ut

℞. *Sulph.* ℥. ß.
Nitri ʒ. j.
Ol. ros.
Nucum ana ℥. j.
Succ. limon. ʒ. ij. *m.*

Vel

℞. *Succ. lapathi acut.* ℥. j.
Sulph. citrini ʒ. iij.
Styrac liquid.
Farin. lupinor. ana ʒ. ij. ß.
Ol. ros. q. s.
Cera parum. f. Ung.

Vel

℞. *Butyr. sine sale* ℥. iv.
Terebinth. ℥. j. ß.
Sulph. ʒ. ij.
Salis ʒ. ß.
Vitell. ovor. num. ij. *m.*

Si scabies erit sicca, sequens com-

commendant, ut

℞. *Cerußæ,*
Amyli,
Rad. anchuſæ ana m. j.
Ceræ, ol. ana ℥. ij. *m.*

Si verò ſicca, ut

℞. *ol. roſ.*
Laurini ana ℥. j.
Nitri,
Sulph. ana ℥. j.
Styrac. ℥. ß.
M. f. linimentum.

Vel

℞. *Styrac. liquidæ* ℥. j.
Terebenth. lotæ.
Butyr. loti ana ℥. ij.
Succ. limon. ℥. j. ß.
Ceruſſ. lotæ ℥. j.
Salis ℥. ij. *m. f. Ung.*

Cœterum, errant vulgares in horum medicaminum compoſitione, ſal admiſcendo, cùm utplurimùm ſcabies à ſalſo humore producatur, igitur contrariis curanda eſt, extinguendo ſcilicèt ſalſum fermentum. Suademus igitur, ut loco ſalis ſulphur ſubtiliter tritum, aut pulveriſatum adhibeant, quod ſummoperè fermenta ſine dolore extinguit; ſulphur enim ignem non expertum alkalinum eſt, & poroſum, in quo omnia ſcabiei ſpicula obtunduntur, & extinguntur: ſal verò non ſolùm pruritum adauget, ſed etiam ſi præſens non ſit, ipſum excitare valet, & conſequenter majorem quoque cauſabit affluxionem.

Nullus eſt morbus tòt remediis refertus, quot ſcabies, nullus hommunculus, nullaque fœmella reperitur, qui pro ſcabie curandâ aliquo non polleat medicamento, ſeu arcano, cùm pauci extent, qui eâ non laborârint; verùm hæc medicamenta localia externa talis energiæ eſſe debent, ut acidum temperent, immutent, extinguant, vel ſal acidum in cutis poris impactum diluant, & ſimul ſuccum coagulatum reſolvant, abſtergantque. Hujus indolis ad ſcabiem eſt ſulphur ignem non expectum, non ob adjunctum ſpiritum acidum latentem, ſed ob reliquam ſulphuris ſubſtantiam, quæ ſaturata non eſt tantâ acidi quantitate, quin ei facilè poſſit longè plus adhærere ſalis accidi in ſuabie peccantis. Hujus, & maximæ authoritatis eſt Mercurius magnus ille acidi ſalis ſtrenuus domitor, hinc plurima contra ſcabiem linimenta conficit, in quibus pro baſi ſeipſum agnoſcit vel meteorizatum, vel præcipitatum album, viridem, incarnatum &c. prout ſcabies fuerit pertinacior. Selectiora, nobiliſſima, & quæ nos experientia docuit, ac quibus familiariter utimur felici eventu pro hoc diro cutis contagio percurando adducemus.

Juxta ſcabiei, & patientium conditionem hæc adhibemus medicamenta, nàm ſi ſcabies recens ſit, vel patiens puer, vel delicatus lenibus, ſi verò robuſtus, vel ſcabies pertinax efficacioribus, & validis utimur. Sequens modus nobis eſt familiaris, qui paucis diebus ſcabiem abigit, cutemque lævem, & pulchram reddit:

℞. *Axung. porcinæ q. pl.*
M. cum ol. tart. p. d. facto,
Donec f. ung. acre,

Quod

quod gustu deprehenditur. Hoc unguento inunge partes scabiosas mane, & vesperi.

Vel

℞. *Sulph. flavi, &*
Bacc. lauri ana q. pl.
F. pulv. subtilissimus cui adde
Ol. olivar. q. s. &
Pulv. hellebori alb. parum,
ut f. Ung. molle

Locis scabiosis inungendum.

Vel

℞. *Ung. enulat. sine merc.* ℥. iv.
Pulv. sulph. ℥. ß.
Ol. tart. p. d. q. s.
M. f. Ung.

Vel

℞. *Ol. nuc. jugland.*
Sulph. ana ℥. j.
Succ. apii q. s.
F. Ung. s. a.

Vel

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℥. v.
Sp. Vin. camph.
Matricalis ana ℥. j.
Tinct. myrr. ℥. iij.
Ol. tart. p. d. ℥. ß. *m.*

Pro delicatis aulicis, & virginibus varia smegmata, & sapones odorati parari possunt, quibus scabies abluatur, & abstergatur, ut

℞ *Saponis Veneti* ℥. j.
Styracis calam.
Lapid. medicamentos. ana ʒ. ij.
Rad. ireos florent. ʒ. j.
Pulv. santal. alb. ℈. ij.
Nuc. mosch.
Cinnam. ana ʒ. ß.
Asæ dulcis ℈. ij.
Caryophyll. ℈.
Mosch. gr. iv.
Ol. tart. p. d. q. s.

Solet quandòque sulphuris pu-

tor multis displacere, quia scabiosos indicat, ideòque sequentem docemus aquam nobilissimam, & odoram, quæ tribus tantum vicibus aspersis pustulis, omninò abscedunt, nec amp ius recidivam patiuntur:

℞. *Aquar. ros. alb. &*
Flor. aurantior. ana lib. j. ß.
Merc. dulc. ʒ. ij.
Merc. meteoriz. ℈. j.

Dictos mercurios simul opt. m. deindè in aquam rosarum, & aurantiorum indantur, & per levem ebullitionem solvantur. Hac aquâ cum linteo madefac eas partes, in quibus pustulæ sunt frequentiores, quolibet die unâ vice per tres dies, & curata erit scabies; advertendum tamen est, ut hæc aqua nec in os, neque in oculos, ac pudenda cadat. *Aqua mortua* quamcumque manuum, & pedum scabiem simplici illinitione perfectè curat.

Vel

℞. *Sulph. viv. opt. pulv.* ℥. j.
Zinzib. ʒ. ij.

misceantur cum butyro recenti, vel axungiâ recenti; adde

Merc. præcipit. ʒ. j.
M. & f. ung.

quo inungantur manuum, & genuum junctura.

Vel

℞ *Aquæ calc. viv. lib.* j. ß.
Infunde sulph. pulv. ℥. j. ß.

ebulliant invicèm aliquantulùm, hac aqua eluantur membra scabiosa, & evanescet scabies. Quòd si fuerit ferina, tunc loco sulphuris aquæ calcis addatur mercurii dulcis ʒ. iij. qui estò in hanc aquam præcipitetur, tamen eodem impraguata erit.

Vel

℞. *Ung. alb. camph.* ℥. j.
Merc. dule. ℥. iij.
Lact. sulph. ℥. j.
M. & cum suff.
Ol. Nicotianæ f. linus,

quo manum, & pedum articuli inungantur.

Si unguento uti voles, hoc præstantissimum continna:

℞. *Ol. ros. vel*
Comm. lib. j.
Ceræ alb. ℥. iij.
Ceruss. lot. ℥. v.
Album. ovor. num. iij.
Sulph. viv. pulv. ℥. ß.
Merc. Meteoriz. &
Camph. diss. cum aquâ ros. an. ℥. ij.
M. f. Ung. s. a.

Hoc utere, ungendo partes pustulosas per sex dies unâ vice quolibet die.

Tandèm unguento scabiosos non defraudabimus mirabili, quod non solùm simplicem scabiem, sed etiam Veneream, & contumacem, ac veluti in lepram degeneratam exterminat, & radicitus curat. Hoc Unguento multis elapsis annis plusquàm ducentos milites Hispanos ferè leprosos in Nosocomio Sancti Jacobi Hispanorum, Neapoli curatos vidimus, sic illud paratur:

℞. *Terebinth. Venet. lib.* j.
Ceruss. lota. lib. j. ß.
Ceræ alb. ℥. iv.
Ol. comm. lib. j. ß.
Adipis porcin. lib. j.
Merc. sublimati, &
Merc. viv. ana ℥. ij.
M. f. Ung. s. a.

Hoc ter, aut quater inungantur ægri, & perfectissimè sanati erunt.

Verùm in hujus unguenti præparatione advertendum est, mercurium vivum, & mercurium sublimatum tamdiù in mortario lapideo cum pistillo ligneo simul misceri debere, donec vivi mercurii nullum appareat vestigium, tunc massa illa redditur dulcis. In hanc massam ambo redacti mercurii hujus unguenti compositionem ingredi debent, aliter pthialismum excitant, ut multoties nos observavimus, & tunc scabiosi regendi sunt, ut hydrargyro inuncti, aliter propter horrenda *lib.* 3. *De lue Venereâ* descripta accidentia vitæ perniciem subirent, ut in quodam studioso observavimus.

In scabie persanandâ commodissimus est Balneorum mineralium usus, inter quæ salina, vitriolata, aluminosa, & nitrosa, sed præ cæteris sulphurea omnibus palmam præripiunt, quorum usus præcipuè in scabie siccâ utilis est; eapropter aqua sulphurea, quæ fluit sub albis Puteolorum montibus, à parte lacûs Aniani, dicitur *Aqua Bullæ*, vulgò di *Pisciarello*, hujus lotione quælibet scabies curatur, licèt à suo fonte in alium transportetur locum. *Balneum quoque Petræ, Subveni homini, Solis & Lunæ, ac de Fatis* in Neapolitano, Puteolano, & Bajano, tribus lotionibus in eorum fontibus peractis, quemlibet scabiosum perfectissimè curat.

Verùm quia ista balnea minerallia non ubique extant, alia arte parari, & pro iis sufficit possunt, quæ detergendi, cutis poros extergen-

tergendi, atque purgandi facultatem habent, ut

℞ *Sulph.* ℥. ij.
Bituminis ℥. j. ß.
Salis armoniaci m. j.
F. pulvis,
qui in aquæ calentis balneum coniiciatur.

Vel

℞. *Salis armoniaci lib.* ß.
Aluminis ℥. iij.
Vitrioli ℥. iv.
Tartari, &
Nitri ana ℥. ij.
Contusa coniiciantur in balneum.

Vel parari etiam potest balneum compositum ex vegetabilibus copiosè incoctis in aquâ simplici, vel aquâ calcis, vel sero lactis, vel tenui vino, in tantâ quantitate, ut sufficienter æger balneari possit, ut

℞. *Herbar. scabiosæ,*
Saponariæ,
Agrimoniæ,
Origani,
Nepethæ ana m. iij.
Radic. bryoniæ,
Cucumeris agrest.
Aristolochiæ,
Hellebori nigri,
Lapathi acuti ana ℥. iij.
Fol. Nicotianæ,
Helenii,
Lauri ana m. j.
Bacc. lauri ℥. iv.
M. pro balneo.

Sic etiam insessus ex iisdem vegetabilibus componi possunt. Scabioso post egressum ex balneo, detersâ benè cute, fieri inunctio cum *unguento ex oleo Nicotianæ, & oleo tart. p. d. cum balsamo sulphuris.*

Nonnulli de quadam scabiei specie mentionem faciunt, quam volaticam appellant, propter subitam ejus per universam cutem distributionem, sic sæpè per unicam noctem malum hoc serpere visum est per universum corpus, ita ut volando, quasi illud occuparet. Verùm hæc scabies volatica neuticam curari potuit eo modo, quo scabies, vel sanguinis efflorescentia alioquin curatur, & sæpè ad internecionem usque malum invaluit, respuendo omnes medicinas tàm internas, quàm externas, quæ peripheriam inungunt, solùm hoc arcanum finem malo imponit;

℞. *Sang. recentem in partu*
Ex utero elapsum cum totâ
Secundinâ, vel aliquotâ
Ejus parte,

& universum locum affectum ablue. Rarò semel, atque iterum id repetendum fuerit, & protinùs scabies volatica, quasi mortua cadet.

CAP. XXII.

De Leprâ.

LEpra eandem meruit nomenclaturam apud omnes nationes, estque affectus cutaneus, extrinsecùs cutem invadens, forisque incipiens, & introrsùm pergens, contra aliarum plerarumque ægritudinum naturam, quæ intrinsecè in continentibus, vel contentis figunt primordia, tandèmque forâs ad peripheriam serpunt; ità enim ordinario motu

semper natura laborat, ut vitiosos succos vel per vomitum, secessum, urinam, vel hæmorrhagias, vel transpirando per cutis poros expellat. Affectus cutanei sunt scabies, psora, lichenes &c. quorum lepra abominabilissima, & nocentissima est, quæ exteriùs in cute inchoat, & introrsùm graditur.

Lepra duplex est, nempè Græcorum, & Arabum; Græcorum lepra est etiam affectus cutaneus valdè pravus, nempè scabies pariter horribilis, & ægerrimè curabilis, ac totam cutem occrustans, seu crustâ quasi unâ contiguâ obducens, quæ vulgò Psora vocatur: Alii tamen impetiginem, si sit deterrima, & in summo gradu pro Græcorum leprâ habent, in qua cutis in habitum mutatur præternaturalem, cum asperitate, pruritu continuo, dolore, & squamarum decidentiâ, cutis fissione, plerùmque corporis exesione. Arabum verò lepra est morbus ille, quem Græci elephantiasin, vulgò Sancti Lazari morbum appellant, de qua sequenti capite tractabimus.

Signa.

Infallibile lepræ signum erit, dùm cutis, vel in universo corpore, vel in aliquâ ejus parte non pustulosa, sed squamosa apparebit, & hoc est ejus peculiare signum. A scabie incipit, & adhibitis pro scabiei curatione remediis, non solùm non curatur, sed pertinacior evadit, nàm lepræ fermentum cùm in cutis superficie non fit, sed sub eâ profundiùs serpat, scabiei remedia, quæ non ultra cutis superficiem se diffundunt, illud extinguere nequeunt. Leprosorum sudor est fœtidus, & malum minùs remediis cedit. Est nimirùm cutis aspera, arida, & sicca, adest pruritus, & seu scalpentibus, seu non scalpentibus quædam corpora squamas piscium referentia decidunt. Evenit lepra non solùm in partibus corporis externis, sed etiam in internis visceribus, ac tùm ex putenti anhelitu, ex fœditate coloris, & ex scorbuto in internis lepram esse dignosces.

Causa.

Pro materiali lepræ causâ atrabilarem succum vulgares assignant à calidâ, & siccâ hepatis, vel lienis intemperie provenientem, qui ad corporis peripheriam detrusus lepram efficit. Verùm has nænias bardis relinquimus medicis humoristis, qui intellectum habent limitatum.

Pro lepræ causâ materiali dicimus esse nutrimentum, quod in corporis superficie ob impressum fermentum leprosum non resolvitur, sed fermentescit, acescit, & ex volatili fit fixum, & natura illud resolvere nequit. Huic nutrimento in corporis peripheriâ fixato, dùm sanum nutrimentum salsum, ac volatile in superficie advenit, & fixatum illud attingit, illicò acescit, & in illius fixati naturam fixatur, juxta illud commune inter chymicos adagium: *Omne volatile*

volatile agens supra fixum, fixatur. Sic vini spiritus, si cum sale tartari misceatur, pro eâ parte, qua sal est, in sal tartari transmutatur. Sic spiritus salis communis, si cum sale communi misceatur, in sal fixum transmutatur. Hic succus nutrimentitius, qui in halitus, & effluvia post vitæ sustentationem resolui debet, est de salis indole, quòd si propter impressum fermentum, secundum naturæ leges non resolvatur, acescit, fixatur in fibris, & in squamas degenerat. Eodem ferè modo est scabiei, & lepræ genesis, & sæpè à pruritu per scabiem ad lepram fit transitus: est nàmque lepra scabies in summo gradu exaltata, & à scabie solùm effectûs vehementiâ, & subjecto differt, scabies summam depopulatur cutem, in qua pustulas producit, quarum scalptione quædam corpora furfuracea decidunt, & cum iis, etiam varii ichores, & excrementa sanioſa emanant, ejusque materialis causa est ichor tenuior; lepra non solùm cuticulam, cutisque profundiora polluit, & lacerat, sed & usque in subjectam pinguedinem fuum diffundit contagium, quam depascitur, & ob sal acrius, & abundantius intimiùs penetrat, undè fit contagium in pinguedine, quod serositatem corrumpit, & in cutis superficie in squamas expellit.

Prognosis.

Rarus nunc hodiè morbus inter nos lepra est, ac semel hactenùs illum observavimus in quodam Abbate, qui quolibet die è totius corporis cute squamas usque ad trium librarum pondus abstergebat, pruriginoso non vexabatur sensu, sed cutem veluti sensu privatam se habere dicebat. Difficile, & contumax malum est, & nisi ipsi maturè succurratur, in elephantiasim migrat. Morbus est contagiosus plusquàm scabies, & facillimè leprosa fermentatio sanis communicari, & inspirari potest ab aliis leprosis per conversationem, vel cohabitationem in eâdem domo, compotationem ex iisdem cantharis, vel condormitionem in eodem lecto, vel in quo anteà leprosus dormierit, vel ullis indutus fuerit vestimentis, talibusque vel aliis utensilibus postmodùm alius inscienter utatur, talia nàmque vaporem aëreum, impressionemque odorativam combibunt, diùque retinent, & dudùm pòst ad alios transferunt, ità ut tali conceptâ aëreâ contagione extensivâ aliam dispositionem affatim fermentari possint.

Curatio.

Rectâ victûs ratione institutâ, & vitatis illis cibariis, quæ atram generant bilem, corpus evacuant vulgares *syr. de fumar. mai. confect. Hamech, pilulis de lapide lazuli*, & cæteris vulgaribus pharmacis hepatis, & lienis intemperiem emendantibus; deindè materiam cutem obsidentem medicamentis digerentibus, & detergentibus tollunt, & quia lepra summa est

scabies, eisdem ; quæ scabies, medicamentis, postulat, sed saltim fortioribus utuntur.

His nihil proficientibus, *viperarum trochiscos* diù propinant, postmodùm *salsa parilla*, *& ligni guajaci decocto* sudores provocant, quòd si obstinatior semper eadem perseveret, ad diuturnum *seri lactis usum* descendunt, & tandèm *dulcia balnea*, *& sulphurea* usurpant, ità ut bis dulcia, & quater sulphurea commendent. Si malum omnibus his reluctetur, omni salutis spe ægrum destituunt, & conclamatum derelinquunt. Sunt reverà hæc præsidia vulgaria, quibus lepram curari impossibile est, vana, licèt iisdem multum spei collocent, tamen id præstare posse non videntur, ut nos quotidiana docuit experientia.

Integra lepræ curatio non fit nisi arcanis, & præcipuè Paracelsi, quæ integrum mundificant corpus, à partibus spermaticis impressa abstergunt contagia, ulteriorem succorum coagulationem sistunt, & omnimodam acescentiam prohibent. Hæc sunt *Tinctura Cili*, *mercurius corallatus*, *tinctura coralliorum*, *& genuina* iisdem pollet virtutibus. Quicquid tamen sit de his arcanis, lepra internis semper curanda est remediis, non autem externis, estò ab externis partibus ad internas progrediatur, ac proindè necessaria sunt purgantia, & specifica purgantia sunt *Arcanum corallinum*, *pilulæ antimoniales*, quæ per secessum tantùm purgant, *Manna mercurii &c.* Interdum purgantia reiterentur pro ægri, & morbi naturâ. Sanguinis emissionem repudiamus, quia causam tollere non potest, sed sanguis, spirituosiore ejus parte ablatâ, reliquus crassior evadit. proscribimus etiam tanquàm inefficaces cucurbitulas siccas, & scarificatas, fonticulos, hirudines &c. tanquàm à vulgaribus excogitata in ægrorum torturam. Quandòque sudores movere utile est, sed in principio difficulter erumpunt, ac proindè quacumque ratione provocandi sunt etiam per *laconicum cum spiritu vini*, *vel diaphoretico in peracutis*.

Specifica ad lepram, & paratu faciliora à viperis depromuntur, ac primò efficaces sunt *pulveres carnium viperarum*, horum recipe ℥. j. & quolibet manè eum propina in vino generoso per annum integrum. Viperarum trochiscos communi artificio paratos, tanquàm inutiles, & fraude plenos proscribimus, quia pro potiori parte ex biscocto constant, & paucis viperarum reliquiis, non aliter ac si pane destitueremur, præbeant hos vulgares illis, quos in triremibus fames exercet.

Efficaciora sunt earundem viperarum jura consumpta, & credibile non est, quantùm non solùm leprosos, sed consumptos, ac senes reficiant, modus ea parandi talis est:

℞ *Duas Viperas, capitibus, & caudis amputatis, exuviis denudentur, & interaneis abjectis, contundantur, deindè minutim reponantur in vase vitreo, addendo pulv. nuc. mosch. ℥. j.*

Aquæ

Aquæ fontis ℥. iv.

Vas optimè cooperi cum capitello sine rostro, & adaptetur in B. M. in quo per tres horas bulliant, frigescat deindè vas, & jus in eo conclusum à carne viperinâ fortissimè exprimatur, & exhibeatur hoc bis in die per sex menses, nàm corpora non solùm à leprâ, & scabie mundat, sed sanguinem ab omnibus immunditiis liberat, vitale balsamum renovat, & rejuvenescentiam inducet. Multa ex viperis eliciuntur medicamenta, quæ non possumus non laudare, ut *bezoardicum animale, sal volatile viperarum, salia theriacalia &c.*

Verum arcanum, quod est à Galeno descriptum historicè, verè est leprosi contagii exterminativum, nàm sicut viperæ exuvias novo Vere deponunt, & leprosis, exertisque squamis mundantur: sic dùm in vino suffocantur, vim, & efficaciam vino imprimunt, qua in potantibus lepræ squamæ absterguntur, & ejus fermentum annihilatur, modus talis est: *In cado vini generosi quatuor viperæ immergantur æstivo tempore, cùm magis irascuntur, ibique permaneant per sexaginta horas, tunc cùm vino suffocatæ, mortuæ erunt, abrice tunc illas, & vinum serva,* de hoc vino leprosus bibat per quatuor menses, & sanata erit lepra. Verùm hoc arcanum historicè à Galeno descriptum per accidens juvisse, & forsan pro leprâ scabiem feram acceptam fuisse creditur, nàm vipera per suffocationem non imprimit vino vitam, aliasque vitæ functiones, & estò viva has exerceat, mortua tamen his destituitur, & nihil in vino deponit præter cadaver; multùm enim mortuum à vivo differt, in juribus autem consumptis deponitur humidum essentiale, & alkalia,

Inter specifica excellit Viridellus vulgaris ab Hartman. commendatus, cujus quidèm præparatio est nulla, sed totum artificium in dextrâ exhibitione consistit, mundificato itaque corpore leproso, sic procede:

℞. *Viridelli* ℥. ij.

diss. in vini lib. x,

postèà cola, cujus vini cyath. ß. propina pro potu ordinario, sæpiùs in die, præstat vinum, quia vulgò putatur morbus frigidus, vel decoctum sassafras, chinæ, vel fragariæ, vel aqua communis, semper exhibe in potu, (curatio absolvi potest Viridelli ℥. j.) idque per septimanas tres, aut quatuor continua.

Multùm commendamus lignorum, & radicum decocta cum antimonio crudo incluso, & tandèm lepræ curatio absolvi potest per mercurii inunctionem, ut nos pluries observavimus.

Post absolutam lepræ curationem solet interdùm cutis scabrities molesta remanere, sic enim posteaquàm ex penitioribus corporis partibus noxa contagiosa per specifica nobilia insensibilibus transpirationibus fuerit extrusa, sponte quidèm suâ tandèm omnes squamulæ decidunt. Quòd si tamen exterior cutis durior, & scabra remanet: hanc impositerum insessiones ex mollificantibus paratæ

ratæ mitigant, & emolliunt, perfectissimam autem, & absolutissimam cutis lævigationem præstat inunctio ex oleo viperino, cui adjici potest viperæ cutis ob signaturam, quam cum morbo habet.

Advertendum tandèm est pro lepræ coronide, quòd interdùm fœdissimæ scabiei species occurrunt, quæ lepram abominabili mentiuntur aspectu, & à plebe, imò indoctis medicis pro eâ reputantur, & sic miseri tales scabiosi ab hominum consortio excluduntur, cùm tamen veri leprosi non sint.

Cap. XXIII.

De Elephantiasi.

QUam Arabes lepram vocant; Græci elephantiasim nominant, & triplici insignitus fuit nomine tumor hic, de quo ad præsens agimus apud *Galenum lib. de Tumoribus p. n. cap.* 15. hoc est elephantiasis, & elephantia, Satyriasis, & Leontisis, unumquodque horum tumorum nomen desumptum est à similitudine.

Appellatur autem elephantiasis ab elephante, ob similitudinem, quam hic morbus cum elephante habet, scilicet quòd sicut reliquas bestias vastitate superat elephas: ità ob morbi magnitudinem elephantiasis alios superat morbos. Vel quòd malum in cruta serpens, efficit ea elephantis ritu ferè rigida, & inæqualia. Vel (& hæc est vera notatio) quòd membra, & cutis laborantium morbo tuberosa, callosa, scabra, flaccida, & rugis nigris, plicisque crustaceis inæqualia, ut elephantum reddantur.

Elephantia ab elephantiasi differt, significat nàmque istud nomen varicum speciem, seu affectum varicibus cognatum, in quo crus in tantam intumescit vastitatem, ut densitate, & colore, nec non difficili flexurâ elephantis crus æmuletur.

Satyriasis hoc malum, cùm incipit nominatur, eo quod hoc affectorum morbo vultus ità deturpatur, ut in monstruosam Satyrorum dictorum faciem reddatur; nàm elephantiasi laborantium labia fiunt crassa, nasus tumet, atque ideò depressus apparet, aures tabescunt, maxillæ rubore perfunduntur, in fronte hinc indè tumores, quasi quædam cornua apparent: estò alii eâ etiam de causâ Satyriasmon hoc malum nominari censent, quòd in hujus mali exordio ægri satyrorum more valdè libidinosi sunt. Diversam similitudinis rationem *Archigenes* refert, quia malæ faciei ejusdem cum rubore attolluntur, & musculis maxillaribus veluti convulsionem patientibus, mentum ipsum dilatatur: quemadmodum etiam ridentibus evenire solet, similitudine quadam ad Satyrorum picturas, quos ità nominatos putamus, quòd ore hiante, labiisque deductis, instar ridentium cantent, & ludant. Aliqui etiam tertiam nomenclaturæ hujus causam afferunt, scilicet quòd elephantiasi

tiasi laborantes satyris in Venerem propensione, & libidine sunt similes.

Leontiasis etiam nominatur; vel quòd sicut leo invictissimum est animal, ità hoc malum vinci non potest. Vel quòd hunc morbum patientibus circa frontem, & supercilia flaccidi tumores adeò eminent ad pellis flexibilis superciliorum, & frontis Leonis similitudinem, ut leonis aspectum mentiantur. Vel quoniam hoc laborantes morbo terribilem, & turpissimam habeant faciem, ut leonum instar aspicientibus panicum incutiant terrorem.

Tandèm nostris malum hoc vulgò appellatur Sancti Lazari morbus, quòd elephantiaci ità ulceribus scatent, ut Lazarus ille mendicus, cujus in historiâ Evangelicâ fit mentio, ulceribus plenus.

Signa.

Plurima, ac varia sunt elephantiasis signa, nec omnia semper in uno occurrunt, præcipua autem sunt: Incipit plerùmque in fronte, vel facie, cujus color varius, ceruleus, seu Lazurius præcipuè elucet, ubi tubercula, & pustulæ rubræ apparent, quæ postmodùm ex rubro liveſcunt sub superciliis, circa aures, variisque in facie locis, nodique granorum instar duri, ac rotundi, qui postmodùm in totam corporis cutem disseminantur. Omnia foramina, & corporis aperturæ aliter figurantur, & contractiora evadunt, ut sunt aures, oculi, os vulva, & ani foramen, ea omnia rotundiora fiunt; narium enim foramina exteriùs resima redduntur, patula, & tuberosa, interiùs verò arctantur, & quasi per nares loqui videntur, & respiratio depravatur. Nasus valdè acuminatur, labia fiunt crassa, frons tuberosa, aures retortæ, venæ sublinguales varicòsæ, nigricantes, & tumidæ conspiciuntur, ac glandulæ linguæ circumjacentes tumores habent rotundos, scrofulârum instar, quæ suibus accidunt. Anhelitus fœtet, vox est rauca, clangosa, & obscura. Capilli capitis, pili barbæ, superciliorum, totiusque corporis excidunt. Caro musculosa inter indicem & pollicem absumitur, universi corporis cutis inæqualem contrahit scabritiem, subnigrescit, & maculosa redditur, demùmque fœdâ scabiosâ crustâ obducitur in modum pellis elephantum, undè prædictum nomen emanavit. Ungues finduntur, stupor adest in tibiis, & pedum suris, ità ut quamvis acu ibi pungatur, non sentiant. Idèm interdùm etiam in manuum, & pedum digitis evenit, in quibusdam etiam frigiditas, sensusque privatio quædam percipitur: interdùm etiam ille stupor, & dormitatio, uti appellant, toti cuti, inter istos digitos usque ad brachium accedit, & à pede ad genua, & coxas usque se extendit, imò per universum corpus in elephantiacis, & aboletur, ac ut breviter dicamus, elephantiasis est veluti universalis, ac totius corporis cancer, univer-

Unable to display this page

contraxerunt, qui ex elephantiacis orti sunt parentibus.

Prognosis.

Horribilis, & monstruosus est morbus, universum defœdans corpus, doloros us tamen non est, imò si acu perforetur, penitus non sentit, etiam si acus ad magnam profunditatem adigatur, aut aqua fervens affundatur, non tamen si pars uratur, quòd indicium est, fibrarum nervearum partis materiâ viscidâ adeò infarctarum, & ab acido succo ita coagulatarum, ut spiritibus animalibus sensus primarii authoribus nullum amplius cum partibus liberum commercium, quod in totâ cute obtinet; tunc enim horribilior devenit, & facilitèr in gangrænam, & sphacelum incurrit. Gravissimus est morbus, & curatu difficillimus, & non nisi in incunabulis, quanquàm cum difficultate, quia ejus primordia omnino sunt occulta; signa enim hujus mrobi in visceribus sientis vix sunt, sed mera facti, & ferè confirmati, quandò namque primum in cute ejus aliquid apparet, tùm morbus nequaquàm incipit, sed ferè in vigore est, exteriùs tamen in cute invisibiliter incipit, & introrsùm agit, tunc jàm multò difficilior, & periculosior est, quamvis spem omnem curationis nec dùm abjicere debemus. Confirmata elephantiasis, & inveterata curationem respuit, prout etiam hæreditario jure contracta.

Adeo contagiosus est coitus cum elephantiacis, aut cum eâ, quæ anteà cum elephantiaco rem habuit, ut elephantiasim pro lue Venereâ perperàm acceperit *Gabriel Falloppius*, cùm in utroque affectu idem sit inficiendi modus, sed de hoc fusius egimus *contra Falloppium lib. 1. de lue Venereâ.* Est adeò elephantiasis morbus contagiosus, ut hoc laborantes etiam ab hominum consortio separandi sint, & ad loca aprica, in quibus ipsi commodiùs, & sine aliorum periculo vivant, emandentur, quia virus elephantiacum aëri em inquinat, qui inspiratione attrahitur ex membrorum fœtore, & vitiatâ spiritûs exhalatione. Undè antiquitùs, quia hic morbus erat frequens, non erat civitas, non oppidum, non pagus erat, qui pro elephantiacis nosocomium non haberet, quod Lazaret nominabant. Sic nunc in Germaniâ, in quibusdam regionibus frequentia sunt elephantiacorum Nosocomia; in Hispaniâ verò, & Aphricâ frequentiora, in Narbonensi Galliâ, & Aquitaniâ frequentissima.

Curatio.

In recenti elephantiasi vulgares ante omnia vitiosos purgant humores, sed frustrà, nisi priùs talis instituatur diæta, qua non plures vitiosi cumulentur humores, sed potiùs vitium, quod in corpore, & humoribus est, emendetur. Diætam præscribunt refrigerantem, & humectantem, oppositam nimirùm intemperiei,

quæ est calida, & sicca quam temperant acetosâ, boragine, bugloſſo. Cibos præscribunt laudabiles, & coctu faciles, commendant carnes potiùs elixas, quàm assas. Prædicant hordei cremorem cùm lacte amygdalarum dulcium. Interdicunt salsa, sale, & tumo indurata, frixa, adusta, aromatica, pisa, fabas, cæpas, allium, sinapi, carnes leporinas, cervinas, bubulas, suillas, pisces &c. quæ lentam, & viscidam habent carnem, & omnia quæ humorem crassum, melancholicum, & adustum generare possunt. Vinum prohibent, quia calidum, & siccum, timentque ne caliditas, & siccitas à vino augeatur, & in potu quotidiano ad sidera extollunt malorum dulcium maturorum succum, ac deindè optimè defœcatum, quia hic potus non tantùm elephantiacis convenit, sed etiam melancholicis, hypochondriacis, & aliis, qui jecinori, lieni, & mesenterio morbi causam præbent, utilissimus est; humorem nàmque temperat melancholicum, ejus vapores discutit, cor recreat, lætitiam generat, viscerumque siccitatem demulcet, & tandèm optimum præbet alimentum. Sed quia hic succus non semper, & ubique haberi potest, ejus loco aliis utuntur potionibus, inter quas:

℞. *Radic. cichor.* ℥. j.
Uvar. passar. ℥. iij.
Glycyrrhizæ rasæ ℥. ß.
Corn. cervi, &
Sem. fœnic. ana ℥. j.
Coque in aquæ lib. viij. *ad tertias ferè. Colatura condiatur syr. violar.* Pro tenuioris fortunæ hominibus *hordei aquam cum semine fœniculi* substituunt.

His præmissis, venam secant, corpusque purgant *Syrupis magistralibus, confect. Hamech. diacatholic. cassiâ &c.* quos sæpiùs repetunt, diebus verò intercalaribus *cardiaca*, & malignitatem extinguentia usurpant. Quibus irritis, elephantiacum decoctis sudorificis, vel Thermis non defraudant. Verùm decocta sudorifica, & Thermæ valdè exsiccant, & sæpè plus noxæ, quàm utilitatis indè exigunt, cùm præcipuè in omni morbi tempore calor, & siccitas vigeat. Usurpant aliqui *aquæ dulcis balneum*, quod dicunt siccitatem temperare, excrementa discutere, & cutem laxare. Nec linimenta desunt, quibus elephantiacum inungunt corpus. Verùm imparia, & vana sunt vulgarium medicamenta ad tàm contumacem debellandum morbum.

Nonnulli vulgares nasutiores meditantes hunc morbum in calore, & siccitate consistere, pro optimo præsidio existimârunt elephantiacum refrigerare, & humectare, & quia omnem calorem, & siccitatem à testibus provenire asseverârunt, & considerantes hoc malum frequentiùs viros, quàm mulieres apprehendere, sanxerunt elephantiacum effœminare castratione, & sic facilè curari posse, quia testium ablatione corpus humectatur, & quasi effœminatur, & humiditas retinetur. Bardum

dum præsidium, quia ipsi bardi, imò testes, quasi mulieres ab hoc malo essent immunes.

Indicatio elephantiasis curativa est, ut succorum coagulationem, crassitiem, & visciditatem inter fibras attenuemus, & resolvamus, ac particulas in remotissimis latebris impactas, & quasi incuneatas è suâ sede removeamus; acida salia obtundamus, ex corpore educendo, ac succum nutritium, aliosque succos contaminatos purificando, eisque naturalem consistentiam, mistionemque restituendo; & tandèm ulteriorem succorum tenacitatem, omnimodamque acescentiam prohibeamus, ac tumores jàm productos resolvamus. Verùm in morbo inveterato oleum, & operam perdimus: ast tentare licet remediis potenter incidentibus, attenuantibus, resolventibus, ac elimiaantibus internis, nàm chirurgicis elephantiasis non obedit, imò horribilior, & monstruosior evadit morbus, si tumoribus ulcera superveniant, ulceratam itàque tanquàm cancrum totius corporis incurabilem esse censemus, & tunc lupi rapacis instar omnia membra devastat, & devorat, hinc bestia ista sævit in ossa, & sæpè manuum, & pedum digiti decidunt, imò quandoque nasus, & genitalia.

Quare institutâ victûs ratione, corpus purgetur *mannâ mercurii*, *mercurio laxativo*, *turpetho minerali*, quod juxta exigentiam repete, donec corpus sit optimè purgatum, postmodùm non desint arcana, quibus vis corpora renovandi inest, hujusmodi sunt *vulneraria potiones*, *genuina coralliorum tinctura*, *sal volatile cornu cervi*, *eboris succini*, *fuliginis &c.* Hæc nàmque mitia particularum terrestrium, & saturninarum concretiones dissolvunt; ulteriùs, quæ potentiùs acidum domant, & arcana restaurativa, & renovantia propinanda sunt, ut *antimonium diaphoreticum*, *mercurius diaphoreticus*, *bezoart. minerale*, *Ioviale*, *Martiale*, *tinctura antimonii*; *oleum mercurii diaphoreticum*, *tinctura lunæ*, *auri tinctura*, *aurum potabile Anglicanum &c.* Opportunum est in elephantiasi *Mithridatium Cœleste Quercitani bezoardicum animale*, *& parata ex viperis remedia*, quæ suprà descripsimus; affinis est enim lepræ elephantiasis, sæpèque in illam degenerat. Verùm licèt lepra in elephantiasim degeneret, remedia tamen ex viperis desumpta non sufficiunt, ut multoties nos observavimus, quia lepra in pinguedinem usque suum diffundit contagium, elephantiasis verò in fibras spermaticas, carnes &c. polluit, pullulatque ab ossium periostiis pollutis, eapropter altioris gradûs, & activitatis medicamina exposcit, quàm viperarum remedia.

Semotis viperis, aliud altioris indaginis medicamen inquirendum oportet, hujusmodi erit *Magnus ille serpens*, *Mercurius* nempe, cujus ideò caduceus serpintiger pingitur; ex eo enim parata medicamina durum, & penitissimum hunc morbum radicitùs extirpare valent, ideòque remedia cuncta ex mercurio parato, quæ luem

veneream vel perfectè sanant, vel aliquo modo illius progressus sistunt, curant, sistunt quoque elephantiasim. Hujusmodi remedia sunt *turpetum minerale*, *suffumigium*, *inunctio*, *mercurius diaphoreticus*, *mercurius cum auro præcipitatus*, *arcanum metallicum &c.* de quibus de Lue Venereâ, quæ non secùs ac dictam Luem, elephantiasim quoque è corpore abstergunt.

Cap. XXIV.

De Impetigine, & Lichene.

Impetigo cutaneus est affectus, diciturque impetigo, quia cum impetu lædit, & nihil est, quàm scabies sicca, proferens pustulas, & squamulas siccas omnis saniei expertes. Impetigo suos habet gradus, cùm enim incipit, levem pruriginem, cutisque tantummodò ruborem infert, & simpliciter pruritus appellatur, cùm verò cum majori cutis deficcatione infestat, ità ut cuticula asperitatem contrahat, & in squamulas minutas, furfuris instar, hinc inde dehiscat, impetigo est, & si tunc negligatur, asperitas, & pruritus increscunt, latiùsque in superficie se propagant, unde à serpendo hic affectus serpigo nominatur. Vocatur etiam lichen, eo quod instar lichenis arborum exteriorem cutis superficiem occupat, & hinc inde serpat, ac cutem scarificet, imò etiam impetigo idem est, quod Græcis lichen; quandò autem admodàm tera est scabies, cutemque suffodit, arrodit, findit, & squamificat, tunc psora, & lepra Græcorum generatur.

Signa.

Impetigo, serpigo, & lichen sunt cutis affectus, & non tantùm in facie proveniunt, verùm etiam in aliis carnosis partibus, ut in collo, manibus, brachiis, &c. præcipuè tamen his, quæ nudum aëris attactum semper tolerant, ut facies, & manus, ubi primò quædam cutis scabrities nascitur, quæ pedetentim augetur, profundiùsque & latiùs serpit, ac cutem scabiam, furfuraceam, & siccam reddit, demùm eam findit; fere semper rotunda est, & in orbem serpit, cutis exasperatur, & rubet; pluribus, & exilibus pustulis siccis, non tamen humidis, quæ pruriginem, & dolorem plerumque inferre solet.

Triplex est impetigo, una recens, & benigna, in qua solummodò cutis per minimas pustulas exasperatur, rubet, pruriginem contrahit, & in orbe centrum paulo lævius habet, ac tardè serpit; altera contumax, & fera, in qua cutis non solum magis exasperatur, sed exulceratur, ità ut pili erodantur.

Causæ.

Impetiginis causam dicunt vulgares esse humores biliosos, tenues, & acres, quibus pituita admisceri solet; lichenis autem ex iisdem acrioribus, & salsioribus pro-

produci, vel ex propriâ sui naturâ, quales sunt adusti, porracei, vel eruginosi, undè quò ad causas externas omnes illas agnoscit, à quibus humores prædicti vel impediri solent, ne foràs transpirent, sed ad corporis habitum protusi, eum exasperant, & superficialiter quasi exulcerant.

Pro nostrâ impetiginis, & lichenis sententiâ causam esse statuimus impeditam, in parte insensilem transpirationem, undè diaphoretica salia in parte hæsantur, quæ acrora postmodùm ad cutis peripheriam propellit, & calcis, vel aluminis instar in cute exsiccantur, undeque scabra, & furfuracea redditur. Videmus utplurimùm hos affectus hyeme, & vere, ut *aph.* 20. *sect.* 3. *Hip.* tenuit, dominari in constitutione aëris valdè siccante, qualis apud nos est Boreæ flatus; tùm enim dispositi sunt, qui humidam corporis constitutionem, cutem teneram, & mollem habent, & præcipuè illæ corporis partes, quæ nudum aëris attactum semper patiuntur, ut sunt facies, collum, & manus, his corripiuntur vitiis, quia cutis pori ab aëris frigiditate constipantur, & insensilis transpiratio, per quam diaphoretica salia detrudi deberent, intercipitur, & tunc cutis scabrescit, furfurescit, & secundùm rugarum rectitudinem in varias dehiscit rimas.

Prognosis.

Hic affectus recens, & benignus non magni est momenti, & curatu facillimus, dummodò ab initio opportuna adhibeantur remedia, at si negligentiùs tractetur, vel antiquior, vel siccior fiat, eò deterior evadit, & ferior, & tunc curatu difficilior, præcipuè autem in facie, & capite diù persistens, facilè tandem in lepram terminari poterit, quandò nimirùm in majores, & fœdas crustas, & squamas mutari incipit.

Curatio.

Primò victum humidum, & attenuantem præscribunt vulgares, quia passio hæc à siccis, & acribus pendere fatentur, quare evitari debent calida plus justo, & siccíora cibaria, ut sunt aromata, sinapi, cœpæ &c. deindè in miti, & recenti sanguinis missio, & purgatio locum non habent, quia levis est affectio, in diuturnâ verò, & ferâ locum obtinent, quia periculo non vacat, ac proindè plures ejusmodi vitiosos humores in corpore abundantes convenientibus medicamentis alterandos, & evacuandos instituunt.

Quantùm verò ad localia, initem, benignam, & recentem sanant *salivâ jejuni hominis* assiduè illiniendo, ut & probant *liquorem exudantem ex lignis viridibus, dùm uruntur.* Item *parietaria foliis uruntur in aceto decoctis.* Laudant etiam *ammoniacum in aceto dissolutum, & parietariæ succo illitum.*

In diuturnâ, & ferâ impetiginis ad validiora recurrunt abstergentia, ut *ad pulverem seminis sinapi cum oleo rosaceo, & sulphure commu-*

ni trito in linimentum redactum, & illitum, vel ad sequens unguentum, ut

℞. *Terebinth. aquâ ros. lota* ℥. j.
Ol. ros. ℥. ß.
Pingued. porci ʒ. iij.
Sulph. vivi ʒ. ij.
Nitri ʒ. j. ß.
Alum. sacch.
Salis fossilis ana ʒ. j.
Sem. staphidagriæ,
Lithargyr. ana ℈. j.
Vitell. ovor. num. ij.
Ceræ q. s. f. Vng.

Si his medicamentis malum non cesserit, & pars callosa evadat, excoriativis utuntur, & partem affectam ad cicatricem deducunt, vel *unguento de plumbo*, *de tutiâ*, *vel lithargyrio pluries loto.*

Impetiginis curationem instituimus medicamentis diaphoresim in parte impeditam promoventibus, fermentum exterminantibus, & affectam partem mundificantibus pluries repetitis, & quamvis levis sit, & per infectionem ab alio contracta, topicis sanari debet, undè vulgo præscribitur Butyrum Saturni, quod ità paratur:

℞. *Lithargyr. vel*
Minii q. v.

reduc in pollinem, cui affunde acetum destillatum ad duorum digitorum supereminentiam in vase vitreo, stent simul per 24. horas, sed terrâ quaque horâ materiam agita, ut fundum petat, post residentiam, acetum stillatitium clarum per inclinationem separa, & serva, deindè

R. Hujus liquoris part. ij.
Ol amygd. dulc. part. j. *m.*
Guttatim oleum in vase plumbeo, vel aneo, & f. butyrum. Verùm *Lac Virgineum* non tantùm in persanandis serpiginibus, impetiginibus, lichenibusque commodum est, verùm etiam accomodatissimum erit in cute perpoliendâ, manibusque lævigandis, facie detergendâ, lentiginibus delendis, & cutis infectionibus adimendis, quod hoc modo describitur:

℞. *Alum. crud.* ʒ. iv.
Decoquantur ad tertias in aquæ fontis lib. ij. *postea.*
℞. *Lithargyr. lib.* ß.
Aceti vin. alb. lib. j. ß.

Decoquantur ad residuum lib. j. *colentur, & commiscentur amba, aqua, & acetum, & spatulâ tamdiu agitentur, donec albescant.*

Summoperè herba *Lichen* (sic dicta) illita lichenes, & impetigines curat, sed ad hunc affectum sæpiùs in pueritiâ nostras, & alienas sanavimus impetigines, partem affectam illiniendo *Astulæ regiæ bulbi*, succo. Has etiam curat *infusio lapidis medicamentosi.*

Multa contra impetigines, & lichenes habemus experta medicamina, quæ omnia applicanti felici successu respondent, ut

℞. *Ol. ceræ* ʒ. j.
Ol. vitell. ovor. ʒ. iij.
Ol. tart. p. d. m.

Vel breviùs

℞. *Ol. tart. p. d.*
Cum ol. ceræ ana
Diligenter m.

Hoc enim lichenes, & impetigines optimè mundificat & curat

Vel

℞. *Ol. tart. p. d.* ʒ. ß.

Cam-

Camphoræ ℥. j.
Balsam. sulph. ℥. ij. *m.*
Vel
℞. *Tinct. Sulph. &*
Ol. ovor. ana m.
Vel
℞. *Aquæ sperm. Ranarum* ℥. ij.
Salis Saturni ℥. j.
Lact. sulph. q. ʒ. *m.*
Ut f. linimentum.

Si verò impetigo fera, contumax, & diuturna sit, valida requirit abstergentia, tunc

℞. *Ol. tart. p. d. lib.* ß.
Merc. vivi ℥. ij.

Destilla per retortam, prodibit primò Mercurius, deindè aquæ, quæ impetiginem, & lichenes etiam contumaciſſimos curat,

Vel

℞. *Farin. Lolii* ℥. j.
Sem. staphid. agriæ ℥. ij.
Spumæ argenti ℥. vj.
Cerussæ ℥. ij.
Plumbi usti,
Antimonii ana ℥. j. ß.
Pingued. Suillæ ℥. j.
Succ. scabiosæ,
Limonum ana ℥. vj.
Merc. viv. pingued. suillæ extincti ℥. ß.
Ol. vitell. ovor.
Ol. tart. p. d. ana ℥. ij.
M. f. linimentum.

Hoc enim non tantùm recentem, & benignam, verùm etiam feram, & contumacem impetiginem, & lichenem sanat, sed etiam si à lue Venereâ ortum habeat.

CAP. XXV.

De Phlyctenis.

PHlyctenæ, vel Phlyctides græcè appellantur, latinè autem dici solent vesicæ, seu inflationes, à mulierculis appellantur aqua calida, eo quod hujusmodi vesicæ repentè emergentes, tenui humore aqueo subflavo plenæ, & quasi destentæ, & bullarum aquosarum instar lucidæ sunt, hisque similes, quæ ab ignis ambustione, vel à ferventi aquâ, vel à vesicatoriis excitantur. A nonnullis etiam dici solent ignis sylvestris. Videtur hic affectus pariter quædam erysipelatis species, quia consimilem terè emittit humorem, ut erysipelas exulceratum, qui cùm effluere cessat, vesiculæ, & pustulæ crustulis obdurescunt, & sanescunt.

Duorum sunt generum, quædam sunt mitiores, & benignæ; quædam contrà sæviores, & malignæ, ex eisdem insuper quædam sunt majores, quædam minores; quædam pauciores &c. Interdùm etiam cum febre contingunt, quædam sine febre infestant Aliquandò unius coloris, aliquandò alterius sunt.

Signa.

Ex dictis facilè discernuntur, nàm vesicæ iis similes, quæ ab igne, vel aquâ fervida excitantur, subitò erumpunt, magnum non

inferunt dolorem, estò ob humoris acrimoniam, & fervorem pruritum excitent, dùmque rumpuntur, subflavus, quem continet, paulatim effluit humor, crustæ obdurescunt, & decidunt. Phlyctenæ viris rarissimæ, contingunt autem fœminis, quibus menses non debitè purgantur, & id in manibus, & pedibus, sed frequentiùs in cruribus, & nonnunquàm infantibus per totam corporis periphæriam. Nonnunquàm privatim in oculi corneâ tunicâ minutæ, & exiguæ pustulæ, sive vesiculæ aqua repletæ erumpunt, phlyctenæ dictæ.

Causa.

Asserunt vulgares phlyctenas à bile fervidâ cum pituitâ salsa admistâ originem ducere, vel demùm à quacumque causâ, quæ bilem, pituitamque plus justo aggregare potest sub cuticulâ. Alii ex vulgaribus causam continentem ponunt in sanguine nimis seroso, ac bilioso, qui à naturâ ad corporis superficiem demandatur. Sanguinem quoque menstruum cùm diutiùs retinetur, & postquàm biliosus evasit, similes sæpè tumores excitare docent. Si bilis fuerit simplex, vel cum pituitâ admista, phlyctenæ mitiores, & benignæ gignuntur; si bilis fuerit præternaturalis, & adusta, qualis est flava, porracea, cœrulea, æruginosa &c. tunc vesiculæ gignuntur sæviores. Sed relictis vulgarium ineptiis.

Dicimus succum nutritium in partibus carnosis degeneratum phlyctenas excitare; & ob partium continentium robur, vel materiæ parvitatem evenit, ut quicquid in carnis substantiâ degeneratum est, foràs in cutis superficiem sub cuticulâ erumpat, & quia talis succus exaltatur, acre salinum exedens nanciscitur fermentum, quod sub cute hærens, cutem divellit, separat, & vesicas excitat tenui liquore repletas, qui substantialiter in escharoticum mutatur liquamen. Eapropter nisi vesicæ rumpantur, & hoc depleantur liquamine, ulcus exedens excitat, quod in herpetem transit esthiomenum.

Prognosis.

Phlyctenæ mites, & benignæ periculo vacant, & brevi tempore terminantur, nam duorum, vel trium dierum spatio majori ex parte durant, verùm nisi rectè curentur, aliquandò in herpetem degenerant; sævæ, & malignæ periculo non vacant, & præcipuè quæ ad sublividum, aut subnigrum vergunt colorem, tùm quia gravibus, & malignis adjungi febribus, tùm etiam quia prava, & maligna symptomata afferre, deliria scilicèt animi deliquia, syncopes, & pravas vomitiones, interdùm etiam in ulcera prava, & maligna degenerare solent.

Curatio.

Vulgares primò institutâ victûs ratione, qualem in erysipelate describunt, sanguinem de more mittunt, sed qua ratione, ipsos nescire

nescire credimus; deindè vitiosos præparant, purgantque humores. His universalibus præsidiis administratis, ad localia deveniunt, & quoniam hæ pustulæ erumpere incipientes, multùm prurigine molestare olent, linimentum ex *oleo rosaceo*, & *myrtino* probant. Verùm si pustulæ multò majores appareant, eas acu argenteâ pungere non incongruum existimant, ut ichor ille, quem continent, extrahatur, ne moram in affectâ parte trahens, eam ad exulcerationem perducat; postmodùm *unguento aureo, vel albo non camphorato, vel unguento de plumbo, vel minio* utuntur.

At si pustulæ prædictæ mali moris apparuerint, quas sævas, & malignas esse diximus, statim eas incidunt & ichorem, quem continent, extrahunt, & si pars pravum contraxerit colorem, in levioribus *Apostolorum unguento* utuntur, in gravioribus autem *unguento Ægyptiaco*, ut malum pejorent.

Si phlyctenæ mulieribus propter menstruorum suppressionem contingant, earum curatio fit per diuretica, & menses moventia, ut de menstruorum suppressione in morbis mulierum dicemus, procurando quoque congruam corporis evacuationem.

Si infantem phlyctenæ molestent, ejus nutrix *serum lactis* affatim bibat, & victu refrigerante nutriatur euchymo. Affectus locus sequenti inungatur medicamento.

℞. *Mucilag. sem. psyllii* ℥. j.
Aq. ros.
Succ. portulac. &
Solani ana ℥. j. *m.*

Et inunge. Vel in his tùm citò restinguendis, tùm curandis nihil potius est epithemate *ex lixivio fortí cinerum fagi, & olei lini ana, calidè confusis, & mistis facto*, ac deinceps cum laciniis loco dolenti applicato, sæpius reiterando, si *olei nucis* aliquid adieceris, perfectior sequetur.

Quòd si exulcerentur, accipiunt *adipem suillum, liquefaciunt, & cum sufficiente quantitate spumæ argenti minutissimè pulverisata efficiunt linimentum* pustulis his applicandum, cui & *sulphuris pulverisati parum addunt*, & sic efficacius reddunt.

Phlyctenarum curationem aggredimur, succum nutritium sub cuticulâ degeneratum resolvendo, & particulas acido-salinas temperãdo, & auferendo per cutis poros, undè diaphoretica pluries à nobis recensita ad cutis poros aperiendos commendamus, quæ utramque implent paginam, quòd si hic affectus vix absque topicorum auxilio evanescat, ut multoties accidit, tunc ad externa remedia confugimus, & partem vesiculis refertam illinimus *unguento parato ex radicibus oxylapathi in butyro cum vino albo coctis ad vini consumptionem, & oleo tartari p. d. s. q. commisto.* Vel utimur *unguento rosarum cum sale saturni, oculis cancrorum, & camphorâ admisto.* Multùm præstat in hoc affectu *lixivium ex cineribus pini*; absorbent hæc particulas acido-salinas, hinc omnia lixivialia aliis topicis palmam præripiunt. Nonnulli imponunt *lenticulam cum lacte coctam, & in pultem mollem redactam.* Quòd si præ-

dictæ vesiculæ non sponte rumpantur, vel graviter dolorem inferant, tunc perforandæ, & expungendæ sunt acu, ut omnis ichor exigatur, atque etiam leviter exprimatur, & si ante omnem liquoris flavi exclusionem rursùs coëant, denuò aperiantur, & etiam exprimantur. Verùm post apertionem nullum majus est expertum à nobis remedium, quàm *liquor ille, qui ex cacao exprimitur*, dùm chocolata conficitur. Si adest simul inflammatio, tunc *unguentum diapompholygos cum camphorâ* sufficit, ut & omnia exsiccantia, in primis *emplastrum de lapide calaminari cum camphorâ, & oleo mastiches malaxatum, vel emplastrum fodicationum.*

Cap. XXVI.

De Sudaminibus.

Sudamina, græcis Hydroa, aliis papulæ rubræ, mordicantes, sudorales, aut sudorosæ, quia post sudorem oboriuntur, sunt pustulæ in summâ corporis cute hærentes, milii granis similes aquâ plenæ, quæ cutem exasperant, vulgò hic Neapoli Migliarinæ vocantur. A Plinio sudorum papulæ appellantur. In nostrâ Calabriâ Vitranella nominantur, cùm harum papularum acies vitri instar luceat, malum pueris familiare. Dicuntur sudamina, eo quod post sudorem erumpant. Suntque utplurimùm papulæ rubræ mordicantes, & cutem reddentes pruriginosam necnon ulcerum modo exasperantes.

Signa.

Sudamina signis non indigent, cùm ex suprà dictis pateant, & in nostros incurrant sensus, verùm familiaria sunt pueris, & juvenibus, præsertim corporis constitutione calidioribus, qui nimis moventur, & exercentur. Utplurimùm post sudorem, & fervido æstatis tempore, quo homines facilè sudoribus infestantur, undè *Hip. aph.* 21. *sect.* 3. inter morbos æstivos refert. Itèm sæpè in iis animadvertuntur, qui statim post sudorem aëri frigido se exponunt. Emergunt repentè sparsim toto corpore, sed frequentiùs in collo, scapulis, pectore, brachiis, & femoribus oriri solent, frequentiùs etiam circa pudenda, & anum. Sunt sine dolore, sed non sine ingenti prurigine, & mordicatione.

Causa.

Sudaminum causam vulgares à nimio sanguinis fero ad cutem delato, & ibidèm coërcito deducunt, quod per sudorem evacuari impeditur, & hoc utplurimum æstatis tempore accidere asseverant.

Perennis transpiratio necessariò per cutis porositates peragitur, quòd si quandòque accidat ob causam externam sudores sub epidermide coërciti, ut minimè resolvi possint, partibus tenuibus per insensilem, sive sensilem resolutis, portiunculæ crassiores, terrestres, salinæ, & acidæ unà non extur-

exturbentur, sub epidermidem compulsæ, liberum non invenientes commeatum, illic cespitare coguntur, illam extollunt, & pustulas in eâ producunt, tunc particulæ illæ salinæ, & acidæ summam erodunt cutem, scabram reddunt, ulcerosè exasperant, in eâ pruritum excitant, & mirabilis illa cuticulæ textura sudamina repræsentat. Oriuntur etiam, dùm corpus inter sudandum detegitur, & coërcentur sudores à frigore externo, ac pori cutanei occluduntur. Plerùmque sudamina loca naturalia i. pudenda (nescimus, qua ratione loca naturalia appellent pudenda!) occupant, quia hæ partes continuò foventur calore, & ad glandulas inguinales major lymphæ proventus defertur, unde assiduo madent sudore, quòd si stagnare cogatur, prædictas producit pustulas. Oriri solent præcipuè æstate calidâ, & humidâ post calidorum, & acrium usum, magnos labores, ab incolatu in loco calido, & humido vento minùs perflabili, sudoribus nimis coërcitis, & vestium immunditie.

Prognosis.

Sudamina pernitiosa non sunt, sed pruriginosa, facilisque curationis, ità ut absque medicaminum auxilio, verùm tantùm naturæ ope sanescant, ac in albicantes terminentur squamulas.

Curatio

Sudamina curant vulgares remediis serum in sanguine contentum, vel quod in cute per sudorem excerni impeditur evacuantibus; hinc primò curat onem complent hydragogis medicamentis; secundò topicis, & quidèm partium affectarum ablutione *ex aquâ florum quercûs cum aliquot granis camphoræ mistis.*

Indicatio sudaminum curativa est, si affectus sit gravior, & adjunctam habeat febrem, ut cutis pori obstructi relaxentur, particulæ salinæ, acidæve, terrestres, & crassiores sub epidermide stagnantes attenuentur, & per insensilem, sive sensilem evacuationem resolvantur; unde diaphoretica, sudorifica, & diuretica adhibemus pluries, ad tœdium usque recensita. Topicè pustularum ablutio peragitur *oleo tartari p. d. spiritu vini simplici, vel camphorato.*

Cave, ne purgans præbeas medicamentum, vel phlebotomiam celebres, nàm hæc vulgaria præsidia à circumferentiâ ad centrum trahunt, & facto opposito naturæ motu, malum pejoratur. Si affectus sit mitior, mundæ adhibeantur vestes, & crebrò mutentur, & solius *aquæ rosarum, aut maluarum, quibus tamen camphoræ granum unum, aut alterum* addi potest, lotione curetur, & tandèm naturæ curationem committe.

Cap. XXVII.

De Ganglio, Exostose, & lupiâ.

Inter tubercula dura locum habet tuberculum illud, quod à

Græcis Ganglion dicitur, ab Arabibus glandula, ab aliis nodus, & nonnullis Lupia, hîc Neapoli à chirurgorum, & medicorum grege *humore melancholico, & melancholia.*

Rentur nonnulli, etsi hic tumor magnam nominum sortiatur confusionem, eundem tamen denunciare affectum, sed ex descriptionibus, signis, imò curatione, insignis elucet error, nàm ganglion est tumor rotundus, nascitur que in partibus, ubi ossa non multâ carne, sed tantùm cute teguntur, ac proindè non altè delitescit, & nunc est durus, nunc mollis, nunc major, nunc minor, & ovi magnitudinem ferè nunquàm æquat, mobilis est, & ad latera detruditur, & quia ganglion oritur in iis partibus, ubi ossa tantùm cute amiciuntur, & ubi tendinum, ligamentorum, nervorumque est concursus, nodus appellatur; factâ enim nodosâ quadam concretione, nervus intorqueri videtur, & ex hujusmodi intorsione apparet ille tumor nodus dictus, ad nodi similitudinem, qui fit in chordâ.

Platerus pro ganglio peculiare tumoris genus intelligit, quod in ossibus evenit, durissimum, constatque ex ipsâmet ossis substantiâ, ubi periostio abraso, vel exeso, novum quasi os priori adnascitur, vel ossium vitio producitur, & extra ossis situm prominet. Verùm tumor, qui hujusmodi in aliquâ corporis parte observatur, Exostosis nuncupatur.

Aliud tumoris genus sub ganglii nomine proponit idem *Platerus*, qui circa articulos; præcipuè circa genua nascitur, aliàs angustiore, aliàs latiore termino, universum interdum comprehendens articulum, ejusque motum quandòque adeò impediens, ut membrum vel planè non, vel non integrè moveri possit. Nonnulli hunc tumorem fungum appellant, quod quasi fungus quidam sub cute, irca articulos, in primis genu nascatur, qui non semper rotundus est, sed sæpè totum ambit genu, & lupia vocatur.

Perperàm ganglium glandulam vocant Arabes; differt enim à glandulâ, cùm hæc in solis adenibus fiat.

Signa.

Ex dictis ganglii signa patent, nascitur enim in partibus, quæ non multâ carne, sed cute tantùm amicitur, ut in capite, fronte, dorso manûs, vel pedis, ideòque non profundè delitescit: estque nunc durus, nunc mollis, nunc major, nunc minor, interdùm ovi magnitudinem non æquat, vel superat, doloris est expers; si tamen fortiùs prematur, quendam torporis sensum præbet, & ad latera detruditur, & movetur, sed non prorsùm, & retrorsùm detrudi, & moveri potest.

Ganglium, quod exostosis dicitur, facilè cognoscitur, nàm sub periostio novum os ossi adnascitur, & extra ossis situm prominet, nec hinc indè movetur, vel detruditur, sed fortissimè coit.

Ganglium, quod lupiam nonnulli

li vocant, facilè cognoſcitur, nàm eſt tumor, plerùmque in genu, mollis ſine dolore, & colore alieno, à parvis initiis incrementum ſuſcipit, qui interdùm ità increſcit; ut totum comprehendat articulum, undè evenit, ut æger ſtare, aut rectè gradiri non poſſit, nec inceſſu terram attingere, vel ſaltèm extremis digitis poſſit.

Cauſa.

Ganglium, exoſtoſim, & lupiam ex lentâ, & craſſâ pituitâ, vel melancholiâ oriri ineptè credunt humoriſtæ.

Generatur ganglium à nutrimento degenerato, & circa fibras, ac nervoſæ partis ſubſtantiam adhærente ob obſtructionem, & à facultate partium earum formatrice in hanc mutatur ſubſtantiam, & abit in duritiem eximiam, tenuioribus particulis exhalantibus, & remanentibus viſcoſis, & terreſtribus, & peculiari tegitur membranâ. Occaſionales cauſæ ſunt ictus, extenſio, aut nimius partis labor.

Exoſtoſis fit, ſi perioſtia oſſa amicientia, vel partes nervoſæ rumpuntur, tunc natura per viam apertam diffluere non ſinit nutrimentum, quod in oſſis nutritionem mutari deberet, ſed tumorem, ſeu nodum oſſeum membranâ peculiari tectum ſub cute indè efformat, non ſecus ac in arboribus, ſi cortex vulneretur, vel quoquo modo aperiatur, natura alimentum tranſſudans non temerè diffluere ſinit, ſed in nodum mutat.

Ganglium, quod lupiam vocari diximus non eſt ex unius nervi, vel tendinis vitio, ſed iis in locis ubi tendinum, ligamentorum, nervorumque concurſus eſt, & præcipuè circa genu accidit, cùm iſtæ partes propter nimium motum valdè exercentur, aut dùm vulnera ſanantur, ſi enim ſuccus harum partium, tendinum ſcilicet nervorum, membranarum, ligamentorum, occaſione cauſarum dictarum ex iis diffluat, ac luxuriare incipiat, earumque fibris adhæreſcat, in fungoſam talem materiam, quæ ſæpè totum ambit articulum, mutatur.

Prognoſis

Ganglium non vitæ periculum minatur, attamen niſi medicamentis tollatur, ſæpè ad multos annos durare ſolet, quia indolens eſt, non magni æſtimatur, nec chirurgi opera imploratur, undè ſæpiſſimè ad mortem uſque ægros comitatur, & ſi aliquandò multùm excreſcit, in junctûris articuli, & totius membri motum impedire ſolet.

Exoſtoſis difficulter curatur, inveterata, & indurata nunquam.

Lupia circa articulum niſi medicamentis auferatur, incurabilis eſt; Sectionem enim non patitur, quia facilè contingeré poteſt, ut nervus, tendo, vel ligamentum ſectione lædatur.

Curatio.

Duplici præſidio vulgares chirurgi

rurgi ganglii curationem tentant, vel per medicamenta, vel per chirurgiam; undè medicamentis præmissis, quæ corpus purgant, incisionem celebrant modo dictam pro atheromatis curatione: Sed quia morbus non urget, nec molestiam parit, medicamentis utuntur, etsi corpus exonerare per purgans præsidium bonum foret, tamen idoneam institutam diætam sufficere existimant. Deindè quantùm ad localia præsidia optimum censent ganglium digitis tractare, ut incalescat, & per hanc tractationem emollitionem tentant, & cùm aliquantulùm tumor emollitus fuerit, superimponunt *styracem, vel ammoniacum digitis emollitum, & tandèm laminam plumbeam* arctissimè fascià constringunt, nec ante decimum diem amovent, & si revertatur, quòd fieri solet, eandem adhibent curationem.

In ganglii curatione cò incumbendum est, ut obstructio tollatur, nutrimentum in duritiem, & tumorem degeneratum, ac particulæ viscosæ, & terrestres attenuentur, & resolvantur; hinc præter interna volatilia, & incidentia priùs corpus purgetur *Resinâ jalap. ℈. j. merc. dulc. ℈. ß. m. f. pilul. iij. & deaurentur*, postmodùm tumor emolliatur, & discutiatur, aut si fieri non possit, suppuretur, sed hoc non ità facilè est, aut abscindatur. Si ganglion sit recens, & folliculus, cui includitur, adhuc sit tener, danda opera primùm, ut cystis rumpatur, & materia inclusa dispergatur. Ideòque quotidiè tumor per mensem manu calefactâ fricetur *oleo ceræ, vel philosophorum rectificato*, ut incalescat, & mollior fiat, deindè superponatur *emplastrum de mandragorâ, vel de pyrite* arctâ ligaturâ constrictum, vel *Vigonis de ranis cum mercurio*. Si his omnibus reluctetur ganglion, eum resolvit, & discutit *Lamina Saturni mercurio vivo illita*, aut loco mercurii *Lamina oleo juniperi illita* imponatur, vel meliore jure *Saturni Lamina irroretur spiritu vini camphorato, & euphorbio* adspergatur. Laudat *Iohannes Schroderus folia sedi majoris*, detractâ pelliculâ, impositâ, & semper manè, & vesperi renovata; emolliunt enim tumorem, ut sensim, sensimque invisibiliter dispareat.

Ganglion sectione tolli potest, sed non nisi id, quod in capite, fronte, aliisque locis extra articulos consistit, sectionis modum legite apud *Danielem Sennertum*: quod verò in articulis existit non tutò secatur, cùm metus sit, ne subjectæ partes nervosæ lædantur. Sicut nec id ganglium secare licet, quod circa jugulares venas est, ob hæmorrhagiæ metum.

Nodi ossei, seu exostoses nunquàm curantur, si indurati & inveterati sunt. Qui recentes etiam difficulter curantur, estò utilia experiantur *cataplasmata parata ex radice mandragoræ, foliis cicutæ, hyoscyami, urticæ mortuæ coctis in aceto, & cum axungiis emollientibus mistis.*

Si nodi ossei versus articulos tendant, eorumque impediant motum, & sint in locis nudis, & ossibus saltèm tectis, cutis aperienda est, & ferro acuto nodus conti-

continuato ictu ab osse abscindendus est, & vulnus congruo modo curandum.

Lupia difficilis est curationis, sectionem namque non patitur citra tendinum, ligamentorum, & nervorum læsionem, ac proindè locum non habet. Tentandum ità que ut emollientibus, & digerentibus discutiatur, ne aliqua sequatur suppuratio, quæ hisce in locis incurabilia ulcera, à quibus nervosæ partes circa articulos corrumpantur, excitare solet.

CAP. XXVIII.

De Verrucis.

SUnt verrucæ parvæ excrescentiæ carneæ, fungosæ pueris, & adolescentibus familiares. Sicut enim in junioribus arboribus succus, qui tantummodò ad legitimos ramos, frondes, folia, & fructus facessere debebat, sæpiùs superfluos stolones producit; ità etiam luxurians corporis humani juvenilis succulentia ad augmentum saltèm necessariarum partium destinata: pari modo crebriùs excrescentias inutiles verrucarum, clavorum, aliasque profert.

Variæ sunt verrucarum species, ut verruca, porrus, verruca pensilis, clavus, thimion &c.

Verrucæ sunt quidam parvi tumores monticulorum instar in cute; latinis enim verruca propriè est editior locus in monte, undè *Cato in lib. originum* inquit: *Quadringentos milites ad verrucam illam ire jubeas.* Quem locum *Gellius lib. 3. cap. 7.* Verrucam locum editum, asperumque interpretatur. Undè, & verrucosa loca dicuntur, quæ inæqualia sunt, & diversas partes eminentes habent. A cujus similitudine tubercula in corpore eminentia sine sensu, verrucæ appellantur.

Porri dicuntur verrucæ, quæ exteriùs quasdam obtinent radiculas, ad porrorum similitudinem, & ob id majorem siccitatem.

Verruca pensilis exiguo quasi pediculo, ut de chorda, pendet, undè græcis acrochordon dicitur, est orbicularis, & angustæ basis, ac longum, & grande habet caput in summitate latius, in inferiori circa corporis cutem tenuius, ità ut quasi pediculo suffulta appareat, cuti est ferè concolor. Hanc si non sit ejusdem coloris, sed thymi florem referat, minorque sit; & magis inæqualis, & parva, Thymus vocatur. Si verò majores sint hæ verrucæ, à similitudine, quam habent cum ficûs fructu, ficus, seu sycoses appellantur.

Hùc referri possunt mora, cristæ, condilomata, sed de his fusiùs agimus *de lue Venereâ lib. 3. cap. 17.*

Est & aliud verrucæ genus, quæ sessilis nominatur, græcis Myrmecia, latinis formica dicitur, sunt verrucæ fixæ, infrà latiores, suprà tenuiores, durioresque, quæ radices suas altiùs frigunt, minùs ex cute sese exserunt, & stabiles sunt, nec ut aliæ mobiles, dolorem movent, & sunt colore nigricantes. Ità appellantur, vel à colore subatro, qualis est in for-

micâ, vel quòd dùm stringuntur, sensum exhibeant formicarum morsibus similem. Nascitur plerùmque in manibus, aut etiam in pedibus.

Clavus est verrucæ genus sessili simile, de quo agimus in manuum, & pedum tumoribus, ubi etiam de callo.

Thymion, vel Thymum est verruca eminens, pariter ad cutem tenuis, ut acrochordon, in summo autem latior, aspera, dura, floris thymi colorem referens, undè nomen accepit, atque ad magnitudinem fabæ excrescens, sæpiùs minor, non autem major; interdùm sola, nunc pluraliter, proveniens in palmis, plantisque pedum, vel in talis, interdùm in partibus obscœnis, ubi omnium pessimè sunt, præsertim sanguinem fundentes.

Signa.

Istæ diversæ verrucarum species è traditis descriptionibus facilè cognoscuntur, ut & earum differentiæ, undè peculiaria signa tradere opus non est, nàm notæ sunt lippis, atque tonsoribus.

Nascuntur verrucæ propriè dictæ in diversis corporis partibus, frequentiùs tamen in facie, manibus & pedibus, & plerùmque plures simul; excrescentiæ verò carneæ, ut mora cristæ, verrucæ, ficus, condilomata, thymi, mariscæ, &c. quæ in pene, mulieris situ, & podice, Luis Venereæ sunt soboles.

Causa.

Vulgares verrucarum causas statuunt humores melancholicos, & terrestres, quibus phlegma sit admistum, sed cùm plerùmque pueri plurimis scateant verrucis, & vix unquàm alii affectus melancholici in pueris elucescant, verosimile non est melancholicum humorem has sylvestres excitare carnes.

Verrucas fieri ex succo alimentitio, nimirùm viscoso cuti, & cuticulæ alendo destinato statuimus; succi nàmque alimentitii portio in unum cutis porum, vel plures erumpens extra solidas fibras agglutinatur, excrescitque portiúnculam exiguam porum implentem duram, & callosam generat, quæ nunc extra porum offertur, & juxta partis texturam, & dispositionem in sylvestres degenerat carnes, nunc in verrucam pensilem, nunc in verrucam sessilem. Quòd autem succus ille in poros se ingerat, illorum dilatatio, & amplitudo causa esse potest: quòd uti à variis causis prodit, ità in pedibus cute uno loco validiùs pressâ, poroque sic ampliato, clavus facilè gignitur.

In puerorum manibus quoque plerùmque se verrucæ offerunt ab externis injuriis has prodire credibile est; pueri nàmque omnivaria manibus tractant, eisque ludunt, ut sunt vermes, araneæ, lutum, terra, fimus, aliaque innumera, quibus identidem manus inquinant, modò in terrâ fodientes, nunc in lacunis, rivis, torrentibus fimosis, & merdis manus

nus agitantes, undè mirum non est, si aliquod sal leviter corrosivum in his spurcitiis manuum cutem irrumpat, poros dilatet, amplietque, succum nutritium vitiet extra solidas fibras, talesque excitet excrescentias: quemadmodùm à turdi conspurcatione viscum frutex, arboribus innasci dicitur.

Eodem modo verrucæ etiam ex contagio oriri possunt, ut si ex resectâ verrucâ sanguis cadat in aliam partem, in eâ generatur verruca, & siquis linteo fuerit usus, quo sanguis, qui ex verrucis effluxit, collectus, & detersus est, etiam in eo verrucæ succrescunt.

Prognosis.

Verrucæ vulgares pueris familiares sunt, nihilque mali denotant, grandioribus verò, & insuetæ luis Venereæ suspicionem faciunt. Cæterùm Venereæ excrescentiæ, sylvestresque carnes, ut verrucæ, crustæ, mora, mariscæ, ficus, condilomata, thymi &c. nascuntur in vulvæ labiis, pene, & ani orificio, & quandòque ità profundè in recto intestino, & uteri collo exurgunt, ut curationi minimè subjiciantur, nisi quantum utriusque speculum sinit. Suprà dictæ excrescentiæ frequentiores sunt in nostrâ Italiâ; paucæ enim sunt meretrices, paucique pathici, ob innumeros pediconum catervas, in ano hujusmodi non habentes excrescentias, quas sub hæmorrhoidum specioso pallio occultant. Si initio ob pudorem cœlentur, multiplicantur, & nisi appropriatis averrucentur remediis, in canceroſam migrant naturam.

Verrucæ vulgares non magnoperè quidèm lædunt, vel sanitati obsunt, cuti tamen defœdationem, & molestiam inferunt; leviter enim irritatæ sanguinem fundunt, qui decurrendo, in aliis locis, quæ maculat, verrucarum messem multiplicat. Rarò verrucæ solitariæ, sed plerùmque complures proveniunt, præcipuè in manibus, & sæpiùs inopinato, & quandòque inadvertenter rursùs disparent sine ullius medicamenti ope, vel si non dispareant, non ægrè medicamentis obediunt. Acrochordones facilè curationem admittunt, cùm exiles habeant pedunculos, nullasque relinquunt radiculas, ubi exciduntur, non renascuntur. Thymo excisо, in carne radicula remanet, ex qua necessariò regerminat. Myrmecia tandèm quatenùs profundiùs hæret, & fibris sæpè nerveis implicatur, tendinosisque fibrillis profundiùs insidet, difficiliùs curatur, & fortiora, ac efficaciora medicamenta requirit, ne pullulet, nec excisionem ob latissimas radices, quibus hæret, sine magnâ exulceratione patitur.

Curatio.

Curant vulgares verrucas vel medicamentis, vel chirurgiâ. Medicamenta vel occultâ qualitate id præstant, vel ipsum exsiccant alimentum, ut posteà verrucæ

marcescant, & evanescant. Aliqui *ex salicis foliis succum* commendant. Extollunt alii *chelidonia radices recentes*, quarum succo verrucas illiniunt. Quidam *portulacâ contusâ* verrucas à proprietate tolli existimant. Alii *rutam*, *& millefolium simul trita*, item *dracunculi*, *ari*, *cyclaminis radices* hoc præstare credunt. *Sabinæ folia in vino macerata per tres assiduos dies*, imposita verrucas tollunt. Utilis est herba *Verrucaria*, quæ indè nomen accepit. Grana cicerum à proprietate, & propter signaturam verrucas auferunt, ut *Matthiolus* refert: *Cicerum grana tot accipe, quot sunt porri, & singulis granis singulas tange verrucas, deindè liga grana cicerum in linteolo, & post tergum projice, & hoc non fiat, nisi Lunâ novâ*, quod nos multoties felici cum eventu experti sumus. Summis laudibus efferunt *Aquam è vitium sarmentis exsudantem, dum uruntur.*

His nihil proficientibus, ad fortiora, & quæ causticam habent vim, imò ad ipsum ignem actualem accedunt. Verùm cautè causticа adhibere debent, & præcipuè nervosis in locis, ità ut solam attingant verrucam, ac proindè pars priùs circumcircà cerâ, vel emplastro munienda est.

Ad hunc finem *allium viride recens contusum* applicant, & suprà pileolum ex cerâ imponunt, & fasciâ involvunt. Vel *lac ficûs*, *vel tithymali* adhibent, vel *causticum ex sapone*, *& calce.*

Chirurgiâ auferuntur verrucæ vel extractione, vel excisione, vel adustione.

Extrahuntur suctu, vel dentibus, vel aliquo alio instrumento.

Exciduntur, quæ tenuem habent basim, eas *serico vinciendo filo*, *aut setâ equinâ* sensim vinculum constringendo usque quò æger dolorem sentiat, donec ob nutrimenti defectum exsiccentur, & decidant. Verùm nos vinculi usum repudiamus, & licèt omnes vinciri possint, dolorificus est curandi modus, tumorem accersit, & inflammationem, & si tali pacto curentur, promptissimè repullulare possunt. Quandòque eas forcipe excidunt, sed ferrum pro excisione formidolosum est ægris, nec radiculas, quibus verrucæ adhærent, excidit; eapropter impromptu est harum regerminatio. Præterea semper inflammatio accedit, quæ curationem impedit, & chirurgus pro uno curando morbo, alterum magni negotii inducit.

Si aliqua, vel plures remanserint radiculæ, eas cauterio absumunt, vel ferro idoneo, ità ut verrucam circumcircà priùs scarificant, & posteà acuto scalpello, vel phlebotomo radicitùs excidunt. Verùm pro radiculis radicitùs extirpandis hoc medicamenti genus est periculo plenum, quod maximè exhorrent ægri. Insuper talis curandi modus barbariem sapit, & inflammationem, ac quandòque horrenda symptomata, & gangrænam accersit, ut multoties nos autopsia docuit.

Adustione verrucas absumunt, vel stylo ferreo candente per cannulam applicato, ne vicinæ lædantur partes, vel laminam ferream

ream ad verrucæ magnitudinem perforatam verrucæ ità applicant, ut sola verruca per foramen appareat, & posteà candenti ferro, vel ignis flammâ aduratur. Adustione peractâ, eschara laxantibus tollenda, & ulcus convenientibus medicamentis curandum. Si hæc inefficacia experiantur, verrucam sulphure hoc modo inurunt: Accipiunt mediam testam nucis juglandis, & eam ad verrucæ magnitudinem perforant, & parti, in qua est verruca, parte convexâ applicant, ità ut arctè verrucam comprehendat, & verruca per foramen in testæ cavitatem promineat. Posteà sulphur in testæ cavum imponunt, atque incendunt: quo liquato, & accenso, verruca tantùm aurenda est, quantùm æger ferre potest, atque si unâ vice tolli tota non possit, ter, vel quater repetenda est adustio. Ubi locus fuerit sanatus, salicis foliis per aliquot dies fricandus, & regendus, ne verruca reviviscat. Aliqui hoc pacto verrucas extirpant: ipsis aciculam infigunt, deindè aciculæ caput tenent ad ardentis candelæ flammam, ut subcandeat, quò verruca sensim cremetur absque notabili dolore, demùmque albescat, & tunc facillimè tota digitis detrahi potest, remanente solùm parvâ excoriatione, per se posteà sanescente. Verùm ignis actualis formidolosissimus, & doloroſus est, carnes exedit, multumque se diffundit, tumorem, & inflammationem excitat, nec laudabilis est apud optimæ notæ chirurgos, nec forsan quandòque radiculas extirpat, & post lanienam recidivæ est metus.

Ea medicamenta his tuberculis conveniunt, quæ radices erodunt, poros occludunt, ne per eos incrementum sumant, sed omni succo destituta decidant, vulgarium itàque verrucarum curatio solis externis adhibitis perficitur, prout etiam externus est affectus, præterquàm in luis Venereæ, quæ non nisi externis, & internis luis Venereæ remediis eradicantur, ut *de lue Venereâ lib. 3. cap. 17. de moris, cristis, verrucis &c.* fusius dicemus.

Disparent vulgares verrucæ, si unâ, vel alterâ vice laventur *liquore illo falso, qui in butyri saliti doliis, vel vasculis* reperitur. Eradicat etiam *emplastrum oppoteldoch* solâ impositione omnifarias verrucas. Optimum remedium est in verrucis eliminandis *oleum sulphuris, vel vitrioli*, attamen in applicatione summa diligentia adhibenda est, ne naturalis tangatur caro. Nonnulli *aquâ forti communi* verrucas tangunt, verùm magnâ sedulitate illinienda est, quia spirituosa, & multùm se diffundit, pruritum excitat in tolerabilem, & causticat. Magnoperè præstat *spiritus mercurii albus*, quo nos felici cum successu utimur semel, vel bis has tangendo carnes sylvestres, quas felicissimè persanamus absque ullo recidivæ timore. Aliqui Chymistæ verrucas leviter *spumâ veneratâ duorum Draconum rectificatâ* illiniunt, & eas penitùs eradicant, adeò ut nunquàm eodem loci repullulent, nàm est medicamen-

tum causticum, & has sylvestres destruit carnes solùm levi illinitione, sed in hoc illiniendo liquore summa solertia adhibenda est propter prava, quæ excitat symptomata.

Multi ad verrucas referunt cornua, eaque statuunt esse verrucarum genus oblongum, & cornu instar recuruum, sed perperàm. Quamplurimi cornua ad monstrua in homine nascentia referunt, sed falsò; nàm ægritudo est ex exostose incrementum ducens, & difficulter curatur, ac toto vitæ tempore durat.

Cap. XXIX.

De Hydrocephalo.

ILlos hucusque peragravimus tumores, qui indistinctim modò unam, modò alteram corporis partem obsident; nunc jure merito de illis, qui in destinato loco oriuntur, ordinatim agere debemus: à capitis igitur vertice usque ad pedum plantas exordimur, & primò de hydrocephalo.

Hydrocephalon nomen desumpsit à parte affectâ, & materiâ, ex qua pendet; est enim hydrocephalon vox græca composita ex hydro, & cephalon: hydro enim græcè aquam significat, sive affectum aquosum, cephalon autem caput, latinè idem sonat, ac capitis hydrops, nàm in hoc affectu aqua in pluribus sæpè capitis locis colligi solet. Interdùm colligitur inter cutem, & membranam cranium vestientem; interdum inter hanc membranam, & cranium ipsum; quandòque etiam interna occupat loca, & aggregatur inter cranium, & duram matrem, sicuti etiam plerùmque colligi potest inter duram, & tenuem, nec non inter piam, & ipsum cerebrum. Familiaris est affectio infantulis.

Signa.

Quò ad signa hujus mali legitimus judex est visus, & tactus. Qui autem in capitis loco serosus contineatur humor, specialibus dicendum est signis. Si aqua inter cutem, & pericranium stagnet, tumor est evidens, mollis, ejusdemque ubique coloris, pellucidus plerùmque, ità ut positâ ex adverso candelâ, vel ad solis radios capite collocato, aqua ipsa conspiciatur: tumor est doloris expers, & in altum curvatus, qui tactui cedit, & recedit, compressusque aquæ fluctuantis motum exhibet.

Hæc apparent signa, ubi hic tumor per se incipit. Si autem ex contusione, vel percussione ortum duxit, initio quidèm rubet, & dolet tumor, postmodùm verò concolor, & sine dolore evadit.

Si stagnet inter cranium, & pericranium aqua, tumor est aliquantulùm solidior, nec sine aliquo doloris sensu addi itorum compressionè præter pericranii distensionem.

Si verò inter cranium, & duram matrem aqua redundet, tumor est durior, & non nisi validâ compressione cedit majori cum dolore,

re, eo quod futuræ dehiscant, & dilatentur, oculi sunt clausi, & lacrymantes cum continuo vagitu pueri, quodam stupore, & languore.

Si tandèm inter cerebrum, & piam matrem contineatur aqua, dolor major est, frons extrà prominet, oculi sunt tumidi, aliquandò extra orbitas, qui velut intenti prospicere videntur, sensus fere hebetantur, ac sopore afficiuntur.

Causa.

Pro hydrocephali causâ assignant vulgares debilem cerebri calorem, cerebrumque ipsum nimis refrigeratum, & humectatum, quod suum non bene concoquit alimentum, sed in aquosum transmutat humorem. Sed cespitant vulgarium scholæ, nàm qui hydrocephalo tentantur, facilè in apoplexiam laberentur, quod oppositum experimur, ut in nostrâ *Trutinâ cap. de Apoplexiâ* fusiùs probavimus. Imò nonnulli vulgares hydrocephalum ab humore lento, & fæculento fieri obstinatè contendunt, quia tardè & lentè non subito hic tumor generatur, non aliter ac cæteræ hydropis species succedunt.

Alii altioris indaginis vulgares serosos accusant humores à toto corpore, præcipuè à visceribus naturalibus intemperie affectis ad cerebrum demandatos, quos ob caloris debilitatem discutere nequit. Verùm huic hydrocephali genesi, viam à visceribus infectoribus, quâ serosus hic humor ad caput scandit, assignare deberent, aliter anile esset figmentum. Viæ, per quas serosus ille humor in caput scandit, non æquè constant; alii enim cæcos assignant ductus, & in ignorantiæ foveam cadunt: nonnulli verò vaporis specie humorem se insinuare credunt, & ibi rursùs condensari. Verùm si his destillationis artificium per alembicum innotescceret, circa incognita forsan non delirarent. Demus, quòd hepar, lien &c. intemperie laborarent, aut alio gravi morbo, & vapores emitterent: Si frigida erit intemperies, hujus serosi humoris resolutio in vapores haberi non potest, nàm in frigido in halitus attenuatio non fit; si calida erit utique vaporum resolutio habetur, qui ut ad superiora evehantur, patentes requirunt ductus, & à loci frigiditate repercussi in simplicem, crystallinumque facessunt humorem, & non in serosum, ut patet in seri destillatione, ac proindè meritò vulgares cerebrum frigidum assignant, tanquàm refrigeratorium. Cæterùm tantus in nostro corpore calor non est, quamvis p.n. intendatur, ut valeat vapores ad caput usque extollere; quapropter etsi vapores in hepate, liene &c. generantur, necessariò in ipsos iterùm deciderent, non secus ac vapor ab ollâ collocatâ in tenuissimo igne elevatus in ollam decidit. Præterea detur vapores cerebrum ascendere, cùm in hoc nulla sit ampla cavitas, quæ capitellum referat, non possunt in guttas concreti,

cere,

cere, quòd si concrescerent in cerebri basi, cùm pars hæc admodùm sit angusta, statim per naris tubulos descenderent. Tandem concedamus vapores cerebrum scandere, & in eo guttulatim concrescere, tanquàm in parte frigidiori, cùm cerebrum exsangue sit, & frigidum esse credant, perpetuò tantùm inter cerebrum, & piam matrem fieret hydrocephalus, & non alibi, quod falsum observamus.

Hydrocephali vera, & legitima causa, quocumque in loco fiat, est lympha, quæ obstructis vasculis lymphaticis, vel deindè patefactis, vel anostomosi, diapedesi, rhisi, vel diabrosi in eum effunditur locum; tenella enim hæc vascula valdè sunt, & non ægrè aperiuntur, rarefiunt, rumpuntur, vel eroduntur à salinis, sulphureisque particulis in lymphâ commistis, inibi sensim coacervantur, & extra vitæ consortium proscripta suo circulationis munere defituitur, & caput in tumorem attollit.

Frequentiùs infantes hoc corripiuntur morbo, quàm adulti, infantibus vel intra, vel extra uterum hoc malum accidit; intra matris uterum existentibus, dùm ipsæ gestationis tempore uberiori aquæ potui nimis indulgent, vel plus justo fructibus acidis, & acetariis utuntur. Id contingere volunt aliqui ob indebitam infantis positionem in utero, ità ut ad caput nimiùm declive lympha plus justo confluat. Extra verò uterum plures esse possunt causæ, præcipuè ipsius uteri angustia, cùm ad lucem aditur infans ob malam tractationem, vel capitis effigiationem ab obstetrice factam, ità ut ob futurarum compressionem, & dilatationem ipsum cranium, quod adhuc in infantibus molle est, distenditur, & lymphaticarum oscula referentur, vel calus, & percussiones ab ipsâ imperitâ obstetrice habitæ in ipso capite, ad quæ deindè lympha in mali causam decurrit.

Prognosis.

Si aqua extra cranium contineatur, curabile malum est, neque sine periculo, & magis, vel minùs secundum quod major, vel minor est tumor, & magis, vel minùs parvus infantulus, nàm si tenellam habeat ætatem, quæ neque morbum, neque remedium sustinere potest, & præcipuè si aqua in magnâ sit copiâ, ac totam capitis periphæriam occupans, vel quotidiè increscens: tùm enim lenia medicamenta nihil juvant, fortia ætas non tolerat, communiter succumbit. Si verò aqua sub cranio stagnet, affectus curationem non admittit, non tamen æger deserendus est. Si lethargus, vel apoplexia, vel epilepsia accidat, mors præ foribus adest.

Curatio.

Triplicem indicationem curativam in hydrocephalo instituunt vulgares, quarum prima ab ipsâ aqua in tumore contentâ oritur, quæ

quæ evacuari debet ; secunda, ne in eo amplius regeneretur, præcavendum ; Tertia viscerum discrasiæ sunt emendandæ, quare aquam triplici remediorum genere evacuant hydragogis, sudores, & urinam cientibus.

A capite aquam educunt partim insensibiliter per discutientia, & exsiccantia, partim sensibiliter per cauteria, vesicatoria, setacea, & cutis capitis sectionem.

Universalem corporis evacuationem hydragogis instituunt; verùm hic tumor infantulis, & nuper natis frequentiùs contingit, & vix tutò propinantur, & remedia, quàm externa vix iis commodè adhibentur. Eapropter si nuper natis accidat, nutricis corpus purgant, si pravis scateat humoribus, & infantulo *Setaceum* inter primam, & secundam vertebram apponunt, sin minùs saltim *fonticulum* aperiunt. Setaceum apponunt, alias funem per cervicis pellem traductum, quod serum à capite derivari, & revelli ruditer credunt, quod medicamenti genus tantùm equis, & asinis à Veterenariis hucusque in usum vocatum fuit: & chirurgorum inscitia à veterenariis erudita in infantulos tenellos & delicatos transtulit.

Fonticulum aperiunt, serum in capite contentum citant, ut personaliter compareat, & quasi eorum jussibus obediturum, & per fontanellam proscribendum.

Si puer tàm adultus fuerit, ut medicamenta sustinere possit, *mel ros. solut.* exhibent, sed in paucâ quantitate cum *syr. ros. solut.* Adultioribus verò *pilulas cochias* deglutiendas tradunt, vel *iridis succum, vel elaterii grana duo.* Verùm purgantia nihil è capite eliciunt, nec caput aliquid dat præter mucum, quem ad pelvim, nec alio mittit. Deindè per sudores, & urinam serosum evacuant humorem.

Universalibus evacuationibus præmissis, prius insensilem tentant evacuationem, sed quia cutis densitas obstat, primò cutem rarefaciunt, & emolliunt herbis emollientibus, postmodùm exsiccantia, & discutientia usurpant, inter quæ commendant, ut

℞. *Pulv. betonicæ,*
Salviæ,
Dictami cretici,
Cumini,
Origani an. ℥. ß.
Stœcadis,
Sampsuci,
Flor. chamamel. ana ℥. iij.
Bulliant in vino albo generoso, & lixivio barbi, tonsorum, addendo
Oximellitis ℥. ij.
Ol. de spicâ, &
Rutac. ana ℥. j.
M. f. cataplasma.

Vel

℞. *Mell. lib.* ß.
Salis ℥. ß.
Pulv. origani, &
Cumini ana ℥. ß.
M.

Et calide caput inunge.

Vel

℞. *Sem. coriand.*
Anisi ana ℥. ij.
Artimisiæ,
Origani,
Pulegii ana m. ß.

Sulphuris ℥. ß.
Coquantur in lixivio. In colaturâ ſpongia madefiat, & calida capiti applicetur
Vel
℞. *Ol. chamemel. vel*
Rutacei ℥. iv.
Sulphuris ℥. j.
M. f. Ung.
Quod diù continuetur. Nonnulli *calcis aquam* Laudant, ſi eâ calidâ ſpongia imbuatur, & capiti imponatur.

His omnibus adminiſtratis, ubi morbus non ceſſerit, ad ſenſilem evacuationem accedunt, quam per inciſionem, aut periculoſam uſtionem celebrant. *Celſus*, *Paulus Ægineta*, *Aëtius*, & alii ſectionem commendant, verùm militat ſectio, ubi tumor aquoſus extra cranium extiterit, ſi verò ſub cranio hæſerit, tamdiù expectandum eſt, donec è capite per cranium redundet humor, ſuturæque diſtendantur, & tumor appareat. Facienda eſt ſectio in loco, ubi major eſt aquæ copia, & in declivi. Cœterùm ſectio non temerè nec facilè adhibenda eſt, ſed prævio conſilio, vel ad ægrorum inſtantium ob infelices eventus, qui ſæpe accidere ſolent. Quomodò, & quandò ſectio adminiſtranda ſit, diſcere quiſquam poterit ex *Paulo Ægineta lib. 6. cap. 3. & ex Aëtio Tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 1.*

Placet nonnullis cauterio actuali capitis cutem adurere, quinque, ſex pluribuſque locis, non ſimul, & ſemel, ſed repetitis vicibus, ne vires nimiùm exhauriantur, quotidie eum eligendo locum, quem aquoſus humor commodiorem indicat.

Horum mediorum quodnàm præſtet, abſolutè decerni non poteſt, quodcumque tamen horum eligas, aquam omnem ſimul, & ſemel educas cave, facilè nàmque ipſo operationis tempore interiret æger, aut ſaltèm valdè debilitarentur vires: paulatim itàque evacuanda eſt, ut hydropicorum aqua paracentheſi evacuatur. Imò nunquàm in curationis fine aqua omnis auferenda eſt, ne partes debilitatæ, etiam calore eo, quem aqua poſſidet, corrumpantur: quin potius, quod relinquitur, internis, exteriſque diſſipantibus diſcutiendum.

Tandèm cerebrum refrigeratum, & humectatum calefaciunt, & exſiccant, ut in ejus temperiem redeat.

Noſtram nunc hydrocephali curationem inſtituimus, aquam copioſiùs aggeſtam, vel in cavitatem illapſam evacuando; ductuum lymphaticorum obſtructionem reſerando; vel eorumdem ruptionem, ex quibus aqua in partem influxit, conſolidando; & tandèm aquæ proventum inhibendo.

Quò ad res nonnaturales, quæ corpus alterare, & ad priſtinam ſanitatem reducere poſſunt, dicimus in hac tumoris ſpecie aërem calidum, & ſiccum, vulgò dictum, eſſe debere, quòd ſi talis non ſit naturâ, arte parandus. Intemperantiæ, in pueris adeò ſolemni, niſi frenum injiciatur, fruſtanea erit curatio. Cibus non ſit herbaceus, non aquoſus, vel ſalſus, ſed boni,

boni ; & utilis ſucci, ut carnes gallinarum, caponum, pullorum, perdicum, aliarumque avium montanarum. Potus frigidus, vinum tenue, decocta hordei, julapia frigida vulgo putata &c. exulent, liquidorum uſus ſit moderatus, Vinum aſſuetis parcâ manu exhibeatur. Motus, quies, ſomnus, vigilia, omnia moderata. Animi pathemata regulentur, & debitæ excretiones ſuum ſervent tenorem.

Pro evacuandâ lymphâ copioſiùs coërcitâ, hydragogis utimur, ut *reſinâ jalap. extract. mechoacan, vel gummi gut. cum mercurio dulci*, vel eis, quæ in hydrope pro purgantibus uſurpantur, inter quæ *elaterium* eminet, ſi æger hæc medicamenta tolerare poſſit, aliter evacuantia blanda eſſe debent, præterea convenit *manna potabilis, mel roſarum ſolutivum, aut ſyrupus roſarum ſolutivus, item calomelanos, vel mercurius dulcis in hoc ſyrupo.* Verùm ſi infans ſit, nutricis corpus, ſi pravis luxuriet ſuccis, per inferiora deplemus, & externa, quæ exſiccandi vim habent, quantùm fieri poterit, infanti medicamenta applicemus.

Vel inſenſibiliter aqueam colluviem diſcutimus, & hæc evacuatio tutior, quàm ſenſilis erit, & præſertim ſi pauca ſit aqua, hujuſmodi medicamenta erunt, quæ diaphæreſim movent, ac quæ ſudorem, ut *decoctum ligni guajaci, ſalſæ parillæ, ſaſſafras, vel balneum, laconicum, & ſudatorium.* Item *antimonium in liquorem verſum, & poſtmodum in pulverem*, ſolummodò per ſudorem purgans. Similiter *mercurius diaphoreticus Paracelſi, & cætera diaphoretica.*

Ductuum lymphaticorum obſtructionem reſerant ea, quæ tenacem, & glutinoſam lympham ità incidunt, & attenuant, ut liberum adipiſcatur commeatum, ut *tartarus vitriolatus, ſal abſynthii, roris marini, ſpiritus tartari, ſpiritus vitrioli, ſalis armoniaci, ſpiritus Vitrioli, Martis, tinctura tartari, ſpiritus urinæ &c.*

Vaſorum lymphaticorum ruptionem optimè uniunt, & conſolidant adſtringentia, ut *radic. tormentillæ, biſtortæ, caryophyllatæ, fol. myrti, equiſeti, flores roſar. balauſt. nucum cupreſſi &c.*

Non deſint in hoc curando affectu blandiora diuretica, ut *ſpiritus ſalis dulcis, ſalis armoniaci, ſal ſabarum &c.* Notandum volumus, quòd quæcumque uſurpantur ſemper cephalicis miſceantur, ut eſt *ſal volatile ſuccini, eſſentia caſtorei, elixir cephalicum, eſſentia roris marini, liquor cornu cervi ſuccinati.*

Si malum non ceſſerit ad topica confugimus, ſi tota præcipuè hydrocephali minera non exhauriatur, & quia cutis denſitas ad aquæ retentionem non parùm facit, primò cutem rarefacimus, & emollimus *decocto malvæ, chamæmeli, meliloti, parietariæ &c.* poſtmodùm diſcutientia, & reſolventia inſenſibiliter tumorem uſurpamus ex *chamomillâ, meliloto, artimiſiâ, ſtœcade Arabicâ, calamintha montanâ, rore marino, abſynthio, origano, pulegio, cumino, ſerpillo &c.* quæ plurimo ſale volatili ſunt referta,

Unable to display this page

notandum, quòd aqua omnis non simul, & semel educitur, aliàs mors procuraretur, sed per intervalla non horarum tantùm, sed dierum. Interim æger corroborantibus restaurandus est.

Cap. XXX.

De Testudine, & Talpâ.

PRivatim quoque capiti accidunt tumores nonnulli, quorum apud antiquos Græcos, vel Latinos mentio non reperitur, sed solùm iis peculiaria imposita sunt nomina à recentioribus barbaro-Latinis, nempè Testudo, Talpa, Topinaria, Natta.

Testudo est tumor magnus, mollis, aut saltem non valdè durus in capite, latiori formâ, à cujus formâ nomen sortitus est, vel castaneæ in principio, posteà verò in formam ovi excrescens, materiam continet mollem, vel saltèm non valdè crassam, tunicâ quadam obvolutam, quæ communiter cystis apud Græcos, Latinè verò folliculus appellatur.

Talpa est tumor testudini affinis, & ità dictus, quia sicut talpa sub terrâ deambulat, & in eâ foveas excitat, sic tumor hic sub cute cranium cariat, undè congenei sunt affectus, & solùm inter se differentes penes cranii læsionem, nàm donec cranium non lædatur, testudo dicitur, talpa verò cùm cranium cariet, in reliquo conveniunt. Hinc est, quòd à quibusdam confunduntur, & pro uno, eodemque hi tumores accipiuntur. Quidam testudinem à talpâ penes materiam discriminant, quia in talpâ est crassior, quàm in testudine, & testudinem ad meliceridem, talpam verò ad atheroma referunt. Talpam nonnulli Topinariam appellant, cæterùm topinaria diversus est affectus, & pueris familiaris, qui à phlegmate fit, quod saniei viscositas, ejusque albedo declarat: aliquandò ex phlegmate misto cum sanguine, quod color ostendit, qui non rubeus est, & ad maturitatem citò devenit. Topinariam ad hydrocephalum *Iohannes Philippus Ingrassias* reducit, sed perperam, cùm hic tumor ex aquâ fiat, nec sanguinem habeat admistum, nec suppurationem patiatur.

Natta, Nata, & Napta tumor est magnus, mollis, sine dolore, & colore, in dorso præcipuè excrescens, quandòque tamen in humero, aliisque partibus erumpens à tenui quidem radice pendens, ità tamen incrementum sumens, ut aliquot libras pendat, & melonis, vel cucurbitæ magnitudinem adæquet, qui cùm non semper easdem habeat figuras, ideò etiam diversis nominibus ab authoribus appellatur. Materia in eo interdum videtur carnosa, sed reverà non est caro, verùm adipi similis, ideòque ad steatoma refertur.

Signa.

Præfati tumores ex descriptionibus suprà traditis facilè patent; sunt enim tumores molles, vel non

valdè duri, magni, lati, & indolentes, vel saltem leviter dolent, peculiari tunicâ iucluſi, & figuram habent prædictis animalibus assimilem, à quibus denominationem sumpserunt.

Causa.

Horum tumorum causam ad pituitam referunt vulgares, verùm in talpâ cùm calvaria carietur, pituitam salsedinis participem, vel bilem habere admistam statuunt, à qua mordax, & acris redditur, quæ salsedo, vel bilis in testudine non reperitur, ideòque nulla fit erosio; Verùm sectarii chirurgi, gregariique medici in horum tumorum assignandâ causâ cespitant, testudinis enim & talpæ causa est assimilatricis error, quæ dùm ultimum alimentum non bene regulat, efficit, ut illud degeneret, sibi locum adsciscat, & ex partis augmento elevatur, & quia sub cute stagnat, ne hinc indè vagetur, in peculiari tunicâ, vel nerveo folliculo à communi cute diverso clauditur, undè isti tumores melicerides, steatomatis, & atheromatis naturam sapiunt, verùm hic materiæ copia major est, & hinc etiam tumores majores sunt. Temporis processu illius ultimi alimenti sal exaltatur, & erodendi energiam nanciscitur, ac proindè cranium corrodit, ut in Talpâ observamus, undè recens tumor testudo commodè appellatur, inveteratus verò ob realgarina salia, quæ temporis diuturnitate cranium corrosere, talpa nominatur.

Prognosis.

Hi tumores periculosi sunt ob cranii vicinitatem, verùm testudo minùs quàm talpa negotium facessit, cùm timorem incutiat, ne cranium corrodat, & præcipuè circa futuras. Si magna adsit cranii corrosio, præstat sinere talem tumorem, quàm curationem aggredi. Qui cranii corrosione destituuntur, etsi facilius curantur, adhuc tamen diuturni sunt, & tardè, vel nunquàm suppurantur, & nisi totus extrahatur folliculus, perfecta sanitas sperari non potest, cùm si aliquid relinquatur, indè novus germinat tumor.

Curatio.

Tenuem, & exsiccantem victûs rationem instituunt vulgares, & præmissis frictionibus, cucurbitulis, enematibus, corpus purgant medicamentis pituitam educentibus, & bilem expurgantibus, præcipuè in forma pilulari, quæ ad succos in capite contentos educendos valdè commendantur, nàm diutiùs in ventriculo morantes, meliùs à capite, & extremis partibus evacuare possunt, quasi per magnetismum, ideòque cephalicæ, seu capitales appellantur; verùm non propter formam, & majorem in ventriculo moram validiùs purgant, quàm aliæ medicamentorum formulæ, sed quia magis vitam lacessitat, stimulatque virus laxativum validorum

ingre-

ingredientium, ex quibus utplurimùm constant pilulæ. Sed primùm humores preparant tribus syrupis, ut

℞. *Syr. de cort. citri,*
Betonicâ, &
Lupulor. ana ℥. ß.
Aquæ betonicæ ℥. iij. *m.*

Postmodùm corpus purgant, ut

℞. *Pilul. Cochiar.*
Fœtid. &
Aggregat. ana ℥. j.

Cum cathartico ros. formentur pilulæ IX. *& deaurentur.* Quòd si perfecta non succedat purgatio, post nonnullas horas à pilulis prædictis, apozema exhibent, ut

℞. *Syr. sueff. &*
Ros. solut. ana ℥. ij.
Aquæ betonicæ par. m.

Corpore expurgato, si serosi humoris reliquiæ redundare videantur, vel *decocta*, & *syrupos* propinant *magistrales*, & præsertim si ossis caries inducta fuerit, ut in talpâ, quasi decocta, & syrupi magistrales cariem tollerent.

Quibus peractis, si tumor fuerit minor, & sine ossis carie, ad digerentia, & discutientia confugiunt, talia sunt *cataplasmata ex absynthio, rutâ, origano, & calaminthâ montanâ in vino decoctis, additis rore marino, stœcade, betonicâ, & rosis rubris incompletis* possunt fieri fotus, & deindè ex *oleo nardino, costino, & rutaceo cum paucâ cerâ fiat linimentum:* Sed ad hunc usum opportuna magis rentur emplâstra, quæ tenaciter adhærent, quàm cataplasmata, quæ faciliter dilabuntur, & in pueris magis, qui loco stare nesciunt, undè commendant *emplastrum de lapide Matheseos, & emplastrum de betonicâ.* Verùm errant vulgares; hi enim tumores nunquàm discutientibus, & digerentibus curantur, nec folliculum, qui nerveus est, hæc vanida medicamenta resolvere possunt: imò nullatenùs his procedendum est, ne tenuioribus partibus resolutis, durescant magis molliores. Si tumor fuerit magnus, & succus tenax, mollientibus, & suppurantibus utuntur, commendant *emplastrum de mucilaginibus, & Diachylon magnum cum gummatibus &c.* Verùm si hi tumores quibuscumque suppurantibus reluctentur, factâ suppuratione, tumorem aperiunt, & regunt juxta vulgares pandectas.

At si subjectum os carioſum, vel corruptum fuerit, ut in talpâ, tunc os læsum radunt, vel cauterizant.

Horum tumorum curatio chirurgiâ tantùm perficienda est, præmisso igitur cathartico, primò contentam educimus materiam, quæ necessariò per apertionem fieri debet, quam ferro, vel sectico celebramus; verùm ferrum exhorrent ægri, quia insalubre, & ab incisione crudum resultat vulnus, commodissimum propterea secticum judicamus pluries à nobis descriptum ex mercurio meteorizato. Factâ causticò apertione, contenta materia totaliter educenda est digitorum pressione.

Secundò folliculum extrahimus, qui nisi totaliter separetur, recidivam patitur tumor, verùm quia tenaciter partibus circumambientibus

tibus adhæret, nec facile extrahitur, & eam separationem scalpro celebrare horribile, & dolorosum est negotium, idcircò folliculum destruimus frustulis sectici ex mercurio meteorizato, & id toties repetendum, donec funditùs eximatur. Tandèm ulcus emplastri fodicationum superpositione ad perfectam cicatricem perducitur. Si cranium corrosum sit, curatio instituenda est, ut latissimè *Tomo secundo cap. 21. De Ulcere cum ossis carie*, dicimus.

Cap. XXXI.

De Hordeolo.

A Capite ad oculos descendimus, & ab eo affectu exordimur, qui hordeolum dicitur. Oritur tàm in pueris, quàm consistentis ætatis hominibus, quandòque in superioris palpebræ margine prope pilos tuberculum quoddam oblongiusculum, acuminatum, duriusculum, ac rubicundum, calore, pruritusque molestum, & magnitudine ferè granum hordei æquans, ac proindè hordeolum nominatur, cujus adhuc aliam speciem faciunt authores albidiorem, quam grandinem appellant; at nostro judicio unum & idem est, licèt colorem subindè variet, nàm & Vari idem faciunt, ac nonnunquàm rubei sunt, interdùm verò planè albicant: Judicamus ergò hordeolum nil aliud esse, quàm palpebrarum Varum, consimili enim modo tandèm suppuratur, ut Varus, & concretam puris particulam in se continet, quæ non nisi expressa egreditur ob spissitatem. Est autem grando tuberculum durum, rotundum, & album, hùc illùc mobile ex duriore materiâ, & quasi lapidescente genitum.

Signa.

Ex dictis tumor iste satis cognoscitur; est nàmque tuberculum in superioris palpebræ margine, prope pilos, & magnitudine ferè hordei granum æquat.

Causæ.

Pro hujus tuberculi causâ statuunt vulgares humores pituitosos, qui à victu phlegmatico, & mucilaginoso cumulantur, uti sunt carnes suillæ pingues, & aliæ adiposæ, caseus recens copiosè ingestus, poma cruda, aliique arborum fructus, lacticinia, ac in primis cum farinâ pultes cocta, crebrò comesta, & similia. Verùm genuina causa est succus alimentitius viscosus, qui extra palpebræ solidas fibras acidi ope agglutinatur, & juxta partis texturam in hordeolum degenerat.

Prognosis

Hordeolum nihil periculi infert, sed tantummodò aliqualem deformitatem, attamen quandòque per paucum temporis spatium oblongatur, & visui obest. Difficulter in suppurationem abit, & cùm

cùm suppuratur, expressumque per se consolidatur, reverti tamen solet ei qui semel eo laboraverit.

Curatio.

Pro hordeoli sanatione vulgares corpus *Agarico*, vel aliis phlegmagogis evacuant, ac postmodùm affectam inungunt partem *oleo amygdalarum dulcium, vel gallinæ adipe, aut cerâ candidâ* fricant. Aliqui affricandas esse *muscas*, abscisso, & abjecto capite, pro remedio efficacissimo habent. Quàm remediis indiga sit vulgarium medicina, ex hoc vanido conjectari licet, cùm muscas in aëre captare cogatur!

Si nec sponte, vel his medicamentis non suppuretur, scalpello hordeolum aperiunt, pus exprimunt, & *ovi luteum cum oleo rosaceo* imponunt. Nonnulli hordeolum curare studeut per ligaturam ex serico filo, nàm sensim per duos, aut tres dies singulo manè sericum constringendo filum, & sponte cadit, per se cicatrix inducitur, & agglutinatur. Verùm perperàm scalpello hordeolum incidendum jubet *Daniel Sennertus*; nàm ferrum formidolosum est, & magna sanguinis effusio succedit, quæ quandòque levi punctione irritatur, & non ità facilè cohiberi potest. Præterea hordeolum non habet basim angustam, quæ filo vinci i possit. Insuper iste curandi modus dolorificus est, & perpetim tumorem, & inflammationem accersit, quæ magnificienda est ratione partis, & tandèm interdum mittitur curatio, vel promptissimè repullulare potest.

Hordeolum inter affectus cutaneos collocamus, ideòque topicis tantùm tollitur, undè in ejus curatione omni operâ incumbendum est, ut succus ille spissus, & viscidus, inter fibras aggestus attenuetur, fluxilis reddatur, & per poros resolvatur, & exhalet. Huc faciunt ea medicamenta sale volatili imbuta, ut volatilitate suâ hæc omnia peragant. Conveniunt itàque *spiritus vini tartarisatus, urinæ, lumbricorum, salis armoniaci; oleum ceræ, philosophorum, tartari p. d.* Vel *galbanum cum modico nitri subactum, vel sagapenum ex aceto tritum* imponimus, vel *emplastrum ex ammoniaco cum axungiâ viperinâ.* Nonnulli *hordeum, & chamomillam in aqua decoquunt*, eoque decocto hordeolum fovent. Vel *hordei granum jejuno stomacho masticatum* sæpiùs applicant, at non hordeum, sed saliva sanat. Sic nos plura hordeola sub initio curavimus singulis matutinis horis ægri *propriâ salivâ* inungendo, constat nàmque saliva plurimo sale volatili. Plebecula *tria grana integri hordei accipere solet, & ea, aversâ facie, trans caput tergum versus, in puteum præcipitare*, & sic hordeolum ei, qui ipse suis manibus hoc remedium adhibet, evanescit ob fortem apprehensionem, sive fixam ideam.

Quòd si resolvi nequeat, ad emollientia, & suppurantia confugimus, & efficacissimum remedium est *emplastri Apostolici frustulum*, quo illud brevi temporis interval-

lo emollitur, rumpitur, & exeunte materiâ albâ spissâ, citò ad sanitatem perducitur. Si suppurari non possit, quia in gypseam concrevit duritiem, sectione aperiendum est, & contenta materia exprimitur.

Grando iisdem curatur remediis, quæ pro hordeoli curatione attulimus.

Cap. XXXII.

De Ægilope, Anchilope, & fistulâ lacrymali.

ORiri solent inter majorem oculi angulum, & nasi radicem tumores illi, qui Græcè appellantur ægilops, & anchilops, à quibus fistula lacrymalis ortum ducere solet. Verùm de horum tuberculorum naturâ non æquè inter authores constat; siquidèm putant nonnulli, quòd ante suam ruptionem anchilops, ruptum verò ægilops vocatur, undè se consequuntur hi affectus, nàm anchilopem sequitur ægilops, ægilopem fistula lacrymalis. Verumenimverò hæc duo nomina majori cum distinctione ipsi attribuere merebatur, cùm duplicis sortis videatur, nàm interdùm nullius inflammationis particeps est. Sed ut nostram proferamus sententiam, dicimus duos esse tumores, cùm duo sint nomina, duo enim tumorum genera major oculi angulus paritur, unum nonnunquàm cum inflammatione prorumpit in tumusculum rubentem, minutoque furunculo simílem, & dolorificum, in suppurationem abientem, & ægilops nominatur, & post sui ruptionem ulcusculum facientem, quod haud rarò persanationem non recipit, sed sinuosum præbet exitum, & per eum perennem suppeditat affluxum, atque sic in fistulam degenerat, quæ ob perpetuam tenuis humiditatis exsudationem lacrymalis appellatur. Alterum nonnunquàm sine inflammatione, sed tumusculum saltèm excitat refertum materiâ spissâ, & viscidâ, pultem, aut mel, aut sevum referente, cujusmodi sunt atheroma, steatoma, & meliceris, cui melioris differentiæ ergò perpetuò anchilopis nomen competere potest. Et aliquandò quidèm tumor hic in superficie se ostendit, aliquandò magis profundum obsidet, & nonnisi tactu, & compressione percipitur. Tumor hic ruptus, & perperam curatus, in ulcus abit, quod vel simplex remanet, à quo pus coctum plerùmque exsudat; vel serpens, & malignum evadit, à quo pus effluit crudum, quod etiam non rarò sub inferiore palpebrâ, non extrà disrupto tuberculo, viam sibi parat, & per tuberculum ibi elevatum, exulceratumque aquosam, & purulentam effundit materiam, & in sinum, & oculi fistulam degenerat.

Signa.

Facilè ægilops cognoscitur, quia est affectus inflammatorius, locus obscurè, vel manifestò tumet, rubore

bore in ambitu perfunditur, dolore affligitur, eoque lancinante, febris adest, quæ omnia augentur, dùm tumor suppuratur, fit abscessus cum ulcere, quod nisi cautè tractetur, facilè pus diutiùs retentum cuniculos subtùs agit, subjectam exedit carnem, & sinum parat, per quem sanies intùs collecta, aut sponte fluit, aut presso angulo extruditur, & tumor nonnihil subsidet, donec nova regeneretur illuvies, quod paucis interdùm accidit horis. Quandòque sinus ad os subjectum usque penetrat, illudque exedit, viamque in narem proximam aperit, è qua graveolens quid continenter effluit, ità ut ossis illius portionem cum pure crasso, & fœtido è nare prodiisse *Platerus* viderit. Anchilops cognoscitur, quia non est affectus inflammatorius, sed concolor, & immobilis.

Causæ.

Pro ægilopis efficienti causâ accusant chirurgi sectarii sanguinem tenuem aut bilioſum, quandòque pituitoſum, aut melancholicum, qui è temporum, frontis, aut faciei vena motu naturæ critico, aut symptomatico, ad illum oculi angulum accurrit, & tumorem excitat inflammatorium. In anchilope humorem assignant pituitoſum, lentum, & tenacem, melleum scilicet pultaceum, & sebaceum, ut in meliceride, atheromate, & steatomate fieri solet. Causæ externæ sunt ictus, casus, contusio &c. Verùm vulgarium causas explosimus *cap. 2. de inflammatione, & cap. 7. de atheromate steatomate, & meliceride.*

Undè pro nostrâ sententiâ, & juxta nostra principia ægilops fit ex sanguine in arteriolis, vel venulis id majori oculi angulo concrescente, vel indè effuso, qui tuberculum excitat, & abscessum gignit. Anchilops fit ex succo nutrimentitio in oculi angulo degenerato, in folliculo plerùmque incluso, hinc tumor dolore, & ferrè suppuratione destituitur. Fistulæ lacrymalis causa est assiduus palpebræ motus, iste enim non permittit, ut continui solutio secedat, & impedit quoque ne facilis sit illius curatio.

Prognosis.

Ægilops difficulter curabilis est ob vicinitatem nobilissimæ hujus partis, oculi nempè, nisi acutatè ei occurratur, nàm si discutientibus utimur medicamentis, quia calida, & acria sunt, inflammationem augent; si liquidis, facilè de his aliquid in oculum fluit. Tandèm, quia citra obligationem medicamenta non adhærent, illa tamdiù perferre difficile est. Undè medici ad ægilopes pauca scripsêre medicamenta. Difficile redditur malum, si tumor profundas occupet partes. Si tumoris ad interna fiat ruptio, pejus est, quia metuenda est subjectorum ossium corruptio. Quò profundius fuerit ulcus, eo difficillimam reddit curationem, & si ulcus fuerit cancrosum, nulla curatio tentan-

da est, ne chirurgus famam suam maculâ inurat, quia incurabile est tale malum. Si malum fuerit recens, & citra ossis læsionem, non ægrè curatur; si verò chronicum, & cum ossis læsione, difficillimè. Aegilops ad cancri naturam accedens curare pernicioſum est, cùm mors acceleretur.

Anchilops non tàm medicamentis, quàm chirurgiâ opus est, & ratione partis difficillimæ est curationis.

Fistula lacrymalis recens, & quæ extrinsecum orificium habet manifestum, non ægrè curatur, contrà verò ægrè. Fistula lacrymalis plerùmque malum chronicum est, tùm propter perennem materiæ affluxum, tùm quia decens ligatura eâ parte commodè fieri nequit, tùm tandèm medicamenta debilia parùm proficiunt, fortia verò oculum lædunt.

Curatio.

Curatur à vulgaribus incipiens ægilops, ut incipiens inflammatio, tenui scilicèt, & refrigerante victu cum abstinentiâ à vino, & calidis cibis. Crebrìùs utuntur cucurbitulis, frictionibus, enematibus, si opus est, ac etiam venæ sectione, & corporis purgatione, præsertim si bilioſus fuerit sanguis. Fronti repellentia adhibent ex *aquâ rosaceâ, succo plantaginis, portulacæ, ovi albumine, & bolo armeno, aceto rosaceo &c.* Tempore procedente discutientia addunt, ut *fœniculi succus, aliquid thuris, myrrhæ &c.* Si malum perseveret, sola discutientia adhibent, inter quæ *nux rancida*, tanquàm multùm discutiens à multis commendatur. Si tumor ad suppurationem tendat, juvetur *emplastro diachylonis, vel fermento cum lacte muliebri, & eroco.* Si sponte non rumpatur, nec apertio differatur, ne pus subjectas erodat partes, & ulcus sinuoſum, & fistuloſum incurabile gignat. Dùm sectio aperitur, applicant fronti, & oculo *spongiam aquâ rosarum madidam, vel stuppam cum ovi albumine.* Apertum tumorem *melle rosaceo, vel oximel. simpl. vel unguento Ægyptiaco abstergunt.* Nonnulli *viride æs* per se solùm pro secreto habent, deindè sarcoticis utuntur unguentis.

Anchilopem cauterio, seu ignito instrumento aperiunt, defensiva fronti, & oculo applicant, nempè *spongiam, vel stuppam poscâ madefactam*, & materiam cum suo folliculo funditùs eximunt, deindè *melle rosaceo, vel unguento Apostolorum misto* abstergunt, & tandèm incarnantibus cicatrizant. Verùm hoc, quod vulgares referunt, facilius est dictu, quàm factu.

Si fistula jàm sit genita, ejus orificium *turundâ ex spongiâ, aut radice gentianæ, sive sambuci medullâ parata* dilatant, deindè saniem compressione expurgant, & *unguento Ægyptiaco, vel melle communi cum oleo rosaceo* detergunt, & postremò carne implent, & cicatricem inducunt. Verùm si fistula callum in fundo contraxerit, quod duritiès ostendit, aut sit cum ossis erosione, quod deprehenditur, si immisso specillo asperitas quædam in osse, aut sonitus quidam pulso

osse,

osse, periostio abrumpto, animadvertatur, utrumque enim & fistulæ callus, & ossis erosio soli lationi reluctantur. Tunc actuali cauterio adurunt, quinimò non tantùm in his casibus, sed etiam ubi sæpiùs parti humorum fluxus fiant, & internorum viscerum vitio excrementa sugerantur, ustionem consulunt. Corpore itàque purgato, & idoneis instrumentis paratis, quorum oblonga, & obtusa sit forma appositæ ulceris circumferentiæ, & profunditati respondens, ut os nudatum aduratur. Caute procedunt, ne oculus lædatur, & vicinæ partes inflammentur, ac proindè *linteolis in aquâ rosaceâ infusis, aut in ovi albumine, aut alio succo frigido, aut posca imbutis* conteguntur, ne ignis caliditatem sentiant; locus autem ter, aut quater ignitis instrumentis uritur, deindè imponunt *Linteola ovi albumine, & aqua rosacea, aut posca optimè simul concussis madida*, & frequenter mutant, nec exsiccari permittunt, posteà *recenti butyro* escharæ casum procurant, qua sublatâ, sarcoticis unguentis, vel pulveribus carne locum replent, & demùm emplastris, vel siccis filamentis ulcus glutinant. Quòd si æger actuale exhorreat cauterium, dilatato ulceris orificio per sectionem, vel per turundam, os desquamant, & super eo *alumen rocha ustum, vel vitriolum ustum* applicant, quæ squamam de osse tollunt, & corruptam fistulæ carnem absumunt.

In ægilopis curatione nullatenùs convenit medicamentum purgans, & phlebotomia juxta nostra principia, ut in superioribus jàm diximus: Cœterùm præpedienda est suppuratio quantum fieri potest, & ad hunc finem alicujus repellentis applicatione utimur, cujusmodi optimum est Saturni saccharum in aquâ rosarum dissolutum, & intinctis panniculis huic inflammationi incipienti affotum, & ea omnia tàm interna, quàm externa de inflammatione dicta. Post repellentia adhibenda sunt resolventia, quorum usui inservire potest celebre *Amati Lusitani ceratum* contra ægilopas, ut

℞. *Aloës lotæ*
Thuris,
Myrrh. ana ʒ. ß.
Cerussæ,
Sang. dracon.
Sarcocollæ ana ʒ. iij.
Test. cochl. pulv. ʒ. ij.
Gum. opop. in acet. sol.
Lapid. hæmatit. ana ʒ. j. ß.
Croci ϑ. ij
Ceræ,
Resinæ ana ʒ. iij
M. omnia ad ignem
F. S. a ceratum.

Verùm sequens potentiùs resolvit, & dissipat:

℞. *Mastich.*
Thuris masculi ana ℥. j.
Santal. rubr. ʒ. ß.
Croci ϑ j. ß.
Flor. chamæmeli
Ros. rubr. ana m. j.

Fiat omnium pulvis subtilissimus probè trissus, tùm

℞. *Ceræ* ℥. ß.
Axung. cervi ℥. j.
Ol. chamæmel.

Haec. juniperi ana ʒ. ß.
F. S. a. emplastrum,

Quod superinductum panno, & dietim bis superpositum ægilopem non tantùm, sed quoscumque tumores, in primis verò circa pudenda extirpat, omnem sanguinem subcutaneum dissolvit, est singulare ad erysipelas, & quamvis inflammationem dissipat.

Verùm quia hujusmodi resolventia quandòque ex neglectu opportuno tempore adhibita non tuêre, & ægilops suppurari incipit, ideòque suppuratio acceleranda est maturativis, nempè *emplastro nostro Benedicto, fodicationum, vel Apostolico.* Nihil autem ferè tàm citò maturat, & abscessus rumpit, ac *capæ sub cineribus coctæ, contusæ, & cum portiuncula saponis nigri & pinguedinis lardi subactæ*, & per modum cataplasmatis superligatæ. Raptum abscessum ter, vel quater in die *balsamo proprietatis* irrora cum filamentis, postmodùm *emplastro Apostolico, vel fodicationum* fove, & optimè sanatur, absque eo, quod in fistulam abeat.

Solet quandòque, imò ferè semper, fistula lacrymalis ægilopi non rectè curatæ succedere; verùm semper fistula lacrymalis chirurgorum ignorantiâ fit, & postmodum fistulas salubres esse ægrotis suadent; si itàque fistula lacrymalis alterius errore inducta vobis occurrat, hoc modo curabitur: primò corpus à pravis humoribus *extracto catholico* purgabitis, deindè si recens sit, & callum non adeò durum contineat, *proprietatis balsamo, & impositio emplastro Oppoteldoch*, intra paucos dies curatur. Si verò diuturna sit, & durum contraxerit callum, *butyro antimonii rectificato*, sed magnâ cum diligentiâ, vel *spiritu salis armoniaci* leniter illiniatur; excitant quidem nonnullum dolorem, sed brevi rursùs cessat, consumpto callo, & mundificato ulcere, postmodùm *emplastro Oppoteldoch.* sanatur. Interim non desint *potiones vulnerariæ* quæ intrinsecè sanationem promovent.

Solet interdùm fistulæ lacrymalis ichor os subjectum carie inficere, tunc felicissimè eodem *spiritu salis armoniaci, vel nostrâ euphorbii tinctura* ad lævorem reducitur os, & supra dicto emplastro cicatrice obducitur.

In anchilope purgantia, & sanguinis missiones omninò inutilia sunt, ejus quippè materia est extra naturæ jurisdictionem in folliculo depositа, ideòque per apertionem materiæ eductio, & totalis folliculi extirpatio per mite sectionem celebranda est, sed magnâ cum solertiâ, ac postmodùm *proprietatis balsamo, & emplastro Apostolico* impositio, exactissima completur curatio.

Cap. XXXIII.

De Narium Sarcomate, & Polypo.

AB oculis ad narium affectus nunc descendimus, varii sunt narium tumores, scilicet erysipelas, cancer, verrucositas, inflammatio &c. verùm hîc tantùm nos de narium Sarcomate, Polypo, ac gutta

guttâ rosaceâ agimus.

Sicut ozœna est narium ulcus, ità sarcoma, & polypus sunt excrescentiæ carneæ in naribus genitæ; ideòque sarcoma est quædam rudis carnis excrescentia, quæ certâ figurâ caret, eodem ferè modo ac in aliis ulceribus quædam caro luxurians excrescere solet, ac propterea à Græcè hypersarcosis nominatur. Polypus verò est quædam carnis excrescentia certam habens figuram, ex radiculis quibusdam exilibus pendens, nunc è naribus pendens, vel eas carne replens, vel quandòque in palatum descendens.

Ex similitudine nomen sortitus est, etenim polypo marino piscisforma, & quandòque callosa durities polypodis in naribus exorti simillima est. Appellatur à nonnullis narium hæmorrhoides, quia non dumtaxat hæmorrhoidibus in ano quadantenus assimiletur polypus, verum etiam profusionis sanguinolentæ proles sit, ut illæ in ano.

Differt à sarcomate polypus, quia sarcoma magis in imis narium partibus, quæ carnosiores sunt, subnasci solet; polypus verò in summis, ac superioribus partibus ad nasi radicem adnasci solet, ubi quandòque ad palatum propendet, & communis oris meatus obstruit, & post gargarionem facilè conspici potest; non rarò quoque si multùm excrescat, extra nares pendulus prominet, modò mollis, modò albus, modò ruber, ac interdùm lividus, in austrinâ constitutione maximè turget, tempore aquilonio, & siccioreimminuitur, & flaccescit. Si læditur, mirum in modum sanguinem profundit. Tandèm polypus angustum habet fundamentum, sarcoma latum: ad hæc polypus habet carnem sui generis, & quò meliùs intelligas, ut polypus referat, tumor necesse est in pedes, aut cirros dividatur, ut sarcoma sit, satis est unam adesse, & globosam veræ partis protuberantiam.

Signa.

Horum affectuum signa in sensus nostros occurrunt, & manifesta sunt; carnea enim narium excrescentia in oculos occurrit. Polypus sæpè totam narium cavitatem opplet, & penè extra eas prominet, & hinc ægri in respirando non levem percipiunt difficultatem, quandòque ab unâ in alteram narium partem, imò ad palatum proripit, hæmorrhagias quoque subindè patiuntur spontaneas largissimas, quæ sæpè nec internis, nec externis sisti possunt remediis. Duo polypi interna narium foramina adimplentes, suffocationis periculum minantur.

Causa.

Sarcomatis, & polypi causas credunt vulgares esse humores lentos, viscidos, & pituitosos à cerebro in nares defluentes, cum aliquâ sanguinis portione admistos, qui in earum ulceribus in carnes abeunt excrescentes.

Verùm

Verùm errant in horum affectuum assignandâ causâ, non enim humores viscidi, & pituitosi, vel sanguis ipse harum excrescentiarum possunt esse causæ, sed unicus succus alimentitius nimiùm viscidus, & impurus, qui ad partes narium ulceratas, aut ad fibrillas disruptas majori copiâ confluit, ibidem diutiùs detentus solidis fibris opponitur, easque extendit, agglutinatur mediante acido humorum coagulatore, & in luxuriantem carnem mutatur, quæ ob perennem succedentium particularum affluxum augetur, & neglectu non solum nares obstruit, verùm etiam ad palatum propendet.

Differt sarcoma à polypo, tanquam genus à specie, figura, & magnitudine: sunt itaque unum, & idem, eandemque pro genesi causam agnoscunt, & iisdem curantur remediis, sed per hoc tantùm discriminantur, quòd affectus incipiens sarcoma vocatur, confirmatus verò polypus, qui ægrè curatur. Hinc loquelam, & respirationem impedit, præcipuè si tenui pediculo suspensus in latum, & crassum se extendat, & speciem hac polypi ventre amplo, rotundo, & oblongo referat, undè nares oppleat; verùm etiam odoratus diminutiones, & abolitiones: perit enim odoratus, aut saltem imminuitur impedito etiam narium meatu, ossisque ethmoidis foramine, & suffecto aliquo excremento.

Prognosis.

Sarcoma utplurimùm facilè curatur, & polypus difficilem admittit curationem, attamen si fuerit mollis, albus, ruber, vel colore ex albo, & rubro præditus, curationem recipit; durus verò, fuscus, vel lividus, & præsertim fœtidus, ferè curationem repudiat, quia cancro est affinis, & periculum est, ne in cancrum abeat, undè si cancrosam induat naturam, ferè incurabilis est. Polypus, qui oculis cernitur, & imæ, vel mediæ narium parti adhæret, facilùs curatur; qui verò in narium penetralibus radicatur, & cerebro vicinior est, difficilem recipit curationem, quia ad eam partem vix remedia pertingere possunt.

Curatio.

Utrumque affectum iisdem curant remediis vulgares, quæ ità dirigunt, ut caro illa p. n. tollatur, verùm ante omnia causam auferunt antecedentem, sanguinem mittendo, humoremque pituitosum à capite in nares depluentem purgando. Victus rationem attenuantem, & exsiccantem præscribunt. Revulsionis, & derivationis gratiâ non desunt cum scarificatione cucurbitulæ, vesicatoria, & cauteria. Interim caput apophlegmatismis purgant, & exsiccant, admoto cataplasmate ex cochleis, aut consimili. Fronti adhibent cataplasmata adstringen-

stringentia ad fluxionem intercipiendam. Post hæc caput roborant sacculo parato ex *salviâ*, *betonicâ*, *sampsuco*, *lavendulâ*, *fœcade*, *rosis rubris incompletis*, *melissâ*, *nuce moschatâ*, *caryophyllis*, *cinnamomo*, *thure*, *masticke* &c. Nonnulli in hoc affectu guajaci decoctum cum victu exsiccante laudant.

Tandèm carnis excrescentiam, si sub oculos venit, idoneis abscindunt ferramentis, & quod post sectionem remansit, medicamentis escharoticis, vel candente ferro auferunt. Vel si tenui adhæret pediculo, circa radicem polypum ligant filo serico benè cerato, aut pilo caudæ equinæ, & intra septem, aut decem dierum spatium nutrimento destitutus excidit. Quod si in narium penetralibus radicetur, narem scindunt, ut fieri solet in equis, & ità polypum abscindunt, & ferro, aut cauterio inurunt. Vel causticis absumunt medicamentis, quæ sub initio, dùm affectus est recens, adstringentia, & exsiccantia mitiora esse debent, priùs quàm ad vehementiora deveniant.

Primò itàque usurpant medicamentum compositum ex tribus generibus malorum granatorum à *Galeno* decantatum *lib. 3. de comp. med. sec. loc. cap. 3.* quod sic se habet: *Accipiantur tria mala granata ex tribus generibus eorum, acidis, dulcibus, & mediis, eaque matura, ac recentia terantur simul in mortario; Deindè succus exprimatur, & coquatur in linimenti formam, naribus infundantur, & faces expressæ in pessulos conformentur, naribus frequenter indendos.*

Hoc remedii genus citra mordacitatem polypum absumit, attamen longiori indiget tempore.

Hujus arcani occasione à Galeno descripti, quidam chirurgus Galenista nobis in mentem venit, qui ægroto tumore in liene Laboranti incumbebat, ei, ut manè, & vesperi tumorem olei amygdalarum dulcium balsamo per quatuor menses inungeret, imperavit, post quos iterùm ad alios quatuor menses eidem inunctioni, ut persisteret, & iterùm ad alios quatuor, & sic deinceps; tandèm nullum juvamen leniosus percipiens ex amygdalarum dulcium oleo, devovens Galenistæ animam, inunctioni vacare renuit, cui chirurgus inquit: si longissimo tempore inunctioni insistisses, forsan tumor suppuratus fuisset.

Sed major est vulgarium dolus, & ignavia, qui postquàm aliquis infirmus in eorum incidit manus, post quinque, vel sex menses cum totali æris, & salutis jacturâ eum destituunt, & hoc receptum præscribunt:

℞. *Tabellionem unum, testes numero* VII. *adde sacerdotem cum aquâ, & oleo benedicto, & dispone domitiæ, quia &c.*

Malum insanabile proclamant, quia pro suis viribus juxta Galenicæ artis Pandectas omnia possibilia applicuerunt medicamenta; sanguinem enim detraxerunt, purgans propinaverunt medicamentum, sedis venis hirudines imposuerunt, clysterum myriades injecerunt, syrupos magistrales, decocta per plures menses accepit

æger, & tandèm duo cauteria aperta fuêre, & his sinus non evasit, signum est morbum fuisse incurabilem. O terque quaterque miser, qui in vulgarium incidit potestatem! Sunt omnes morbi Dei flagella propter peccata, & isti medici divinæ ultionis executores vescuntur peccatis populorum, ut *Ecclesiast. c. 38. num. 15. Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Idcòque *ibid. num 9. fili in tuâ infirmitate, ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te. Averte à delicto, & dirige manus tuas, & ab omni delicto munda cor tuum.*

Si polypus sit durus, mollientia præmittunt ex *medullâ vitulinâ, adipe anserino*, cui temporis progressu aliquid *bdellii, & ammoniaci* admiscent. Deindè ad hujus pulveris applicationem deveniunt, ut

℞. *Pulv. ros. rubr.* ʒ. ß.
Malicorii ∂. j.
Litharg. vr.
Alum. ust. ana ʒ. ß.
Æruginis gr. iv. *m.*

Vel ad hunc usum emplastra revocant, quæ sine dolore polypum absumere credunt, ut

℞. *Empl. de mucilag.* ʒ. ß.
Pulv. sabinæ ʒ. ij.

Malaxentur, & incorporentur simul. Ex hac massâ efformant cereolos justæ magnitudinis, & in nares intrudunt.

Si hæc non sufficiant, quia malum pertinax est, ad validiora, & caustica confugiunt medicamenta ex *Chalcantho, myrrhâ, chalcitide, squamâ æris cum melle, unguento Aegyptiaco &c.*

Verùm ex his vulgarium medicamentis nihil frugi, ac certi sperari potest, licèt per longissimum tempus adhibeantur, sed plus molestiæ, & noxæ, quàm utilitatis. Nec adhærent ob humiditatem, nec persistere possunt, mitia nihil prorsùs auxiliantur, caustica verò interiores narium partes afficiunt, & inflant; undè ex his plus dedecoris, quàm Laudis vulgares sibi comparare possunt. Quapropter mitiora usurpant, & lenitivam exercent curam. Morbum protrahere, non curare possunt: ità-que falsâ, & impostoriâ arte victum quæritant.

Sarcomatis, & polypi curatio instituì debet aquilonio, & siccior tempore, dùm flaccescit, & ea exigit medicamenta, quæ succum alimentitium à visciditate, impuritate, & aciditate mundificant; eapropter, præmisso purgante mercuriali, ad sudorifica, diaphoretica, & absorbentia cum essentiis cephalicis alibi descripta, tùm demùm ad topica devenimus. Pro certissimo experimento commendant aliqui turundas radicis gentianæ cum unguento sequenti illitas.

℞. *Pingued. anseris q. pl.*
Fol. malvæ,
Rad. alth. q. s.

Coque simul, deinde exprimantur per laciniam, & f. Ung.

Vel

℞. *Butyr. recent.*
Pingued capi,
Ol. olivar. q. omnium pl.
Adde ceræ exiguum,
Et f. Ung.

In

In alterutro horum unguentorum V. g. ℥. ß. *m.*

Merc. præcipit. vel
Arcani corallini,
Vel etiam Merc. Vita ∋. ß. *vel* ∋. j.

Hoc unguento parato inungantur turundæ ex radice gentianæ factæ, & naribus indantur, si cavitatem habuerint: sin minùs polypus propendens tantùm inungatur aliquoties, idque fiat, donec totus absumptus fuerit.

Alii pro specifico extollunt Nasturtium hortense, & aquaticum, ut

℞. *Nasturtium contusum, intrude illud affecto foramini, vel si non sit spatium, exterius superliga, vel eo sacculum coriaceum imple, quem naribus appende, viginti quatuor horis elapsis, ligaturam remove, & polypum corrugatum invenies, quem scinde, non tamen ad carnem usque, ne magnam excitet hamorrhagiam.*

Intrude deindè contusum nasturtium in illud foramen, donec omnis luxurians caro abscedat. Si verò in oppleto foramine non detur spatium, tùm expressum Nasturtii succum bis vel ter in die immitte, & perfectè curabitur, quod nos sæpissimè experti sumus felici cum successu.

Solent quandòque ejus excrescentiæ esse callosæ, & remediis vix difficulter cedere, nos tamen sequenti multoties polypum curavimus:

℞. *Merc. præcipit.* ℥. ß.
Illi superpone sp. Vin. ard. ℥. iij.

Quem accende in totalem ejus conflagrationem, & hoc modo præcipitatus dulcis, sive correctus efficitur, hunc unguento aureo commisce, & polypo impone bis in die. Post ejus consumptionem unguento albo ex succis refrigerantibus cicatricem induces. Si ulceratus sit polypus, proficuus erit *cinnabaris fumus*, si bis in die per syphonem chartaceum in polypi narem recipiatur; hic enim fumus polypum consumit, postmodùm per idem unguentum album ex succis inducenda est cicatrix.

Optimum pro sarcomate, & polypo remedium erit *oleum viridis æris*, quod ità paratur:

℞. *Virid. æris part.* j.
Nitri part. ij.

Pulverisentur, & optimè misceantur, ponantur in tigillo, & carbone incendantur, donec deflagrârint, quod remanet solvatur in cellâ p. d. Vel in vesica suillâ diligenter clausâ, & in aquam demersâ. Sed præstat *oleum sulphuris, vel vitrioli*, attamen in applicatione summa solertia adhibenda est, ne nares lædantur.

Maximoperè præstat *spiritus mercurii albus*, nàm si summâ cautione sarcoma, vel polypus semel, atque iterùm tangantur, felicissimè persanantur, qui ità paratur.

℞. *Merc. meteoriz. pulv. part.* j.
Argillæ rubræ part. ij. *m.*

Et efforma cum aquâ com. globulos in umbrâ exsiccandos, destilla deindè ex retortâ vitreâ per arenam igne suppressionis (gradatim tamen) horis ij. *adhibito, prodit elegans spiritus, quem serva. Si quid mercurii sublimetur, cum reconti argillâ m. & procede, ut anteà.*

Præter remedia ad polypum descripta,

cripta, unum præ omnibus infallibile adducemus, ad quod tanquàm ad sacram anchoram recurres, quo non frustrà curationem tentabis, hoc erit *aqua salis armoniaci*, quæ ità paratur:

℞. *Tart. crud. pulv.* ℥. ij.
Salis armoniaci pulv. ℥. j. *m.*
& in vase sublimatorio sal sublimabis, quod iterùm cum eodem tartaro miscebis, & iterùm sublimabis, hoc quater repete. Tunc sal sublimatum in humido loco repones; ibi enim resolvetur in aquam, quæ sine dolore, & absque recidivâ polypum exterminat.

Verùm efficacissimus omnium erit *spiritus salis armoniaci*, tali modo elicitus:

℞. *Salis armoniaci q. u.*
M. cum argillâ humidâ,
Ac exindè fac globulos.
Destilla s. a.

Sal armoniacus est ità summè volatilis, ut nullo modo destillari possit; præditus est enim mercuriali naturâ, abundat sulphure, quod facilè sublimatur: attamen argilla per minima inter salis particulas interjecta sublimationem inhibet, & faciliùs ignis activitate cogitur in spiritum, quod omittentes plures spagyrici omnem laborem, & operam frustrà perdiderunt, nàm sal armoniacum cùm sit summè volatile in salis volatilis formâ in retortæ summitate, & collo sublimatum invenêre, non autem attenuatum in formâ spiritûs intra receptaculum receperunt. Mediante destillatione essentificatur, majoremque nanciscitur perfectionem, dùm ad summam essentiæ puritatem, & sublimitatem devenit, & suâ subtilitate permeabilis evadit.

Cap. XXXIV.

De Guttâ Rosaceâ.

Solet quandòque nasus quadam p. n. rubedine inficì, & gutta rosacea vocatur, si rubedo vehemens sit, *gutta rabiosa* appellatur, quæ integrum nasum, veluti tuberculatum, & panni scarlati instar, rubrum reddit. Hæc interdùm rubedo est absque pustulis, vesicis, vel ulceribus; ac interdùm cum ulcere, & hæc ultima differentia etiam *Noli me tangere* vocatur, quam nonnulli describunt, quòd in facie, præsertim supra mentum, circa os, & nasum oriatur, atque ità dici putant, quia ex remediis etiam, quæ congrua videntur, irritetur potiùs, quàm sedetur, ac sanas depascendo partes progreditur, ut hoc *Tomo cap. 9. de cancro diximus, & tomo 2. cap. 23. De Ulcere cancroso, lupo, & noli me tangere.*

Signa.

Ex his, quæ suprà attulimus guttæ rosaceæ signa satis clarè patent, & ex ipso vitu etiam internoscitur.

Causa.

Assignant Galenistæ chirurgi pro guttæ rosaceæ causâ sanguinem fervidum ob calidam hepatis intem-

temperiem genitum, qui ad naſum delatus diffunditur, & erubeſcentiam facit, quia nec remeare, nec diſcuti poteſt. Verùm apud vulgares non eſt malum in toto corpore, quod non faciat hepar. Maledictum hepar, quod tot agaſones fecit medicos! Sed de his næniis alibi. Putant Galenici ejuſmodi erubeſcentiam cuticulæ tantùm exteriori adhærere, ſed errant, nàm interioribus carnis, & cutis partibus firmiter adhæret, adeò ut quoſdam inſigniter deceperit, qui ſibi perſuaſerant, ſi liquore aliquo cauſtico exteriorem abſumerent cuticulam, aliam novam legitimè coloratam ſuccreturam, factâ autem experientiâ, ſui opinamenti vanitatem deprehenderunt, & quòd rubedo illa in carne firmiter adhæreat, nec medicamentis cedat.

Non negamus ſanguinem eſſe guttæ roſaceæ cauſam, attamen ſit ſecundum noſtram ſententiam ex ſanguine nimis ſpirituoſo ad naſi arteriolas capillares, ſub teneram cutis texturam delato, (ac proindè malum hoc potenter vinum potantibus obtingit) in quibus diutiùs ſtagnans, multis particulis ſalinis fixioribus maximè acidis refertur, nec ideò remeare, nec diſcuti poteſt, & quodammodò eas dilatat, turgidas, & protuberoſas reddit, ac per cuticulam ſuo colore tranſlucet.

Prognoſis.

Malum hoc delicatulis, & formoſitati admodùm ſtudentibus perquàm intolerabile eſt, & difficulter curatur, cùm medicamimibus non cedat, ſed tantùm curationem ſuſcipiat palliativam, & præcipuè ſi naſus puſtuloſus, & exulceratus evadat, ac plerùmque hominem ad mortem uſque comitatur. Interdùm in naſo tubercula iſta adeò incrementum ſumunt, & naſus valdè augetur, ut viſionem impediat.

Curatio.

Non curant guttam roſaceam vulgares, niſi priùs hepatis, & ſanguinis vitium auferant, licèt enim hujus mali cauſa continens diſcutiatur in naſo, ſemper tamen indè nova ſubminiſtratur materia, eſt veluti ventris crepitus, qui perpetuò naſum ferit. Itâque procuratione ſanguinem detrahunt, humorem bilioſum, qui plerùmque admiſcetur, evacuant, cucurbitulas cum, & ſine ſcarificatione ſæpiùs ſcapulis affigunt, illaſque affligunt, ſed in primis hepatis, & ſanguinis calidam intemperiem temperant *Syr. de fumar. mai. Cichor. Nic. ſero lactis caprini, balneis aquæ dulcis, pulveribus viperarum &c.* Deindè ad topica accedunt, ubi naſus tantùm rubet, refrigerantibus, ubi verò puſtulis eſt inquinatus, diſcutientibus utuntur, quæ omnia ſub formâ aquarum, liquorum, linimenti, vel unguenti adhibent.

Pro guttæ roſaceæ curatione neceſſe eſt, ut ſanguis in arteriolis ſtagnans fluxilis reddatur, & à particulis ſalinis fixioribus, & aci-

dis purgetur; quadere omnia conveniunt diaphoretica, & sudorifica pluries relata, & porosa, ut *oculorum cancrorum magisterium, coralia alba, crystall. mont. prap. lac perlarum &c.*

Quò ad topica sequentia commendamus, ut

℞. *Fragorum lib.* j.
Lactis caprini lib. ij.
Album. ovor num. xx.
Sem. cydonior. ℥. ij.
Camphoræ ℥. ij.
Albuminis,
Sulph. ana ℥. ß.
M. destillentur.

Vel

℞. *Camph.* ℥. j.
affunde sensim in mortario agitando
Ol. amygdal. dulc. ℥. iij.
(hac methodo fit butyrum camphoræ, sed mortarium debet calefieri.) *Postea sensim affunde*
Ol. tart. p. d. ℥. ij.
Vitell. ovor. num. ij. *m.*
Hinc adde sacch. saturni ℥. ß.
M. diligenter. Tandem
Sensim affunde
Aquæ flor. fabar.
Liliorum albor.
Fragorum sine vino ana ℥. ij. *m.*

His misturis locus affectus bis, vel ter illiniatur.

Vel

℞. *Ol. tart.* ℥. j.
Sulph. ℥. ij.
Camphoræ ℥. ß.
Cerussæ,
Lithargyr. ana ℥. ß.
Aquæ. ros. q. s.
Stent in vitro clauso ad solem.

Vel

℞. *Aq. spermat. Ranar.* ℥. ij.
Camph. ℥. j.
Ol. Saturni p. d. ℈. j. *m.*

Verùm maximoperè ad guttam rosaceam, valet sequens Matthioli experimentum, ut

℞. *Camphoræ,*
Sulph. viv. ana ℥. j.
Myrrhæ,
Thuris ana ℥. ß.
Aquar. fragor.
Ros. albar.
Scrophular. ana ℥. v.

Insolentur in vase vitreo optimè clauso per decem dies, vel amplius, posteà in M. B. destilla, qua pars affecta in die sæpiùs abluatur. Vel hoc aliud experimentum, ut

℞. *Cerus. albiss.* ℥. iij.
Litharg yr. argenti ℥. j.
Camphoræ ℈. ij.
Aquar. Nymph.
Solani,
Fabar. ana ℥. iij.
Aceti alb. ℥. ij.

Resideant horis sex, filtra, & serv. qua gutta rosacea bis, & ter dietim madefiat.

Potiora autem guttæ rosaceæ remedia petuntur ab his, quæ naturam habent cutem humanam albificandi, tenuem, mollem, delicatam, & emaculatam reddendi, extrahendo nimirùm ex eâ id, quod ipsam obscurat, & opacat, cujusmodi sunt *aquæ stillatitiæ è floribus fabarum, ranunculo, stercore humano, & vaccino* (hanc nonnulli appellant omnium florum,) *sigillo Salomonis &c.* quibus facies sæpius lavatur, & sponte resiccari finitur; sequens autem à Paracelso ad hanc intentionem in specie commendatur:

℞. *Al-*

℞. *Album.x.ovor. ad duritiem coctor.*
Calcis, sive pulv. testar. ovor. ℥.vj.
ex his commistis destilla aquam, urgendo in fine ignem, quò humiditas è testis omnis propellatur, egressam aquam denuò relictis fœcibus superfunde, & secundâ vice ab eis destilla, huic aquæ rectificatæ impone
Fol. argenti,
Cerussæ,
Cinerum stamni,
Pulverisque stamni ana ʒ. ij.
ac invicèm per integrum mensem digere, crebrò materiam agitando, postmodùm iterùm destilla, & eo liquore affectam partem collue.

CAP. XXXV.

De Pustulis, & Morphæâ.

SIcut gutta rosacea integrum occupat nasum, veluti tuberculatum, & instar panni scarlati reddit rubrum, ità pustulæ, & morphæa faciem depravant, & venustatem tollunt. Sunt hi affectus consanguinei, & saltèm gradibus inter se differunt; dùm enim rubicunda phlogosis in facie apparet, in constanti rubore permanens, nihilque præter aliqualem damni deformitatem inferens, tunc ille affectus faciei rubor vocatur, si verò ea rubedo etiamnùm exaltatur, plurimaque tubercula naso inspergit, gutta rosacea appellatur, de qua capite præcedenti egimus, in eâ tamen non est exulceratio, sed tubercula sicca rubicunda excitantur, quæ veluti pustulæ carneæ sunt, neque exulcerantur, nec pruritum, vel dolorem inferunt, ast si rubor mutatur in colorem lividum, violaceum, fuscum, vel cinereum, ac tubercula in pustulas, & vesicas abeunt, tunc dicitur Morphæa. Est igitur morphæa affectus in faciei cute enascens, & non alibi, quod si fortè alibi corporis aliquid simile pronasceretur, non esset tamen morphæa, sed potiùs lepra.

Signa.

Morphæa alium non infestat locum, quam faciem, neque ulteriùs serpit, sed in facie fixa manet, excitans ibi pustulas humidas, pruritum, dolorem, & intumescentiam, tantamque coloris fœditatem, ut ignorantibus lepra videatur, sed, ut dictum est, ea non est, neque in eam mutatur, vocem etiam non reddit raucam, ut lepra, ubicumque enim vocis raucedo, aliaque signa concurrunt, morphæam tunc non adesse certum est.

Causa.

Pro morphææ causâ vulgares ad notas humoris melancholici, & atrabilarii recurrunt fabulas. Verùm nostra sententia est morphæam fieri à sanguine vappido ad faciei vascula delato, qui ibi stagnat ob muciditatem, & lentorem, nec remeat, nec resolvitur, à quo ichor resudat, ac per internam carnis substantiam se diffundit, & resolutione destitutus primò ruborem, deindè tubercula cum cute fuscâ, lividâ, & subluridâ,

ridâ, & tandèm pustulas cum vesicis parit.

Ut autem unusquisque sciat, quid pro humore melancholico, & atrabilario intelligere deberent humoristæ, secundum nostram sententiam, & principia dicimus esse sanguinem naturæ frigidæ scilicet paucos habentem spiritus, qui ipsum à corruptione præservent, & tueantur: non secus ac vinum austerum, & debile, quod ob spiritûs ardentis paucitatem non diù conservatur, sed mucidum fit; dulce verò, & forte vinum semper spiritu ardente abundat, atque ab eo diutissimè conservatur, ut quisquis per destillationem observare poterit. Sicuti ergò vinum debile in superficie mucescit, cuticulam generat, ac fracedinem, ità etiam sanguis melancholicus, & atrabilarius naturæ frigidæ, & austeræ, ac ob paucitatem spirituum corruptionis maculam in superficie scilicet in cute contrahit, uti omnes melancholici colorem cutis fuscum, lividum, & subluridum habent, atque in dictâ cutis superficie facillimè mucorem quasi contrahunt. Hinc etiam ob spirituum paucitatem melancholici sunt tardi, timidi, mœsti, tardi ad iram, pulsus habent tardos, & parvos, venæ sectio ipsis nocet, & frigidis tentantur morbis.

Prognosis.

Morphæa in primâ suâ conceptione iisdem remediis, quibus gutta rosacea curatur, curari potest; tunc enim exteriori saltèm hæret cuti, progressu autem temporis introrsum fermentat, ac reliquum sanguinem, & carnem suâ inficit fracedine, ac ad corruptionem disponit, quæ postmodùm exulceratur, & nigricantem producit pustulam, & partes exulceratæ tandèm excidunt, certissimum est argumentum morbum jàm esse confirmatum, & insanabilem, actualemque incœpisse putredinem, quæ restaurationem non patitur, sed putrefactum manet putridum, ac ulteriùs putrefacit, tùmque caput dolere incipit, ac febris cum interno calore generatur, quæ certum est venturæ mortis signum.

Curatio.

Curant vulgares morphæam evacuando humorem melancholicum *syr. de fumar. mai. Cichor. Nic. de fumar. helleborato*, deinde *balneis aquæ dulcis, & sero lactis caprini* utuntur: postmodùm sanguinem emittunt ex venis hæmorrhoidalibus, & tandèm in parte affectâ refrigerantia adhibent, quæ an conveniant, ex causis quisque examinare potest.

Curamus nos morphæam, dùm confirmata non fuerit, sed in principio existens: præmissis igitur universalibus, nimirùm purgatione, quæ blanda esse debet, & sanguinis mundificatione, sanguinem egregiè purgat arcanum perlarum, vel sequens pulvis specificè sanguinem purgans usurpetur:

℞. *Radic. scrophulariæ, Pentaphyll.*

Fili-

Filipendulæ ana ʒ. ij.
Herbar. agrimoniæ
Piloſellæ ana m. ß.
Omnia exſiccentur in umbrâ f. pulvis ſubtiliſſ. cui adde ſacch. albiſſ. ʒ. iij. *m.* cuius doſis ʒ. ß. omni manè cum vino aſſumatur. Vocentur in crebriorem uſum ea, quæ ſpiritu ſanguineo turgent, cujuſmodi ſunt *herbæ Ioviales, nimirum ſcabioſa flore purpureo nodoſo, anagallis flore rubro, alyſſum galeopſis, eryngium, & ſcrofolaria*, Cujus radix tuberoſa ſignaturam dat, quòd contra omnes affectus tuberoſos inſerviat) quæ continuato uſu interiùs uſurpentur. Multùm commendamus *ſpiritum cochleariæ, & ſpiritum vitrioli Martis.* Item *genuinam coralliorum tincturam, antimonii tincturam, jura viperarum conſumpta.*

In faciei puſtulis interiùs eadem valent, ſed extrinſecus nihil præſtantius eſt *menſtruo* (virginis, vel aliàs juvenculæ boni habitus) *in aquâ calida ſoluto*, quo ſi per dies aliquot ſub veſperam eundo cubitum, facies tota laveturr, & ſponte exſiccetur, puſtulæ cadunt, ſuccreſcente novâ cuticulâ, & rubor perit.

In iiſdem puſtulis, & morphæâ totius faciei radicitùs extirpandis mirificè valet *oleum buſonum* alibi à nobis deſcriptum, propter ſignaturam macularum in bufonibus. Hoc oleo faciem aliquoties illine, ſed ſingulis diebus ſemel, poſt aliquot dies cadunt puſtulæ, & morphæa à fundamento prorſùs extirpatur. Omnium medicaminum præſtantiſſimum eſt hoc oleum, id òque cæteris nihil proficientibus, ad id confugiendum eſt.

CAP. XXXVI.

De Varis.

SUnt quædam exigua, & duriuſcula tubercula, Vari Latinè, Græcè jonthi dicta, & vulgò ſigna Venerea credita, quod indicent hominem Veneris ſacris idoneum, ſed abſtinentem. Hæc faciei ſunt dehoneſtamenta, eamque conſpurcant, quia in facie circa naſum pronaſcuntur, modo rubicunda, nunc perlæ inſtar candicantia, magnitudine ſeminis cannabini, atque etiam minori, rubea interdùm doloris aliquantillum inferunt, & in maturationem abeunt, ubi expreſſa nonnihil puris cum ſanguine miſti ex ſe projiciunt, ità ut quaſi cum impetu prorumpat; albicantia merum albidum continent pus, atque ungue lacerata facillimè emittunt; quædam autem exſiccantur, & planè indolentia evadunt, ſi tamen cuſpide aciculæ expungantur, expreſſione induratum reddunt pus, magnitudine capitis aciculæ, & nullum ante, vel poſt expreſſionem concitant dolorem.

Signa.

Tubercula hæc notiſſima ſunt vulgò hic *ſetole* vocantur, & ipſo adſpectu, necnon tactu cognoſcuntur, ſunt dura, & calloſa pro magni-

magnitudine succi peccantis sub cute collecti, nunc rubicunda, nunc albicantia.

Causa.

Putant vulgares Varos à pituitâ excrementitiâ provenire, cui non rarò humorem atrabilarium admisceri. Verùm vera varorum causa sunt particulæ quædam pinguiores spiritibus refertæ cum succo alimentitio ad faciei partes delatæ, & ab acido ibidèm præcipitatæ, & coagulatæ, ac ad nutritionem ineptæ, quæ cùm nec subigi, nec dissolvi possint ob crassitiem, fibras extendunt, & tubercula pariunt. Hinc alimenta pinguia, potus fortis, & calidus varorum causa esse possunt. Similiter calor aëris ambientis, magis enim æstate, quàm hyeme generantur, quinimò plerique juniores masculi eorum materiâ scatent, quamvis non omnibus erumpant; majori enim parte sparsim ea materia versus cutis poros movetur, atque ferè in omnibus poris particula quædam ejus inhæret, & exprimi potest, ubi compressione quamplurima exigua frustula, quasi spissæ pinguedinis exeunt, phlegmaticis autem ea materia in peculiaria tubercula colligitur, idque non solùm in homini us, sed etiam in quibusdam porcis, quorum caro non est apta edendo, cùm eam comedentibus lepram parare possit; si tamen hujusmodi porcis ante eorum mactationem antimonii crudi pulverisati non nihil in eorum pabulo devorandum detur, tunc Varorum materia ità dispergitur, ut post mactationem nulli inveniantur Vari, sed potiùs mera suavissima deprehendatur caro.

Prognosis.

Vari nihil periculi inferunt, sed solùm aliquo modo faciei venustatem deturpant, ideòque in mulierum gratiâ, quæ venustati student, ut viris placeant, horum tumorum proponenda est curatio; attamen in hominibus hos tumores curare velle pro ineptiis cum *Celso* putamus, Si frigidioribus topicis eorum copiosam eruptionem quis impedire studeat, conatus ille periculo non vacabit; pinguis enim hæc impuritas intra corpus retrocedere cogitur, & perniciosam intùs alicubi collectionem facilè excitare potest. Si Varis humor excrementitius admisceatur, tubercula ichorem fundunt, & suppurata in ulcera transeunt. Si rubor sit intensus in facie cum pustulis, malum curatu difficile est, & licèt pustulæ fortibus removeantur medicamentis, rubor tamen perseverat, & magis intenditur. Quandò rubedo conjuncta est cum faciei inflatione, & vocis raucedine, tunc lepram imminere putamus.

Curatio.

Curationem complent vulgares per phlegmaticam purgationem, venæ sectionem, cucurbitularum, aut hirudinum applicationem, quibus

Unable to display this page

poru'is, & meatibus, per quos sanguis ob circul ti on s neceſſitatem ab arter.o is in venulas tranſit; ſanguis enim impeditus concreſcit, & ob ſtagnationem diuturnam, partibus volatilibus reſolutis, acidæ, & ſalinæ dominium ſibi arripiunt, & has partes extendunt, inſl mmant, dolorem, ruborem, pulſum, calorem, & tumo em ſuſcitant.

Prognoſis.

Epulidis intumeſcentia non eſt vilipendenda, nàm quandòque ità luxurians, flaccida, & ſordida evadit, vt ſanguinem fundat, corrumpatur, putreſcat, & tandèm anhelitum generet fœtentiſſimum, unde ſæpè ſcorbuticam inducit affectionem, & in ulcera cacoëthica, cancrum, vel fiſtulas degenerat, interdùm gangræna gingivas corripit. Parulis aliquando naturæ vi, & artis auxilio reſolvitur, aliquandò verò in ſuppurationem abit, cujus ulcus, ſi non, vel malè curetur, facilè prominentem producit carunculam, & alia ſymptomata ſuprà enarrata.

Curatio.

Epulidem curant vulgares filo conſtringentes in dies, donec per nutrimenti privationem decidat, vel ferro abſcindunt; Parulidē verò ſuppurant, & ſcalpello aperiunt.

Si in epulide carnis luxuries ſit levis, laxa, & ſine putredine, ejus curatio in nutrimenti degenerati eductione, & in carnis excreſcentiæ gingivarum abſumptione conſiſtit, quod mirabiliter præſtat *aqua pethi*, vel reprimentium, & adſtringentium uſus, & oris colluti*o cum aquâ aluminoſâ, vel decoctо balauſt. gallar. cortic. mori, radic. biſtortæ*; attamen cùm magna ſit, optima eſt ſectio per forficem, qui ſectâ, adhiberi debet gargariſma ex myrrhâ, ſale, & aloë.

Si putreſcit, & fœtentem ſpirat odorem, præſtat *pulvis ſabinæ, & aluminis uſti* aſperſio, vel ſequens pulvis:

℞. *Salis decrepitati* ℥. j.
Alum. uſti, &
Salis armoniaci ana ℥. ß. *m.*

quibus putridæ gingivæ ad ſanguinolentiam uſque confricentur, deindè os colluatur *decocto folior. aquilegiæ, cochleariæ, naſturtii aquatici, addendo parum myrrhæ, & aluminis uſti cum ſufficiente quantitate mellis roſati ſimplicis.* Vel ſæpius tangantur *infuſione lapidis medicamentoſi, vel aquâ viridi, vel tandèm oleo ſulphuris, aut vitrioli, aut ſalis balſamo diluto.*

Si parulis conjunctam non habeat inflammationem, maximè commendatur gargariſma *ex prunella, foliis ſalviæ, & naſturtii aquatici.* Si inflammatio conjuncta ſit, præſtat gargariſmus *ex aquâ pethi deſtillatâ, in qua diſſolutus ſit lapis prunellæ.* Vel *ex aquâ ſpermatis Ranarum, vel ſedi majoris, ſonchi cum rob. fragorum, & ſale prunellæ.* extrinſecùs verò applicetur cataplaſma *ex medullâ panis triticei cum lacte coctâ.*

Si ad ſuppurationem vergat, acceleretur, gingivas inungendo *butyro recenti, aut gallinæ adipe,* vel os colluendo *decocto fol. malu. alth. hyoſcya-*

hyoſcyami in aquâ hordei. Si ponte non aperiatur, ne ſubjectas corrumpat partes, quàm citiùs fieri poteſt, ſcalpello celebretur apertio. Poſtmodùm adhibeatur gargariſmus *ex aquâ hordei, & melle roſato ſimplici, aut hydromelite.* Deindè optimè regatur, ne in ulcus diuturnum, vel fiſtulam, cancrum, vel gangrænam abeat; quòd ſi in cancrum migret, malum eſt immedicabile, ſi verò in gangrænam, malum eſt deploratum, & ocyſſimè ad interitum properat.

CAP. XXXVIII.

De Ranulâ.

RAnula, quæ Batrachos græcis, & Ranula latinis nuncupatur, eſt tumor, qui ſub linguâ, in eâ parte, qua illa vinculo alligatur, adnaſci ſolet, in quo venæ ingricantes intumeſcunt, & lividum conſtituunt tumorem ad ranæ coloris ſimilitudinem. Rimam in medio continet, quæ dextram à ſiniſtrâ dirimit partem, & in poſteriore ranam mentitur, unde affectus ranulæ nomen ſortitus eſt. Interdùm glandulæ non abſimilis, modo ſanguineus, modò verò phlegmaticus eſt tumor, imparemque ſortitus eſt magnitudinem; in aliquibus enim fabæ, in aliis caſtaneæ, vel ovi columbini magnitudinem æmulatur, undè ranulâ affecti loquelæ difficultatem patiuntur, & non niſi Ranarum inſtar coaxando enunciare poſſunt: Hinc nonnulli Ranulæ huic affectui nomen impoſitum fuiſſe exiſtimârunt. Eſt tumor tactui cedens, qui ad œdematis, vel meliceridis mollis, & laxi naturam accedit, continetque in folliculo quandam materiam ovi albumini, aut melli perſimilem. Quandòque tumor eſt durus, febremque habet adjunctam.

Signa.

Hujus affectûs ſigna non ſunt cognitu difficilia ex ſupradictis: ſub linguâ enim quidam tumor laxus, & mollis elevatur, & ab utrâque ligamenti parte ſpherica conſpicitur prominentia, quæ ciceris, vel fabæ, vel caſtaneæ, aut ovi minoris columbini magnitudinem æquat.

Cauſa.

Pro ranulæ cauſâ vulgares pituitam, ſeu lentum aſſignant humorem, è capite fluentem, qui ſub linguâ ſedem figit, quia laxa, & ſpongioſa eſt ejus caro, ad fluxionem recipiendam magis idonea. Vel ſanguinem ſtatuunt craſſum in venis ſub linguâ coacervatum. Verùm has aniles fabellas in quamplurimis locis explodimus.

Ranula fit ex errore facultatis aſſimilatricis ultimi alimenti, dùm id, quod parti aſſimilare deberet, non ſolùm non aſſimilat, quia non regit, verùm in hoc aliquid homogeneum, lentum, & mucoſum ovi albumini, vel melli perſimile tranſmutat, (ut ex apertione li-

quet) quod sibi locum aptando, partis situm vitiat, & ob sui lentorem, neque intemperiem, neque dolorem inducere solet, ideóque ratissimè est affectus inflammatorius.

Prognosis.

Affectus hic utplurimùm periculo vacat, & frequenter pueros infestat, quia in his ea pars est laxior, adultis verò rariùs contingit, quia durior; attamen in pueris acceleranda est ejus curatio: suffocationis enim periculum imminet propter viciniam, quam cum pulmone habet per laryngem, & asperam arteriam, quia facilè potest occludi, & tùm mors præ foribus maneret. Adultis, si dolor, & febris adsit, vitæ discrimen minatur, quia quandòque in anginam degenerare potest. Ranula nigra, vel fusca, & dura ad cancri naturam accedit, ob acidum furiosius ibidèm dominans, attingi non debet.

Curatio.

Vulgares ad causam antecedentem auferendam pro hujus affectûs curatione, corpus purgant, phlebotomiam celebrant, & postmodum discutientibus utuntur medicamentis, ut

℞. *Cortic. granat.*
Hyssopi sicci, &
Salis com. ana ʒ. ij.
F. pulvis sub linguâ iteratò detinendus.

Aut

℞. *Piperis,*
Zingib. ana ʒ. j.
Salis gemmæ,
Communis ana ϑ. ij.
Origani,
Calaminth.
Rad. ireos,
Hermodactyl. ana ʒ. ß.
Mastich. ϑ. j.
M. f. pulvis.

quo ranula frequenter fricetur, eum quoque sub linguâ detinendo. Vel oris lavamentum commendant, ut

℞. *Balaust.* ʒ. j. ß.
Aluminis ʒ. ß.
Mell. ros. ʒ. ß.
Aquæ plantag. lib. ß.
Bulliant aliquantulum.

Aut ferro ranulam incidunt, sed metus est hæmorrhagiæ. Si ranula sit inveterata, ad decocta sudorifica deveniunt.

Decipiuntur vulgares in Ranulæ curatione, nàm purgantia medicamenta, sanguinis evacuationes, prout & decocta sudorifica sunt omninò inutilia, quia ejus materia extra naturæ jurisdictionem in folliculo depositа continetur, similiter decipiuntur, si credunt per discutientia, licèt efficacissima curationem perficere posse, quia his non cedit, etenim in hujus materiâ spississimæ sunt partes, quæ postquàm subtiliores vi medicaminum evanuerunt, pertinaces fiunt.

Curat hunc affectum materiæ, & folliculi eductio, quæ per apertionem fieri necesse est, sed non ferro celebranda est, quia ferrum horribile est, & insalubre, nàm partes folliculo circumpositæ, sa-

næ,

næ, & integræ sunt, ac proindè ab incisione crudum emergit vulnus. Pro Ranulæ apertione appropriatum est *sulphuris, vel vitrioli oleum*, attamen pro pueris dilutum convenit, aliter pro adultis; nàm paulatim sanam lacessit partem, fermentum vicinis partibus impressum exterminat, ac folliculum dissipat. Apertione inclusus humor est educendus, ut penitùs abscedat, quo educto, adhuc magna supereſt difficultas pro folliculo extrahendo: etenim ille circumjacentibus partibus tenaciter adhæret, nec facilè separatur, & dolorosa esset per scalprum ea separatio. Interim nisi separetur; impromptu est recidivâ, quia tunica illa efficit, ut iterùm adjacentium partium nutrimentum degeneret: Itàque folliculo suprà dicto oleo destrues, & sic recidivam vitabis. Deindè os colluatur per aliquot dies *aquâ hordei, in qua dissolutum fuerit mel rosatum cum Diamor.* & tandèm ad cicatricem inducendam frequenter os colluendum est *vino nigro, in quo aloë, & myrrha dissoluta sit.*

Quidam Ranam vivam nuchæ applicant, sed non semper respondet effectus. Nostrates mulierculæ ad ranulæ præcautionem Ranunculam ex argento efformatam infantibus de collo suspensam gestandam curant, sed hæc præcautio superstitiosa videtur.

CAP. XXXIX.

De linguæ Tumore.

NOn uno, sed variis tumorum generibus lingua laborat, interdùm supra modum incrementum sumit, ità *Gal. de diff. morb. cap.* 9. scribit *se vidisse cujusdam linguam supra modum absque ullo doloris sensu excrevisse, ut neque œdema, neque scirrhus, neque inflammatio esse videretur. Neque enim prementi digito cedebat, neque omninò sensu carebat, neque dolore infestabatur, sed hoc ipsum incrementum dumtaxat erat, nihil ipsâ substantiæ particulâ vitiatâ.* Verùm hoc accidit ob copiam utilis alimenti in ejus substantiam conversi. Nonnunquàm ex magnâ alimenti degenerati copiâ ità intumescit lingua, ut vix in ore contineri possit, ut *Forestus* observavit *lib. 14. observat.* 18. Quandòque in linguæ superficie hinc indè verrucarum instar tumusculi scirrhosi oriuntur, alii tamen sunt molliores, & albi, & aliorum colorum alii, qui à lue Venereâ ortum habent. Interdum est œdema, vel Cancer. Quandòque à lue Venereâ, & ab hydrargyri inunctione ità intumescit, ut ex ore emineat. Nonnunquàm ex materiâ venenatâ, ut fungorum venenatorum esu, Napelli, aconiti, vel alterius rei venenatæ, vel bestiæ venenatæ morsu linguæ tumor excitatur, ut in quodam milite Hispano ex viperæ morsu observavimus. Tandèm ex inflammatione intumescit lingua, & quandòque

dòque inflammatio in abscessum degenerat.

Signa.

Linguæ tumor visui patet ; si verò sit ex alimenti copiâ, lingua sensim incrementum sumit æqualiter secundum omnes partes, & dolor, ac vitiosorum humorum signa absunt. Si fiat ex alimenti degenerati colluvie, cachexiæ signa, & dolor plerùmque adest, & ferè magis in unâ parte, quàm in aliâ apparet. Si tumusculi verrucarum instar sint, in superficie apparent, suntque molliores, albi, & aliorum colorum. Si ex lue Venereâ sit tumor, ejus notæ etiam alibi in corpore apparent. Si ex veneno, aut re venenata sumptâ, id ex ægri relatione patebit, & alia etiam veneni signa aderunt. Si demùm ex inflammatione, adest faciei, & linguæ rubor, corporis habitus est calidior, dolor manifestus, & febris percipitur.

Causæ.

Horum tumorum causæ variæ sunt juxta tumoris qualitatem, de quibus suo loco egimus.

Prognosis.

Linguæ tumor perniciosus est, nec despiciendus ; lingua enim suo motu sermoni, & cibi, potusque deglutitioni inservit, qui in linguâ tumidâ læditur. Insuper ex nimio linguæ tumore suffocationis periculum imminet. Si linguæ tumor sit durus, lividus, & ad cancri naturam accedens, insanabilis est.

Curatio.

Credunt vulgares linguæ tumorem per fluxionem fieri, ideòque eam evacuant, repellunt, & quæ fluit, discutiunt, vel suppurant. Si sanguis abundat, venam cephalicam in brachio aperiunt, & cucurbitulas cervici apponunt. Postmodùm venæ sectionem sub linguâ instituunt. Si humor fuerit biliosus, vel pituitosus, convenienti utuntur pharmaco.

Præmissis universalibus, & revulsionibus, ac diversionibus adhibitis, in tumore à sanguine orium ducente, repellentibus in principio utuntur medicamentis, *ut succo citri, limonum, ribium, granatorum, acetosæ, lactucæ &c.* Inquiunt enim hos succos suâ frigiditate, & aciditatis ratione humiditatem cum salivâ ed cere. Verùm repellentia non tantùm magnum inferunt damnum, sed malum iis augetur : nullo igitur modo adhibenda sunt ob infelices successus, quia humor repercussus ad internas, principes, & nobiliores remeat partes, & majora damna inferre potest. Præterea repellentia frigida, & humida sunt, quadere potiùs adstringunt, quàm repellunt. In augmento *Diamorum* addunt, & in declinatione *aceum* admiscent *scilliticum.*

In materiâ venenosâ ad alexipharmaca confugiunt, & os colluunt *decocto plantaginis, scabiosæ, syrupo rosato.*

Si

Si linguæ sit inflammatorius, primò cephalicam tundunt venam, deindè sublingualem, & cucurbitulas usurpant. Ut abscessus rumpatur, utuntur *decocto hordei, lactuca, addito Syr. de jujubis.* Quandòque *ficum per medium scissam* continuò super linguæ tumorem gestare imponunt, ajunt enim ficus suppurationem promovere. Tumorem scalpello aperiunt, nisi sponte rumpatur. Excreto pure, abscessum apertum eluunt *decocto plantaginis, cicer. rubr. & agrimon. addito melle rosaceo*, absterſum ulcus consolidant.

Si lingua ex nimiâ alimenti copiâ incrementum sumat, decenti dietâ absolvitur.

Si ex alimenti degenerati colluvie linguæ tumor ortum ducat, nullum majus remedium inveniri potest, quàm medicamentum purgans, hujusmodi erit *extractum catholicum*, cujus rei experimentum habemus apud *Gal. lib.* 14 *m.m. cap.* 8. *Sanè linguam ità tumefactam cuidam vidimus, ut in ore contineri non posset. Erat qui sexagenarius jam erat, horaque ferè decima erat, cum ad eum primùm accessi, & vidi. Ac visus mihi est usitatis mihi pilulis, quæ ex aloë, scammoneo, & colocynthide constant, vespere datis purgandus: Cæterùm eâ nocte evidentissimum, per quietem in somnium nostrum homini consilium, materiam ipsam medicamenti definivit.*

Linguæ tumor ex lue Venereâ si sit, ejus curatio ad eundem morbum dirigenda est.

Si in linguâ carcinoma sit, ulcus nimirum durum, atrum, callosum, & melancholicum, malum incurabile est, si irritatur, venas erodit, sanguinem profundit, ac per totam linguam ad ejus radicem usque serpit, & mortem infert, pro more enim cancri vulgaribus non auscultat remediis, nisi nostra, & selectiora *cap. 9. de cancro, & Tomo secundo cap. 23. De ulcere canceroso* assumantur.

Si in linguæ superficie tumusculi verrucarum instar infestent, eorum curatio *cap. 27. De Verrucis* petenda est, sed selectiora, & mitiora ratione partis desumuntur medicamenta.

Si ex materiâ venenatâ assumptâ, vel bestiæ venenatæ morsu linguæ tumor excitetur, in hujusmodi malo tumor non est magni momenti, sed id, quod urget, est Venenum, quod illicò extinguendum est, quo extincto, facilis est linguæ ad naturalem statum reductio. Vitanda sunt phlebotomia, & purgantia: nàm ipso veneno sunt nocentiora, quia ipsum ad corporis centrum trahunt, & intùs retinent. Si igitur venenum assumptum fuerit, omni diligentiâ, & nullâ postpositâ morâ, nàm periculum est in morâ, illicò è corpore eliminetur emeticis, quæ leniora sint, & unà lentorem habeant, ut salia corrosiva, & sulphura inflammabilia infringant, & gas illud suffocativum disperdant. Non desint clysteres pingues, & mucilaginosi, si in intestina aliqua veneni portio descenderit. Interim venenum statim foràs eliminetur, ne ad interiora serpat, & si in venas, vel arterias se intrusit, alexipharmacis exturbetur, hujus-

modi sunt *Theriaca*, *Mithridatium*, *elect. de bacc. junip. c. c. terra sigillata*, *bolus armenus*, *unicornu*, & Cætera vulgaria.

Si à bestiæ venenatæ morsu pendeat linguæ tumor, exhibeantur alexipharmaca suprà enumerata, sed præ cæteris *Theriaca*, *orvietanum*, *Mithridatium*, *aqua theriacalis ex spiritu vini*, *tinctura bacc. junip.* & interim demorsus gargarismata adhibeat, quæ vim aciditatis infringendæ habent, ut sunt *alkalia omnia in succo rutæ capraria*, *in decocto tormentillæ*, *scordii*, *scorsoneriæ &c.* Item *vini spiritus cum sale viperarum*, & pro pauperibus, in qua sal dissolutum fuerit, gargarizetur. Verùm de vulneribus ex venenato morsu inflictis, ut viperæ, aspidis, scorpionis &c. agimus *Tomo Tertio cap.* 29. & similiter in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib.* 4. *cap.* 17.

Si lingua inflammatione tentetur, os gargarizandum decocto aliquo discutiente in principio, *ex hyssop. betonic. origan. calaminth. melilot. sem. lini*, *fœnugræci*, *& syr. de moris*, *vel diamoro.* Quòd si tumor non resolvatur, sed in suppurationem vergat, ad emollientia, & suppurantia devenimus, ex quibus gargarismos, & collutiones concinnamus *ex decocto radic. lilior. albor. fol. alth. passular. fursur. fic. ping. sem. cydonior. in aquâ hordei facto*, *quibus sapam addimus.* Quòd si absces-sus his remediis sponte non rumpatur, aperiendus est scalpello, excreto pure, ulcus abstergatur collutione *cum hydromelite*, *& aquâ saccharatâ*, & tandèm consolidetur sequenti gargarismo:

℞. *Aq. hord. lib.* ij.
Mell. ros. simpl. ℥. iv.
Radic. alth. ʒ. ij.
Bull. ad tertiæ partis casum, *& coletur.*

Cap. XL.

De Tonsillarum tumore, *& inflammatione.*

Duæ caruncul æ exiguæ, & naturales in oris termino, utrinque circa linguæ radicem paulò suprà laryngem, videlicet ad uvulæ latera in omnibus positæ sunt, duorum nucleorum amygdalinorum instar, ac proindè vulgò à figurâ amygdalæ, Latinè tonsillæ, & glandulæ vocantur, Græcè verò Paristhmia, ob similitudinem ab Isthmo, significante angustam terræ partem, seu telluris brachium, inter duo maria jacens, nec non Anthiades, quia primò se oculis offerunt.

Conditæ sunt à naturâ tonsillæ spongiosæ, ut salivali humiditate fauces, laryngem, linguam, & œsophagum humectent, ut cibum ficciorem, & duriorem madidum reddant ad faciliorem diglutitionem; Item ad laryngis irrigationem, ut ejus cartilagines ad motum aptiores reddantur, quod imitantur ii, qui fistulas irrigant.

Sæpè hæ partes, licèt exiguæ, magnum medico, sed majus ægroto negotium faces-sunt; intumescunt enim quandòque sine inflammatione, colorem retinent naturalem, & dolore vacant: at interdùm

dùm inflammatione, ardore, dolore, & siti infestantur cum diglutitionis, & respirationis difficultate. Qua inflammatione in abscessum degenerante, pus intra fauces effunditur, undè sæpè ulcus sordidum, & fœtidum relinquitur. Quandòque non suppurantur, sed indurantur, & in scrofulas, scirrhosque degenerant tumores.

Solet hic affectus admodùm pueris esse familiaris ante, vel post septennium, ut *Hip. aph. 26. sect. 3.* testatur: *Cùm verò jam magis adoleverint tonsillæ &c.* Sic etiam virginibus jam verò maturis, quibus menses non fluunt.

Signa.

Tonsillæ majores aliquantulùm foris sub maxillis tactu, & visu cognoscuntur; intùs verò ceu carnis frustulum quoddam faucibus inhærens mole suâ premit, obstatque ne facilis diglutitio fiat, & id sine siti, & ardore, proprium tamen suæ substantiæ servant colorem: Ast ubi inflammantur, rubicundæ inspicientibus apparent, & præter spirandi difficultatem, & diglutiendi, ardorem, & dolorem inferunt molestum, partes circumjacentes incendunt, sitim, & febrem excitant.

Causæ.

Tonsillarum tumorem ex cerebri defluxione fieri clamitant Galenici; Inflammationem ex humorum calidorum affluxu ad illos, qui cùm calidi sint, partes illas calidas, & humidas inflammant. Verùm hæc Galenicorum causa ridicula est, cùm omnes morborum causas à plantâ pedis usque ad verticem capitis ad fluxiones refundat, & cujusdam Galenici recordor, qui interrogatus à quodam ægroto, qui immani capitis dolore cruciabatur: Domine medice, quodnàm malum est, hic meus capitis dolor? Respondit, est Podagra.

Vera tumoris tonsillarum causa est succus alimentitius in ultimâ sui digestione degeneratus in his partibus spongiosis, & laxis, cui magnus acidi laticis proventus accedit. Inflammatio verò fit ex sanguine in his locis ob lentorem, seu visciditatem stagnante, vel extravasato in spongiosâ, & glandulosâ tonsillarum substantiâ, & ob turgentiam quandam copiosiùs aggesto, undè rubor, tumor, & ob fibrarum tensionem, earumque continui solutionem dolor suscitatur. Causæ remotæ sunt intemperata aëris constitutio, ut caloris, vel frigoris excessus, pororum in hisce partibus obstructio, ciborum calidorum, & potuum ardentium usus, vehemens corporis motus, excandescentia &c.

Prognosis.

Tumor tonsillarum, si mox ab initio medica adhibeatur manus, facilè curatur; at si negligantur tonsillæ, quandòque indurantur, & in scirrhum degenerant, qui nusquàm, vel rarò curatur.

Inflammatio morbus acutus est, qui non exiguam doloris, & di-

glutionis moleſtiam adducet, imò ſæpè ſuffocationis periculum, & in veram mutabitur anginam, quæ lethale minatur periculum. Horum partium inflammatio vel reſolvitur, vel ſuppuratur. Tonſillæ in febribus denigratæ, & arefactæ inevitabilem portendunt mortem.

Curatio.

Perficiunt tumoris tonſillarum ſanationem vulgares frictionibus, cucurbitulis, aurium extenſione ſurſùm vehementer, & earum attractione dolorosâ. Item longâ brachiorum frictione dolorosâ in carpo ſuperfocilium deorſùm, vel cum ligno extremitatem habente rotundam, vel pollice ſalivâ inuncto; hæc omnia peragunt ad fluxionis diverſionem, ſed hæc remedia ſunt nimis ruſtica. Deindè externas moliuntur inunctiones *ex oleo amygdalarum dulcium, utriuſque lilii &c.* Poſtremò gargariſmis utuntur *ex aquâ, & aceto, vel ex decocto roſ. incomplet. plantag. & hord. cum ſyr. de roſis ſiccis, viol. de moris, & aceto roſaceo.*

Tumoris tonſillarum curationem nos perficimus externè in unguendo partes *oleo amygdal. dulc. ad* ℥. ß. *olei ceræ deſtillati* ℥. j. *admiſcendo.* Internè gargarizationes adhibemus *ex pipere longo in aquâ communi decocto, vel ex radice angelicæ, & tandèm ex petho.*

Si tonſillarum inflammatio ſit circa initia levis, ad ejus curationem adſtringentia gargariſmata adhibent vulgares, ut

℞. *Aquæ plantag. lib. j. ß.*
Flor. roſ. rubr. m. ß.
Cortic. granat. ℥. iij.
Succ. hippociſtid. ℥. ij.
Bulliant unicâ ebullitione, & colatæ adde
Diamori, &
Dianuc. ana ℥. ß.
Et f. gargariſma.

Deindè ad repellentia deveniunt ſimplicia, ex quibus variæ decoctorum formulas parant, ut *ex fol. plantag. rubi, vitis, balauſtis, roſis, ſorbis, meſpilis, cornis, fol. & bacc. myrti &c.* tandèm refrigerantes uſurpant gargariſmos, ex decocto herbarum dictarum refrigerantium, *ut ſolani, lactucæ, ſedi cum ſyrupo de portulacâ, endiviâ &c.* Vel *ex lacte.* Sed in magno verſantur errore, & utplurimùm levem tonſillarum inflammationem in lethalem anginam degenerare faciunt, vel ſi copioſiùs refrigerant, inflammationem, defluxum humorem, & tumorem non tollunt, ſed lividam, frigidam, duramque reddent partem, & inflammationem, ſi in gangrænam non mutabunt, ſaltèm in ſcirrhum degenerabunt: impactus igitur humor nullum auxilium ab adſtringentibus, repellentibus, & refrigerantibus admittit. Imò induratæ tonſillæ deglutionem, & reſpirationem interdicunt, & medicamentis emolliri non poſſunt, in quarum extractione chirurgiæ operatio nec facilis, nec tuta eſt.

Si inflammatio ſit vehemens, & ſuffocationis periculum immineat, ſtatim cephalicam, vel baſilicam ſecant, & ubi phlebotomia locum non habet, venæ ſe-

ctionis

ctionis loco aures, & cucurbitulas scarifi.ant, tanquàm venæ sectionis vicarias. Ad materiam conjunctam evacuandam venas sub linguâ, raninas dictas, secant; in mulieribus verò tali venam excidunt. Verùm si inflammatio sine febre sit, periculosissima ratione circu.tûs sanguinis, & tàm resolutionem, quàm suppurationem impedit, neque concretus sanguis phlebotomiâ educitur, imò obstinatior redditur.

Si vitiosi cum sanguine humores redundant, clysteres frequentantes, credunt concretum sanguinem, qui est veluti spina infixa, è gulâ clysteribus extrahere. Vel lene exhibent purgans, ut

℞. *Syr. ros. solut.* ℥. iij.
Flor. cass. recèns extract. ℥. ß.
Aquæ betonicæ ℥. ij.
Rosarum, &
Cichor ana ℥. j.
M. f. p.

Verùm purgans medicamentum inutile est, imò in pejus inflammationem convertet. Nec interim gargarismata desunt.

Inflammatio si ad suppurationem tendat, illam promovent gargarismis *ex aquâ mulsâ calente, decocto caricarum, hisopi, glycyrrh. vel decocto passularum, jujubarum cum violis, & maluâ.* Vel foris applicant *cataplasmata ex farinâ hordei, tritici, fœnugræci cum decocto caricarum, rad. alth. & melle.* Rupto abscessu, *aquam mulsam* gargarizandam præscribunt, primò per se, deindè *admistâ lenticulâ, rosis, plantag. &c.* donec ulcus ad cicatricem perducant. Sed de his rancidis medicamentis fusiùs egimus in nostra *Trutinâ Medicâ lib. 1. cap. 8. De Anginâ*, quam vulgares utplurimùm cum tonsillarum inflammatione confundunt, & utrique remedia communia faciunt.

Tonsillarum inflammationem citò, tutò, & jucundè absque suppurationis metu curat *sanguis hirci ad pleuritidem paratus, & antimonium diaphoreticum*, quia concretum dissolvit sanguinem, tumorem, & inflammationem tollit. Usurpari possunt *gargarismata ex aquâ spermatis Ranarum cum syr. de moris, & anodyno minerali*, attamen tepida: inflammatio enim neque calida, neque frigida tolerare potest, quibus si non cedit, utere *gargarismo ex spiritu vini cicurato cum aquâ prunellæ*, vel fiant collutiones *ex decocto fragariæ, & fol. salicis cum pauco armoniaci crudi in eodem dissoluto, vel spiritu ejusdem guttatim addito*, quibus obstructio quævis facilè reseratur, vel utere *gargarismo de pethi decocto.* Externè applicari potest *cataplasma ex micâ panis tritici cum melle*, quod citò inflammationem sistit.

CAP. XLI.

De Columellæ laxitate, & Inflammatione.

DEscendit in os teres caruncula ex palati tunicâ reduplicatâ, penitùs juxta narium meatus, supra laryngis rimam, inter tonsillas, quæ uvula appellatur, est morbosa hujus caruncula affectio,

cum ejus ſummum uvæ acino non abſimile apparet. Proprium hujus caruncuiæ nomen eſt columella, quia oblonga, & rotunda, columnæ adinſtar, parvam columnam, ſeu columnellam efformat. Dicitur quoque gargulio, & gargareon à ſono illo, qui in gargariſatu auditur. Ejus ſubſtantia eſt glanduloſa, mollis, ſpongioſa, & rubro donata colore, communi oris tunicâ amicitur, figuram habet, ut diximus, rotundam, teretem, ſuperiùs craſſiorem, & inferiùs in acutam obtuſè deſinit. Hæc caruncula ſuos patitur manes, ſcilicèt laxitatem, ſeu elongationem, tumorem, inflammationem, atrophiam, & ulcus.

Signa.

Horum affectuum ſignæ ante oculos ſunt poſita, aperto ore, & depreſſâ linguâ hoc modo diſtinctim cognoſcuntur. Laxitas intro aſpicientibus oblongior, & tenuior de palato in guttur pendet columella, ſupra linguam jacet, nauſeam parit, aſſiduam excitat ſalivationem, & æget quaſi carnis bolum ſummo œſophago hærentem habere videtur, quam perpetuò fruſtrà devorare contendit; attamen palato eſt concolor, ſine dolore, & calore.

Si inflammationem patitur, adeſt tumor rotundæ uvæ inſtar, rubor, ardor, & dolor: diglutiendi difficultas, quoddam ſuffocationis periculum, & interdùm febris.

Cauſæ.

Columellæ relaxationem fieri autumant vulgares ab humore pituitoſo, à cerebro debilitato in columellam depluente; inflammationem effici ab eodem humore pituitoſo tenui, à cerebro defluxo cum ſanguine miſto. Nihilominùs vulgares ſemper repetunt cerebrum eſſe veluti communem cloacam, undè omnia mala in humana depluunt corpora.

Fit columellæ relaxatio, tunc cùm ſubitanea aëris injuria ſive calida, ſive frigida, nimia corporis agitatio, frigidus hauſtus, boreæ flatus &c. inſitum columellæ ſpiritum ità afficit, ut frigoris, alteriuſvè impreſſum ſentiat ſtigma, illicò in ſui digeſtione ab exotico laceſſitur hoſte, & ut partem muniat, ſubſtantiam proximam alimenti degeneratam ob partis alendæ indiſpoſitionem per poros profundit, & ut impreſſum eluat ſtigma, quòd ſi eluere nequit, topicum conturbat fermentum, laticemque qui ad partium eluendas ſordes eſt deſtinatus, advocat, ac proindè ligamenta relaxantur, & columellæ oblongatio exoritur. Columellæ inflammatio fit ex ſanguine in venularum, vel arteriarum poris concreto, vel effluxo.

Prognoſis.

Horum affectuum prognoſim in hunc modum inſtituimus: Quivis columellæ affectus feſtinam requirit opem, ne relaxatio, aut inflammatio ad finem properet; hæc enim in pernicioſam, & operoſam deſint èxulcerationē; illa verò antiquata mirè pendulam oblongationem confirmat, ut ad anterio-

res

res propendatur quandòque dentes, & postremò putrescentiam gignit, cujus sanatio est absciſſio, quæ operatio periculo non vacat, cùm ob vocis depravationem, tum ob sanguinis fluxum, qui per sectionē excitatur, ut vix ullâ arte compesci possit. Quibus columella tota abscinditur, vel exeditur, rarò clarè, & distinctè loqui possunt; inservit enim ad vocis modulationem, undè vocis plectrum appellatur. Qui columellâ destituuntur, phthisici moriuntur, quia ejus est aëris frigiditatem moderari, ne illicò in pulmonem irruat. Si uvula ex inflammatione nigrescit, vel nimiùm albet, & stupet sensu, facilè putrescit, & sphacelatur.

Curatio.

Relaxatam curant columellam vulgares per frictiones, & cucurbitulas, præmissâ, si opus fuerit, capitis purgatione per pilulas capitales, vel totius corporis diversiones, & evacuationes. Præscribunt errhina, & omnia, quæ pituitosum absumunt humorem, corriguntque frigidam, humidamque capitis intemperiem. Postmodùm ad topica deveniunt adstringentia, & repellentia, ut sunt *aqua vel decoctum plantaginis, myrti, rosarum, rubi, origani, hyssopi, acetum &c.* & varia componunt gargarismata, ut

℞. *Flor. ros. rubr.*
Fol. plantag.
Mespilorum ana m. ß.
Salvia &
Hyssopi ana m. j.
Gallar. immaturar. ʒ. ij.
Alum. usti ʒ. ß.
Coque in suff. aquæ quantitate ad tertias, & pro lib. 1. colaturæ adde
Dianur. &
Syr. myrtill. ana ℥. j.
Aceti ʒ. ß.
Succ. acaciæ ʒ. j.
M. pro gargarismate.

Vel

℞. *Fol. querc.*
Centinodiæ ana m. j.
Flor. balaust.
Summitat. rubi ana m. ß.
Bulliant in aquâ myrtillor. ad lib. ij. colaturæ adde
Syr. de ros. sicc.
Succ. granator.
Diamori ana ʒ. j.
Rob berberum ʒ. ß.
Alum. sacc. ʒ. ß.
F. gargarisma.

Si malum protrahi vident, & materia pauca est, & caput non excrementis refertum, columellam *cortice granatorum subtilissimè pulverisato* tangunt, vel *pipere longo, cui aliqui addunt aliquid aluminis, & boli armeni, vel myrrha, & nonnulli piperis longi loco Zingibere* utuntur. Quæ medicamenta periculo non vacant, quia metuendum est, ne humores affluenter à cerebro ad partem trahantur affectam, & grave aliquod afferant damnum.

Quidam futuræ coronali applicant emplastrum, quod conficiunt *ex acaciâ cum aceto, aut ex gallis ustis cum aceto.* Alii *ovum recens ad duritiem coctum, & per medietatem dissectum in longum*, & cum ligaturâ vertici imponunt calidissimè per aliquot horas, donec relaxatio sublata

blata fuerit. Nonnulli prædictum *ovum thure, vel Zingibere* aspergunt, & calide applicant. Vel *ex thure, & gallis in pulverem redactis cum farinâ tritici, & melle virgineo emplastrum* concinnant, quod vertici imponunt.

Si hæc omnia parùm, vel nihil juverint, statim recurrunt ad ea, quæ experta sunt à vetulis ad columellæ elevationem : accipiunt capillorum ægroti manipulum ex vertice, quem manibus complicant, & illi, ut taceat imperant, capillorum manipulum sursùm vehementer trahunt, usque dùm cutis sonitum edat, & *pauxillum de alumine usto, vel rosarum semine* supra columellam aspergunt, & illicò miraculi instar, inquiunt, laxitatem remitti. Pulchrum experimentum, quod expectationi non respondet, & inter histrionicas scænas repræsentari dignum.

In columellæ inflammatione procedunt, sicut in aliis inflammationibus, & tàm si plethora adsit, quàm absit, primò cephalicam secant, deindè venam sub linguâ aperiunt, cucurbitulas vertici, & scapulis affixas scarificant, diversiones per clysteres, frictiones extremorum ligaturas, & id genus alia celebrant. Si corpus pravis scateat humoribus, primò caput per pilulas cephalicas, deinde totum per purgantia juxta humoris peccantis qualitatem deplent.

Interim in principio ad topica deveniunt repellentia, quæ in gargarismi formâ usurpant, & ubi exigua est fluxio, austera præscribunt gargarismata *ex aquâ, & aceto*, vel ità parant :

℞. *Ros. rubr.*
Rubi,
Plantag. ana m. j.
Cortic. granat. p. j.
Fiat decoctio in sufficiente aquæ quantitate & in colatura lib. j. ß. *adde*
Acet. ros. &
Rob de ribibus ana ℥. ß.
Succ. malor. granat. ℥. j.
Diamori ℥. ij. *m.*
Pro gargarismo.

Vel ubi inflammatio, & fluxio est vehementior, acerbis utuntur, quia fortiùs adstringunt, & repellunt, ut

℞. *Decoct. myrtill.*
Fol. teneror. quercûs,
Mespilorum,
Balaustior. &
Sumach. lib. j ß.
Syr. de agrestâ,
Rob de ribibus,
Nucum virid. ana ℥. j.
M. pro gargarismate.

Sed hæc gargarismata non tantùm partem exasperant affectam, verùm etiam fluxionem, inflammationemque ad penitiora repellunt, undè graviora mala emergere possunt.

Quandòque transacto principio discutientia admiscent, *ut fol. althæa, malvæ, hyssopi, ficûs, flor. chamæmeli, meliloti, sem. fœnugræci &c.*

Si ad suppurationem vergat, suppurant decocto caricarum cum aquâ mulsâ, aut decocto passularum, quòd si sponte non succedat apertio, eam ferro moliuntur, & post puris extractionem pro absterg entibus adhibent *aquam mulsam,*

ſam, vel caulium ſuccum cum melle.

Rælaxatæ columellæ vera curatio conſiſtit in degenerati alimenti eductione, & ſi nimia laticis copia ad ſordes eluendas advenerit, in ejus depletionem incumbimus.

Undè nimius latex columellam oblongans hydragogis evacuandus eſt, vel ſæpè maſtiche nigra maſtichetur, ut per ſalivationem ſuperflua ejus humiditas exſiccetur. Vel ad hunc finem alimenti degenerati ablationem faciunt gargariſmata, ut

℞. *Piloſellæ*, &
Pyrolæ ana m. j.
Cort. radic. angelicæ, &
Imperatoriæ ana ʒ. ij.
Fiat decoct. ad lib. j. ß. *cujus colatura cum pauco melle edulcoretur*, & utere pro gargariſmate. A proprietate huic morbo prodeſt *uvularia* propter ſignaturam, ex qua gargariſmus ità componi poteſt:

℞. *Uvulariæ*, &
Tormentillæ ana m. j.
Coque in ſuff. quantitate aquæ, cujus decoctum edulcora cum pauco melle, & utere.

Deindè poſt uſurpatum gargariſmum, hos adhibe pulveres in columellam inſufflando, vel meliùs eam tangendo, hujuſmodi eſt *pulvis myrobolanorum citrinorum*, vel ſequens, ut

℞. *Piperis longi* ϑ. ß.
Succ. acaciæ exſicc. &
Radic. tormentill. ana ϑ. j.
F. omnium pulvis.

Vel

℞. *Piloſellæ*,
Uvulariæ ana ϑ. j.
Radic. biſtort. &
Cort. rad. angelicæ ana ϑ. ſ.
Alum. ſciſſil. gr. viij.
Contundantur, & cribrentur. E veſtigio oblongata columella ſe contrahet, remittet, ad naturalemque reducetur ſtatum. Sed *aqua deſtillata Vincapervincæ, vel tantummodò ejus decoctio gargarizata, vel pulveris immiſſio* columellam laxatam erigit, & refirmat, quod admiratione dignum eſt.

In columellæ inflammatione ad ſanguini conciliandum fluorem, à lentore eundem liberandum, & obſtructionem reſerandam conferunt internè ſumpta *ſanguis hircinus*, *antimonium diaphoreticum*, & alia diaphoretica pluries repetita, verum multùm proficiunt *gargariſmata cum anodyno minerali*, quia immediatè partem tangunt affectam, ut

℞. *Aquæ prunellæ*,
Sedi minoris ana lib. ſem.
Syr. de moris ʒ. ij.
Anodini mineralis ʒ. j. *m.*

Vel

℞. *Aquæ fragor.* &
Nymph. lib. j.
Diamori ʒ. ij.
Anodyni mineralis ʒ. j. *ſ. m.*

Vel meliùs

℞. *Aquæ prunell.*
Flor. ſambuc. ana ʒ. ij. *ſ.*
Spiritus vini ʒ. j. *ſ.*
Spiritus armoniaci gutt. xx. *m.*

Si ardor ægrum fatiget, convenit *emulſio quatuor ſeminum majorum, vulgò frigidorum, in decocto malua cum mucilagine ſeminum cydoniorum* pro gargariſmo. Si dolor urget, prodeſt *aqua ſpermatis Ranarum, & lactis ana gargariſatum, in quo diſſolu-*

tum fuerit aliquid de nitro fixo, scilicet lapide prunella. Vel gargarismus *ex succo cancrorum fluviatilium cum aquâ lactucæ.* Sed ad aures transeamus.

Cap. XLII.

De Aurium Inflammatione.

Aures inflammationem, & suppurationem patiuntur, non minùs ac aliæ nostri corporis partes licèt auris structura, præcipuè ex ossibus constet; habet tamen membranas, per quas exiles venæ, & arteriæ disseminantur, quæ à venis, arteriisque membranarum cerebri ortum ducunt.

Aurium inflammatio interiores auris partes occupare solet, scilicet vel eas, quæ auditorii instrumenti compositionem ingrediuntur, vel vicinas, quæ etiam instrumentales partes afficiunt, & exteriores saltem apprehendunt, vel intimiores ad nervum usque auditorium, quas differentias sollicitè noscere oportet, tum ratione curationis, tùm periculi magnitudine.

Signa.

Auris inflammatio cognoscitur ex eo, quod patiens in aure affectâ continuò vehementissimum dolorem pulsatilem percipit cum gravamine, & tensione; cum calore, & rubore, qui plerùmque ad malas, & tempora se extendit; cum febre, & forti arteriarum pulsatione; tùm exactè in aurem introspicienti interna pars ad lumen tumere, & rubere videtur, nisi inflammatio sit nimis profunda, & abdita: tunc caput universum est simul calidum, & inflammatum, undè deliria, motus convulsivi, syncopes, extremorum frigiditates succedunt, idque eò magis, si inflammatio ad interiora vergat; quantò enim ea intimior est, tantò intensior fit febris, pulsatio major percipitur, quia arteriæ majores comprimuntur, dolor acerbior, & periculum majus.

Causæ.

Pro aurium inflammatione assignant vulgares sanguinem biliosum, & tenuem è valis suis apertis, vel ruptis, in ipsas auris membranas effusum, qui copiâ suâ tumorem, & tensionem dolorem, & calorem excitat. Verùm nostra sententia est, quòd aurium inflammatio fit à sanguine in earum venulis, & arteriolis concrescente; concretionis verò causæ sunt fervor, copia, nimia corporis incalescentia à sole, vel exercitiis, iracundia, subitanea permutatio ambientis aëris in frigus, vel vice versâ, & his pares, quæ sanguinem extra arteriolarum, & venularum poros exprimunt, ibi concrescentem.

Prognosis.

Aurium inflammatio periculosa est, & in primis in juvenibus, & ubi inflammatio profundiùs hæret, & nervum auditorium apprehendit,

hendit, utplurimùm mortem minatur, antequàm suppuratio accidat, nervus enim internam auris superficiem attingens acutâ sensilitate præditus, vehementem doloris perceptionem efficit, & cerebrum in consensum rapit. Undè ægri in delirium, & convulsionem incidunt, & in mortis discrimen, vel nonnunquàm subitò, tanquàm attoniti moriuntur. Si verò dolor, & febris diutiùs protrahantur, & ægri septimum superent diem, evadunt, materiâ in pus conversâ, quod facilè cognosci potest ex doloris, & febris remissione, ut *sect. 2. aph. 43. Dùm pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quàm jam confecto.* Attamen si pus bonum effluxerit, & postmodùm æger melius se habeat, magna sanationis spes est, verùm post sanationem ferè semper auditus gravitatem relinquit. Senes in aurium inflammatione minùs periclitantur, quàm juvenes.

Curatio.

Aurium inflammationem curant vulgares iisdem medicamentis, quibus aliarum partium corporis inflammationes; primò itaque præmittunt refrigerantem, & emollientem clysterem, post expulsas à clystere fœces, horâ unâ, atque alterâ, sanguinem detrahunt, & quidèm à venâ cephalicâ, & si inflammatio sit major, phlebotomiam liberaliter repetunt. Hac sanguinis detractione non possunt affluxum, concretumque sanguinem detrahere, licèt totum depleant: igitur affluxurum detrahunt, ac proindè ad posterius respiciunt, præcautionis potiùs, quam curationis gratiâ, & inflammationem in radice non attingunt. Per sanguinis depletionem corpus refrigeratur, & mala majora sequuntur, scilicet vel resolutionem prohibent, vel suppurationem in longum protrahunt tempus. Ad revellendum sanguinem ad aurem fluentem, alia adhibent revellentia, scilicet cucurbitulas, frictiones, ligaturas, & clysteres, si opus sit, repetunt, quasi ani fœtus aurium inflammationem efficeret. A venæ sectione, uno atque altero die intermisso, bilem educunt medicamento cholagogo.

Deindè, si ingens sit dolor, repellentia usurpant, & in aurem instillant, ut

℞. *Ol. ros. vel*
Viol. ʒ. iij.
Acet. ros. ʒ. vj.
Nitri ℈. j. *m.*

Verùm repellentia hîc locum habere nequeunt; inflammatio enim repellitur in cerebrum, ejusque membranas, undè delirium, & alia majora mala gignere possunt. Vel refrigerantia adhibent ex butyro recenti, lacte, & foliis herbarum frigidarum, quia inflammationis curationem esse inflammatæ partis refrigerationem existimant. Sed in magno versantur errore, quia licèt inflammationem copiosiùs refrigerent, tumorem non tollent, sed lividam, frigidamque partem reddent, & lenem inflammationem plerùmque

in magnos, lethalesque morbos degenerare faciunt: igitur calefacientibus discutiendum est.

Victum præscribunt tenuem, refrigerantem, & humectantem cum abstinentiâ à durioribus, pro potu hordei aquam, interdicto vino, aliisque calidis.

Interim cataplasma conficiunt, quod inflammationem resolvere, & dolorem lenire possit, ut

℞. *Lenticulæ palustris m.* ij.
Medull. panis in lact. muliebri infus. ʒ. iv.

Contunde, & fiat cataplasma, quod auri applicetur.

Vel

℞. *Fol. alth.*
Malv.
Lactucæ,
Salicis ana m. j.
Flor. ros. rubr.
Meliloti, &
Chamomill. anap. j.
Sem. cydon. &
Malv. ana ʒ. ij.

Coque, & decocto foveantur aures, Vel.

℞. *Ol. ros. &*
Nymph. ana ʒ. ß.
Succ. papav. ʒ. vj.
Mucilag. sem. psyll. &
Cydon. ana ʒ. iij.
Lactis muliebris ʒ. j. *m.*

Et auri applica, vel instilla.

Si inflammatio nullatenùs resolvi possit, sed ad suppurationem vergat, quod ex interiori febre, dolore, & pulsatione cognoscitur, eam maturantibus adjuvant, quæ sunt *radices liliorum albor. alth. flores chamomill. meliloti, ficus, farina tritici, fœnugraci, eorundem mucilagines, animalium pinguedines, ut gallinæ, porci, butyrum, ol. amygd. d. lilior. chamomill. sesaminum, crocus &c.*

Maturato abscessu, ejus ruptionem expectant, ad cujus accelerationem *succum cyclaminis cum quadruplo lactis muliebris* in aurem instillant. Quo rupto, saniem abstergunt *melle ros. vel syr. ros. succo absynthii, centaurii minoris cum melle, decocto lupinorum &c.*

Aurium inflammationem nos curamus, nullam phlebotomiam celebrando, quod tamen sæpè magni nominis medici, & chirurgorum vulgus facere solent, non sine ægri periculo, & torturâ; est nàmque pernicioſa, tùm ratione circuitûs sanguinis, tùm etiam quia resolutionem inhibet, vel suppurationem in longum protrahit.

Purgans medicamentum omninò inutile existimamus, cùm eam in deterius mutare soleat. Ea medicamenta conveniunt, quæ sanguinem concretum, vel evaſatum fluxilem reddunt, & discutiunt per insensilem evaporationem, cujusmodi sunt *sanguis hirci, & stibium diaphoreticum* quotidiè bis assumptum ad ana ϑ. j. Itèm omnia salia volatilia ex cephalicis, & diaphoretica alibi commemorata. Verùm antimonium diaphoreticum tantummodò omnem abscessum interiorem, ubicumque situs est, efficacissimè resolvit. Vel his duobus remediis ritè adhibitis, omnis inflammatio resolvitur, nec in suppurationem abit.

Si dolor sit mitior, topica anodyna

dyna conveniuut, quæ leniunt, & nonnihil relaxant, quorum formulas in *Tomo 2. De Aurium dolore cap. 26.* descripsimus.

Interim quoque dolentem locum fotibus lenientibus, & discutientibus fovemus, ut

℞. *Comar. malvæ,*
Althææ,
Lactucæ,
Salicis, &
Violar. ana m. j.
Flor. sambuci,
Chamamel.
Meliloti.
Ros. rubr. ana p. j.
Sem. malvæ,
Cydon. ana ℥. j.

Coquantur in aquæ lib. iij. In decocto madefiat spongia, expressâque tepente locus foveatur, hisce continuatis aliquantisper, adhuc magis digerentia addi possunt, uti sunt *semina lini, & fœnugraci*, quibus sæpius adhibitis, materia omninò resoluitur.

Si verò dolor vehementissimus sit, pro ipso obtundendo, concilian soque somno convenit *emulsio somnifera* in nostrâ *Trutinâ lib. 4. cap. 6.* descripta. Vel ad narcotica confugiendum est, tùm interna, ut est *Laudanum Opiatum*, tùm externa, vel in formâ fotûs, vel vapore tenus, quæ in aurium dolore descripsimus.

Accidit quandòque inflammationem omnia discutientia, & resolventia eludere, & in suppurationem ruere, cujus rei febris, & dolor intensior, fortisque pulsatio nos certiores facit; tunc maturantia, & suppurantia adhibere debemus, ut

℞. *Radic. alth.*
Arundinum,
Lilior. albor. contus. ana ℥. *ſ.*
Fol. malv.
Alth.
Viol. ana m. j.
Flor. chamamel.
Meliloti ana p. j.
Lilior. albor. p. j. *ſ.*

Decoquantur in ſuff. aquæ quantitate ad mollitiem, tum contusa per cribrum transmittantur, & adde

Farinæ sem. fœnugraci, &
Lini ana ℥. j.
Axung. porcin.
Capi ana ℥. j.
Butyr. maialis ℥. *ſ.*
Ol. amygdal. d. q. ſ.
F. ſ. a. cataplasma

Tepide imponendum, & renovandum, donec abscessus rumpatur. Vel sequens conveniet cataplasma:

℞. *Capam num.* j.
Butyr. recent. ℥. ij.
Ol. chamomill.
Ros. ana ℥. j.
Croci ℥. *ſ. m.*
F. cataplas. auri imponendum.

Ruptus abscessus abstergentibus repurgetur crebriùs instillatis, cujusmodi sunt *mel rosatum tepidum cum balsamo proprietàtis admistum, vel tinctura aloës, vel myrrhæ cum spiritu vini parata* ad guttulas aliquot immissa, vel *balsamus sulphuris terebinthinatus, vel balsamus artificialis*, vel ea adhibeantur, quæ *Tomo 2. De Ulcere aurium cap. 27.* tradidimus.

Unable to display this page

cear bifariam fieri posse parotides, criticè, & symptomaticè, primò per motum criticum, cocto scilicet existente morbo, & sponte materiâ à naturâ ad prædicta loca depositâ, præsertim in febribus; secundò symptomaticè, crudâ existente materiâ. Hæc tamen doctrina semper nobis impropria visa fuit; censemus nàmque quòd parotides modo veræ crisis signi non possunt, si propriè, & in rigore loqui velimus, ne rationem critici cum ratione utilis confundamus, dicemus parotides semper esse symptomaticas, licèt quædam possint esse utiles, & ad salutem, quædam verò noxiæ, & ad damnum; utiles quidèm sunt cum coctionis indiciis, noxiæ autem, quæ sunt, cruditate existente, quòd nunquàm esse possint criticæ, non difficulter suadetur ex Hip. principiis, quibus constat ad perfectam crisim multas requiri conditiones, quarum altera est, ut potiùs talis crisis fiat per evacuationem, ut per sudorem, alvi fluxum, sanguinis hæmorrhagiam &c. quàm per abscessum, verùm ab cessus fieri debet quàm maximè longissimè à parte affectâ, & à partibus principalibus: itàque ferè nunquàm poterit esse bonus, & laudabilis abscessus, qui fit prope partem affectam, & confirmatur: nàm vel fiunt parotides, malè affecto cerebro, & tunc materia illa ad longinquiores transmittenda erit partes, ut in podagrâ; vel sequitur ad febrem malignam, & succedunt cum cerebri læsione, & tunc expultrix vasorum facultas, vel totius corporis malè operatur: nàm à vasis & loco ignobiliori, in quo fit, ad partes nobiliores noxiam deponit materiam propè cerebrum, qui decubitus protectò laudari nequit, quia membrum, ad quod fit decubitus, est nobilissimum. Itaque nunquàm criticè parotides fieri possunt, in rigore loquendo. Præterea crisis est solutio facta per evacuationem, quia omninò materia è corpore expellitur, & ægrum à morbo liberat cum signis coctionis; quandò verò alius morbus generatur in aliâ parte, & æger non est omninò liberatus, dici non potest crisis, sed ex materiâ ejusdem morbi alius morbus genitus.

Signa.

Parotidum signa duplicia sunt, vel imminentium, vel actu jàm existentium. Si in malignis febribus adsit faciei rubor, capitis gravitas, surditas cum stupore, parotides prædici possunt. Actu existentes parotides facilè cognoscuntur ex loco affecto, tumore, & plerùmque rubore, qui post aures apparet. Si tumor sit malignus, aut pestilens, febris ejusdem rationis copulatur. Si à capite, vel cerebro malè affecto, nulla in toto corpore cacochymiæ aderunt signa, & capitis dolor præcessit, qui, parotide erumpente, evanescit, vel minuitur. An criticè, ut dicunt, vel symptomaticè erumpant, morbi tempus, & crisis signa præsentia, vel absentia docebunt.

Causa-

Causa.

Parotidem inflammationem esse in glandulis juxta aures inquiunt vulgares, ideòque ejus proximam, & continentem causam sanguinem esse asseverant, is tamen rarò purus est, sed bilis, vel pituita, vel melancholia, imò sæpè maligni, & pestilentes admiscentur humores, undè malignæ, & pestilentes oriuntur parotides. Et rarissimum est, ut sanguis solùm copiâ peccans naturam stimulet, & talem instituat excretionem, sed accidit à pravis, vitiosisque humoribus, quibus irritata natura, cum sanguine tales humores ad externa loca detrudere solet. Confirmant eorum assertum hæmorrhagiæ exemplo: Ut enim in hæmorrhagiis criticis non sanguis principaliter peccat, sed vitiosi humores, quos cùm sine sanguine expellere facilè natura non possit, hanc sanguinis excretionem instituit: ità etiam ut vitiosos humores à principalibus partibus ad ignobiliores avertat, sanguinis vehiculo utitur. Humores autem hi vel à toto corpore, vel à cerebro transmittuntur.

Verùm decipiuntur vulgares asserentes parotidem esse inflammationem in glandulis parotidibus, nàm glandulæ nunquàm inflammatione tentantur, nec in suppurationem abeunt, & temporis progressu tumor in glandulis contumacior fit, & alios sibi proximos ejusdem speciei tumores producere solet. Præterea cùm rarò à puro fiat sanguine parotis, sed ab aliis humoribus, dicetur œdema, aut erysipelas, aut scirrhus, & tunc rarissimè in suppurationem abiret, quod à veritate alienum cognoscimus. Exemplum de hæmorrhagiâ cespitare videtur, quia de criticâ loquuntur, nos verò suprà innuimus non dari parotides in rigore criticas, sed omnes esse symptomaticas.

Ut nostram de parotidis causâ proferamus sententiam, præmittimus ex anatome: Externùs auribus adstare varias glandulas crassas, & insignes, parotides appellatas, non tamen pone aures, verùm etiam sub auribus, & ad utrumque latus. Inter has duæ insignis magnitudinis reperiri, sibi invicèm propè accumbentes, quarum minorem, & anteriorem conglobatam; majorem verò, quasi ex pluribus glanduloſis fragmentis compositam, quam conglomeratam appellant anatomici. Hæ glandulæ vasa ascendentia fulciunt, & serosos, seu lymphaticos à sanguine arterioso separant, ac per quædam lymphatica, & salivalia vasa demittunt, multamque viscidam saburram interdùm coacervant, unde cerebri emunctoria vulgò appellantur. Præterea hactenùs perperàm creditum est per glandulas nervorum fibrillas; exiles nervos, arterias, & venas transire; nàm hæ glandulæ, sicut & cæteræ, proprio clauduntur folliculo, & sunt veluti pulvinaria, quibus dicta vasa adhærent, ut fulciantur, nec per glandularum substantiam transeunt.

seunt. Hæc vasa per eorum intercapedines alimentitium liquorem paulatim fibrarum continentium motu in cerebrum ducunt, ut ad majorem semper perfectionem adigatur per sequestrationem illius, quod serosum est, & ut purus remaneat, & hac ratione glandulæ dicuntur cola, & veluti filtra chymica.

Dicimus igitur, quòd quoties humor serosus cum ipso sanguine, ex suis conceptabulis per arteriarum, venarumvè poros foràs exprimitur, vel stagnat circa glandularum folliculum, à quo fulciuntur, tumor fit, qui parotis dicitur, & hæc est vera inflammatio, quæ in abscessum transit. Si verò nutrimenta is substantia per fibras circa glandulas diffusa depravetur, exoticam hostilemque naturam nanciscitur, congelascit, & pars in parotidem extuberat, & hæc dicitur symptomatica à vulgaribus, illa verò critica.

Prognosis.

Parotides si sine febre oriantur, minùs malignæ sunt, & minùs periculosæ, quàm quæ cum febre oriuntur. Minùs quoque periculosæ sunt, quæ in febribus chronicis accidunt, quàm quæ acutas sequuntur, & præsertim in malignis, & pestilentibus. Parotides symptomaticè, ut dicunt, erumpunt, & ex crudâ, atque rebelli materiâ oriuntur, pertinaces, & mali moris sunt, ac naturæ, & medico negotium facessunt; sunt enim cerebro propinquæ, & humores, ac vapores cerebro ejusque membranis impartiri possunt, undè earum inflammatio partium, & delirium excitari potest. Parotides si apparuerint, & non suppurârint, sed evanescunt, iis recidiva timenda est, nàm ipsarum materia recedens recidivam facere oportet; quarè semper minantur capitis læsiones, vel in toto corpore, nec propterea ubi suppurârint, sunt certum, & fidendum salutis signum, nàm *Pictoris ancilla lib. 1. Epidem. sect. 2. text. 84. Parotides passa est, quæ optimè suppurârunt, ipsa tamen abiit*, quia nimirùm *Gal. authore in comm.* habuit coctionem in parte, & non in toto, & consequenter parotides, crudâ existente materiâ, habuerunt ortum, & hinc apparet, quòd ubi parotides cum cruditatis indiciis generantur, etiam si ad suppurationem devenerint, non per hoc salutares esse possunt, & nunquàm iis fidendum.

Curatio.

In parotidum curatione spectant vulgares, an criticæ, vel symptomaticæ sint. Si criticè erumpat parotis, & morbus indè tollatur, vel minuatur, totum negotium naturæ committunt, sed tantùm dolorem lenientia laudant, & quæ augmentum juvant, qualia sunt *butyrum recens lotum cum oleo amygd. d. additâ paucâ cerâ*, & ad linimenti formam loco affecto applicat. Ejusdem generis existimant *farinam hordeaceam in hydroleo, vel in jure pulli infulso decoctam.* In parotidi-

bus verò seu criticis, seu symptomaticis, sive materia sit multa, sive pauca, sive benigna, sive maligna, nunquàm ex *Gal.* præcepto 3. *de comp. med.* 5. *loca cap.* 2. repellentia adhibent, nè materia retrocedat, & à loco ignobiliori ad nobiliorem, & cerebrum vicinum repellatur, & majorem inducat læsionem, quare semper naturæ motus adjuvandus erit. Imò ubi segnis, & lentus est materiæ motus, & tumor non satis protuberet, attrahentia usurpant, adjuvantque fotu *ex oleo irino, anethino, aut chamæmælino, quibus etiam liquefactam gallinæ pinguedinem addunt*, & ubi hæc non satis fuerint, consulunt omnes cucurbitulas parti affectæ esse applicandas ad materiam noxiam extrahendam, commendant etiam *emplastrum diachylonis magni cum gummatibus in oleo amygdal. d. liquefactum*, ejusdem quoque rationis est apud ipsos *emplastrum de Melilloto pariter cum gummatibus*. Verùm hæc fortia attrahentia cautè adhibenda sunt, ne dolor intendatur, & vires dejiciantur. Suppuratione factâ, abscessum aperiunt, & suo modo curant.

Si parotides symptomaticæ sint, naturæ conatus, qui deficit, adjuvandus, & promovendus est, quia tunc arguitur obstare vel materiæ noxiæ copiam, vel crassitiem, metuunt, ne natura ab opere, & expulsione avertatur, sed ea oneris parte levata, posteà facilius id, quod debet, expellit, ea propter copiam per evacuationes minorant, & crassitiem incidunt. Ubi itàque materia fuerit sanguinea, aut cum sanguine analoga, laudant, vel venæ cephalicæ in cubito sinistro, vel venarum sedis apertionem; ubi autem alter fuerit succus à sanguinis naturâ alienus, consulunt, ut leve aliquod pharmacum dejectorium, vel ex *mannâ* in materiâ calidâ biliosâ, aut *Julepo Aureo* &c. Vel *ex melle ros. solut.* In materiâ plegmaticâ, vel *ex fumariâ majori* in melancholiâ propinetur, à fortioribus tamen se abstinent, ne fervor, & agitatio in succis concitetur.

Verùm vulgarium curatio per venæ sectionem, & purgantia inconvenienter instituitur, & est periculo plena; intrò enim trahunt, quia contra naturæ motum fiunt, retrocedit materia, principes invadit partes, malum pejorat, & ægrum in magnum vitæ discrimen conjicit, præsertim si malignitas, vel pestilentia sit parotidis causa, tunc venæsectio, & purgatio est ipsâ malignitate, & pestilitate nocentior. Præterquamquòd malignitas, & pestilitas, quæ per ipsos est summus malignitatis gradus, (verùm nos hanc vulgarium malignitatem, quid sit, nunquàm intelligere potuimus) nunquàm purgatione, & venæsectione tollitur. Quis vulgares docuit purgatione, & phlebotomiâ naturam oneris parte levari, & faciliùs deindè ad id, quod expellere debet, insurgere? Imò nos centies oppositum observavimus. Quis eis revelavit. his medicamentis naturam levari potiùs, quàm gravari? Incertum est in vulgarium opinione hæc juvare, quia non demonstrationes, sed

sed bardas conjecturas pro his afferunt, quæ si ad scopum non collimant, ægrum jugulant. Unum scimus vires minuere, malum pejorare, ac proindè expulsionem impedire, & suppurationem tollere: meliùs itàque in ambiguis erit vires conservare, quàm malè perdere.

Ubi crassities obstat, incidentia propinant fortia *ex oximelite simplici cum syr. de cortic. citri, aut quinque radicibus*, quibus ad majorem incisionem addunt nonnullas *spiritûs sulphuris, vel vitrioli guttulas.* Sed pro his incidentibus longa est via, & salebrosum iter, nec voto respondent, ut decantantur ab ipsis.

Consulunt vulgares parotides nunquàm discutientibus præsidiis esse curandas, nàm quoties non suppurantur, semper capitis læsiones minantur; quare omni conatu suppuratio procuranda est, hæc nàmque nec recidivam, nec cerebri noxam portendit: omni itàque industriâ adjuvant, procurantque suppurationem cataplasmate confecto *ex farinâ triticeâ, axungiâ suillâ, & gallinaceâ cum butyro recenter loto in decocto althææ, malvarum, & caricarum pinguium*, vel alio suppurante præsidio. Verùm in magno versantur errore vulgares, nàm in tumoribus discutientia sunt via tuta, & compendiaria, nec ullum vitæ periculum, nec ullas minantur læsiones, & præcipuè in parotide, si illa exhibeantur medicamenta, quæ à centro ad circumferentiam trahunt, quæ præterquamquòd parotidem resolvunt, febri opitulantur.

Ut parotis suppurari incæperit, non integrum expectant suppurationem, sed incidunt, vel cauterizant; imò quod maximè dolendum, apparentem parotidem crudam in mali moris febre, omnes chirurgi, inito ptiùs consilio cum urinæ medicis unanimiter, statim istam Hydram ferro ignito incidendam concludunt. Postmodùm digerunt communi digestivo, expurgant, detergunt, incarnant, cicatrizantque communibus medicamentis.

Cæterum nostrates chirurgi, barbitonsores, Veterenarii, seu marascalchi non sunt irrationales, ut apud quosdam habentur, suas afferre possunt rationes, quas has nos excogitavimus pro eorum tuendâ ignaviâ, & quotidiano constituendo censu. Prima est, ut per vulnus veneni vis expiret. Secunda, malignitas nunquàm suppurationem admittit. Tertia, ignis venenum extinguit. Quarta, ne humoris malignitas retrocedat.

Prima ratio desumpta ab expiratione veneni per vulnus nullius est momenti: siquidem vivens corpus meliùs continuum, quàm solutum expirat. Insuper ferrum ignitum crustam, seu escharam inducit, quæ impedimento est, nè maligna, & venenata materia expiret, nisi post escharæ casum. Præterea si supponant venenum adhuc in vasis esse fluctuans, meliùs certè, & promptiùs expirare poterit per sensiles, insensilesque corporis meatus, quàm per vulnus, cùm nulla assignari possit ratio per vul-

nus potiùs, quàm per porositates expelli, nisi forte fortunâ ad aliquam veneni cum vulnere sympathiam, ceu ad sacrum ignorantiæ asylum recurrere velint vulgares. Neque hùc facit pororum congruentia, cùm hi potiùs obstructi sint, quàm reserati propter tumorem. Si tamen velint venenum in parte stagnans expirare per vulnus, veneni nomen non ampliùs meretur materia parotides efficiens, utpotè per fermentationem sequestrata, atque immutata, ut durities ostendit, adeòque ut talis non minùs perhorrenda: dicemus rectè, & melùs posse expirationem ab aliquo topico appropriato medicamine promoveri tutò, jucundiùsque quàm per ferrum ignitum, cùm minimè hoc utì possimus sine alterius morbi, vulneris usti putà productione.

Secunda ratio, in qua habetur parotides protinùs adaperiendas esse ignito ferro, ex eo, quod malignitates nunquàm suppurationem admittit, contrà vulgares militare videtur, quia tota suppurationis spes non ex alio capite affulget, quàm subtilioris, spirituosioris, tenuiorisque materiæ crassam agitan is, commoventisque retentione, per ignem evaporata illa, ac difflata, de suppuratione prorsùs actum est. Si verò dicant, quòd cùm supponant, malignitatem nunquàm suppurationem admittere, ideòque vulnus efficiunt, ut per illud foràs expellatur. Et nos expetemus, quomodò foràs extrahitur, si materia maligna, ut ipsi dicunt, in glandularum interstitiis ità impacta, & coagulata sit, ut in lapideam ferè indolem degenerata esse videatur glandula? Nonnè quandò materia aliqua evacuanda, fluida, mobilisque reddenda est ex Hippocrate? Per ignem verò, apertionemque hoc assequi impossibile planè est. Hùc refer, quòd cùm per ustionem semper eleventur halitus, cur fieri nequit, ut horum maxima pars intùs per poros ab igne rarefactos insinuetur, & quædam retrocessionis species, quam timent, accidat?

Pro tertiâ ratione adducunt ignem venenum extinguere, & reverà putridum, venenatum, & pestilens in aëre ignis ex lignis juniperi, pini, piceæ, lauri &c. corrigit, & extinguit. Imò ad aërem puriorem reddendum pestilitatis tempore multùm valet, si tormenta bellica præsertim majora sub auroram, & vesperam displodantur. Et hoc non tantùm valet, quia aërem commovet, agitat, & semina pestifera dissolvit, & rarefacit, sed quia sulphur in pulvere pyrio maximam habet vim in peste. Cœterùm absolutè, & universaliter loquendo ignem venenum extinguere falsum est. Enimverò plurima corpora per se non venefica, tamen venenata solius ignis ope fieri videmus, & multa venena ejusdem ignis vehementissimè exaltari: Si itàque universaliter verum non est ab igne venenùm extingui, quare non debet esse falsum, venenum in parotidibus suppositum ab eodemmet igne destrui, & potiùs non exaltari?

Quar-

Quarta tandèm ratio deprompta à timore, ne humoris malignitas retrocedat, falsa deprehenditur, tùm ratione materiæ, quæ indurata fortioribus resistit emollientibus, & suppurantibus, tùm ratione pororum, qui ab humore concreto sunt obstructi, viæque aliæ occlusæ; cum etiam ratione motûs, cùm corpuscula illa parotidem, præcipuè symptomaticam, constituentia jàm sint ibidèm irretita. Insuper admissa retrocessione humoris maligni, nihil mali est pertimescendum; nàm vel parotis est salutaris, vel symptomatica. Si primum jam malignitas per fermentationem sequestrata est, & immutata, ut videre est in omnibus fermentatis, quare maligna ampliùs non est. Si secundum, cùm major malignitatis pars in humoribus consistat, quàm in parotide, magis de illâ, quàm de hujus retrocessione timendum, eòque fortiùs, quò hæc in aurium glandulis est ità fixata, ut impossibilis retrocessio videatur. Imò ex ejusdem cum alio humore miscelâ, quis prohibet, ut fermentatio ciatur, & per eam immutatio, & per consequens innocuitas. Denique ignis est sui diffusivus, & corpora interiùs penetrans, undè veneni per ignèm in halitus elevati maxima pars per poros ab igne rarefactos se insinuat, intùs remeat, & retrocessionem causat.

Parotidem simplicem, quæ est vera inflammatio, ut in nostris causis diximus, facilè vel resolvimus, vel suppuramus, eamque eodem modo moderamur, ea propinando, & applicando medicamenta, quibus in aliarum partium inflammationibus utimur.

Parotidem verò, quæ capitis morbis, vel malignæ, vel pestilenti febri succedit, curamus etiam vel per suppurationem, vel resolutionem; rimandum itàque, an natura ad suppurandum, vel ad resolvendum vergat, ejusque motus uno, vel altero remediorum præsidio promovendus, & adjuvandus est. Si igitur ad suppurationem tendat per aliquod medicamentum maturativum mollificari, & rumpi debet, optimum erit:

℞. *Gummi opopanacis* ℥. j. *in aceto coquatur, per pannum trajiciatur, & coquendo rursus ad gummi consistentiam inspissetur, cujus*

℞. ℥. ß.

Ol. philosoph. rectificati ℥. j. *colliquescant invicèm super prunis, hujus* ℞. *q. s.* & parotidi impone, donec aperiatur, verùm ante emplastri applicationem parotis inungatur *oleo fœtido guajaci, vel tartari.* Si parotis sit valdè maligna, & epidemica, curationis, & apertionis accelerationem postulat, ne intrò redeat, tunc

℞. *Empl. filii Zachariæ, & Theriacæ ana m.*

& parotidi impone. Non credibile est quantùm hoc emplastrum parotidi applicatum juvare; sequitur enim naturæ conatum juxta partis exigentiam, & dispositionem, quod felici cum successu centies experti sumus. Sed in his casibus nullum majus præsidium, quàm *emplastrum de fuligine* inveniri potest:

℞. *Theriacæ Andromachi, &*
Mithridatii ana ℥. *ſ.*
Fermenti,
Terebinth. ana ℥. ij.
Mell. roſ. ſimpl. ℥. j. ß.
Butyri recentis ℥. ij.
Salis com. ℥. j.
Fuliginis camini ℥. j. ß.
Saponis Veneti ℥. iv.
Croci ℥. iij.
Vitell. ovor. num. iv.
F. l. a. empl.

Præſtantiſſimarum virium eſt hoc emplaſtrum, non tantùm ad ſuppurandas parotides malignas, epidemicas, & peſtilentiales, ſed etiam ad quoſcumque bubones, ac anthraces peſtis tempore graſſantes; extrahit enim venenum, & dolores ex inflammationibus ſubortos feliciſſimè pacat. Si neceſſitas parotidem rumpendi abſque cunctatione urgeat, nihil præſtantius in toto reperitur orbe *emplaſtro magnetico*, quod ità paratur:

℞. *Gum ſagapeni,*
Ammoniaci
Galbani ana ℥. iij.
Terebinth. laricea,
Cera ana ℥. iv. ß.
Magnetis arſenicalis ℥. iij.
Terra vitrioli ℥. j.
Ol. ſuccini ℥. ij.

Gummata illa tria diſſ. in aceti ſcillitici ℥. xx. *poſteà ſolutionem illam per pannum lineum colatam exprime, quam deindè tamdiu bullire cures, donec acetum fuerit conſumptum, excipe pauxillum ſpatulâ, & infrigida, dum videas ità induuiſſe, uti cum gummi eſſent: ſerva in loco calido, donec in reſiduo incorporaveris, quo facto, accipe ceram, & terebinthinam, fac ut lento igne in ſe coëant: remotum à calore aliquantulum agitato, donec ad ſpiſſitudinem unguenti reducatur: deindè adde gummata jàm antè ſoluta, & uti dictum eſt, colata, poſteà adjunge magnetem arſenicalem ſubtiliter pulveriſatum, terram vitrioli, & oleum ſuccini, poſtremò paſtillos forma, & corio, aut veſicæ oleo ſcorpionum inunctæ involve.* Hoc emplaſtrum non tantùm parotidibus malignis, & peſtilentialibus, ſed etiam anthracibus, & bubonibus peſtis tempore graſſantibus dexterè applicatum eos illicò maturat, & rumpit, ac venenum à centro ad ſe trahit, ut magnes ferrum, & non ſinit abſceſſum claudi ante totalem veneni extractionem, ac proindè omnibus emplaſtris huic uſui deſtinatis meritò anteferendum. Tandèm *emplaſtro Diaſulphuris Rulandi* parotidi extremam dabis manum.

Per reſolutionem parotidem curamus naturæ motum expulſivum fortiter adjuvantes, quæ materiam in parotide conjunctam expellere nititur, atque ideò in unum locum congeſſit: iſtum ergò naturæ conatum promoveamus oportet expellentibus, nimirùm alexipharmacis, ſudorificis, & reſolventibus abſceſſui ſuperimpoſitis, licèt parotis non adeò ſit maligna, nihilominùs enim nihil boni in ſe continet, ſed contenta naturæ moleſta, atque ad expulſionem proſcripta. Ad hunc finem in medium venit, quòd parotis quater in die inungatur *oleo cera deſtillato*, & interim ſi maligna, vel peſtilens ſit parotis, alexiphar-

xipharmaca, & diaphoretica quotidiè propinentur, tùm quoque cùm parotidis resolutionem molimur, usurpanda sunt, ut *Aqua theriacalis cum spiritu vini*, *spiritus theriacalis*, *Diascordium*, *electuarium de ovo*, *de gemmis*, *theriaca citri*, *theriaca Germanorum*, *elixir pestilentiale Crollii*, *extractum tormentillæ vel contrherba &c.* Itèm *stibium diaphoreticum*, *bezoarticum minerale*, *Lapis bezoarticus*, *sulphur auratum diaphoreticum*, *diaphoreticum in peracutis*, *c. c. ustum pro pauperibus*, *tinctura antimonii*, *mercurius diaphoreticus*, *cinnabaris antimonii*, *salia volatilia succini*, *c. c. viperarum &c.* Pro potu usurpare potest æger *decoctum c. c. aquam scorzoneriæ*, *cardui benedicti*, *scordii*, *rutæ capreariæ*, *scabiosæ*, *bardanæ compositam.* Deindè æger stragulis optimè tegatur, ac profusissimos expectet sudores, quos potentissimè hæc tàm sola, quàm in varias formulas concinnata proliciunt, venenatorum humorum malitiam temperant, infectionis miasma disjiciunt, ac venenosum corporis habitum, excusso sudore repurgant, parotidemque exactè resolvunt, perfectissimèque curatur absque recidivæ suspicione.

Post parotidem, inter mala, quæ collum obsident, strumæ succedunt, ideoque.

CAP. XLIV.

De Strumis.

SUnt strumæ glandulæ induratæ in collo, axillis & inguinibus, necnon in mammis quandòque observantur; verùm ad majorem hujus morbi cognitionem non omittendum est, quòd nonnulli à strumis glandulas distingunt, nec quamlibet glandulam appellant strumam, sed glandulas vocant, quæcumque sunt plures, minores, mobiles, & non stabiles, pauciores, & minores sunt: contrà verò strumas, quæ firmiter adhærent, stabiles, pauciores, & majores sunt. Glandulæ insuper appellantur, quæ multiplicantur, strumæ verò, quæ ferè in dies multiplices fiunt, undè hujus morbi proprium, & specificum signum est semper in dies multiplicari, plures glandulas intumescere, & unam ex alterâ dependere in cutis superficie, uvarum instar ex eodem racemo dependentium. Hinc dicuntur scrophulæ à scrophis, seu suibus matribus, quæ semper brevi pariunt, & facilè suos multiplicant porcellos. Vel dicuntur scrophulæ, quia prædicta animantia frequentiùs hoc corripiuntur malo, vel quia colla habent glandulosa.

Signa.

Strumarum diagnosis facilis est; tumor enim in collo observatur; vel plures, & sunt glandulæ tumefactæ,

factæ, induratæ, & rotundæ, vel oblongæ, proprio clausæ folliculo, quæ faciliter multiplicantur, & ex unâ fiunt plures, quia in suo glutine fermentum acquirunt, quo proximas inficiendo partes, eas strumosas quoque reddit. Sunt utplurimum absque inflammatione, rarissimè dolent, & ad carnis naturam accedunt. Quædam inflammationem quandòque habent conjunctam. Aliæ sunt malignæ, & cancerosæ pro materiæ acrioris, & corrosivæ ratione. Sunt aliæ mobiles, aliæ immobiles.

Causæ.

Medicorum vulgus à phlegmate, sive pituitâ cum humore melancholico commisto strumas generari credit, sed summoperè in hoc fallitur; nàm strumæ fiunt, quoties superfluum nutrimentum, & acidum glandulis destinatum, ab eisdem glandulis non resoluitur, sed in earum corporibus degener evadit, ut videre est in suibus, qui ob voracitatem succus alimentitius superfluus in lardum mutatur, & circa collum in scrophulas, quas in animalibus nonnullis vulgus in deliciis habent, vocatque lacticinia, & animellas. Hinc sanè semper strumosi voracissimi sunt, quorum nutrimentum superfluum non resoluitur, sed in adenum locis scilicèt in collo, axillis, vel inguinibus, præcipuè tamen in collo, quia magis expositum est aëris frigidi accessui, ab acido austero promptè induratur, in quibus calcis dispositiones acquirit, & in tophum temporis progressu transit. Ichor deindè, qui à degenerato nutrimento emanat, proximarum glandularum nutrimentum contaminat, & novi strumosi producuntur fœtus. Undè parere strumas vulgus credit, cùm passim circa primam aliæ erumpant. Quòd strumarum causa materialis sit earum nutrimentum degeneratum, & coagulatum, patet ex eo, quod strumæ corpus venis, & arteriolis caret, proprioque clauditur folliculo, qui si in curatione omninò non extrahatur, expectanda est recidiva.

Multi fuerunt rati, & præcipuè *Arnoldus de Villa-nova*, *& Riolanus* strumas in mesenterio præcedere antequàm in conspectum prodeant, sustinentque strumarum seminarium in mesenterio foveri; propterea frustranea remedia esse ajunt, quæ strumis apparentibus extra corpus adhibentur, quia non curantur in earum radice, scilicet in mesenterio, ideòque etiam intrinsecùs convenientia medicamina usurpari debent. Nos verò suaderi non possumus, ut credamus in his glandulis sedem, & radicem esse omnium strumarum in corpore, easque foràs nunquàm erumpere, nisi mesenterium fuerit strumosum, nàm remotæ causæ esse possunt, & per accidens, inter colli strumas, & mesenterii glandulas nullus intercedit consensus. Plures sunt strumosi, qui sanas, & inculpatas habent mesenterii glandulas. Omnes strumosi forent, quia in omnibus sunt hæ glandulæ; Subalpi strumosi aliam mesenterii

terii conformationem haberent. Non negaverimus tamen strumosum fieri posse mesenterium, cùm plurimis sit glandulis refertum, & in iis non minùs quàm in glandulis circa fauces nutrimenti degenerationem evenire posse; at minimè quidèm concedemus necessarium esse strumosum priùs fieri mesenterium, ut deindè loca circa fauces strumis laborarent, sed utrobique cùm eadem sit dispositio, glandulæ circa gulam positæ, ut strumosum concipiant fermentum, necesse non est, ut illud in mesenterii glandulis præcedat. Id nos experientia edocuit, nàm plusquàm quinquaginta strumosos circa fauces hactenùs efficaci curavimus remedio, absque eo, quod aliquod medicamen mesenterio priùs fuerit adhibitum, unde falsum esse didicimus strumas in mesenterio priùs produci debere, ac postmodùm in aliis adenosis corporis locis. Præterea hanc falsitatem anatomicus culter in multis cadaveribus strumosis detexit, & propria autopsia nostram stabilivit sententiam.

Prognosis.

Strumis obnoxii sunt hi, qui brevioris sunt colli, & angustâ fronte, compressis temporibus, ac maxillis, qui nimiùm voraces, ut pueri, & fœminæ. Strumæ difficilis sunt curationis, attamen minus recentes, molliores, tractabiles, & in junioribus; quàm inveteratæ, induratæ; ossibus adhærentes, quæ cancerosam redolent naturam, & in senioribus. Nunquàm strumæ suppurationem admittunt, ex eo, quia earum materia sanguis non est, neque resolventibus summæ efficaciæ obediunt; nàm resolutioni ambiens obstat folliculus, qui si radicitùs minimè extirpetur, facilè circa cicatrices repullulant. Strumæ in posteriori colli parte ægrè curantur, attamen in ejus anteriori parte curatu difficillimæ sunt ob propinquitatem venarum, arteriarum, & nervorum, in primis circa asperam arteriam, ubi incisio, & denudatio vocalium instrumentorum facilè per omnem vitam voce privat, quia prædicta instrumenta per sectionem, vel ustionem facillimè læduntur, vel refrigerantur aëri ambienti exposita, undè succedit, ut post strumarum abscissionem, & earum sanationem vox deperdita fuerit, ut *Gal. 1. de loc. aff. cap. 5.* accidisse refert. Strumæ grandiores semper vocem vitiant, & plerùmque auditum, loquela autem ipsa, & olfactus ab ipsis rarò patitur. Utplurimùm quoque intellectus, & memoria in strumosis debilitatur. Strumæ frequenter in scirrhum exquisitum degenerant ob materiam viscidam, quæ si diutiùs, acido scilicet aucto, subsistat, in duritiem gypseam transit. Quandò exulcerantur, desinunt in cacoëthica ulcera fistulosa, ac nonnunquàm in cancrosa, & corrosiva, acido illo in iis reddito nimis acri. Non solùm strumæ multiplicantur, sed in molem excrescunt, adeòque aliquandò jugulum occupant, ut patientes jugulent, & suffocent.

Curatio.

Vulgarium schola in strumarum curatione victûs rationem tenuem, & extenuantem instituit ad calidam, siccamque vergentem, secùs cruditates, & crapulas vitandas, quæ pituitam, & melancholiam aggregare possunt. Coctionem omni studio procurandam, ventriculum roborandum, caputque exsiccandum imperat. Dimidiam sanationis partem in victûs regimine consistere vulgares credunt, tanquàm diæta gravium morborum medela foret. Est stricta diata medentum impostura, qua tyrannidem in ægros exercent ad obtinendum finem ipsis ignotum, quæ adamussim nisi observetur, proclamant actum esse de morbi sanatione, quia facilius est destruere, quàm construere. Undè perpetuò ex errore in victûs regimine optimam nanciscuntur excusandæ sanationis, vel necis occasionem, undè dicere solebat *Hippocrates* ille senex: *Comedit racemum una, ideò periit: Intempestivè cœnavit, ideò obiit*, ac diæta remediorum insufficientiam, implicitumque sanationis argumentum prodit. Non negaverimus crapulas, cruditatesque strumarum sanationem aliquatenùs perturbare, sed hæc est medicaminum, non diætæ effectus. Sobrietatem moderationemque tanquàm totius diætæ cardinem magnifacimus, quantùm ad vitam sanam tuendam facilè sufficit.

Victu instituto, crassiores præparant, inciduntque humores, præcipuè pituitosos, & melancholicos tribus syrupis incidentibus, & attenuantibus. Corpus ità præparatum purgant iis pharmacis, quæ phlegmaticos, & melancholicos succos purgandi vim habent. Deplent corpus, sed strumas intactas in folliculo inclusas relinquunt.

Si febris cum strumis associetur, phlebotomiam instituunt, vel podicis venas hirudinibus aperiunt, quasi sanguis strumas cuderet, aut foveret, vel febrem in strumosis concitaret.

Post universalia præsidia (ità appellant vulgares phlebotomiam, quæ sanguinem, & medicamentum purgans, quod stercoraceum educit liquamen) ad sudorifica descendunt decocta. Sed quid salsaparilla, chinæ radix, guajacum, & cœtera peregrina remedia in aquæ formâ epota exsiccabunt? Nonnè humectatio potiùs succedet? Nunquid exsiccatum non ipso liquido perniciosius erit? Quæ facta sunt, non exsiccationem, sed expulsionem postulant. Hæc sudorifera laticem minuunt, nec ob folliculum strumas attingunt, quòd si attingerent, non absque capitis mortui residuo exsiccarent, easque pertinaciores redderent cum maximâ ægri pernicie. Præterea victu tenui, copiosoque sudore, primò cruorem minuerent, deindè cum debilitate maciem causarent.

His parùm, vel nihil proficientibus, ad ea deveniunt medicamenta, quæ specificam absumendi, & exsiccandi vim strumarum mate-

materiam obtinent, inter quæ principatum obtinet *scrophulariæ radix*, & indè nomen habere videtur, quod scrophulis medeatur. Verùm scrophulariæ radix undique strumosa subsistit, & indè fortè nomen traxit. Ex signaturâ externâ latentes ariolantur virtutes, in quibus facilè falli possunt; quisnàm dicit scrophulariam scrophulis mederi, & non eas efficere? Item commendatur *filipendula, gladiolus, iris &c.* Sed filipendula radice nititur, quæ rotundis extuberat capitibus. Gladiolus radicibus cohæret geminis, rotundis, pressisque verticillorum modo, unâ super alteram insidente, albicantibus, & bulbosis. Iris radices habet geniculatas, & acori radices profert. Si hæc crescentia strumis mederentur, certè omnibus opitularentur tuberculis, curarent phygethlon, bronchocelen, ganglion, steatoma, atheroma, meliceriden &c. & ob signaturam *asphodeli* i. *hastulæ Regiæ radix* in toto vegetantium regno præcelleret, quia in ejus radice circumquàque ingens bulborum numerus pendet, quod à veritate alienum comperimus. Si ex signaturâ rerum virtutes, & essentias attingeremus, omnes morbi essent sanabiles, sed tantùm corticem, & non nucleum attingimus.

Extollit *Sennertus* ruscí radicem, cujus efficaciam sibi quoque compertam esse testatur *fallopius*, si ejus in pulverem redactæ drachma una singulis diebus assumatur, diebus quadraginta. Sed errant, nàm tuscus ciendæ urinæ, & aperiendis obstructionibus perquàm idonea est, non verò strumarum curationi.

Præscribunt vulgares diversos pulveres, diversaque decocta ad strumarum sanationem, quæ ad optatum non collimant scopum, quia vulgaria sunt, & nullius energiæ in hoc morbo, sed communia per applicationem in quolibet curando, morbo ut *Aristoloch. raphan. pimpinella, piloselle, ruta, agrimonia, betonic. ros marin. sem. anis. Zingib. nux mosch. cinnam. acut.* quæ an profuerint, strumosi sciunt.

Ad nauseam usque strumosis tortis, adauctoque morbo, topica usurpant, & primò tumoris materiam insensibiliter discutiendam, & absumendam curant. Verùm quis ex vulgaribus unquàm scirrhum curavit, ut strumas sanare possit? Emollientibus, incidentibus, & resolventibus utuntur, attamen iis tenuiores resolvuntur partes, & crassiores indurantur, quod remanet, resolutioni inobediens redditur, imò nunquàm perfecta resolutio sperari potest ob strumarum materiam in propriâ contentam tunicâ.

Ubi emollientia, incidentia, & resolventia nihil profecerint, ad maturantia, & suppurantia confugiunt nostri Veterenarii, quæ sunt *radix lilior. alb. alth. iridis*, quam ad mollitiem concoquunt, *addito oleo lilior. alb. gallinæ pinguedine & farinâ triticeâ*, & cataplasma concinnant. Vel alia applicant suppurantia, quæ lippis, atque tonsoribus patent, & tamdiù iis insistendum putant, quousque com-

pleta fuerit ſuppuratio, quâ completâ, aperiunt ferro, vel cauterio ſtrumam, qua apertâ, ulcus digerunt, & mundificant unguento Ægyptiaco, vel ſimili, folliculum abſumunt, incarnant, & cicatrizant.

Sed ſi ſtruma ad ſuppurationem duci nequeat, ut ſemper accidit, extrahendam cum *Gal. 14. meth. cap. 2.* conſulunt per inciſionem; tamen pertimeſcendum ex ferrum, ne nervi vocales, aliæque circumſtantes lædantur partes per ſectionem, & ſtrumoſus perpetuò mutus evadat, vel majus ſtrumis malum emergat.

Quòd ſi æger ferrum perhorreſcat, ad cauſtica, & corroſiva deveniunt medicamenta, quorum applicationem poſt partis ſcarificationem uſurpant nonnulli, & trochiſcis de minio utuntur, quos *Iohannes de Vigo lib. 8. cap. 13.* deſcribit, ut

℞. *Panis crud. benè fermentati* ℥. iv.
Mercurii ſublimat. ℥. j.
Minii ℥. iv.

Cum aquâ roſ. formentur paſtelli ad pineoli magnitudinem, & in furno tepido exſiccentur. Alii ex auripigmento, & arſenico cryſtallino trochiſcos ità parant:

℞. *Auripigmenti, &*
Arſenici cryſtallini ana q. ſ.

M. cum paſtâ ex farinâ triticeâ, & f. trochiſci, quos etiam in apertam ſtrumam immittunt. Sed cauſtica, & corroſiva non tantùm in vicinas partes, verùm etiam in remotiores ſe diffundunt, eaſque inflammant, quantumvis unguento refrigerante Galeni, roſato, & ſimilibus muniant. Auripigmentum, & arſenicum cryſtallinum eſt venenorum corroſivorum maximum, eorumque operatio in veneno conſiſtit: nàm præter acrimoniam urentem, cauſticamque facultatem, tantâ quoque malignitate vitæ noſtræ balſamo infenſum eſt, ut etiam extrinſecùs adhibitum mali moris excitet febres, & plurima alia prava inducat ſymptomata, & in minimâ etiam quantitate multa præſtare poteſt, præcipuè in ſtrumarum loco cauſticat arterias carotides, venas jugulares, aſperam arteriam, vocalia inſtrumenta ob ſui diffuſionem, & ob viciniam cor, & cerebrum lædit; undè convulſiones excitantur, ſtupiditates, ſudores frigidi, palpitationes, deliquia, ſpirandi difficultates, tuſſes, vehementiſſimi cruciatus, eroſiones, ſitis inexplebilis, æſtus, faucium, & gulæ aſperitates, quapropter nullum ſalutare medicamen irreparabilem mortem eliminare poteſt.

Tandèm alii alium in ſanandis ſtrumis ſervant modum: illas arctâ ligaturâ è filo ſerico, aut ſetis equinis radicem verſus conſtringunt, & in diem arctiùs donec alimenti defectu reſiccatæ ſpontè decidant. Hos nunquàm ſtrumas inſpexiſſe credimus, & ſcuticâ dignos exiſtimamus, dùm extra rem loquuntur. Utique hujuſmodi medendi genus admitteremus, ſi ſtrumæ ſupra cutem eſſent eminentes, exiliſſimæ inniterentur baſi, in ſummo latiores, & penſiles ut ſunt acrochordones, & thymi.

In ſtrumis indicatio curativa eſt

est, ut nutrimentum superfluum ab acidis particulis coagulatum, à quiete ad motum excitetur, incidatur, attenuetur, resolvatur, & particulæ acidæ alkalicis corrigantur, & immutentur, deindè in vasa regrediantur, per quæ commodè aliorsum distribuantur, & eliminentur; primò itàque corporis depletio, & præcipuè per vomitum præcedere necesse est. Dixta infirmo præscribi, & quantùm possibile est, nutrimentum subtrahi debet. Medicamenta in ultimâ Lunæ quadrâ cum successu assumi, & in novilunium usque continuari Lunatici medici præscribunt, sed has Lunæ nænias fusiùs repudiabimus in nostrâ Theoriâ cap. de causâ periodi menstrualis. Nutrimentum ab acidis particulis mundificantia specificè usurpare oportet, & ab hoc expertissimo fit pulvere.

℞. *Radic. scrophular.*
Pentaphyll.
Filipendul. ana ℥. ij.
Herbar. agrimon.
Pilosellæ ana m. ß.
Omnia siccentur in umbrâ f. pulvis subtilissimus, adde
Sach. albiss. ℥. iij.

Cujus dosis ℥. ß. omni manè cum vino assumatur.

Strumarum materia suppurationis non est capax, & earum glandulosum corpus, earumque folliculus resolutioni reluctatur, ideòque triplicem earum curationem, per resolutionem, vel per sectici apertionem, vel per magiam instituimus.

Strumis recentibus resolventia conveniunt medicamenta. Specificum resolvens est pumicis sal, paratur hoc modo:

℞. *Pumicis in pulv. redact. part.* j.
Sulph. com. part. ij.

Misceantur invicèm, indantur crucibulo, quod optimè lutatum ponatur in igne circulari, in fine probè candefiat. Hunc pumicem calcinatum inde vitro, & superfunde acetum destillatum, ut solvatur, quicquid calcinatum est, quod verò non solvitur, denuò siccetur, & cum sulphure calcinetur, atque eodem modo in aceto destillato solvatur, & ad salis siccitatem evaporetur. Ad hæc etiam vini tartarus in furno figulino ad albedinem calcinatur, cui guttatim spiritus nitri superfunditur, donec ebullitio cesset, tum liquor filtratur, & ad siccitatem evaporatur, quod remanet, iterùm in aquâ pluviali solvitur, filtratur, & coagulatur; hujus, & præcedentis salis pumicis ana una pars, salis gemmæ dua, vel tres partes solvuntur simul in aquâ, filtrantur, & coagulantur rursus in salem, qui contra strumas specificus est, cujus ℈. j. vel ii. in aquâ scrophulariæ omni mane tribus, vel pluribus horis ante pastum assumuntur. Sali pumicis additur sal gemmæ, & tartari, ut citiùs curatio procedat.

Solvuntur facilè, si bibat patiens ex cranio hominis sepulti, non semel quidèm, sed sæpiùs. Idem præstat alkali, seu cinis spongiarum, qui sic fit:

℞. *Spongiarum* ℥. vj.
Lapidum spongiæ ℥. iv.

Calcinentur in ollâ operculatâ, donec pulverisari possint. Cineris hujus quotidiè exhibetur ℥. j. cum vino, ma-

nè duabus horis ante pastum.

Helmontius huic spongiarum cineri alias additiones commendat in Tractatu: *Tartarus non in potu*, ità scribens. *Strumas prægrandes pluries unico mense evanuisse vidi, ac subitò præfocationem à venenoso fungo illatam curari remedio astrictivo, quod sic habet:*

℞. *Spong. marin. in carbonem combustæ* ℥. iv.
Ossis sepiæ usti,
Piperis longi,
Zingiberis,
Pyrethri,
Gallarum,
Salis gemmæ,
Calcis testar. ovor. ana ℥. j.
M. cum aquâ stillatâ ex præfatis spongiis, & exsiccentur paulatim, accipe hujus pulveris ʒ. ß. *cum sacch.* ℥. ß. *decrescente Lunâ, ut paulatim liquatus deglutiatur, vel sic illinitum. & strumæ, ac bocium disparebit. Alii defectu spongiæ sumebant pilosam excrescentiam sylvestribus rosetis innascentem exteriori cortici castaneæ persimilem hirtam, hispidamque, cujus folius pulvere utebantur feliciter &c.*

Arnoldus de Villa novâ non absimilem laudat pulverem:

℞. *Ciner. spong. marinæ,*
Palæ marinæ,
Ossis sepiæ,
Piperis longi, &
Nigri,
Zingiberis,
Cinnamomi,
Salis gemmæ,
Pyrethri,
Nucum cupressi,
Gallar. quercus,
Rosarum ana ℥. ij.
F. Pulvis.

De quo æger sæpiùs de die, & nocte aliquid in ore teneat, & paulatim deglutiat. Idem & cibis inspergi poterit.

Citiùs evanescunt illitæ *oleo lactis* (fit hoc oleum per vesicam ex lacte putrefacto), & si deindè caput mortuum post destillationem lactis residuum denuò cum oleo destillato mistum, & in formam emplastri redactum, & strumis impositum fuerit. Idem præstat *emplastrum de Ranis cum triplicato mercurio.* Non satis laudare possumus *oleum ex bufonibus*, quod est veluti singulare arcanum ad strumarum resolutionem, quo multos sanavimus strumosos solâ inunctione, cujus confectionem alibi docuimus.

Aliqui propinant *Genistæ conservam cum cantharidum pulvere*, & reverà multos strumosos hoc remedii genere curatos vidimus, sed medicus in hoc præbendo, nimis sedulus in cantharidum dosi esse debet; nàm quoque multos infelices inspeximus successus: præstat igitur strumosis contritos flores cum melle rosaceo, aut ovo sorbili præbere.

Hæc medicamenta strumas resolvunt absque capitis mortui residuo, quia degeneratum glandularum nutrimentum fermentant, attenuant, & ferè in prima resolvunt principia, partim per poros diffundunt insensili transpiratione, partim ad renes deturbant, partimque per ptyalismum quem promovent, ad os trahitur, & exsalivatur.

Curatio

Curatio per apertionem, ut cruda fiat, necesse est, & quo citiùs, eò melius; nam temporis cursu non solùm non maturantur strumæ, verùm multiplicantur, indurantur, ac ultrò fermentum diffundunt: igitur dùm earum curationem aggrederis, per decem continuos dies fodicationum emplastrum superpone, nàm summoperè glandulas ad degeneratæ materiæ suppurationem disponit.

Eodem tempore diætam præscribe; habeas deindè ad manus trochiscos magnitudinis pineoli ex mercurio meteorizato hoc modo concinnatos:

℞. *Merc. meteoriz. opt. pulverisati* ℥. j.
Farinæ hordei, vel
Tritici tantundem.

M. simul cum spatulâ ligneâ, & cum salivâ fac massam, quam dividas in trochiscos, hos exsiccare permitte. Unum ex his recipe, & in medio expansi emplastri fodicationum infige, ne hinc illinc vagus excurrat, & prominenti strumæ superpone per viginti quatuor horas, & expecta, ut eschara decidat, ac tunc ulceri recentem trochiscum impone; nàm secundi trochisci applicatione, utplurimum strumæ centrum manifestatur. Si verò profundius sit, novis applicationibus sectici illud perquire. Signum jàm remedium ad strumæ centrum pervenisse, erit, si materia dura, alba, & tactui indolens appareat. Patefacto strumæ centro, hoc utere pulvere, nàm totum strumæ corpus resolves, si pulvillorum extremitatibus illo aspersis strumam attingas:

℞. *Merc. currentis* ℥. j.
Aquæ stygiæ ℥. ij.

Dissolue & affunde aquam salsam, & præcipitabitur in pulverem album dissolvens per inclinationem effunde, & præcipitatum exsicca. Vel uti poteris *Magno calcinato*, cujus præcipitatio à superiori in hoc differt, quod aquæ salsæ loco affunditur ol. tart. p. d. quo cum pulvillis utere, superponendo fodicationum emplastrum, usque dùm totùm strumæ corpus consumtum sit; quod cognosces, quoties nihil albæ materiæ, sed aliquid cruenti ab ulcere emanat, tunc à pulvere cessa, & emplastro fodicationum ad cicatricem usque utere.

Strumam jàm adapertam hoc quoque arcano à nobis multoties experto dissolvere poteris:

℞. *Vitrioli alb.* ℥. j.
Aquæ ros. ℥. iij.
Litharg yrii ℥. ß.

Misceantur cum oleo ros. & filamentis in eo madefactis foraminis orificium impleatur, sed leniter. Deindè pro incarnatione fodicationum emplastro, vel hoc sequenti efficacissimo utere:

℞. *Consolid. regalis lib.* ß.
Aristoloch. long. ℥. iv.
Myrrh. ℥. ß.
Mumiæ ℥. ij.

Post trituationem recipe ol. ros. q. s. pro incorporatione, & formetur in modum emplastri.

Quoties apertionem aggrederis, fingere in animo debes, nunquàm ab opere te esse recessurum, nisi strumas omnes, & corpus earum totum à strumosâ parte averruncaveris; nàm si earum unam, vel

vel alicujus partem aliquam ob incuriam omninò non abstuliſti, operam perdidiſti, nàm poſt apertarum ſtrumarum cicatrizationem infra paucos menſes ſtrumas iterùm pullulare conſpicies.

Tandèm chriſtianâ impellimur charitate Rempublicam medicam nobiliſſimo, & efficaciſſimo emplaſtro paucis expenſis parabili non defraudare, quod Benedictum ad ſtrumas percurandas appellamus, nàm ſolâ ſuperpoſitione non tantùm ſtrumas; verùm etiam cuncta apoſtemata, tàm calida, quàm frigida dicta, imò tophos podagricos matureſcere facit, & ſanat; licèt ſilentio involvendum putaverimus, ne margaritas ante porcos projiceremus, & apud vulgares chirurgos, qui à tonſoribus parùm, vel nihil differunt, vileſceret, attamen ingenuè communicamus, ut

℞. *Ol. com. lib.* iij.
Radic. arundin. ℥. ij.
Lilior. cœleſt. ℥. iij.
Althææ ℥. j. ß.

Dùm oleum ebullire incipit, affunde radices mundatas, & in taleolas ſubtiliter inciſas. Coque ad nigredinem uſque, quas aufer, & pedetentim iniice

Ceruſſæ ℥. iij.
Tutiæ prep. ℥. ß.
Ceræ citrinæ ℥. iij.

Semper agitando ſpatulâ. Coque ad nigredinem uſque, ad emplaſtri conſiſtentiam, tandèm adde

Balſami Peruviani nigri ℥. ij.

Aufer ab igne, & ſerva. Credibile non eſt, quantùm emplaſtrum hoc ad maturanda, rumpenda, & ſananda valeat omnium apoſtematum genera, major eſt experientia verbis.

Ad magicam ſtrumarum curationem quod attinet, ſciendum eſt, quòd licèt res aliquæ, quæ pro curatione aliquorum morborum extra corpus adhibentur, impares ad promiſſum effectum producendum judicentur, quia ipſæ non quidèm in morbi materiam, ſed in ipſum vitæ ſpiritum agunt, qui in morbi loco morbum producit, ſpiritum eundem urgent, & eàdem virtute, qua ſtrumarum materiam coagulavit, eandem quoque in prima ſua principia reſolvit, quod eſt abſque apertione ſtrumoſos tumores reſolvere, ac magicè illos curare, ignotâ ſcilicet medicorum vulgo energiâ. Hujuſmodi igitur eſt *teſtudinis ſanguis à vivâ teſtudine ſcalpello extractus, & ſtrumis ſuperaſperſus*; nàm tunc muro pede ſuſpenſâ teſtudine, ibique relicta uſque dùm moriendo contabeſcat. Mirum eſt, ut ſtrumæ talis teſtudinis ſanguine aſperſæ contabeſcant, & in loco emoriantur.

Eodem quoque modo diſſoluuntur ſtrumæ, ſi iis ſuperponatur *Rana viva, uſque dùm emoriatur*, quæ ſi deindè foco ſuſpendatur, ſiccescent ſtrumæ, non ſecus ac rana.

Quod noſtram ſuperat capacitatem, & admirabile eſt, quod paſſim obſervatur, & nos hactenùs pluries experti ſumus, ſcilicet ſeptimum in ordine filium cujuſcumque matris, ante cujus ortum, & inter præcedentes nulla interceſſit fœmella, ſtrumas omninò reſolvere, ſi ſuâ ſalivâ digito ſtrumas

hæc

signaverit, hæc proferendo verba: *Io ti Segno, e Dio ti sana*, ter repetito signo, tertio quoque die; quicquid sit de eventûs ratione, quod proveniat, est extra dubium.

Tandèm circa strumarum curationem silentio prætereundum non est vulgò ferri *Galliarum Regem* solo attactu strumas sanandi vim habere. De quo multi varia opinati sunt; Nonnulli harum sanationem imaginationi, alii aëris mutationi, & aliqui corporis motui tribuerunt, nàmque quotannis è proximis, dissitisque regionibus strumarum morbo laborantes Regem adire solent, attamen vana hæc esse cuique facilè patet. Etenim vis hæc *Clodoveo I. Francorum Regi* cœlitùs data, & in omnes Regni successores per traducem, nullo familiæ habito respectu derivavit. Erat Clodoveus idolorum cultor, qui *Clotidis* uxoris monitis, & precibus adhortans, ut Christi fidem susciperet, *à Sancto Remigio Rhemensi Episcopo* baptizatus, & chrismate delibutus fuit. Ex eo die, quo sanctum accepit baptisma, tali manere, ne dum ipse, verùm, & reliqui successores donati fuêre. Undè [procul ab omni dubio hanc sanandi vim in munus concessam divinitùs solis Galliarum Regibus, qui Christi fidem religiosè profitentur, hancque veluti Catholicæ fidei tesseram esse ipsis dumtaxat donatam. Sed non nisi præmisso aliquo religionis cultu hæc procurant, uti par est, ut tanto beneficio gratiosissimè utantur, quod à Deo gratis acceperunt. Quapropter quotannis ex toto terrarum orbe confluentibus strumosis, Rex indicto sibi trium dierum jejunio, prægressâ sacramentali confessione, & sumpto Eucharistiæ Sacramento, die Pentecostes, manus imponit, & hæc verba Gallico idiomate profert: *le Roi te touche, & Dieu te guerit*, & signato crucis signo eos sanat. Undè eam virtutem miraculosam à Deo derivare fatemur.

CAP. XLV.

De Bocio.

IUstissimus Deus muliebre collum variis excrescentiis morbosis, ut bocio, strumis, & scrophulis justâ irâ in pœnam deturpare solet, solet nàmque hic sexus devotus ad conciliandam faciei pulchritudinem collum variis ornamentis colere, ut torquibus, monilibus, margaritis, auro, lapidibus pretiosis &c. quibus vanitate inflantur, & superbiunt, undè multoties in supplicium his morbosis excrescentiis loco monilium, perlarum &c. collum plectitur, & pulchritudo conspurcatur.

Tumor, quem Latini bocium appellant, bronchocele à Græcis dicitur; verbum enim apud hos *cele* tumorem significat, *bronchos* autem apud eosdem guttur denotat, seu asperam arteriam, undè bronchocele, quasi gutturis tumor, qui inter cutem, & asperam arteriam gignitur. A nonnullis gutturis hernia vocatur.

Digladiantur vulgares, an bronchocele differat à strumis, & contrà. Nonnulli bronchocelen sub strumis comprehendunt, & strumam esse in gutture contendunt; alii bronchocelen à strumâ discriminant, quam sententiam nos libenter amplectimur, ac proindè his unicuique proprium assignamus caput; bronchocele enim est tumor non in glandulâ aliquâ, sed supra asperam arteriam obortus: struma verò in collo est tumor in glandulâ aliquâ ex iis, quæ sub larynge statim hinc indè ad asperæ arteriæ latera ponuntur. Est igitur bocium tumor in anteriori colli parte inter cutem, & asperam arteriam magnus, mollis, & rotundus, modò est illi caro dura, ut in herniâ carnosâ, undè gutturis hernia dicitur, modò hebes, modò sanguineus à sanguine genitus, quod simile bocium in quadam Vetulâ Neapolitanâ dissecuimus, & curavimus. Modò aquam continet, & vocatur gutturis hydrops. Addit *Platerus* aliam bocii speciem, scilicet flatulentam, seu à flatu genitam, incluso intra cutem, aut membranam. Non desunt vulgares bocium humorale assignare ex humoribus, scilicet pituitosum, & melancholicum, & rursùs ex pituitâ triplicem assignant differentiam juxta majorem, vel minorem pituitæ crassitiem, quæ si melli assimilatur, meliceridis naturam induit, vel pulti, & atheromatis naturam habet, vel sevo, & steatomatis naturam continet. Præter has differentias aliæ quoque annumerantur, nàm hoc quandòque malum est naturale ab ortu, scilicet & nativitate contractum. Aliàs est morbosum, quod in tempore advenit ob aliquam causam, sive fuerit interna, sive externa, & hoc rursùs plerùmque est hæreditarium per traducem à parentibus. In aliquibus locis est endemicum, & adeò hoc malum est familiare, ut indecorum non sit apud illos bocium habere, imò inter mulieres pro honore habetur, Aliæ differentiæ desumuntur à figurâ, magnitudine &c.

Signa.

Malum hoc oculis cernitur, nàm est tumor in anteriori colli parte inter cutem, & asperam arteriam magnus, mollis, & rotundus, aliquandò insignis magnitudinis, & totum sæpè deturpat collum, ab eo instar sacculi, aut pyri, aut vesicæ inflatæ pendulus, & inundulatio, atque fluctuatio humorum in eo nonnunquàm percipitur. Qualis materia contineatur, ex meliceridum, atheromatum, & steatomatum signis, quæ suo loco descripsimus, facilè innotescit. Bocium, quod ex vasorum dilatatione fit, cognoscitur ex mollitie, & partis color est sanæ similis, tumor est laxus, ad digitorum compressionem non solùm cedit, sed veluti ex toto evanescere videtur, mox amotis digitis, illicò revertitur, sicuti aneurysmata faciunt. Carnosum discernitur ex mediâ quadam consistentiâ, nàm non est ità durum.

Causæ.

Causa.

Pro bocii causâ tùm internâ, tùm externâ potissimùm assignant vulgares pituitam sæpissimè à capite per externa vasa ad locum patientem depluentem, quasi caput esset pituitæ cloaca, ad anteriorem colli partem decumbentis.

Fit bocium non ex humano capite pituitâ depluente, sed ex propriâ, & topicâ anterioris colli partis indispositione, & facultatis assimilatricis errore, quæ dùm id in hoc aliud transmutat, quod partis situm vitiat, & in extuberantem attollit tumorem, dùm enim ab affluente alimento superfluo membrana distenditur, & forsan etiam rumpitur, accedentibus causis externis, natura novæ quasi membranæ texturam aggreditur. Bocium carneum fieri existimant vulgares partim ex affluente alimento, partim ex aliquali loci patientis debilitate. Verùm nos, & meliùs, dicimus bocium carneum fieri assimilatricis luxuriantis vitio; extra enim limites sibi destinatos carneam muccaginem coagulat, ob quam rem caro in hoc tumore fit hebes, scilicet non valdè robusta.

Solet quandòque hic tumor ex vasorum dilatatione, & ampliatione fieri, quemadmodùm in aneurysmate contingit, & sæpè contingere solet parturientibus ob laboriosos partus, quandò, scilicet nimis violenter spiritus continuerint, ut etiam fieri solet in vehementibus conatibus, onerum gestationibus, & præcipuè supra caput, clamoribus, vociferationibus, ac singultuosis ructibus.

Felix Platerus bocii causam statuit esse tumorem in anteriori colli parte amplo spatio extuberantem, qui tensus est admodùm, ut cùm pulsatur, sonum edat, & cùm premitur, sicut uter inflatus cedat, sed mox iterùm attollatur. Hujus mali causam statuit esse flatum sub cutem membranamque generalem cuti substratam, adnexamque colli anterioribus, irrumpentem. Collectionis autem aëris eo loci causam esse statuit, cutis laxationem, seu avulsionem, cùm membrana illa, quæ eo loci crassior est, rubicundior, quàm alibi, à sejectis asperæ arteriæ, musculorumque colli anteriorum sedibus, spatiumque illic efficientis, in quod ob fugam vacui aër, seu flatus è vicinis locis irrumpens, illud non solùm implendo, cutem, membranamque in tumorem elevat, sed & continuatione distendendus, in immensum auget; undè nomen rectè acceperit tumor, quòd bronchocele, quasi ruptura, seu hernia gutturis appellatur. Causam autem avulsionis membranarum statuit esse vehementem conatum, qui fit, dùm spiritu retento, excrementa, vel fœtum in partu excutere nituntur, aut buccas vehementer inflant.

Verùm etsi facilè concedimus causam potissimam esse cutis avulsionem, & membranæ illius à partibus vicinis: tamen vix verosimile videtur, solum flatum, utpotè

mobilem, nec facilè uno in loco hærentem, malum tàm chronicum progignere posse, & tangenti facilè quid pro quo deprehendere. Ideòque nobis probabile videtur, ut vacuum illud spatium, præcipuè membranis extensis, succum aliquem, & nutrimentum crassius effundi, ex quo natura carni quid simile formet. Undè etiam ipse *Platerus* statuit, nisi malo huic maturè occurratur, vix dùm ampliùs abigi posse, sed toto vitæ curriculo permanere illic, ubi præter naturam excrescit sese circa vicina vasa amplificans, & iis pertinaciùs adhærens.

Tumores hi in quibusdam locis endemii sunt, talesque frequentes sunt in quadam Borgomensis agri parte, ubi cùm viri, tùm mulieres ferè omnes anteriùs in collo gestant tumores magnos, molles, mobiles, & pendulos doloris expertes. Idem morbus & Allobrogibus, & Alpinis, ac Carinthiæ, & Styriæ Alpinæ habitatoribus, & Hispaniæ quibusdam locis familiaris est. Tumor hic istis in regionibus fit endemicus ex aquarum crudarum, & ex nive liquescente resolutarum potu. Idipsum observatum habemus eos, qui sani in talia loca pervenerunt, si aliquandiù ibi degant, bronchocelen tales contrahere.

Prognosis.

Bocium, quod fit ex vasorum dilatatione insanabile erit, hujusmodi quoque erit naturale à nativitate genitum, quod loci, vel regionis ratione proprium est, & quod magnis vasis est implicitum, pariter completam non admittit curationem ob dictorum vasorum insertionem, quibus læsio promptè haberi potest, imò sæpè suffocatio oboritur. Superest solùm, ut quod recens, & incipiens, & quod molliorem habet consistentiam, nec magna vasa habet inserta, curabile sit, adhùc tamen non facilè, sed difficulter, & non nisi diuturno tempore curari possit.

Curatio.

In bocii curatione totius corporis, & capitis rationem habent vulgares, hæc ità rectè evacuant, & exsiccant, ut omnem antecedentem materiam in iis collectam extirpent, aliàs nihil, aut parùm topicis auxiliis proficere existimant; evacuant itàque & exsiccant non solùm phlebotomiis, verùm etiam repetitis purgationibus, ac decoctis, vel excitatis fonticulis, emplastris capiti applicatis, scarificationibus, vesicantibus, & opportuno tempore aquis utuntur thermalibus. Sed his medicamentis malum in radice non attingunt, licèt centies repetant, sed invictum omnibus reluctatur. In victu vitant omnia flatulenta, crudum, & crassum generantia succum, quæ sunt crapulæ, cruditates, fructus acidi &c. In potu probant vinum tenue, vel decoctum sassafras cum anisis, & cinnamomo.

Quò ad topica duplicem curandi modum proponunt, unum per medi-

medicamenta discutientia, & attenuantia, alterum per chirurgiam, seu manualem operationem. Medicamenta, quibus utuntur hæc sunt, ut

℞. *Sulph. ignem non experti,*
Butyri Iudaici ana ʒ. ß.
Alumin. sciſſilis ʒ. ij.
Cum oleo nardino, & pice navali q. ʒ. *f. empl.* & parti apponatur.

Vel

℞. *Radic. cucum. agreſt. recent.* ʒ. ij.
Coquantur in vino tenui, addendo
Squamæ æris,
Sulph. vivi, &
Nitri ana ʒ. iij.
Mell. q. ʒ. *& f. cataplaſma.*

Laudant etiam *emplaſtrum Diapyritis.* Exhibent peros infrascriptum pulverem, ut

℞. *Spongiam novam,*
Et benè mundam, ponatur in furno intra ollam novam, & comburatur, ac in pulverem reducatur, de quo recipe ʒ. j. *ſingulo quoque manè cum vino tenui, vel aquâ ſalviæ.*

Chirurgiam instituunt per adustionem, sive caustica, seu ignita instrumenta, bocium extrahentes totum cum suo folliculo, & nihil de eo relinquunt, ne postmodùm denuò regignatur. Alii in parte affectâ duos adhibent setones, ut sensim materia expurgetur, & absumatur. Verùm hæc operatio est valdè crudelis, inter spem, & metum, nec periculo vacat, quæ à perito anatomico, si non rectè peragitur, jugulare potest ob vasorum magnitudinem, quæ per loca excurrunt, potissimùm venarum, & arteriarum jugularium, quare prudentis medici est ab his carnificinis abstinere & tantùm curationem per medicamenta peragere.

Vera, & tuta bocii curatio agitur tantùm per medicamenta, & non nisi incipienti, & non dùm completo, quod duorum annorum ætatem non excesserit, adaptari debet, non autem vetusto, & indurato. Primùm igitur patientis corpus convenienti pharmaco deplendum est, deindè exsiccans diæta imperanda, potus verò sit ex decocto ligni visci quercini, postmodùm his medicamentis curationem exordire, quibus tot, quot nostræ curationi se submiserunt, curavimus, & primò hoc experto alkali utere, ut

℞. *Suberis,*
Spongiæ marinæ, &
Petræ pumicis ana part. æq.
Calcinentur ſ. a, &
F. Pulvis.

Dosis ʒ. ß. ponatur sub linguâ, & paulatim quasi per linctum deglutiatur, manè jejuno stomacho, lunâ decrescente, ut vulgi præjudicio obsequamur.

Sequens cataplasma bocio applicando, nunquàm ægrum, & medicum fefellit, quod ità paramus:

℞. *Atque ferrarior. lib.* iij.
Ranar. excoriatar. &
Per ſetam trajectar.
Numero x.
Farinæ fabar.
Lupinor.
Lentium,
Hordei, &
Orobi ana m. j.
Pulv. balauſt.

Myrtillor.
Nucum cupressi,
Bacc. juniperi
Gallar. quercûs,
Globulor. marinor.
Vulgo palle marinæ,
Lapidis pumicis ana ℥. j. ß.
Pulv. rosar.
Aluminis usti ana ʒ. ß.

Bulliant omnia, & f. cataplasma s. a. Adde ol. ros. & myrtill. q. 5. quod calidè supra bocium applica.

Multoties felici cum successu nos bocii pulveres ab *Helmontio* descriptos experti sumus, quorum compositionem superiori capite de strumis tradidimus, his utere, & admiraberis effectum. Eundem patrant effectum *Arnoldi de Villa Novâ* pulveres, quos etiam de strumis exscripsimus. Ad idem valent ea medicamenta quæ *cap.* 58. *de sarcocele* describemus.

Nonnulli summoperè sequens commendant oleum pro bocii inunctione, quod ità paratur:

℞. *Talpam unam,*
Et ponatur in ollâ vitreatâ, cui superfunde
Ol. com. lib. iij.

Bulliant, quousque caro ab ossibus separatur, tunc decanta, & hoc oleo calido bocium inunge, & sensim attenuabitur magnâ cum admiratione, nec vile reputes, quod carum, & rarum in hujus morbi curatione tenere debes.

Magnæ efficaciæ in hoc curando morbo sequens experieris emplastrum, ut

℞. *Ranas vivas num.* vj.

Has à patiente dentibus suffocari permitte. Deindè emortuas sic ranas suspende in loco sicco, ut exsiccentur, & redigi possint in pulverem. Deindè

℞. *Empl. de ranis cum triplicato Merc.* ʒ. iv.

Huic asperge pulv. ranarum, & commisce, ut fiant unum. Utere hoc emplastro, illud superponendo non tantùm bocio, sed etiam strumis, & quarto quoque die novum emplastrum immuta, id prosequere per quadraginta dies, & bocium solvitur.

Sed satis, superque per spatiosum colli mare peragravimus, descendamus nunc ad pulchritudinis, & deliciarum portum, ad mammas nempè, quæ in ipsâ fontis vitæ arce, veluti duæ lagenulæ positæ sunt, vivum, & suavissimum scaturientes nectar, & dulcedine fortè omnia alia esuperantes, undè.

Cap. XLVI.

De Mammarum Inflammatione.

Mammæ variis tumorum generibus infestantur, nàm cùm glanduloſâ constent substantiâ, ità ut nihil sint, quàm corpusculorum glandulosorum quamplurimorum perexiguorum congeries, & ex aliâ parte grandiora vasa à naturâ receperint ob commodiorem lactis generationem, ad quem usum potissimùm sunt formatæ; tunc omnes cujuscumque generis succos recipiunt, cùm tenues, tùm crassos, frequentiùs tamen inflammatoriis tentantur tumoribus, nàm facilè in iis lac concrescit,

cit, & concretum tensiones, dolores, inflammationes, & febres advehit. Præter inflammationes non rarò scirrho infestantur tùm à principio, nec alteri succedens affectui, sed etiam secundariò inflammatoriis, scilicèt tumoribus succedentibus, nàm cùm rarò mulieres ab initio medicorum consilia advocent, & in his casibus facilè obstetriculis, aliisque fœmellis se committant, quæ varia, atque diversa administrant medicamenta, quibus facilè tenues particulæ discutiuntur, crassioribus relictis, iisque induratis in scirrhi dispositiones transmutantur, quinimmò ex his facilè quoque ad cancros perducuntur. Primò de inflammatione tractabimus, quæ frequentiùs in iis generatur, & potissimùm in puerperis, vel ex sanguine ad mammas concurrente, vel lacte in iis detento, nàm cùm hac nostrâ tempestate plurimæ enixarum, qui suos partus alere nequeunt, vel nolunt, meritò hujusmodi tumoribus infestantur, lacte in mammis detento, & eò magis si per uterum non rectè purgentur. Addimus etiam, quòd pleniori utplurimùm utuntur victu, pullis, scilicet contusis, juribus consumptis, carnibus, ovis, & similibus, & quod magis facit, vino græco generoso utuntur, à quibus causis sanguinis plenitudo, & moles augetur, quæ ad mammas ipsas, ut diximus recurrens, promptè inflammationes excitat.

Signa.

Vera mammarum inflammatio facilè cognoscitur ex tumore duro, rubro, calido, & dolente, & vehementi in mammis pulsatione, his conjungitur quoque febris, quæ inflammationis socia semper existit.

Causæ.

Pro mammarum inflammatione statuunt vulgares chirurgi sanguinem ad ipsas recurrentem, verùm inquiunt nunquàm exquisitam, & synceram in iis fieri inflammationem, & ad sanguinem excrementitium confugiunt, ac propterea utplurimùm spuriam, & illegitimam fieri, secundum quod sanguis vel biliosus, vel pituitosus, aut melancholicus fuerit, vel horum omnium naturam sapit. Ex sanguine bilioso inflammatio gignitur erysipelatosa, seu ad erysipelatis naturam vergens, ex pituitoso provenit œdema, ex melancholico deindè oritur schirrhosa, seu scirrhosæ dispositionis particeps, seu tandèm quodammodò has participabit omnes, ubi sanguis horum omnium particeps fuerit. Verùm errant humoristarum scholæ, nàm inflammatio ad erysipelatis naturam accedens, esset perniciosa, quia ab erysipelate suppuratio malum, quod in inflammatione oppositum experimur; si esset œdematosa, nunquàm suppuraretur; si scirrhosa, insanabilis: & ità que vanum quaternarii humoris figmentum.

Vera

Vera mammarum inflammatio fit à nimiâ sanguinis ubertate, vel incalescentiâ, ob menstrua, vel lochia suppressa, vel imminuta, vel ob pleniorem victum, qui ubi uber, vel impurus ad ubera regurgitat; maximus enim consensus, & confluxus est ab utero ad mammas, ac in vasculis capillaribus hærens, & stagnans, imò extra ipsa vascula in laxam mammarum substantiam elabitur, ibique à circulatione impeditus concrescit, & acescit, hinc tumor, calor, pulsatio, & inflammatio oboritur. Potest etiam ab externis causis etiam contingere, nempè à contusione, lapsu, ictu, nimiâ vestium strictura, repentinâ post calorem perfrigeratione, ac sudoris erupti repercussione. Item ab animi affectibus, nempè terrore, irâ, Zelotypiâ, lascivâ concupiscentiâ; nihil enim potentiùs uterum afficit his affectibus, & per consensum etiam facile mammas.

Prognosis.

Mammarum inflammatio non est contemnenda, licèt aliorum calidorum tumorum respectu per se minùs periculosa sit, partium tamen affectarum ratione sæpè pernicioſa evadit, & propterea quia mammæ laxâ substantiâ multis præditæ sunt glandulis, caloremque habent debilem, facilè eorum inflammatio vel in abscessum, qui in fistulam abire solet, vel in scirrhos, vel in cancros degenerat.

Curatio.

Curationem perficiunt vulgares, primò tenui, & refrigerante victu cum abstinentiâ à carnibus, vino, & quæcumque pleniorem generant sanguinem, interdicunt. Deindè, si sanguinis copia in corpore redundet, undè affluxum metuant, inflammationem augeri existiment, & potissimùm, si à menstruorum, vel lochiorum suppressione, vel imminuto fluxu inflammationem provenire suspicentur, primò venam in talo tundunt, vel crura scarificant, & indè venam in cubito aperiunt. Si uterus non sit in causâ, illicò venam in cubito secant, & reiterant. Verùm hac sanguificinâ affluxurum avertere tentant, id quod futurum erit, præcavere studeant, & non quod urget, avertunt; affluxum, & elapsum intra laxam mammarum substantiam, licèt totum exhauriant, non attingunt. Si vitiosi humores affluant ad mammas, & sanguinis affluxui, & inflammationi ansam præbeant, lenia exhibent medicamenta. Verùm si centies purgarent, nunquàm inflammationem curabunt, nisi in resolutionem, vel suppurationem abiret, imò purgantia inflammationes semper in pejus mutare solent.

At quia inflammationis indicatio apud vulgares est inflammatæ partis refrigeratio, propterea refrigerantibus, ut dicunt, utuntur: imponunt ergò sæpiùs supra mammis linteum poscâ madidum, vel

℞. *Succ. lactuc.*
Portulacæ,
Solani ana ℥. j. ß.
Ol. ros. ℥. ij.
Chamæmel. &
Aceti ana ℥. j. *m.*

Verùm hæc frigida, & repellentia periculosa sunt, nàm calorem labefactant, & facilè mammas in lapideam duritiem adstringunt, undè scirrhi curatu difficiles, & quandòque cancri oriuntur. Tandèm discutientia adhibent, ut

℞. *Farin. fabar.*
Lupinor.
Semin. lini,
Fœnugræci,
Pulv. flor. chamæmel. ana ℥. j.
Coque, & adde
Ol. chamæmel. ℥. ij.
F. cataplasma.

Quòd si materia non discutiatur, & tumor non minuatur, alterutrum metuendum est, vel ut materia induretur, vel ut suppuretur. Si induratur, emollientibus utuntur, ut

℞. *Fol. malv. m.* j.
Coque ad patrilag. & adde
Farin. semin. lini
Pulv. radic. alth.
Flor. chamæmel. ana ℥. ij.
Coque iterùm, & adde
Ol. sesamini ℥. j.
F. cataplasma.

Vel inungunt *oleo lumbricorum terrestrium.*

Si inflammatio ad suppurationem vergat, suppurationi incumbunt *emplastro Diachylonis, vel pane triticeo in lacte cocto cum pauxillo croci,* vel sequenti cataplasmate, ut

℞. *Fol. Malv.*
Althæa ana m. j.
Ficuum num. v.
Farin. sem. lini, &
Fœnugræci ana ℥. j.
Fermenti ℥. ß.
Coque in lacte vaccino, & adde
Ung. basilici ℥. j.
Croci ℈. j.
M. f. cataplasma.

Ubi pus generatum est, abscessum ferro aperiunt, pure educto, ad sanguinis fluxum sistendum, stupatam cum ovi albumine conquassato applicant, quam post vigintiquatuor horas removent, & per longum tempus digestivo regunt, post quod unguentis incarnantibus, & cicatrizantibus utuntur.

Inflammationis mammarum curatio in sanguinis obstruentis, vel elapsi resolutione consistit, undè medicamenta conveniunt, quæ pristinæ circulationi restitutionem promovent, & reliquas particulas vitiosas, & terrestres per convenientia emunctoria eliminent, sive per aluum, urinam, menses, sive transporationem, hujusmodi sunt diaphoretica, ut *aqua stillatitia cardui benedicti, cherefolii, bardana. Item sperma ceti, sanguis hirci ad pleuritidem, c. c. sine igne præp. stibium diaphoreticum, bezoarticum minerale, sulphur auratum diaphoreticum, spiritus c. c. oculi cancrorum, sal volatile c. c. cardui sancti &c.* diaphoretica, quæ in aliis inflammationibus descripsimus. Exteriùs conveniunt *spiritus vini camphoratus, crocatus, aqua Reginæ,* & si dolor urgeat, *aqua spermatis ranarum tepida, vel aqua Vitrioli, vel epithema ex thure, & myrrhâ cum vino coctis,* & tepi-

dè applicatum. Itèm *emplastrum de spermate ceti*, vel bis in die admoveatur de *Althæâ*, quod egregiè resolvit, & discutit.

Quòd si pristina fluiditas sanguinis reparari nequeat, quia inflammationis materia pus concepit, suppuratio potiùs promovendi, quàm præpedienda, eam promovea mus emplastro fi ii Zachariæ, & mucilaginis, vel sequenti cataplasmate, ut

℞. *Rad. alib.*
Lilior. albor. ana ℥. j.
Fol. malv.
Mercurial. ana m. j.
Coquantur ad mollitiem, quibus contusis adde
Farin. tritici,
Hord. ana ℥. ß.
Butyr. recentis,
Ping. gallinæ ana ℥. j.
Ol. chamæmelin. q. s.
F. cataplasma.

tepidè imponendum.

Pus jàm genitum esse cognoscimus ex febris, caloris, doloris, pulsúsque in mammâ remissione, & tumoris in acumen quodd am, sub quo inundatio percipitur, elevatione, rectissimè fit, si pus quamprimùm effundatur; tunc sequenti cataplasmate opus perficies, & complebis: *Capa sub cineribus assata, & cum axungiâ porcinâ, & modico sapone Neapolitano subacta* citò abscessum rumpit, vel *emplastrum Apostolicum*. Cœterùm *emplastrum nostrum Benedictum, quod cap. 44. de strumis* ingenuè communicavimus, præstantissimum erit, quasi Dei benedictionem in hoc persanando morbo consequutum sit, nàm solâ superpositione, & renovatione abscessum matureścere facit, aperit, & sanat, ut nos experti, nec in mammarum abscessu alio usi sumus usque adhùc citò, turò, & jucundè plusquàm centum mulieres hoc morbo affectas curavimus. Ità hoc emplastrum omnia alia excedit hoc in curando morbo, ut mulieres hoc morbo affectæ, quibus hujus emplastri pauxillum tradidimus, & seipsas absque chirurgi quotidiano censu curârunt, emplastrum pro mammarum apostematibus appellavére.

Si abscessus spontè non rumpatur, non scalpello aperiendus est, quia mulieres sunt delicatulæ, & instrumentum ferreum pro apertione abhorrent, sed aliquantisper præstolandum est, & indubitanter optatum à nostris medicamentis consequeris affectum. Quòd si metus sit in mo â, sedulò aperiendus est brevi incisione, sed in loco decliviori, ut puri commodior detur commeatus, quo facto, sensim pus evacuandum est, deindè pauxillum turundâ medicamine imbutâ amplius fiat abscessus orificium, quod idem observandum est, si sponte rumpatur. Abscessum apertum mundifica non vulgàri methodo, sed summam adhibe diligentiam, & exquisitis utere medicamentis, cùm mammarum substantia sit spongiosa, & cavernosa. Primò igitur aliqui apertum abscessum vulgari digestivo digerunt, quod utique per aliquot dies non improbamus, si post quos huic mel ros. simplex immiscueris, & optimum digerens,

tens, & mundificans efficies, deindè turundis oleo nucis juglandis inunctis utere, vel balsamo sulphuris terebinthinati, tandèm persanatur emplastro diasulphuris Rolandi, vel sodicationum Paracelsi, vel oppoteldoch.

Cap. XLVII.

De Lactis coagulatione.

NOn infrequenter lactantium mammæ lactis coagulatione, & caseoso coagulo affliguntur, cùm vasa illa lactifera lacte nimiùm replentur, & distenduntur. Hic tumor interdùm totam mammam, interdùm ejus partem occupat, ac postmodùm multa parit incommoda, nisi maturè obsistatur; quapropter doloribus, & non rarò febribus lactentes torquentur, quinimò in sapore, & consistentiâ lac depravari solet.

Signa.

Tumor hic facile cognoscitur; nàm adest mammarum durities, modò minor, modò majòr, modò totam occupat mammam, modo unam tantùm ejus partem, adest pariter dolor, & quandòque rubor, & malo procedente, febris supervenit, inflammatio, & exinde suppuratio.

Causa.

Causæ quærendæ sunt vel in ipso lacte, quod pro aciditate in grumos concrescit, & caseatur, vel in quolibet alio acido aliundè cum lacte allato: siquidèm lac copiosum occultat acidum, & diutinâ in mammis retentione antequàm exsugatur, vel emulgeatur, acidum exerit, coagulatur, non secus ac quodlibet aliud lac foris in vasis repositum acescit, quod etiam videmus brevi spatio acescere, instillato aliquo liquore acido, mox caseari, ac in serum, & grumos separari. Hinc lac coagulantes, & caseantes coagulo utuntur hædino, quod est lac summè acidum, & cautè ad hunc finem asservatur, & coaguli hædini defectu, lacte ficulneo utuntur, quod est summoperè acidum. Idem etiam contingere potest post nimium refrigerantium, vel calefacientium applicatorum usum, quæ aquosiorem lactis partem exhalare faciunt, crassiori relictâ. Itèm coagulationem inducere possunt omnia ea, quæ lacti aciditatem conciliant, inter quæ primatum obtinent mæror, terror gravis, & præcipuè panicus, rerum acidarum supra mammas applicatio. His accidit prava victûs ratio, acetariorum, vel rerum acidarum abusus &c. Exindè tumor, dolor, rubor, & mammarum inflammatio.

Nonnulli sub mammarum inflammatione lactis coagulationem comprehendunt, sed frustrà laborant; siquidèm inflammatio est solius sanguinis, & non lactis soboles, & licèt statuant mammarum inflammationes duas habere causas immediatas, sanguinis copiam, & copiam lactis, extra

rem loquuntur, nàm unà cum lacte putrescente, sanguis calore, & dolore impeditus grumescit, vel elabitur, & etiam putrescere incipit.

Prognosis.

Lactis coagulatio plerùmque sponte cessat, ut remediis opus non habeat; interdùm nisi convenientia applicentur remedia, & præcaveatur, inflammationem, febrem, apostemationem, & quandòque ex chirurgi ignorantiâ, fistulam accersere solet. Interdùm quoque dùm lac induratur, scirrhus, & non rarò cancer indè oritur.

Curatio.

Curatur hic tumor, si à nimio proventu promoveatur, ut de morbis mulierum, & præcipuè capite de lactis redundantiâ dicemus, vel ejus curatio consistit in coaguli eductione, vel resolutione. Educitur lac in puerperis, quæ lactant, ore infantis, quòd si unus non sufficiat, plures adhibeantur. Sunt in hac nostrâ civitate quædam mulierculæ, quæ sibi hac arte victum quæritant, lac è mammis sugentes, & lautè vivunt. Solent & pauperculæ mulieres adhibere catellos. Vel ab ipsâ matre emulgetur, vel exsugatur instrumento suctorio ex vitro, quod vulgò *sucarola* vocatur, vel amphorâ prolixum collum, & ventrem amplum habente, quæ immergatur in aquam calidam, vel ad ignem calefiat, ejusque orificium immediatè à calefactione papillæ applicetur, & prematur, nàm ab amphoræ refrigeratione papilla in amphoræ collum intruditur, & lac guttatim extillat. Hoc utimur artificio, præcipuè ubi papillæ non satis patent, vel non satis exeruntur; extrahuntur enim hoc artificio, & patentiores fiunt.

Inter remedia, quæ lac dissolvunt coagulatum, sunt *spiritus salis armoniaci dulcificatus ad guttas sex*, *sperma ceti*, quod grumos quoscumque dissolvit à ʒ. ß. ad. j. *oculi cancrorum*, *antimonium diaphoreticum*, *mumia*, *pulvis* asellorum ad ϑ. j. Item *semen fœniculi*, *cumini*, *charifolium*, *mentha*, *calaminthæ* internè sumpta. Valet etiam seminis anethi ʒ. j. quolibet manè.

Exteriùs suas meretur laudes *emplastrum de spermate ceti*, cujus compositio est:

℞. *Ceræ alb.* ʒ. iv.
Spermatis ceti ʒ. ij.
Gum. galb. in acet. dissolut. ʒ. j.
M. f. s. a empl.

Per quod liquatum trahatur tela, fiatque vulgò dictum Sparadrapum utrinque alternatim applicandum. Hoc emplastrum lac in mammis à coagulatione non tantùm præservat, sed etiam coagulatum iterùm solvit, & discutit, aut restituit. Exteriùs etiam commendatur *essentia menthæ* inuncta, sed magnâ cum cautelâ adhibenda est ob infelices eventus, quos ex aliorum applicatione observavimus: verùm tutior est *menthæ succus*, quæ lac coire, densarique in caseum non patitur, si ejus folia lacti immergantur,

tur, imò si coagulatum erit, hujus succi guttas aliquot instilles, statim solvitur, & in pristinam redit formam. Ex hoc experimento habemus, quod quoties Lac in mammis caseosam nanciscatur coagulationem, corrumpitur, ac inflammationem accersit, tumorem, & apostemationem indubiè parit; aptissimum itàque & præsentaneum remedium est, si calido menthæ succo mammæ foveantur. Itèm si in infantium ventriculis lac casescat, quod ex adstrictâ alvo, inappetentiâ, & vomitionibus conjectari oportet, eodem *menthæ succo, vel ejus syrupo* succurres. Nos pro experimento habemus inunctionem ex oleo ros. omphacino, & ceræ, qua lac in mammis coagulatum dissolvimus, & multas mulieres ex imminenti apostemationе eripuimus.

Vulgares pro hoc curando affectu multa vulgaria præscribunt epithemata, fotus, & inunctiones, verùm quia in unoquoque præcipuè admiscent *acetum*, vel quandòque *hœdi coagulum*, potiùs ob aciditatem malum adaugent, quàm resolvunt. Quòd si dolori accesserit mammarum durities, & tubor ob inflammationis metum, tanquàm arcanum commendatur *sambuci Rob* linteo obductum, & calidè quousque perferre poterit mulier singulis horis mammis applicatum: hoc enim remedio lac resolvitur, & ab inflammatione præcavetur.

His internis, & externis medicamentis attenuantibus. & resolventibus adhibitis, si præveniri, aut impediri suppuratio nequit, vel quia medicus non statim accersitus fuit, vel quia vulgaria adhibuit medicamenta, tunc admovenda sunt illa, quæ ipsam promovent capite præcedente de inflammatione descripta, & juxta nostram methodum tota curatio peragatur; verùm quandòque contingit, ut mamma ad sanitatem perduci non potuerit, quia lac ab abscessu emanat, tunc lac exsiccetur in utrâque mammâ, aliàs frustrà laborabit chirurgus.

A mammis umbilicum descendimus, ejusque tumores describendos aggredimur, undè

De Exomphalo.

Variis tumorum generibus Umbilicus tentatur, ut exomphalo, inflammatione, abscessu, & ulcere, verùm hic juxta nostram methodum de exomphalo tantùm verba faciemus. Exomphalos, seu omphalocele Græcè idem sonat, ac Latinè exumbilicatio, seu umbilici hernia, sive umbilici procidentia; hæc enim juxta impellentis corporis diversitatem diversa sortita est nomina: quæ ab intestinis est tumor, eam enteromphalon Græci appellant, quæ ab omento, epiplomphalon, quæ ab aquâ, hydromphalon, quæ à flatu, pneumatomphalon, quæ à carne, sarcomphalon. Nos in tantâ herniarum umbilici confusione, ut ordine procedamus, unicuique umbilici tumori proprium assignabimus caput, & primò.

Cap. XLVIII.

De Enteromphalo, & Epiplomphalo.

Esto umbilicus robustâ consolidetur, & obducatur cute, n immensum tamen præter naturam dilatari potest ad excipienda intestina, vt in enteromphalo, vel omentum, ut in epiplomphalon.

Signa.

Hernia ab intestinis cognoscitur, quia ejus tumor non admodum est durus, neque mollis, & retento spiritu, increscit, si æger supinus decumbat, intestina cum strepitu, & rugitu in pristinum redeunt statum, & tumor subsidet. Si ab omento dependeat tumor, eadem sunt ferè signa, ac ab intestinis; hoc tamen proprium habet, quòd tumor ab unâ parte mollior est, & ad basim est latus, & in vertice angustus, dolore vacat, & cùm digitis premitur, omentum in suum revertitur locum, & tumor subsidet. Si ab intestinis, & omento simul pendeat tumor, signa erunt mista.

Causæ.

Causa est peritonæi relaxatio, vel ruptio, quæ fit ab humore emolliente, & relaxante, vel pondere gravante, aut distendente, vel etiam rumpente, undè tandèm ponderi, vel vi cedat, oportet; datâ viâ, intestina, vel omentum, vel utraque simul à propriâ sede prolabantur, & umbilicum in tumorem attollant, necesse est. Hæc peritonæi relaxatio, vel ruptio suas etiam habet causas occasionales, quæ sunt, casus, saltus, ponderis gravis elevatio, partus difficilis, equitatio, flatus in abdomine contenti, vociferatio, cantus, cachinnus, & in infantibus ploratus.

Prognosis.

Hernia in umbilico ab intestinis, vel omento elapso, quò recentior, & minor est, ac in corpore molli, eò facilius sanatur: quò antiquior, major, ac in corpore duriore, eò pernicioſior, & sanatu difficilior, & hac de causâ in pueris facilius coalescit, cùm ob corporis mollitiem, tùm ob carnis luxuriem. In adultis verò chirurgiâ indiget, cùm peritonæum scissum, vel ruptum in his non coalescat. Hæc hernia non est parvifacienda, quia Ileos illi supervenire solet, & æger stercora per os rejiciens, miserabiliter perit, vel in magnam molem tumor hic increscere potest, vel tandèm rumpi, & per rupturam fæces excerni.

Curatio.

Optima victûs ratio observanda est, & à flatulentis, ac relaxantibus cibis abstinendum, alvus Lubrica servetur, australes vitentur venti, interim vitet æger vocifera-

ferationem, cantum, fletum, ponderum gravium elevationem, & omnes motus nimios. Corpore purgato, exhibenda sunt ea medicamenta, quæ adstringunt, consolidantque. Optimum erit sequens:

℞. *Herb. herniariæ,*
Ros. incomplet.
Sanicula,
Ophiogloss. ana p. j.
Radic. symphyti, &
Poligonati ana ℥. ij.
Nuc. cupress. num. iij.

Coque in vini rubri lib. ij. *in vase duplici, colatura saccharo edulcoretur,* & singulis diebus, mane jejuno stomacho exhibe ℥. iv. Vel sequens fiat electuarium:

℞. *Pulv. piloscll.*
Caryophillata, &
Stellariæ ana ℥. ij.
Radic. symphyt. mundat. ℥. iij.
Fol. equiseti ℥. j. ß.
Cinnam. acut. ℥. ß.
Corall. rubr.
Bol. armen. &
Mastiches ana ℥. j.
Cum. syr. de symphyt.
F. s. a. electuarium.

Interim intestinorum, & omenti legitima fiat repositio in suum locum, post quam topica convenientia affectæ imponantur parti.

In recenti infantium nuper natorum exomphalo commendamus quatuor rotulas ad formam parvi nummi rotundas ex corio rubro confectas, emplastro de pelle arietinâ obductas, quarum unam per quatuor, pluresvè dies affixam permanere permittimus cum decenti ligaturâ, deindè per idem temporis spatium alteram eodem modo apponimus, postmodùm ultimam apponendam curamus ad totalem usque curationem. Vel conficimus tres petias ex panno lineo ad magnitudinem denarii, quas oleo ex ovorum vitellis inungimus, & unam alii superponimus, & desuper emplastrum glutinans in alutâ extensum imponimus, tertio quoque die inungimus super umbilicum, quem decenti ligaturâ ligamus, id continuamus ad perfectam usque curationem. Optimum erit sequens emplastrum glutinans:

℞. *Colophoniæ, &*
Resinæ pini ana ℥. j.
Bol. armeni, &
Sang. dracon. ana ℥. ß.
Succ. acaciæ,
Hypocistidos, &
Sarcocollæ ana ℥. iij.
Rad. symphyt. mai ℥. j.
Nuc. cupress. num. ij.
Olibani,
Mastiches, &
Glutinis piscium ana ℥. iv.
Flor. hyperici ℥. j.

Pulverisanda pulverisentur, colophonia, & resina pini, ac terebinthina q. s. liquescant ad ignem, ac semotis, pulveres inspergantur, & opt. m. ut f. emplastrum. Hæc curatio, quam proposuimus, tàm recèns natis, quàm adultis adhiberi potest.

Verùm si his remediis non consolidetur ruptura, ad chirurgiam recurrebant prisci; attamen hæc infantibus nullo modo competere potest ob mortis impendens periculum, nàm ut narrat *Pareus: Cùm tumorem aperiret chirurgus in in-*

fante,

fante, inteſtina cum animâ ſunt effuſa, ſed tantùm adultioribus,& iis, qui bono corporis habitu ſunt prædicti. Quomodo hæc operatio fiat, legite *Paulum Aeginetam lib. 6. cap. 51.* Verùm, ut verum fateamur, hæc chirurgia tuta non eſt, & multi in operationis actu perierunt, vel miſerè vixerunt. Nos tutiſſimum præſidium medicamenta, & vinculum adjudicamus, quibus ſi non totaliter malum curatur, ſaltèm in meliorem redit frugem. *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente* de operationibus chirurgis parat cingulum ex linteo, quod abdomen cingat, & adſtringat, & eâ parte, qua umbilicus eſt, pulvinar duriuſculum obtineat, in cujus centro fit globulus ex adſtricto linteo, qui in umbilici dilatationem ſe inſinuet & intret, ne omentum, vel inteſtina exire permittat. Priùs tamen umbilico ſequens apponit ceratum, ut

℞. *Boli armen.*
Sang. drac.
Maſtich.
Sarcocollæ ana ʒ. j.
Biſlinguæ,
Tegulæ pulv. ana ʒ. iij.
Reſina pini ʒ. j. ß.
Ovi album.
Ceræ q. ſ.
F. Ceratum.

Si nullatenùs omentum, vel inteſtina prolapſa reponi poſſint, & nihilominùs ægro præter pondus, ſuperiores partes deorſùm trahunt, magnam moleſtiam creant, faſciâ continendâ eſt pars prolapſa, qualem deſcribit,& pingit *Guilhelmus Fabricius cent. 3. obſerv. 64.*

Cap. XLIX.

De Hydromphalo.

Solet quandòque Umbilicus aquoſâ tentari herniâ, & tumorem attolli, qui à Græcis Hydromphalon appellatur.

Signa.

Tumor eſt laxus, & preſſus fluctuat, nec minuitur, neque augetur, & appoſitâ candelâ lucidus apparet.

Cauſæ.

Putarunt vulgares herniæ umbilicalis aquoſæ cauſam eſſe umbilici relaxationem, quæ fit ab humore aqueo in abdomine, præcipuè inter peritonæum, & abdominis cutem collecto, ſed quomodò hic aqueus colligitur humor ignorârunt.

Verùm præcipua cauſa eſt humor aqueus, qui è ductibus lymphaticis extillat in umbilici cavitatem, quia prædicti ductus à lymphæ copiâ, vel aperiuntur, vel rumpuntur, vel liquoris acrimoniâ eroduntur, vel corrumpuntur, vel quia impeditur per hæc vaſa tranſitus, & in immenſum præter naturam dilatantur, ac umbilici hydrops cauſatur. Accidit quandòque ob vaſorum lymphaticorum imbecillitatem, quæ laxantur, & lympham fundunt, ut evenit in recèns natis, præcipuè ſi nutrix

nutrix nimio indulgeat aquæ potui, & lac sit nimis serosum. Potest etiam contingere ex aliquâ externâ injuriâ, ut percussione, vel compressione.

Prognosis.

In infantibus hydromphalon periculo vacat, facileque emendari potest; in adultis verò ascitem minatur, vel cum ascite conjunctus periculosissimus est. Solet quandòque tumor hic in hydropicis ità maximopere excrescere, præcipue ob omnimodam sitim inexplebilem, ut repente soluta umbilici unitate, tanto impetu aqua indè effluxerit, ut convaluerint.

Curatio.

Curativa hujus tumoris indicatio est, ut aquosi humoris proventus præcaveatur, & collectâ aquâ umbilicus depleatur. Si itaque in infante hoc accidat, nutrix siccam observet diætam talem, quæ lac minùs serosum generet, & facilè emendatur, ac interim infantis umbilico cataplasma ex arnoglosso, & lentibus simul coctis applicetur.

Si adultis contingat, congesti serosi humoris prouentus siccâ diætâ præcavendus, & collectus evacuandus *Resinâ, jalap. extracto mechoacanna, conservâ florum persicorum*, & aliis hydragogis, & postmodùm non desint diuretica in hoc morbo, quæ multùm prodesse observavimus, & sudorifica, quæ insensibiliter malum auferre possunt,

Quò ad topica attinet, ea usurpanda veniunt, quæ contentam in umbilico aquam evacuant, vel insensibiliter, vel sensibiliter; insensibiliter operatur sequens cataplasma, ut

℞. *Cochlearum per aliquot dies ab humore excrementitio repurgatar, & lavigatar.* ℥. iv.
Baccar. lauri,
Sulph. ana ℥. ij.
Stercor. caprini q. s.
F. linimentum

manè, & vesperi renovandum. Quòd si insensibiliter aqua discuti nequeat, sectio celebranda est, ut *Paulus Aegineta lib. 6. cap. 51.* docet, scilicet sectio lunata facienda, & aqua sensim extrahenda: postmodùm pars deligetur, carne repleatur, & cicatrice obducatur, & sequenti decocto calefaciente, & adstringente roboretur, ut

℞. *Calaminth.*
Origani,
Pulegii,
Ros. rubr.
Balaust.
Bacc. myrti,
Nuc. cupress. ana q. s.

Coque in vino rubro, & spongiâ isto decocto imbutâ foveatur umbilicus.

Cap. L.

De Pneumatomphalo.

PNneumatomphalon Græcè, Latinè verò dicitur hernia umbilicalis flatulenta, seu ventosa, aliàs hydrops siccus, seu umbili-

ci tympanites, est tumor in umbilico flatulentus.

Signa.

Tumor hic est mollis, & digitis non nisi retinendo cedit, sed remotis, statim resilit, pulsatus quasi sonum edit, & ægro supino jacente, eadem figura manet.

Causa.

Causæ sunt flatus umbilicum distendentes. Evenit hoc, cùm flatus in abdomine, & intestinis ad umbilicum transmittuntur, extrapelluntur, & in tumorem se attollunt.

Curatio.

Flatus tumoris causa discutiendus, ejusque generatio præcavenda est, ideoque optimam diætæ rationem observet æger, & vitet pisa, fabas, castaneas, vinum recens, scilicet quod adhuc musti naturam sapit, nuces, omnesque fructus crudiores, quia magnoperè nocent. Prosunt vinum medium, aliaque moderate calefacientia, aromata etiam quædam, & carmi nativa, ut *nux moschata, cinnamomum, macis, anisum &c.*

Deinde corpus evacuetur *Diatartaro* in formâ pulveris nostræ descriptionis, additis semper carminativis, & roborantibus. Postmodùm flatus discutientia exhibeantur, ut *dianisum, diacuminum, diacalaminiha, diagalanga, theriaca, mithridatium*, & alia medicamenta, quæ in colicâ flatulentâ in nostrâ Trutinâ descripsimus.

Interim non desint topica, ut inunctiones, fotus, cataplasmata, & emplastra. Prosunt magnoperè inunctiones ex oleis *rutæ, lauri, spicæ, sambuci, anethi, carvi destillati, macis, nucistæ &c.* & præcipuè in pueris, corporibusque tenellis. Vel sequens fotus adhibeatur:

℞. *Fol. pulegii,*
Rutæ,
Sampsuci,
Chamomillæ,
Meliloti ana p. j.
Sem. fœniculi,
Anisorum,
Carvi ana ℥. iij.
Cardamomi ℥. j. ß.
Coque in vino pro fotu.

Vel imponatur hoc cataplasma, ut

℞. *Fol. calaminth.*
Roris marini ana m. ß.
Farinæ fabarum ℥. ij.
Sem. carvi &
Fœniculi ana ℥. ß.
Bacc. lauri,
Et sulph. vivi ana ℥. iij.
Fimi caprini, &
Vaccini ana ℥. iij.
Ol. rutæ, &
Carvi ana ℥. j.
Vini graci q. s.

& coque in cataplasmatis formam. Vel adhibeatur *emplastrum de meliloto, vel de baccis lauri.* Si tandèm aliquod viscerum vitium sit, quod flatus subministrat, illud priùs curandum.

CAP.

CAP. LI.

De Sarcomphalo.

SOlet tandem caro excrescens umbilicum in tumorem attollere, qui Græcè sarcomphalon, Latinè verò hernia umbilicalis carnosa.

Signa.

Tumor est durior, sensim crescit, & prementi digito non cedit, & licet æger supinus jaceat, sive stet, sive ambulet, semper idem apparet.

Causa.

Non fit ex sanguine crasso, ut vulgaribus placuit, sed ex nutrimenti sensim affluxu in umbilicum, quod in carnis substantiam apponitur.

Prognosis.

Hernia umbilicalis carnosa difficulter sanatur, & præsertim si sit antiquata, non nisi chirurgiâ tollitur; si verò in cancrosam degeneravit carnem, apud vulgares malum insanabile est.

Curatio.

Præmissâ optimâ victûs ratione, & medicamento purgante, duplex curandi modus emergit, vel per reprimentia, ut carnis luxuries prohibeatur, & excrescentia, ut tumor absumatur, unus; alter ut caro illa præter naturam per chirurgiam tollatur. Reprimentia, & exsiccantia nullo modo adhiberi debent, nàm affectum in scirrhum mutare possunt. Nonnulli maturantia adhibent, verùm emollientia partem humectando, potiùs majorem excrescentiam inducere possunt, quàm suppurationem. Remanet tantum operatio chirurgica, qua caro hæc caustico, vel ferro auferatur. Ferrum horribile est ægris, & in manu imperiti chirurgi est veluti ensis in manu furiosi. Nos spiritu mercurii sensim carnem hanc absumimus, & tandem ulcus curamus. Aliqui carnem hanc Sylvéstrem filo vinciunt, sensim quotidie constringendo, donec nutrimento destituta decidat, verùm hæc operatio nimis dolorosa est, & diù torquere debet.

De Ascite, Tympanite, & Anasarcâ esset hìc agendum juxta nostram methodum, quia hi tres tumores opere chirurgico aliquandò apud veteres per Paracentesim curati fuêre: Cœterùm hoc manuale opus jàm omninò recessit ab aulâ medicorum, & horum tumorum consideratio nunc physica est, & ad physicos tantùm spectat; horum igitur tumorum speculationem signa, prognosim, & curationem nostræ Trutinæ remittemus.

Peragratis superioribus imi ventris regionibus, ad inferiores descendimus partes, & præcipue ad inguina, quæ adenosæ sunt partes, sive glandulosæ; credidit medicorum vulgus glandulas esse à naturâ constructas, ut ad eas superflui, vitiosique humores à partibus prin-

principibus expellantur, tanquam ad emunctoria, scilicet ad cloacas, sed errant, sunt glandulæ, veluti filtrum, seu colum chymicum, per quas pars tenuis, relictis crassioribus, transeat. Undè rati sunt vulgares, veluti in Republicâ Magnates, & potentiores in miseram, & debiliorem plebem gravia deponunt onera: sic partes principes superfluos, & vitiosos deponunt humores ad emunctoria, ut cerebrum, retro aures, cor sub axillas, & hepar ad inguina. Hinc tumor retro aures vocatur parotis, sub axillis phyma, & in inguinibus bubo.

Cap. LII.

De bubone simplici.

Bubon apud græcos idem sonat latinè ac inguen, nomen deindè loci in tumoris nomen eo in loco nascentis translatum est, postremò nomen omnibus tumoribus commune, qui in adenosis partibus, sive glandulosis elevantur; factum est undè vel sub auribus, vel axillis, vel in inguinibus tumores nascantur, bubones dicantur.

Tripliciter in inguinibus bubo oriri solet, vel simplex, qui harum partium simplici inflammationi succedit, ac de apostematum calidorum genere est, teste *Gal. lib. de tumoribus p. n. cap.* 18. *& 2. ad Glauc. cap.* 1. *&* 13. *meth. cap.* 5.

Vel est Venereus, & originem trahit ex concubitu cum muliere infectâ, contagio in pene excepto, & in gonorrhæam non degenerante, & contagiosus est, quia præter communem bubonum rationem, habet peculiarem, & propriam lædendi energiam, quam habent cæteræ Venereæ affectiones.

Vel est malignus, & pestilens; ac interdùm non tantùm in axillarum, sed etiam in inguinum glandulis oriri solet. Differunt autem malignus, & pestilens bubo inter se, quemadmodùm maligna, & pestilens febris in communitate; nàm si bubo fuerit sporadicus, aut malignarum febrium soboles, erit solùm malignus: si verò fuerit epidemicus, & pernicios us, aut pestilentem comitabitur febrem, dicetur pestilens.

Hic de bubone simplici tractamus, de Venereo minimè, quia fusiùs agimus *lib.* 3. *de lue Venereâ cap.* 5. & tandèm de pestilenti breviter pertractabimus cap. sequenti; de pestis enim symptomatibus de eo prolixè agemus.

Signa.

Cognoscitur bubo simplex, quod in inguinibus erumpit cum iisdem inflammationis signis, ut sunt tumor, renitentia, calor, dolor, & febris, quæ plerùmque levior accedit. Si per crisim accidit bubo, febris, aliusvè morbus præcessit, qui bubone apparente, levatur, & bonæ crisis signa præcesserunt, quæ si absint, symptomaticus est. Si nullus præcessit concubitus cum muliere infectâ, vel saltim

saltim de Venereâ Luesuspectâ, & maximè si nulla alia externa apparuerit causa, vel caries, aut gonorrhæa suppressa, vel non ritè, & rectè curata, vel ad vesperas capitis dolor, totius corporis laxitudo non molestavit; eodem tempore febris magno cum rigore non invasit, & manè æger non fuit à febre immunis, non Venereus, sed simplex censendus est. Si nulla malignæ febris, vel pestilentiæ signa conjungantur, bubo simplex est.

Causæ.

Putârunt vulgares bubonem simplicem non fieri, nisi authore hepate; commentati enim sunt inguina esse hepatis emunctoria, ad quæ tanquàm ad cloacam ipsum hepar non solùm sanguinis copiam, sed etiam semper superfluos, & vitiosos, quos habet humores, deponere, & bubonem excitare. Sed has ineptias ad nauseam usque repudiavimus.

Oritur bubo à sanguine particulis acidis, terrestribus, & viscidis referto, qui cùm per venulas in adenes incumbentes circulans, stagnet, vel acrimoniâ suâ vascula aperiat, tumorem excitat, qui ab apostematibus phlegmonosis non differt, nisi loci ratione, cùm non fiat in ipso adenum corpore, sed vasculis, quæ fulciunt. Occasionaliter causari potest ab ulcere, vulnere, vel dolore pedum, vel manuum, sicuti etiam à quocumque partium vitio, quarum adenosæ partes sunt emunctoria. Sicuti quoque ex subitis calefactionibus, & refrigerationibus, ubi quis ex nimio motu, aut laboribus, vel equitatione insudaverit, & sudore madidus refrigerit.

Prognosis.

Bubones simplices periculo vacant, cùm fiat in partibus externis, & fiant à naturâ ad imbecilles, & ignobiles partes expellente, præsertim si statim ad suppurationem deveniant, & aperiantur. Si diù durent, & tardè maturentur, in fistulas ferè abeunt pernicioſas. Bubones, qui oriuntur in inguinibus tardiùs suppurantur; tardissimè qui post aures; qui verò sub axillis excitantur citiùs suppurantur ob cordis vicinitatem ejusque calorem, qui ad maturationem est necessarius. Si conjungatur cum mali moris febre, mali, ut *aph.* 55. *Ex inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.*

Curatio.

Quia simplices bubones inflammationis sunt species, vulgares primò victum tenuem, quantùm vires tolerant, & frigidum cum aliquali siccitate præscribunt, cum totali à carnibus, & vino abstinentiâ. Interdicunt *omnia pinguia, frixa, salsa, lacticinia, legumina, & mali succi alia.* Concedunt *passulas, panem biscoctum, amygdalas, phthisanam hordeaceam cum melonum seminibus, lactucam, endiviam, boraginem, cichoreum, & lupulos.* Deinde sanguinis copiam phlebotomiâ ità minuunt, ut naturæ motus ad par-

tem affectam potiùs adjuvetur, quàm impediatur, sed qua mensurâ, & artificio id faciunt, non explicant. Si vitiosi succi cum sanguine sint conjuncti, ut fere semper contingit, corpus purgant juxta humorum exigentiam, qui simul cum sanguine peccant. Sed peccant vulgares, quia naturæ motum impediunt; purgantia enim ad centrum e circumferentiâ trahunt, & præsertim si bubo sit sub axillis ob cordis vicinitatem. Reliquam curationem in bubonibus hisce omnibus, ut in cæteris inflammationibus, instituunt. Advertendum tamen, quòd digerentia, quibus utuntur, semper fortiora eligunt, quàm in aliis inflammationibus, quia glandulæ sunt partes frigidiores, & ignobiliores, nec sensum habent exquisitum. Sed verum hoc esset, quoties inflammationes in glandularum substantiâ fierent, & non in venulis glandulas fulcientibus.

Si humor in bubone contentus non resolvatur, illum ad suppurationem illis suppurantibus alliciunt, quæ aliàs pro vulgarium curatione retulimus. Pure genito, bubonem incidunt, pus evacuant, & stuppatam per 24. horas applicant, quo tempore transacto, removent, & *digestivo ex terebinthinâ, ovi vitello, & oleo rosaceo confecto* diù digerunt. Mundificato ulcere, sarcoticis utuntur, & tandèm cicatrice obducunt.

Bubo simplex i. non Venereus, neque pestilens, si in emunctoriis suscitetur, meditandum est, an naturâ per crisim, & quidem perfectam, bubonem excitaverit, & æger à morbo eripiatur, & bonæ crisis adsint signa, tunc si hæc erunt, nihil movendum, ut docet *Hip. 1. aph. 20. Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere oportet.* Natura enim quod sibi exoticum erat, ad externas, ignobilioresque detrusit partes, ideòque ejus conatus non impediendus, neque juvandus, sed totum negotium naturæ committendum, ut bubo quàm citissimè discutiatur, vel suppuretur. Si verò crisis imperfecta fuerit, humor ad affectam partem trahendus medicamentis centies à nobis decantatis.

Si nullo alio morbo præcedente bubo suscitetur, tunc medicamentum purgans, non tantùm erit inutile, sed malum pejorare potest, & phlebotomia erit periculosissima ratione circuitûs sanguinis, præcipuè si febris adsit. Medicamenta in morbi initio, scilicet ante inceptam suppurationem per os conveniunt, quæ sanguinis concretionem in venulis resolvant, ut *mumia, sperma ceti, sanguis hircinus, stibium diaphoreticum*, & alia alibi pluries notata. Exteriùs valet *emplastrum de spermate ceti, vel aqua spermatis ranarum destillata, vel oleum ceræ cum oleo liliorum.* Si incepta fuerit suppuratio, necesse est bubonem in abscessum abire; sanguis enim concretus in naturæ gratiam redire, vel resolvi non potest. Adjuvanda est itaque suppuratio *emplastro de mucilagine, & fili-*

filii Zachariæ ana, *vel fodicationum*, vel, quod maximè conducit, est *nostrum emplastrum Benedictum*, quod omnem abscessum maturescere facit, & aperit, vel tandem phlebotomo aperiatur. Expresso pure, si abscessus orificium sit angustum, sensim dilatari potest turundâ vulgari digestivo inunctâ postmodum *unguento nostro magistrali lib. 3. de Lue Venereâ* descripto regatur ad abscessûs mundificationem usque, & tandem incarnantibus, & cicatrizantibus ejus curatio compleatur.

CAP. LIII.

De Bubone Pestilenti.

SUnt bubones pestilentes, ceu pestilitatis fructus, effectus, & symptoma, qui in inguine apparere solent; hinc à pluribus pestis bubonibus comitata, lues inguinaria vocatur. Nonnulli nunquàm pestem esse fatentur, nisi bubo grassetur, sed decipiuntur: nàm lues Venerea, & febris etiam maligna suos bubones comites habet, absque eo, quod pestis adsit. Bubo Græcè, Latinè inguen significat, quia natura ad locum emunctorii inferioris ignobilem se exonerat. Est etiam bubo Avis feralis, debilis ad volandum, in cavernis commorans: à bovis boatu, quem imitari videtur, ità appellata, verùm mali ominis, ut Poeta inquit:

Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Sic bubo dirum, & ferale pestis symptoma, quia in ipsâ natura crisim moliri non potest; non enim tot hydris stipata Lernæis pestilens virus domare, sed tot tandem obtuta symptomatibus concidere necesse est.

Signa.

Si sæviente peste in adenum locis tumor, rubor, dolor pulsans, æstuans appareat ferri candentis instar excrucians, ac color ex albo in rubicundiorem mutetur, deindè in splendidiorem, imò sæpè color ad lividum, sæpè ad nigrum, vel fuscum, vel viridem, & cœruleum inclinat, bubonem pestilentem esse dicas.

Causa.

Bubonem pestilentem fieri credunt vulgares ex putredine quatuor fictorum humorum, vel ex aëris calore, aut frigore, aut ex venenatâ qualitate aliquâ abditarum causarum sobole; aiunt enim pletùmque naturam, vigente facultate expultrice, vel venenatæ qualitatis, vel putredinis partem ad corporis peripheriam detrudere, ut ad partes adenosas, ex cerebro retro aures, ex corde sub axillas, & ex hepate ad inguina, inibi maximam putredinis, vel qualitatis venenatæ partem deponere, & pestilentes excitare bubones.

Pro

Pro noſtrâ peſtilentis bubonis cauſa aſſignandâ neceſſe foret, peſtis cauſam rimari, verùm non in præſentiarum ex profeſſo de eâ agimus, ſed inpoſterùm, Deo dante, cum omnibus ejus accidentibus: attamen hic, ut bubonis geneſim veſtigemus, de peſtilitatis cauſâ pertranſennam tractabimus; ut indè bubonis cauſam attingamus. Non peſtilitatis cauſam veſtigamus, ut vulgarium medicorum mos eſt, qui nunc ab intenſâ putredine, à malignâ humorum corruptione, nunc à qualitate venenatâ ineptè eruunt; nunc ad cauſas occultas, & deliterias referunt, nunc ad primarum qualitatum exceſſum confugiunt, ſed veram & genuinam luis cauſam aſſignabimus. Relinquimus vanam Aſtrologorum opinionem, qui peſtem è cœlo mendicant, nempè à determinatis ſiderum poſitionibus, oppoſitionibus, & malignis congreſſibus, undè influentiæ peſtilentes emergunt; verùm horum opinionem tanquam vanam, ſolidis deſtitutam rationibus, & experientiæ repugnantem repudiamus.

Peſtis originem habere exiſtimamus à cauſâ communi, & aërem pro peſtis vehiculo aſſignamus; aër nàmque variis ſalium generibus inquinatur, quæ ex baratris, voraginibus, cavernis, ſpecubus, fodinis, lacubus, paludibus, aut cadaveribus non crematis, aliatumque rerum putridarum, vel fracedine erumpunt, tunc cùm fermentationem arripiunt, interno, vel externo calore adjuvante, ſalina effluvia in atmoſphæram elevantur, & juxta ventorum excurſum in provincias, oppida &c. incumbunt, quæ unà cum aëre, in quo continuò degimus, & quem potamus, proditoriè, & inſenſibiliter in noſtram vitam ſe intrudunt. Non totus aër eſt conſpurcatus, aliàs enim quiſpiam immunis in eo degere non poſſet: ſed ſufficit, ſi ſalinis illis effluviis hinc inde ſit conſpurcatus. Quòd tamen ubi evenit, longè perniciosum eſt in tali aëre verſari, & peſtilentes conſtitutiones, ubi totus aër eſt inquinatus, ſunt longè graviſſimæ, & latè in obvios quoſque ob communis aëris vitium graſſantur.

Sunt hæc effluvia vitriolata, vel nitroſa, gemmea, armoniaca, vel aluminoſa, arſenicalia, realgarina, vel ſectica, quibus varia ſulphurum inflammabilium genera adduntur, quæ etherogeneitate invicem agendo ſemper majorem concipiunt fermentationem, & nimis exaltantur, ac in venena lethalia tranſeunt. Hæc ſalina, & ſulfurea effluvia venenata furtivo modo inſpirata, vel per halitum thoracem, vel ſalivæ immiſta ventriculum obſident, tubulos ſubeunt, lymphæ, nutrimento, ſanguini, aliiſque ſuccis circulantibus ſe immiſcent, vitæ œconomiam invertunt, ſpiritus in ſuo motu perturbant, inquinant, ſanguinem exagitant, vehementes excitant efferveſcentias, ſanguis grumeſcit quandòque, quandòque cum latice turgeſcit, & tumultuariè commovetur, ejuſque prin-

principiorum nexus solvitur, hinc omnes succi contaminantur, & per angustiorum tubulorum glandulas circulare non valentes, in iis stagnant, & ab horum effluviorum particulis duris, rigidis, acutis, scindentibus, & acicularum instar pungentibus extenduntur, rumpuntur, & exeduntur tubuli, igneum excitant tumorem in adenum locis, ubi succi filtrantur, cum dolore, & ingenti ardore, bubonem dictum pestilentem.

Prognosis.

Bubones maligni, & pestilentes fere semper sunt lethales, Lethale est bubones repente augeri, & furente veluti impetu ad debitam magnitudinem perveniſſe, summaque omnia doloris, tumoris, & ardoris accidentia subitò, & in momento habuisse. Si bubones circulum Iridis instar habeant, vel si lividi, ac nigri, mortis sunt nuncii, sed hæc signa sæpe infida sunt; moriuntur enim non ratò, & quibus rubicundi sunt bubones, & quibus œdematosi, aut cuti concolores, tantus est hujus morbi dolus. Maligniores, & pessimi ominis sunt bubones, qui comparentes, derepente disparent. Item quandò impositum vesicatorium intra octo, vel decem horas nullas excitat vesicas, vel nullâ scatet humiditate, ægrum nàmque mors præ foribus expectat. Periculosiores sunt, qui in collo, & sub axillis, quàm qui in inguine ob suffocationis metum. Pessimum est est, si in adenibus ordinariis bubonum locis, carbunculi oriantur.

Pestilentes bubones non levem promittunt spem, quandò ægri sunt robusti, temperatam incolunt regionem, vires constant, medicamenta optima non revomunt, sed per sudorem eliminantur: Si verò sint debiles, delicatuli, non adulti, calidissimas incolentes regiones, magnum impendet periculum. Maximum periculum exoriri solet, si ægri bubones negligant, nec internis, vel topicis utuntur, sed solùm naturæ committunt opus. Si bubones maturè erumpant in inguine, si colore vivido conspicui sint, hinc optimè inquit *Hip. lib. 6. epid. 5. 1. tex.* 29. Tubercula extra extuberantia, & acuta, & fastigiata, & æqualiter matureſcentia, & non dura, & deorsum vergentia, & non bifida, meliora; contrà verò mala, & quanto plus contraria, pessima. Vires prostratæ, vomitus tùm medicamentorum, tùm assumptorum frequens, & continuus, faciei partes subitò immutatæ, & cadaverosæ, lipothymiæ sæpè recurrentes, delirium, convulsiones, exteriora frigida, interiora calida, alui dejectiones nimis copiosæ, ac diversi coloris, atræ nempè, & ad lividum tendentes, ut & urinæ fœtidæ, ac nigricantes denotant mortem esse ante oculos.

Curatio.

Bubonum pestilentium curationem commodè dividimus in internam, & externam. Interna pe-

ragitur medicamentis alexipharmacis, quæ malignorum, & sulphureorum effluviorum particulas duras, rigidas, acutas, corrosivas, arsenicales, realgarinas, sceticas &c. eicurant, obtundunt, demulcent, attemperant, absorbent, hebetant, & per universale emunctorium, vel per particularia eliminant, hujusmodi sunt sudorifica volatilia, fixa, diaphoretica, & cardiaca, quæ debilem promovent diaphæresim, alkalia, porosa &c. Inter quæ commendamus *antimonium diaphoreticum, sulphur auratum diaphoreticum, bezoarticum minerale, tincturam antimonii, tincturam bezoarticam, electuarium ex ovo, diascordium &c.* Quibus aliis auxiliis pestilens bubo curari possit, nunc videamus oportet.

Nonnulli id purgante medicamento perfici putárent, hujus farinæ authores fuere *Fallopius*, & alii, ac præ cæteris *Zacutus Lusitanus de prax. med. adm. lib. 3. obs. 19.* qui ad nauseam usque contendit in bubone pestilenti purgandum esse; Verùm quia nullis innititur rationibus, & solùm authoritatibus pugnat, quæ sine rationibus ad tanti momenti controversiam decidendam non sufficiunt, audiendus non est. Alii his fisi rationibus credunt purgantia convenire; inquiunt enim humoribus malignis, venenatis, & pestilentibus propium esse cordis arcem obsidere, hominemque celerrimè interimere: statim igitur purgandos, è corpore eliminandos, & in partes quàm maximè à corde dissitas protrudi asseverant, ac deindè, ut cor roboretur, & malignorum humorum vis obtundatur, incumbendum. Verùm in æquivoco volutatur, nàm nullum datur medicamentum purgans, quod venenatam subducat qualitatem, cùm pestilens virus non à plenitudine, non à simplici humorum corruptione, sed per vulgares, à peculiari, & occultâ malignitate pendeat. Quid ergò purgans medicamentum conferre poterit? Imò multùm obesse, quia intimiùs pestilens virus penetrare potest, & humores effrenatos reddere. Non est medicamentum purgans id, quod alui solutionem promovet, nàm in hoc nullam spem collocare debemus, sed quod morbum per suum emunctorium solvit, ità sunt reliquæ evacuationum species, vomitus nempè, urinæ, sudores, insensilis transpiratio. Vera purgantia pestilentiâ affectis sunt alexipharmaca, quæ sudorem, insensilemque promovent transpirationem, ac pestilens obtundunt virus, quæ naturæ motum sequuntur, & pestilentia effluvia foràs protundunt, ac per corporis habitum quoquo versùm expellunt. Oppositum purgantia per aluum efficiunt, quia interturbant, & venenum illud ad interiora revocant; observamus enim quibus ob bubones Venereos purgatio præscribitur, his materiam reddi insuperabilem, & ad interiora ejusdem luis fieri attractionem, & penetrationem. Igitur ob has, & alias rationes in pestilentibus bubonibus acri studio purgantia repudiamus, quia vires prostrantur, &

& natura malignitati succumbit. Hinc vires in nullo alio morbo, quàm in peste sartas tactas conservare convenit, & estò quandòque validæ videantur, inspiratò in peste labefactantur. Imò peste correptos quibus initio alvus adstricta fuit, etsi nullo alio usi fuissent medicamento, quàm theriacâ, vel mithridatio, maximâ ex parte convaluisse; contrà verò quibus vel sponte, vel arte profluit, omnes ferè occubuisse observavimus. Verumenimverò purgantia non negamus, tunc cùm hominibus pestilentia accidit ab humoribus pravis, quos ex victu pravo, vel annonæ caritate, vel aliâ de causâ cumulârunt, atque in primis viis fovent, quia in hoc casu purgantia, & emetica locum habere possunt, sed hæc primis diebus, magnâ cum præmeditatione præbere debemus.

Alii in pestilentis bubonis curatione sanguinis missionem extollunt, & medicamentum purgans abnegant; quidam utrumque concedunt, & reverà tota, quanta est vulgarium medicina, circa stercoris, & sanguinis eductionem versatur. Hujus opinamenti fuêre *Alexander Massarias*, *Nicolaus Massa*, *Iohannes Baptista Gemma*, & multi alii vulgares, qui in bubone pestilenti venæ sectionem admittunt, quorum sententiam nonnulli non indiscriminatim, sed cum distinctione recipiunt; inquiunt enim tantùm instituendam esse, ubi magna satis sanguinis onerantis naturam copia adest, quæ facilè inflammationes parere, febrem augere potest. Verùm ità phlebotomiam instituunt, ut natura à suo conatu nullatenùs avocetur, sed potiùs in eâ adjuvetur, & humor pestilens, qui à naturâ ad bubonem propellitur, ad interiora non recurrat: sed hic opus, hic labor est. Metuunt vulgares sanguinis copiam, ne inflammationes pariat, & febrem adaugeat, & non pestem, quæ est morborum omnium princeps, & omnium acutorum morborum acutissimum non verentur. Pestilenti veneno non opponitur venæ sectio, neque per venæ sectionem illud educi potest, sed per alexipharmaca: imò facilè contingere potest, ut vires, quæ in hoc morbo conservari debent, intempestivâ venæ sectione labefactentur, & naturæ motus in expellendo veneno impediatur, illudque introrsùm rapiatur. Prætereà expertum habemus eos, quibus vena secta fuit mortuos esse, vel paucos ex iis ereptos fuisse. Insuper qui, venæ sectione celebratâ, venenum pestilens è corpore tollere conantur, frustrà laborant, & ægrum in manifestum vitæ discrimen conjiciunt.

Quidam, apparente bubone, venam in eodem latere secant, ut per venam sectam veneni pars, quæ intra vasa continetur sanguini commista educi, obstructio impediri, & febris æstus commodè remitti possit. Cæterùm si in hisce attendamus usum venæ sectionis cum veneno pestilenti, & præcipuè per vascula hæc se jàm exerente, fatendum est venæ sectionem consultiùs omitti, cùm noxam

potiùs ; quàm utilitatem inferat. Quantitate enim sanguinis ablatâ, reliqua massa grumescit magis, & vix jàm diù satis debiles, vel non sufficturæ magis exhauriuntur. Pestis acrimonia coagulativa, & aculeata in sanguine, & succis reliquis corrigi hoc pacto renuit, ut potiùs parte sanguinis diluente ablatâ, magis sæviat. Motus ad exteriora hoc ipso non promovetur, sed potiùs inhibetur, & quidem non sine præsentaneo periculo. Quod de venæ sectione diximus, id quoque de hirudinibus, & cucurbitulis valet.

Satis superque probatum est medicamentum purgans, & venæ sectionem in bubonibus pestilentibus nullo modo convenire, imò potiùs obesse, quàm prodesse ; inquiramus nunc oportet, quomodò tractandi circa curationem sint. Quidam putârunt planè in hoc casu naturam imitandam esse, quæ successivè, & longiori tempore eorum suppurationem molitur : sic medicum maturantibus incumbere, ut hi tumores ad suppurationem ducantur, existimantes rati sunt enim à vesicantibus, scarificationibus, & incisionibus dolorem, qui inflammationis occasio sit, excitari, viresque debilitari. Præterea metuunt, ne venenum, quod natura ad exteriora deposuit, agitetur, & spiritibus, & humoribus missum, in cor, à quo proscriptum fuit, remeet. Cæterum oppositum nobis magis arridet ; materia enim pestilens maturationi reluctatur, nec suppurationem, quia inepta est, admittit, & estò exquisitâ adhibeantur suppurantia, nunquàm suppuratio speranda est, sed potiùs gangrænam expectare debemus. Imò libenter conjectamus, nè humor venenatus, antequàm in suppurationem abeat, mediantibus spiritibus, & humoribus, cordi iterùm communicetur. Ideòque unicè consulimus bubonibus pestilentibus exitum patefieri, quem natura digito demonstravit, & deindè decenti methodo tractari.

Nonnulli inquiunt, si perfectè, aut maxima veneni pars in bubonem à corpore expulsa videatur, (quod post bubonis eruptionem, symptomatum remissione, atque ex ægri melioratione deprehenditur) non delinquit medicus, si coctionem, licèt non perfectam, ut in aliis tumoribus, expectet, & eam omnibus modis adjuvet. Verùm extra rem loquuntur, nàm exotico viro non fidendum, licèt ad emunctorium aliquod depositum fuerit, & sopitum jaceat ; quia recrudescere, vires assumere, & insidias struere potest, & tùm maximè lædit, quos anteà apprehendit, nec quisquam tutus esse potest, qui intra proprios Lares, estò in partibus dissitis, cum hoste cohabitet, nisi extra limen ejiciatur, & hoc citissimè, absque cunctatione fieri debet ; periculum enim est in morâ, nec hosti fidendum, nec quisquam cum eo familiariter se gerere debet. Tunc de nostrâ salute securi sumus, cùm hostem, qui vitæ nostræ insidiatur, obtruncaverimus : igitur nullatenùs

nùs cunctandum, ſed celerimè danda eſt opera, ut veneno exitus pateſcat, hoſti enim aureus pons ſtruendus eſt.

Quia peſtilentes bubones materiam continent venenatam, nullam in iis maturationem expectare debemus, criticè enim non erumpunt, ſed ſolent quandòque eſſe ſalutares, neceſſe eſt, ut non tantùm ad corporis periferiam trahatur, ſed planè è corpore eliminetur, id duplici modo contingere poteſt, vel per medicamenta alexipharmaca, quæ totum reſpiciunt, vel per chirurgiam. Alexipharmaca multa deſcripſimus in curatione internâ, & innumera proſtant apud authores, verùm nos hîc potiùs unico contenti ſumus, quàm eorum copiâ delectamur, cujus uſum experti ſumus graſſante contagio, tale eſt *Noſtrum Antidotum Anti-peſtilentiale*, quo qui uſi ſunt, omnes evaſerunt, cujus deſcriptionem ingenuè communicamus:

℞. *Rad. angelic.*
Zingiberis,
Imperatoriæ,
Scorſoneræ,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Valerianæ,
Zedoariæ ana ℥. VII. ß.
Radic. carlinæ ℥. ij.
Riſtortæ ℥. ij. ß.
Tormentillæ,
Dictami albi,
Contrherbæ ana ℥. vj.
Fol. rutæ,
Calaminth.
Scordii,
Vincetoxici ana p. j. ß.
Verbenæ p. j.
Card. Sancti,
Morſus diaboli,
Dictami Cretici ana ℥. ß.
Nucis moſchat.
Macis ana ℥. IX.
Sem. citr. excoriat.
Acetoſæ.
Ocymi ana ℥. vij.
Linguæ avis ℥. j.
Boli armeni,
Terræ ſigillat. in aquâ
Acetos. prap. ana ℥. vij. ß.
Oſſis de corde cervi ℥. iij.
Cortic. citri &
Aurantior. extim. ana ℥. j. ß.
Succ. ſcord., &
Rutæ caprar. depurator. ana ℥. iij.
Carnis viperinæ ℥. j.
Croc. orient. ℥. j.
Myrrh. rubr. tranſlucid. ℥. ß.
Rhabarbari opt. ℥. iij.
Corall. rubr. prap. ℥. ß.
Cinnam. acut. ℥. vj.
Bacc. juniper. m. iij.
Ligni aloës ℥. iij.
Lapid. benzoar. or. ℈. ij.
Unicornu ℥. ij.
Raſuræ eboris ℥. ß.
Camphoræ ℥. j.
Stibii diaphoretici ℥. ß.
Theriacæ Andromachi,
Mithridatii ana ℥. iij.
Species. elect. de gemmis ℥. IV.
Elect. diaſcordii fracaſtorii ℥. ß. m.
Et cum ſyr. de rutâ caprariâ, & ſpiritu vini rectificato ana q. ſ. f. elect. S. a.

Preſtantiſſimum, & eximiarum virtutum eſt hoc noſtrum Antidotum Anti-peſtilentiale, quod omni alii anteferendum eſt; ſudores enim profuſiſſimos movet, & ve-

nenatos à centro ad circumferentiam potentes propellit ichores, ac cor à tetris effluviis tuetur. Pro partis præservatione sufficit ℈. j. manè jejuno stomacho; pro peste correptis dosis est ʒ. j. attamen infectus stragulis optimè cooperiatur, & copiosos expectet sudores.

Quò ad chirurgiam aliqui vulgares cucurbitulis utuntur siccis, sed hæ dolorem excitant, febrem intendunt, bonos æquè, ac pravos alliciunt humores, & sanguinem alterant. Alii vesicantia applicant, & vesicas excitant, quas deindè dissecant; verùm aqua, quæ vesicantium causâ exudat, nil aliud est nisi vel succus alimentitius, vel cruor transmutatus à co rosivo cantharidum veneno.

Præterea vesicantia, seu vexantia, suâ vi igneâ febrem adaugent, vigilias inducunt, delirare faciunt, vires prosternunt, & ipsâ lue sunt nocentiora. Insuper vesicantium realgarina salia spiritus reddunt efferos, humores, & solidas intorquent partes, in sanguinem se insinuant, ipsum inficiunt, venenant, ejus compagem dissolvunt, subtiliant, aut in serosum humorem exprimunt, vel per dilaniatam cutem, vel per renes exturbant, disuriam, vel stranguriam, vel ulcera in vesicæ collo causando. Hinc pauciſſimi, nisi quos æquus amavit Juppiter, febre maligna correpti, quibus vulgares vesicantia applicant, evadunt. Tandem præcipua vesicantium ingredientia sunt cantharides, sinapi, euphorbium &c. quæ plurimo sale caustico, & exurente, ac nimio sulphure inflammabili exuberant: sunt itàque de venenorum corrosivorum catalogo, & bubonibus pestilentibus nullatenùs prodesse possunt, quia unum venenum intenderet aliud potiùs, quàm obtunderet, vel attraheret, ut vulgò putatur. Vesicantia nullum antidotum in eorum compositione includunt, ac proinde à remediorum cœtu contra malignas febres, & pestilentes bubones ea tanquàm inepta subsidia, & à diabolo excogitata contra humanum genus, ab ineptis medicis usitata meritò explodimus.

Libenter ferrum admittimus, quo bubonis cutis scarificetur, aut ipse bubo incidatur, ut patefacto exitu, non solùm liberiùs exhalet, sed & humores pestilentes, ut effluvia salina, effluere possint. Neque ullus metus est, (ut nonnulli timent) ne venenum per hoc remedium agitatum ad cor remeet, nàm per patefactam viam naturà venenum è corpore eliminat. Hinc bubone pestilenti correptos, & adaperto, grassante peste, inter peste affectos versatos, ac inter cadavera gressos fuisse absque ulteriori pestis noxâ observavimus. Et idem in bubone Venereo adaperto affectis, grassante peste, observavimus. Neque naturà à loco dolente attrahit, sed ad dolentem locum mittit humores. Nec dolorem timere debemus, qui unâ, & alterâ sectione adeò magnus oriri non potest, & estò indè magnus oriatur dolor, è duobus tamen malis minus est eligendum, præstat itàque ægram servare, quàm

quàm sine dolore venenum in corpore relinqui, à quo mors expectanda sit. Imò dolor leniri potest sequenti cataplasmate:

℞. *Flor. chamæmel. p.* j.
Fol. scordii,
Ruta capraria,
Viscetoxici ana m. j.
Mica panis ʒ. ij.
Coque in lact. vaccin. & adde
Theriacæ ʒ. iij.
Croc. orient. ʒ. ß.
Vitell. ovor. num. ij.
F. cataplasma, & utere

Aliqui post incisionem dolorem demulcent, superimponendo *ovum recens cum oleo rosaceo mistum.*

Ad extrahendum venenum absque incisione magno cum commodo utuntur vulgares pullo gallinaceo, vel columbino deplumato circa podicem, ità tamen ut foramen ipsius supra bubonem, constricto rostro, imponatur, taliter quod per anum respirare cogatur, nàm vi caliditatis ipsius habet vim attrahendi venenum, & pestiferam qualitatem, cujus evidentissimum argumentum est, nàm sæpissimè, & statim veneni vi ab hujusmodi operatione moritur. Non desunt alii consulentes pullum prædictum, & præcipuè columbinum viventem medio ventre apertum parti affectæ superimponendum, donec calidus sentiatur, & statim ac refrigerari incipit, partem affectam theriacâ, vel mithridatio inungunt: hoc enim modo firmâ fide credunt venenum foràs extrahi.

O quàm inepti, hardique sunt vulgares! Quis istos philosopha-

stros docuit hæc animalia, compresso rostro, per podicis foramen respirare? Qua ratione, vel experimento dicunt horum volatilium calorem, pestiferamque qualitatem extrahendi vim habere? Forsan, quia moriuntur? Si vulgarium ora arctè constringeremus, absque eo, quod eorum podicem buboni pestilenti admoveremus utique morerentur.

Ignem actualem maximoperè improbamus, potentialem verò necessarium existimamus intet quamplurima minori dolore profundiùs corrodens nullum nobis hactenùs innotuit, quàm illud, quod componitur ex calce vivâ, & sapone nigro, vel illud ex mercurio meteorizato, & farinâ hordei cum salivâ subacto, vel illud ex saponariorum lixivio conficitur. Inductam escharam sequenti unguento egregiè separabis, ut

℞. *Pingued. porci sine sale* ʒ. ij.
Fuliginis camini ʒ. vj.
Theriacæ ʒ. iij.
Farinæ fœnugraci ʒ. j.
Vitell. ovor. num. ij.
Ol. scorpion. q. s.
M. f. Unguentum.

Nonnulli theriacæ usum reformidant, quia puris genesim impedit, at si maturantia admisceantur, facilè hanc suspicionem vitabunt, nihilominùs theriaca venenum evocat. Post escharæ casum ulcus per longum tempus digere hoc digestivo:

℞. *Terebinth.* ʒ. iij.
Vitell. ovor. num. ij.
Pulv. bufon. exsiccat. &
Fuliginis camini ana ʒ. ij.

Myrrhi

Myrrh. ʒ. j.
Mell. ros. simpl. &
Ol. scorpion. q. s.
F. digestivum.

Nec nimium ad consolidationem festinato, ne venenatus humor in corpore adhuc latens intercludatur, & novum morbum, ac tandem mortem producat.

Præstantissimum remedium contra bubonem pestilentem tàm attractivum, quàm maturativum, & corrosivum erit bufonis pulvis, nàm eo superimposito, infra horæ quadrantem dolore privatur, & infra duas horas perfectam acquiret suppurationem, educeturque per bubonis apertionem totum pestilens virus per corpus diffusum. Sic bufo in pulverem redigitur:

℞. *Bufonem vivum,*
illumque in furnum immitte, ut sensim moriendo, exsiccetur, & in pulverem redigi possit. Hunc pulverem m. cum farina hordei, & cum salivâ, veluriná humanâ, reduc in pultem, quam telæ impone, & buboni applica

Hoc alio modo procedit Paracelsus cum bufone pro extrahendo veneno à bubone pestilenti, ut *Bufonis vivi caput ligno transfigendum est, isque in aëre, aut sole siccandus. Siccatus, & linteo exceptus superligatur. Ubi ille intumescet, & per cutem integram venenum pestis extrahet, toz tusque implebitur. Ità impletus abjiciatur, & recens alius imponatur, applicatio iteranda, donec bubo non amplius intumescat; id enim signum est venenum omne extractum esse, & patientem sanescere.*

Nonnulli utuntur *emplastro de Ranis* cum mercurio, verum venenum ad interiora propellunt, & ægrotum in magnum vitæ discrimen conjiciunt.

Omnibus emplastris palmam præripit *emplastrum de fuligine, quod capite* 43. *de Parotide* descripsimus, hoc enim ad maturandos pestilentes bubones, extrahendum venenum, & demulcendos dolores inde subortos est præstantissimum.

Buboni pestilenti maximoperè præstat *Magnes Arsenicalis*, estque causticum potentiale, quod nullam parit inflammationem, sed sine dolore cutem corrodit, cujus præparatio hæc est:

℞. *Antimonii crudi,*
Sulphuris flavi, &
Arsenici crystallini ana ʒ. iij.
Pulverisentur omnia subtiliter, & misceantur, ponantur in vasculum terreum, & lentus subministretur ignis, donec leniter liquescant, studiosè tamen à fumo cave, quia venenatus est ex arsenico. Agitentur spatulâ ferreâ, donec nempè terebinthina instar ductilentur, & colorem rubeum subobscurum induant, vase refrigerato, materiam exhibe, qua Magnes arsenicalis vocatur, & venenata amplius non est, ut in canibus cuilibet id experiri licet. Ex magnete arsenicali paratur emplastrum inter omnia præstantissimum ità

℞. *Gummat. serapini,*
Ammoniaci,
Galbani ana ʒ. iij.
Dissolue in aceti squillitici s. q. postea per laciniam linteam exprime, & ebulliendo vicissim inspissa, & serva. Deindè
℞. *Ceræ,*
Terebinth. opt. ana ʒ. iv.

Pulv.

Pulv. magnetis arsenicalis ℥. iij.
Ol. succini ℥. ij.

Ceram, & terebinthinam lento igne misce, & remotam ab igne agita, ut in modum unguenti coëant, adde gummata soluta, & colata, & vicissim agitando diligenter misce, exindè forma magdaleones, ac in vesicâ illita oleo scorpii pro usu serva. Hoc emplastrum citissimè maturat, rumpit bubones, & venena potentissimè attrahit, ac cuti duriori impositum nec minimam quidem producit escharam, interim malignos tàm egregiè attrahit humores, ut bubo juglandi similis intra quatuor, vel sex dierum spatium tollatur: Verùm hoc non semper tàm citò evenit. Imò in corporibus robustioribus nequaquàm escharam producit, nisi vesicatorii ope non solùm cuticula, sed etiam quædam cutis particula priùs corrosa fuerit. At verò in pueris corporibusque tenerioribus escharam, nullo vesicatorio præmisso, per se excitare potest. Eschara hæc nigerrima, & putida vera veneni extracti sedes est, quare mediocriter crassa reperitur, cutè superficiali tantùm corrosâ, quod equidem est consideratione dignissimum: nàm hæc ratio est, cur multoties separetur, quàm aliæ escharæ arte excitatæ. Horis enim vigintiquatuor, aut triginta sex effluxis, solius spatulæ auxilio, nullâ præcedente scarificatione, absque ullo, aut saltim non insigni dolore, auferri potest, vel nostro unguento anteà descripto, in reliquis verò utere, ut suprà assignavimus, & ea sint omnia topica medicamenta, quæ venenum in bubone obtundunt, & spiculos infringunt.

Cap. LIV.

De Phymate.

PHyma multoties genericum nomen est apud Græcos, unumquemque tumorem ab intrò extrà erumpentem denotans, sic *Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. & lib. 3. meth. cap. 3.* docet, attamen propriè phyma designat tumorem furunculo in omnibus similem, præterquàm in loci profunditate, nàm phyma extra cutem emergit durities cum aliquo rubore habet, sed faciliter perfectam admittit suppurationem, ut simplex abscessus calidus.

Signa.

Cognoscitur phyma ex tumore duro, rotundo, & multùm elevato, parùm rubente, & ferè doloris experte, in parte propè glandulas. In pueris oritur frequentiùs, rarò in juvenibus, & rariùs in adultis.

Causa.

Vulgares credunt phyma à sanguine non puro, sed pituitoso excitari, ac proindè aliquantulùm ab inflammatione declinare, referuntque hoc tumoris genus ad inflammationem œdematosam. Verùm excitatur phyma ex nutrimento de-

to degenere prope glandulas, & vel ob materiæ resistentiam, vel continentium partium imbecillitatem, lenta, vel saltim non integra evenit suppuratio.

Prognosis.

Phyma periculo vacat, & plerùmque absque medicamentorum ope, sed naturæ beneficio suppuratur, & sanatur, verùm chirurgorum incuriâ mortem inducere potest, si ferro, vel alio acri medicamento tractetur. Facilius curatur in pueris, in juvenibus, & adultis difficilius.

Curatio.

In phymatis curatione danda est opera, ut quamprimùm suppuratio procuretur; ideòque naturæ conatus medicamentis suppurantibus adjuvandus est. Ad hunc finem vulgares commendant *tritici mansum*, & impositum, ut & uvas passas, acinis exemptis, vel sequens cataplasma, ut

℞ *Pulv. radic. alth.*
Farina tritici, &
Lupinor. ana ℥. j.
Caricar. pinq. num. vj.
Fermenti ℥. ß.
Coque, & adde cæpam sub
Cineribus coctam num. j.
Ol. lilior. albor. q. s.
F. cataplasma.

Nisi his medicamentis rumpatur, arte aperiunt, ne materia diutiùs detenta aliquod afferat periculum: Cœterùm potiùs ægrotantem in vitæ periculum conjiciunt, quàm utilitatis aliquid afferunt.

Phymatis curatio internè exposcit incidentia, absorbentia, & diaphoretica, hinc indè ad nauseam dicta; externè suppuratio promoveatur, quæ haberi potest ab externis impositis succorum fermentationem adaugentibus, in quem finem conducet *emplastri fodicationum* superpositio; hocnàmque mediante infra decem dies materia perfectam acquiret suppurationem, partes continentes validæ fiunt, cutem attenuat, tandem tumorem aperit, materiam abstergit, & curationem complet. Qui fodicationum emplastro caret, illud de quatuor gummatibus substituere potest.

Cap. LV.

De Phygethlo.

PHygethlon Græcè aliud tumoris genus est in iisdem partibus adenosis, in quibus bubones accidunt, erumpens; Latini panum, vel potiùs panem à figuræ similitudine nominant. Differentia inter buhonem, & phygethlum est, quòd bubo producitur à sanguine in venis juxta glandulas vitiato, phygethlus verò secùs producitur, ut dicemus.

Signa.

Phygethli signa sunt tumor, durities, calor, distensio, dolor major, quàm pro tumoris magnitudine, & paucus in superficie rubor.

Quan-

Quandòque febris accidit. Interdùm talium nihil extrà deprehenditur, ubi materia altiùs delitescit, sed saltim aliquæ intus percipiuntur punctiones. Rarò, aut nunquàm suppurationem acquirit, & temporis progressu contumacior fit, & indolens esse solet.

Causa.

Assignant pro hujus tumoris causâ inepti vulgares sanguinem biliosum, sed perperàm; nàm producitur phygethlon in ipso glandularum corpore ex propria nutrimenti degeneratione, & hinc est, quod duritiem habet, & rarò, aut nunquàm suppurationem admittit, & temporis tractu contumacior, & indolens fit.

Prognosis.

Phygethlon, qui ex ulcere, dolore, contusione, vel aliâ causâ externâ excitatur, periculo vacat; verùm qui febribus supervenit, sicut præsertim peste grassante, accidere solet, tàm in femoribus, quàm sub alis, sive in collo supervenit, pessimus, & pernicios'us est.

Curatio.

Quia phygethlon suppurationem non admittit, sive ex ulcere, dolore, collisione, vel aliâ de causâ procathartica excitetur, temerè à chirurgis tentanda non est ejus incisio, vel apertio, nàm morbus, qui pericu'o vacat, periculosus fit; glandulosæ enim partes postquàm vitium contraxêre nunquàm, vel rarò illud exuunt absque gangrænæ periculo.

Nostra phygethli cutatio tàm in internis, quàm externis remediis consistit. Interna debent esse deobstruentia, incidentia, deinde diaphoretica, & absorbentia, quibus mediantibus meatus deobstruantur, degener nuttimentum incidatur, & resolvatur, hujus conditionis sunt *essentia centaur. min. absynth. tinctura tartari, tartarus vitriolatus*, quibus admisceri potest *magisterium ocular. cancrorum.* Non contemnenda sunt diaphoretica, præcipuè *sal volatile c. c. viperar.* & alia volatilia.

Externa tumori statim applicanda sunt, verùm repellentia, & alia frigida vitentur, & ad deobstruentia confugiendum est, ut ad *emplastrum de labdano, vel de ammoniaco simpl. malaxatum cum oleo cera*, cujus post longam applicationem, si pertinax perseveret phygethlon, *emplastro de Pyrite* utere, cujus usu omnes duros resolvere poteris. Quòd si his emplastris resolutio reluctabitur, efficacissimum erit *emplastrum Apostolicon Nicolai Alexandrini*, ut

℞. *Lithargyr.* ℥. vj.
Cera citrina,
Colophonia ana ℥. ij.
Propoleos,
Visci quercini,
Glutinis ana ℥. j.
Ammoniaci gutta,
Lapidis calaminaris,
Thuris ana ℥. vj.
Mastiches,
Mumiæ ana ℥. j. ß.

Terebinth.
Galbani,
Bdellii,
Myrrhæ,
Æris usti.
Sarcocollæ,
Squamæ æris ana ℥. j.
Ol. veteris q. s.
F. emplastrum.

Credibile non est, quantùm valet empl. istrum hoc non solum ad duros resolvendos tumores, sed etiam ad quoscumque morbos chirurgicos, omnium præstantissimum experti sumus.

De Herniis.

CAP. LVI.

De Enterocele, & Epiplocele.

POstquàm de iis tumoribus egimus, qui inguina infestare solent, non alienum à nostro instituto de herniis pertractare arbitramur, cùm prope inguina, in scroto, & testibus oboriantur.

A Latinis *hernia*, *ramex*, *ac rupta* à græcis verò *cele* dicitur, quanquàm hoc nomen non solùm intestinorum, sed omenti prolapsui tribuatur. Igitur ab herniis initium facimus, quæ ab intestinis, & omento è naturali sede prolapsis in inguina, sive in scrotum ortum habent, & juxta hanc divisionem duæ tantùm dantur herniarum species, nempè intestinorum, & omenti; undè si intestinum excidit, *hernia intestinalis* appellatur, græcè *enterocelen* dicitur, si verò aliqua omenti pars prolabatur, *hernia omentalis*, vulgò *Zirbalis* nominatur, græcè *epiplocelen*. Nonnulli tertiam herniarum speciem constituunt, quæ ex utrâque mista est, ubi aliquid omenti, & intestina simul prolapsa sunt. Cæterùm si intestina in ipsum usque scrotum descendant, completam, & perfectam constituunt herniam, quam græci *oscheocelen* nominant, & in specie Enterocelen, & Epiplocelen. Si eædem partes ultra inguina non descendant, nec in scrotum delabantur, imperfectam, & incompletam herniam, ac *bubonocelen* appellant.

Constat perinæum duabus validis, & densis, sed mollibus membranis, quæ omnia, quæ intra entre aut infimâ cavitate sunt, adeò tegit, & firmiora reddit, ut indè naturaliter nihil procidere queat. In fœminis pubis os est ejus ultimus terminus: in viris verò ejus membrana ulteriùs procedit, in scrotum nempè, & primam, propriamque testiculorum tunicam efficit. In inguinibus vasa genitalia tanquàm in vaginâ complectitur, quæ peritonæi productio dicitur. Hujus exterior membrana si dilataretur, & interior rumpitur, causa proxima herniarum censetur, prout vel intestinum, vel omentum, vel utrumque illabatur.

Enterocele idem sonat, ac intestinhernia, entera nàmque intestina denotant; epiplocele ac omenthernia, epiplon omentum significat, & enteropiplocele, ac intestinomenthernia. Propriùs im-

per-

Unable to display this page

impetum faciunt, illoſque in tumorem elevant, extra abdomen prolabuntur, & non ſolùm in inguina, ſed etiam per peritonæi proceſſum deſcendere poſſunt. Cauſæ occaſionales, ob quas peritonæum dilatatur, vel diſrumpitur, ſunt motus quicumque violentus, ex alto caſus, percuſſio, equitatio in ſuccuſſore equo, vehemens vomitus, aut tuſſis, magni ponderis elevatio, ſive portatio, durior alvus, & quæ cum difficultate redditur, in partu conatus, flatus in inteſtinis, vocis intenſio, ſpiritus retentio, tuſſis valida, & quodcumque quod ſpiritum concitare, diaphragmati, & abdominis muſculis tenſis, impetum in inferiorem abdominis regionem inferre poteſt.

Hæc eadem omnia, ſi minorem vim, & non violenter proceſſum illum rumpant, ſed ſenſim, & ſæpe illum impetant, peritonæum laxare poſſunt: quò maximè facit peritonæi, & inguinum debilitas, ac humiditas; partes namque debiles, & humidæ facile relaxantur, unde pueri in herniam ſæpiùs incidunt. Et quia proceſſum hunc in interiorem, & exteriorem diſtinguimus tunicam, non incongruum putamus quandòque interiorem, ut in enterocele, & epiplocele, neceſſariò diſtumpi, & externam relaxari, ut de aneuryſmate diximus.

Prognoſis.

Harum herniarum ſpecies in primæ ætatis infantibus facillimè curatur, & præcipuè ſi parva, & recens ſit; in ſenibus verò difficillimè, quia membrana illa tenuis, & nervoſa non facile coaleſcit, præſertim ſi peritonæum ſit diſruptum. Inſuper in herniâ maximum vitæ periculum eſt conjunctum, quia etſi ſæpe adeò ruptura magna ſit, ut inteſtinorum magnus acervus in teſtium ſacculum deſcendere poſſit ſine magno dolore, & vitæ periculo, & propter rupturæ, ac loci amplitudinem fæces ſine periculo, & impedimento libere tranſire poſſint, tamen ſi inteſtina elapſa flatibus, ſive fæcibus ſint repleta, ut reponi non poſſint, ſequitur dolor, & niſi celerrime malo ſuccurratur, inteſtina inflammantur, & æger in præſens vitæ diſcrimen incurrit, in Ileum, & ſymptomata, quæ huic ſuperveniunt. Sæpe accidit inteſtinis inflammatis gangræna, ſphacelus, & hinc mors inevitabilis, eſtò repoſita fuerint.

Curatio.

Curationis ſcopus in eo conſiſtit, ut ante omnia accurata diætæ ratio inſtituatur, & abſtineat æger à cibis flatulentis, phlegmaticis, cruditates, & crapulæ vitentur, & in omnibus victus ratio tenuis, & exſiccans inſtituenda eſt, & admodùm parca, ne ventriculus, & inteſtina turgeant, aliter prolapſa pars nec reponi, nec intra corpus retineri poſſet, parum ergo ad tempus nutrimenti liquidi exhibeatur, ita ſunt caponum, & pullorum juſcula, & potus vinum rubrum.

Si

Si itàque bubonocele sit jamjàm incipiens, in qua ruptura fere ad nucis juglandis magnitudinem in inguine appareat, intestinum manu reducatur, quo peracto, locus oleo myrtino, & mastichino inungatur, ac deinde vulgare emplastrum de pelle arietinâ, vel sequens, quod nos felici eventu nunquàm defraudavit:

℞. *Farin. fabar. lib.* j.
Sem. psillii,
Cydoniorum ana ℥. j.
Consolid. mai. ℥. iv.
Vini, & aceti q. s.
F. emplastrum.

quod bubonocelæ superponatur, & tertio quoque die recens mutetur. Quiescat interim æger, & post viginti dies ex hujus emplastri applicatione, per quadraginta dies hoc utatur arcano, quo quamlibet herniam tutò curabis, dummodò non ultra biennium patientem afflixerit:

℞. *Echinum terrestrem vivum,*
In ollam oleo olivarum plenam immergatur, in eâ bulliat, usque dùm totus sit dissolutus, exprimatur deindè oleum ab animalis residuo, & servetur. Hoc oleo manè, & vesperi herniæ tumorem inunges per quadraginta dies, adhibitâ ligaturâ, quæ semper necessaria est, nàm omnes herniarum species curabis. Vel aliud à nobis infrà describendum contra rupturam imponitur, & decens adhibeatur ligatura.

Si verò enterocele, vel epiplocele sit, resupinetur æger pedibus, & cruribus in altum elevatis, & parùm devaricatis, quo continget sæpiùs intestina, vel omentum ad pristinam sedem sponte suâ redire, quod si hoc non succedat, manu sensim repellenda, & superiora versus comprimenda sunt. Quòd si etiam non eveniat, quia intestina turgent, tunc meditandum est, an flatus, an verò stercus sint in intestino. Flatus ex eo deprehenduntur, quod totum abdomen tensum est, flatus emittit æger, & rugitus in intestinis audiuntur, ac dolor est tensivus sine pondere, fæcibus alvinis, si intestina turgeant, alvus supprimitur per aliquot dies, tumor sensim augetur, dolor, & pondus majus, majorque percipitur duities. Tunc obstacula hæc, quæ repositionem impediunt, removenda sunt.

Si flatibus intestina repleta sunt, flatus discutientia per os exhibenda sunt, hujusmodi erunt *Diacinnamomum, diacuminum, dianisum, aqua cinnamomi, vel semina fœniculi, cumini, anisi, anethi, carvi &c.* & eadem semina per clysteres decocta injicienda sunt, & extra fomenta applicari possunt ex iisdem seminibus, vel sequens, ut

℞. *Flor. verbasci,*
Meliloti,
Chamomilla ana m. ij.
Summitat. aneth. m. j.
Semin. lini,
Fœnugraci,
Maluar. ana ℥. ß.
Decoquantur in aquâ communi, & f. fotus cum spongiis. Si vehemens adsit dolor, dolorem mitigantia addenda sunt *ol. ros. amygdal. dulc. chamamelinum.* Post fotum inungatur

gatur *oleo lilior. albor. & anethino* tepidè, & sensim, ac per intervalla intromittatur. Quòd si flatus à cruditate, & humore viscido foveantur, difficilis erit curatio, tunc enim valida requiruntur discutientia juxta visciditatis exigentiam, & copiam. Nonnulli *oleum amygdal. dulc.* propinant, quia leniendo, & lubricando, materiam tollit. Verùm licèt magna, sive non magna sit materiæ copia, adhiberi non debet, quia materia illa ad locum præcipitatur, & malum pejorat. Igitur per clysteres, & glandes sensim educi debet, ut per incidentia, & attenuantia, liquetur, & commodissimum ad hunc finem clysterem parare possimus ex suprà descripto fotu. Item pars affecta sequenti unguento inungi potest ad flatus discutiendos, ut

℞. *Ol. chamomill.*
Rutacei,
Nardini ana ℥ j.
Nuc. mosch. per express. ℥. ß.
Macis destill. ℥ j. ß.
Spiritûs vini ℥. ij.
Coque parum, & adde
Cera q. s.
Ut f. Ung.

Si fæces induratæ repositionem remorentur, malum pernicioſissimum est, ac proindè maturè emollientia adhibenda cataplasmata, ut

℞. *Radic. alth.* ℥. ij.
Lilior. albor. ℥. j.
Fol. malvæ,
Parietariæ ana m. ß.
Flor. chamomill.
Meliloti ana p. ij.
Furfuris m. ß.
Coque in aquâ com. & express. adde
Farinæ semin. lini,
Fœnugraci ana ℥. ij. ß.
Hordei,
Fabarum ana ℥. iij.
Ol. lilior. albor.
Amygdal. dulc. &
Communn. ana ℥. j.
M. f. cataplasma.

Si cataplasmata non sufficiunt, adhibeantur aquæ dulcis Balnea, in quibus suprà dicta emollientia coqui possint. Aliqui ægrum per tres horas in solius olei communis balneo desidere jubent, vel leni clystere ventris fæces educantur in hunc modum compositio:

℞. *Radic. alth. &*
Lilior. albor. ana ℥. ß.
Fol. mercurialis,
Malvarum,
Althææ ana m. j.
Flor. meliloti, &
Chamomillæ ana m. ij.
Semin. lini,
Fœnugraci,
Anisorum,
Fœniculi ana ℥. ij.
Coquantur in aquâ com.
Colaturæ lib. j. *diss.*
Cass. extract. ℥. j.
Ol. chamomill.
Anethi,
Amygdal. dulc. ana ℥. j.
Vitell. ovor. num. ij.
Salis gemmæ ℥. j. ß.
F. clyster, & injiciatur.

In omenti prolapsu rarò his medicamentis opus est, quia in inguine plerùmque subsistit, & ægro resupinato, vel sponte, vel manûs operâ adhibitâ, in suum locum

cum redit. Quòd si in scrotum usque prolabatur, ut de intestinis procedendum est.

In enterocele, ubi intestinum in scrotum est prolapsum, exacerbantibus unà torminibus, intestini reductio pari modo protinùs molienda est, eductis priùs, si impediant, per injectum clysterem, fœcibus, ægrum in lecto collocando supinum, ità ut venter paulò altiùs corpore recubet, substratis ipsius lumbis culcitris, & sic intestina prolapsa, atque ex peritonæo propendentia lentè, ac leviter manibus reducantur, impellanturque. Quòd si ex voto non eveniat, superposita fomenta, inunctiones, cataplasmata, balnea, insessiones &c. adhibenda sunt, ut quantùm fieri possit, reductio succedat.

Quandòque hæc, & alia medicamenta parùm proficiunt, & æger in angone versatur, tunc extrema remedia tentanda sunt, eapropter nonnulli ad chirurgiam recurrunt, & ductum illum, per quem intestina prolapsa sunt, sectione dilatant. Verùm si inflammatio intestina occupaverit, & alia extrema mala adsint, nulla salus ex sectione speranda est. Prætereà intestina distenta cuti firmiter incumbunt, quæ facilè sectione læsi possunt, & si mors subsequatur, potiùs chirurgo, quàm morbo tribuitur: præstat igitur à morbo ægrum occidi, quàm à medico, ne vituperetur ministerium nostrum.

Ubi jam intestina in pristinam sedem collocata fuerint, cavere debet medicus, ne iterùm excidant. Qua in re tanti momenti fasciæ, vel subligacula adeò sunt necessaria, ut in junioribus, & recentioribus rupturis tota ferè curationis spes in his posita sit; natura nàmque paululum arte adjecta sæpe morbos sanat, qui insanabiles existimabantur, & experientiâ sæpe observatum est, etiam in adultioribus, modò intestina in suâ sede diligenter retineantur, herniam curatam fuisse, etsi ruptura uniri non potuit, saltim circa processûs foramen, natura quid generasse, quod intestinorum lapsum prohibere potuit. Et quamvis integræ sanitatis spes sæpè non sit, tamen ad necessarias actiones sine damno, & periculo exercendas plurimùm facit fasciæ usus.

Artificiosam ligaturam describit *Iohannes Beguinus*, qua omnes hernioſi curari possunt, & hac nos multos curavimus, & multos curatos fuisse vidimus; repositò nàmque intra abdomen intestino, quicumque hernioſus eâ ritè deligatus, violentissima quæque exercitia, cùm athletica, tùm equestria absque omni periculo subire potest. Ligaturæ descriptio talis est: *Ubi, repositò intestino partem affectam balsamo convenienti inunxeris, eique emplastrum imposueris, rursùm huic pannum lineum septuplum, aut octuplum leviter consutum superimpone, & hunc alio simplo, qui in medio sit perforatus, virga virili exitum præbeat, scrotumque, ceu sacculus strictè includat, tege. Hic peractis, ligamentum cape ex panno lineo, latum duos digitos, aut pollicem magnum, pro magnitudine scilicèt patientis,*

tientis. *Hujus extremitatem unam pone super dextrum femur, & duc ligamentum super foramen peritonæi, per quod sese vasa spermatica trahiciunt: & si in dextrâ parte fuerit ruptura, tunc quia illi foramini emplastrum est impositum, duc super emplastrum, & pannos lineos, ut firmiter incumbat ruptura. Deindè perge, ligamentum ducendo infra perinæum, ut à tergo redeat supra sinistrum os coxendicis, & ambiat ventrem includens illam extremitatem, quæ posita est super dextrum femur. Hinc perge supra dextrum coxendicis os, & duc à tergo per perinæum, ut antrorsum redeat, & transeat supra peritonæi sinistrum foramen, ipsumque emplastrum, si ibi sit ruptura, deindè rursum supra sinistrum coxendicem ambiat deorsum, & supra dextrum coxendicem imitetur priorem ligaturam, idque fiat sexies. Vinculum igitur illud sufficienter longum sit, ut sexies circumire patientem hoc modo, possit, quò tanto firmiùs intestinum repositum comprimat. Studendum autem semper inter deligandum, ut simplici isto panno lineo, per quem se penis trahicit, testes simul colligentur, ut veluti in sacculo utrinque, liberè quidèm, sed non laxè propendeant.*

Pro fasciâ paratur etiam bracca, vel etiam subligaculum, vel cingulum ferreum cum scuto ferreo, quod locum, ubi intestina procidunt, arctè tangat, & intestinorum prolapsum prohibeat.

Iohannes Schroderus in suâ pharmacopœiâ medico-chymicâ sequens commendat *emplastrum ad hernias* glutinandas, imò ad solutum peritonæum, ut omne aliud impar sit, superponendo levissimum subligaculum, & congruam observando diætam, ut

℞. *Exuvias anguillar.*
non salitas, & in aquâ calcis lotas, coque in lixivio, donec crassescant & f. instar glutinis, quod effunde super marmor.

℞. *Hujus glutinis trajecti* ℥. iv.
Adde lapid. hæmatitis
Sacch. Saturni,
Iovis usti ana ℥. iij.
Gum. ammon. in acet acerr.
Solut. & cũ ol. myrrh. confusi ℥. iij.
misce omnia in fictili super cineres lentos, ut coëant in massam emplastri tenuis, extendatur super alutam.

Nulli secundum est sequens *nostrum emplastrum ad rupturas* persanandas, ut centies experti sumus, quod ingenuè communicamus.

℞. *Radic. consolid. mai. recenter*
Mundatar. & consciss. lib. j.
Sanicula lib. ß.
Poligoni ℥. iij.
Nuc. cupress. conciss. num. ix.
Coquantur in suff. quantitate aquæ ferrariorum repetitis vicibus affusæ, quousque tota virtus, & mucilago extracta sit. Colaturæ omnes ad remanentiam circiter lib. iij. *& consistentiam mucilagineam evaporent. Tunc*

℞. *Picis navalis, &*
Colophoniæ ana ℥. ij.
Resinæ pini ℥. iv.
His leniter calore liquatis, & mistis adde suprà dictæ mucilaginis lib. iij. *& coquantur lento igne, continuò agitando, ac sensim sequentes immisce pulveres:*
Sang. drac.
Mastich.
Sarcocollæ,
Alumin. usti,
Et boli arm. ana ℥. ß.

Succi-

Succ. acaciæ, &
Hypocistidos in vino austero
Solut. ana ℥. iij.
Olibani,
Myrrhæ ana ℥. ij. ß.
Ros. rubr.
Balaust.
Aristolochiæ rotundæ ana ℥. iv.
Lapid. hæmatitis præp. &
Croci Martis adstringentis ana ℥. iij.
Mumiæ ℥. ij.
Tandèm inde bdell. in acet. destill.
Solut. & inspissati ℥. j.
Et coque ad empl. mollioris consistentiam.

Credibile non est, quantùm hoc nostrum emplastrum mirificè ad bubonocelen, epiplocelen, & enterocelen persanandas valeat, quo siquis ad prædictos tumores utatur, mirabilia præstabit, & major erit experientia verbis. Emplastrum hoc alutæ superinducendum est, & debitè alligandum, ac ante septimum diem non removendum, quo tempore præterlapso, novum admoveatur. Interim in lecto se contineat æger, & pro majori parte supinus decumbat, à motu valido, clamore, irâ, & cibis noxiis sibi caveat, & præsertim Veneris palæstram vitet, & quotidiè fæces deponat aluinas.

Non desint interim interna medicamenta vulneraria adstringentia, & omnia illa, quæ ad vulnerarias adhibemus potiones, hùc etiam commodè revocare possumus, advertendum tamen alia aliis in hoc affectu esse efficaciora, ut sunt *symphytum majus, pilosella, caryophyllata, stellaria, equisetum, perfoliata, herniaria, ophioglossum.* Ex his, & similibus, quæ medicamentorum internorum loco usurpari possunt, confici solent potiones de quibus per triginta dies æger bis de die quinque sumat uncias, ut

℞. *Radic. consolid. mai.* ℥. j.
Herniariæ, &
Pilosellæ ana m. j.
Perfoliatæ ℥. j.
Flor. hyperic. m. j.
Cinnam. ℥. ij.
Coque in vin. rubr. in vase duplici.
Colaturæ lib. j. ß. *adde*
Syr. de symphyt. fernel. ℥. ij.

Vel bis, aut ter in die haustum sumat ex hujusmodi potione:

℞. *Rad. consolid. mai.*
Sigilli Sanctæ Mariæ,
Sanicula,
Bistortæ ana ℥. ß.
Herb. stellariæ,
Pilosellæ,
Caryophyllatæ,
Equiseti,
Bursæ pastoris,
Herbæ Trinitatis ana m. j.
Flor. ros. rubr. p. ij.
Sem. anisor. &
Fœniculi ana ℥. ij.

Fiat decoctio in lib. ij. *vini rubr. ad herbarum emollitionem, attamen clauso vase, tum frigefiant, & adhuc adde lib.* ij. *vini rubei, vinumque probè obturatum asservetur.*

Vel sumantur plantæ selectiores aridæ, & macerentur in vino austero, & colatu a clareti instar propinetur, quod minori cum nausea, ut assumatur, sacharo candido edulcorari potest. Vel ex iisdem plantis selectioribus pare-

tur pulvis ; qui in jure pulli sumi potest. Vel ex *symphyto majori fiat facula*, ex qua formentur pilulæ, & propinentur. Vel singulis diebus manè jejuno stomacho exhibe essentiæ consolidæ majoris cochlear unum cum guttis duabus balsami salis gemmæ.

Atque hæc frequentissima sunt medicamenta, quæ in herniâ intestinali vel ex rupto, vel relaxato peritonæo ortum habente adhibentur, quæ ipsius peritonæi & musculorum unionem, vel corrugationem, ac roborationem moliuntur. Multi credidêre, quòd si hujusmodi tumoribus, adhibitâ ustione ignis actualis, vel potentialis, vel incisione, deindè induceretur cicatrix, quòd firmissima pars remaneret, neque ampliùs relaxaretur; at id licèt verosimile videatur, falsum tamen est in praxi, ut nos multoties observavimus. Cœterùm si ex iis, quæ nos attulimus integram sanitatem æger consequi non possit, fasciâ contentus erit, qui periculosiora medicamenta tentare non audet; hac enim solâ si rectè contineantur intestina, omnibus vitæ actionibus sine magno impedimento vacare poterit, modò ab omni violentiâ absint.

De Testium Tumoribus.

Cap. LVII.

De Hydrocele.

TEstes variis tumorum generibus infestari solent, inflammatione, scilicèt scirrho, œdemate &c. quæ sunt cum aliis communia, quorum hîc tractationem non instituimus; quædam alia sunt particularia, & propriis competunt testibus, non enim fiunt in extimâ scroti parte, sed in intimâ, in ipsis, vel circa ipsos, hujusmodi autem sub herniarum, vel ramicum nomine comprehenduntur, quæ idem denotant ac testium tumores. Sunt herniarum plures species, prima dicitur *Hydrocele, seu hernia aquosa*, cujus, & aliam sortem barbari recensent, nempè humoralem, quasi verò quis unquàm diversos humores in ejusmodi herniâ nudo & lynceo intuitu distinxerit. Secunda *Sarcocele, seu hernia carnosa*, quæ est excrescentia carnea sacculum occupans. Tertia *Pneumatocele, seu hernia flatuosa*. Quarta *Cirsocele, seu hernia varicosa*, ob venulas multas crassas circa oscheum involutas, quæ varices nuncupantur. Quinta *hernia Veneris*, cùm testes impuro concubitu intumescunt, ut de *Lue Venerea dicemus lib. 3. cap. 3. de testium tumore.* Sexta *spermatocele*, cùm vas ejaculatorium corrugatur, & in scrotum delabitur.

Præter has fœminis adhuc peculiaris

liaris infesta est, ipsisque solis propria, & à virili sexu planè aliena, quæ in uteri ligamentis contingit, adeò ut uterus deorsùm ad pudendum propen leat; verùm impropriè vocatur hernia uterina, quia neutiquàm uteri hernia est, sed tantùm uteri procidentia, de qua inter uteri affectus plenior commemoratio fiet, & hîc attingemus.

Hydrocele idem denotat, quod Aquæhernia, sive ramex aquosus, seu hernia aquosa, ab aliis scroti hydrops appellatur, nàm est aquæ collectio in scroto, & circa testes; ydor enim græcè aquàm significat, & vox illa cele apud veteres omnis tumor quacumque corporis parte esset; dicebatur: posteà tamen in specie in testibus, & circa testes plusquàm alibi tumores exortos denotare cœpit.

Hernia aquosa sæpè hydropem, ascitem vel sequitur, vel potiùs comitatur, & quandòque sine eo est. Colligitur aqua vel inter erythroidem tunicam, & darton dictam tunicam, vel extra ipsam, & pelliculas adjacentes, vel in propriâ continetur pelliculâ, atque hoc genus herniam in tunicâ superagnatâ vocamus. Aliquando duplex oritur, hernia cùm materia aquosa, & intra tunicam darton dictam, & in superagnatâ consistit. Quandòque solùm aquâ scrotum distenditur, quandòque etiam flatus complicantur, ut in hydrope contingere solet. Interdùm etiam carnosa quædam substantia circa vasa spermatica concreta aquâ tecta latet, quæ scroto aperto paulò post in cancrum degenerat malignum; ubi enim serosus humor acris est, venas capillares, membranasque leviter erodit: hinc pars nutrimenti illa, quæ paulatim exudat, quia viscida, in carnem concrescit; reliquum verò, quod serosum est, scrotum ità extendit, ut caro tactu explorari possit.

Signa.

Hydrocele visui, & tactui patet, nàm mollis est, & indolens, ac potissimùm quandò aqua in tunicis exterioribus continetur; certiùs tamen exploratur in loco obscuro, appositâ ardente candelâ, vel lampade, scrotum lucidum quasi apparet, instar vesicæ aquâ plenæ, aut ovum, putamine dempto, pellucet, æger de pondere, & gravitate conqueritur, neque etiam tumor per compressionem in abdomen recedit, ut in enterocele fieri solet, sed semper ferè ejusdem magnitudinis se visui præbet. Distinguitur hydrocele à sarcocele per tumoris transparentiam, & opacitatem; nàm in obscuro loco lumen post scrotum positum ab oppositio oculo videtur, si hydrocele est: sed si sarcocele sit, ob carnis opacitatem minimè quidèm lumen transparet. Ubi testes soli intumescunt, scrotum adhùc rugosum aliquo modo apparet, quod non accidit, ubi aqua inter scrotum præcipuè continetur.

Quo in loco, & inter quam tunicam humor aquosus contineatur, his cognoscitur signis: Si inter erythroidem tunicam continea-

tur, tumor erit rotundus, paulò longior, ovi instar, testiculusque ibi visui, & tactui occultatur, scrotumque ipsum albidius est, & nihil, aut parùm intenditur. Si extra erythroidem tunicam sub dartos lateat humor, testiculus tactui occurrit, scrotum magis intenditur. Si tandèm in superagnatâ tunica humor hæreat, tumor undique conglobatus alterius, testiculi imaginem refert.

Causa.

Putârunt vulgares chirurgi hydrocelen rarò in ipso scroto generari, sed à partibus supernis infrà, à ventriculo, aut hepate, vel mesenterio, & intestinis aquam in scrotum descendere, imò à toto corpore, sed has insulsitates in nostrâ *Trutinâ lib. 2. cap. 4. de pulmonis hydrope* fusiùs repudiavimus.

Nonnulli in hydrocele aquam ex abdomine in scrotum effluere existimârunt. Verùm hoc tantùm militaret in hydrocele cum hydrope conjunctâ in quo magna aquæ copia in abdominis cavitate est collecta, vel si aliquid aquæ ex abdominis cavitate in scrotum sensim descenderet, & æger hydrope adhuc non laboraret, saltim necessariò in hydropem incideret, quod falsum esse nos experientia docet; videmus enim multos hydrocele ad multos annos laborare, nec ascite tentari.

Quidam statuunt ejusmodi serosum excrementum in scrotum destillare à vasis urinariis illud ad vesicam deferentibus, si in eorum tunicis raritas aliqua, vel à naturæ primordiis facta sit, vel temporis processu ob vim acrioris urinæ supervenerit, ob quam aliquæ ejus guttæ assiduè transsudent, quæ facilè sibi aditum parare possint, ob suam tenuitatem, & loci vicinitatem ad testes, & scrotum. Cæterùm illorum vasorum tunicæ non sunt ex chartâ emporetica, sed satis densæ, ut credibile non sit, urinam per illas transsudare posse.

Crediderunt alii aliquid humoris aquosi à rene ad scrotum descendere, sed per quos ductus id descendat, non docent, cum renes substantiam habeant duram, compactam, & densam.

Paracelsus hydrocelen oriri vult in oscheo ex sale, qui naturâ suâ in resolutionem abire aptus natus est, & superfluæ humiditatis haustu liquatur, quam sententiam non omninò improbabilem arbitramur.

Oritur hydrocele, cùm ductus lymphatici intra scroti, vel testium tunicas contenti, vel oc luduntur, ex quorum occlusione nimii non purgantur latices, & per hæc vasa impeditur transitus, vel à lymphæ copiâ rumpuntur, vel liquoris acrimoniâ eroduntur.

Hùc etiam spectat vasorum debilitas, vel raritas, & præcipuè accedente aliquâ causâ externa, ut percussione, vel compressione. Non negamus tamen in abdomine, vel circa renes ductibus lymphaticis ruptionem, erosionem, & imbecillitatem accidere posse, & indè ad scrotum, vel testes, nunc sinistrum, nunc dextrum lympham gut-

guttatim extillare, in primis accedente causâ externâ.

Prognosis.

Hydrocele incipiens facilè curatur, nisi tamen ex ascite dependeat, tunc enim nisi priùs præditum malum curetur, vel ejus auferatur causa, curari nequit. Quandòque ad tantam molem excrescere solet, ut sæpè caput æquet humanum. Si tanta hydrocele sit, ut testes perpetuò madeant, facilè eos stagnans diù aqua citrina putrefactivam nacta qualitatem corrumpere possit, scroti quidèm apertione, atque aquæ eductione mox juvantur, brevi tamen aqua redit. Quæ scroti punctione curatur hydrocele, semestrem sibi assumit censum nàm rursùm nova aqua affluit, nisi per efficacia remedia interna cacochymia corrigatur, & serum purgetur, & causa auferatur. Imò nulla herniarum incisio in vero cacochymo debili, sene, intemperante, vel guloso, ex voto succedit, sed semper ignominiam pariet. Quæ à causâ externâ est hydrocele, non ità difficulter curatur, quàm quæ ab internâ. Si carnosa quædam substantia circa vasa spermatica concreta aquâ tecta latet, scroto aperto, paulò post in cancrum degenerat malignum. Quæ hydrocele à renum vitio, ut dicunt, oritur, difficulter sanatur, non nisi renibus curatis, quod impossibile est, & temporis progressu ab humoris acrimoniâ testis substantia corrumpitur, & ulcus excitatur immedicabile, & esto testis sectione auferri, & ità tumorem tolli possit: tamen posteà humor, qui anteà in testem descendebat, in corpore hæret, & alia lethalia excitat mala.

Curatio.

Hydroceles curatio duplex est, una producti, & altera illius quod causæ est; quapropter si simul hydrops conjunctus sit, curatio ad eum præsertim dirigenda est, & aquosi humoris generatio prohibenda: quod etiam faciendum est, si sine hydrope aqua in abdomine colligatur. Producti curatio aquæ eductione tantùm assequitur, corpore priùs purgato, *conservâ flor. persic. resinâ jalap.* vel aliis hydragogis alibi descriptis; fiat deinde producti eductio, quæ communiter fit lanceolâ, scrotum incidendo, sed hæc operatio imperfectum relinquit opus, nàm ratò tota educitur aqua ob incisionis angustiam, & ejus labiorum coalescentiam. Postremò invenêre instrumentum ferreum, imò chalybeum ad hoc opus peragendum mirabile, quod absque dolore, & horrore ad minimam usque guttulam aqua educitur. Instrumentum hoc chalybeum est fistulosum majoris calami gallinacei, longitudinis quatuor transversorum digitorum, in extremorum uno ex quadrato in acutissimum mucronem desinit, & paulò infrà quatuor foraminula quadrata habet, quæ in fistulam ejusdem chalybis se aperiunt; in altero,

tero verùm extremorum æqualiter est, & ad apertum. Hoc instrumentum parte ejus acutâ in hydrocelen infigitur, manu elevato teste, ne instrumenti mucrone pungatur, ac eò usque illud ascendere intra scrotum permitte, quousque aqua per foraminula sub mucrone in fistulam, & deinde foràs descendat; si cautè scrotum premendo, ut illud instrumenti mucrone} pungas, & integram aquam per foramen adigas, extrahe demùm instrumentum, nàm neque punctionis vestigium relinquit. Verùm ni aquæ genesis inhibeatur, singulis annis, imò semestribus id facere opus est, & sic aqua intra scrotum contenta ejus operatione, & apertione sensibiliter evacuatur, quod quidèm præsidium satis tutum, & efficax est. Si verò intra proprias testium tunicas deliteſcat aqua, minùs tutum, & inefficax erit præsidium. Si cum hydrocele caro aliqua circa testem concreverit, curatio cautè instituenda est, cùm malum facilè in cancrum abire soleat. Si testis ex aquâ corruptus sit, quod ex fœtore, & pravo aquæ colore deprehenditur, ne vicinas inficiat partes sectione extrahendus est, ut in sarcocele fieri assolet. Nonnulli bardi vulgares scrotum, ut aquam educant, cauterio seu potentiali aperiunt, verùm perperàm faciunt, nàm ulcus inde succedens difficulter sanatur, quia hydrocele est scroti hydrops, & juxta *Hip. aph.* 8. *sect.* 6. *Hydropicorum ulcera ægrè sanantur, cùm ulcera exsiccatione indigeant.*

Eductâ hydroceles aquâ, remanet, ut medicus procuret, ne iterum producatur, id obtinebit, si per quadraginta dies *cancrorum fluvialium salia alkalia* infirmo exhibeat, est sal alkali cancrorum idem ac eorum cinis vehementi igne paratus, hujus recipe ʒ. j. & quolibet manè per 40. dies patienti eum exhibe, si interim hydrocele redeat, iterùm instrumento pungatur, & id toties, & usque dùm alkali cancrorum causam generationis aquæ exterminaverit.

Nonnulli aquam in scroto collectam insensibiliter deplere tentant; verùm si in magnam excreverit molem, incassùm laborabit medicus, non negaverimus tamen, si in paucâ quantitate, & recens circa principia, posse insensibiliter, & in halitus resolvi, potissimùm verò in pueris, ad hunc finem obtinendum cataplasma usurpari potest:

℞. *Cochlear. cum testis contus.* ʒ. iv.
Baccarum lauri,
Sulphuris ana ʒ. ij.
Stercoris caprini ʒ. iij.
Cum s. q. lixivii.
Fiat cataplasma.

Vel stercus caprillum cum aquâ fabrorum ferrariorum, vel quod præstat, *urinâ propriâ coctum* applicetur: Vel *limaces cum suis testis pistentur, & reducantur in emplastri formam*, quod scroto applicetur, & relinquatur, donec sponte cadat. Vel

℞. *Ol. irini*,
Rutacei,
Laurini ana ʒ. j. ß.
Bdell. vino solut. ʒ. ß.

Sulphuris

Sulphuris vivi ℥ ij.
Stercoris caprini q. s.
Fiat linimentum.

Vel fiat sequens emplastrum:

℞. *Ceræ lib.* j.
Terebinth. ℥. ij. ß.
Bdellii,
Ammoniaci ana ℥. ij.
M. f. empl.

Internè exhiberi possunt ea omnia, quæ diaphoresim promovent. Fugienda sunt diuretica, quia magnam seri quantitatem ad scrotum vehere, & malum augere possunt.

Verùm notandum est, quòd si hydrocele ex vasorum lymphaticorum occlusione, seu obstructione per essentiam in ipso scroto, vel per consensum ab abdomine, vel circa renes, vel ex ductuum raritate, & debilitate ortum ducat, hæc quæ descripsimus, profectò juvant, imò hydrocelen sanare possunt; at si à vasorum ruptione, vel erosione malum oriatur, nihil omninò prodesse possunt, sed tantùm scrotum repletum instrumenti punctione deplere optimum erit præsidium.

Cap. LVIII.

De Sarcocele.

Sarcocele idem est ac Latinis Carnhernia, Græcè enim Sarx, sarcos carnem significat, & cele apud Græcos tumorem denotat. Tumor est carnosus, qui in scroto nascitur, testibusque adnascitur.

Signa.

Tumor hic in scroto est durus, intumescentia in inguine nulla, figura testem refert, insensilis est augmentatio, quo modo ab exterocele differt, quæ mollior, & illicò oboritur; ab hydrocele opocitate secernitur. Majus est pondus, majorque molestia, quàm dolor. Si tumor sit durus, & scirrhosus, nec dolor, nec calor adest; si verò sit malignus, dolor punctorius percipitur.

Causa.

Secundum vulgares fit sarcocele ex sanguine impuro, imò ex optimo ad scrotum, & testes copiosiùs affluente, ibique in substantiam carni similem mutato. Sed in falso volutantur suppositio; supponunt enim sanguinem, qui pro vitalitate inservit, nutrire, & ex eo carnem gigni, quòd si verum hoc esset, sequeretur macilentos esse obesos, quia nimio abundant sanguine, & obesos esse macilentos, quia pauco exuberant sanguine: igitur autopsiâ patet sarcocelen ex impuriori, sive puriori non gigni sanguine.

Nos veram sarcoceles causam in eo consistere existimamus, cùm ictum, percussionem, contusionem, lapsum &c. fibræ spermaticæ intra scrotum, vel ipsos testes amplexantes patiuntur, tunc luxuriante in dictis fibris spermaticis vi auctrice succus nutritius in partem profluit, & in carnem mutatur

Unable to display this page

ut si hoc modo possibile sit, caro tolli possit: quamvis tamen visitatione omne corrosum non est auferendum, ut tanto meliùs carnis reliquiæ consumi possint.

Quod si his medicamentis malum curari non possit, & tumoris moles ægro molesta sit, testis unà cum herniâ sectione extrahendus est, & cute in inguine aperta, evulsisque vasis seminariis cum illius loci teste, ligatisque simul vasis, sub ligaturâ caro amputanda est. Minus periculi est, si non in inguine, sed scroti latere tumente sectio fiat, & testis cum carne illi adnata per vulnus extrahatur.

Verùm chirurgos admonitos esse volumus, ne pro sarcocele testes scirrhosos secent; paraſtratæ enim adeò tumefactæ quandòque sunt, testibus in primis scirrhosis existentibus, ut herniæ carnosæ specie illos decipiant.

CAP. LIX.

De Pneumatocele.

PNeumatocele idem sonat, ac hernia ventosa, seu flatuosa, estque tumor flatulentus in oscheo, seu scroto. Aliquandò cum hydrocele, & aliquandò etiam sine eâ invadere solet. Estque hoc malum pueris satis familiare.

Signa.

Tumor est in scroto, & quandòque in testibus cum tensione citra pondus, cum leviori pellucidate, non admodùm increscit, & dùm manibus premitur, flatus deprehenditur, qui ex unâ parte in alteram cum sono impellitur, est quandòque cum, & quandòque sine tympanitide, & quandòque cum minatur.

Causæ.

Pneumatoceles causa sunt flatus in scroto, & quandoque in testibus, vel in ipsis geniti, vel ad ipsos à vicinis partibus transmissi, scilicèt ab intestinorum convexo, vel abdomine. Generantur flatus ex proprio membranarum alimento deturpato, vel in scroto, vel in intestinorum convexo, vel in ipso abdomine. Eodem modo fiunt flatus non aliàs ac intùs in intestino, scilicèt à similari alimento degenerante, quò fermentum deturpatum advenieus, ipsa loci vita irritata, & malè affecta vertat proprium membranarum alimentum in flatus.

Prognosis.

Pneumatocele tympaniticæ prosapiæ est, ac nonnunquàm tympanitem præcurrit, quòd si aliter se habeat, inter reliquas herniarum species hæc una levissima, & curatu facillima est cùm quandòque flatus faciliùs, quàm aliorum tumorum causæ tollantur.

Curatio.

Herniæ ventosæ curationi studendum est, ut flatus geniti dis-

cutiantur, & alii ne denuò generentur, & inhibeantur ac ad hunc finem omnes interdicunt cibos, è quibus flatus generantur. Deinde purgantia præscribunt vulgares, verùm hæc rarò proficiunt, imò per hæc flatus magis exasperantur. Corpore depleto, talem injiciunt clysterem, præcipuè si flatus ex abdomine suppeditantur.

℞. *Rutæ,*
Flor. chamamel.
Meliloti,
Sem. anethi ana m. ß.
Cumini,
Lini ana ʒ. ij.
Coque. Colaturæ
℞. *Libram unam,*
Electl. bened. laxat. ʒ. j.
De bacc. lauri ʒ. ß.
Ol. rutac.
Anethi ana ʒ. j. ß.
Fiat clyster.

Sed allucinantur, nàm scrotum peccat, & podicem plectunt, non sunt flatus in intestinorum cavitate, sed in eorum convexo, vel qui in abdomine generantur, & ad scrotum transmittuntur, nec exturbari per podicem possunt, quia nullam adhuc anatome lustravit semitam.

Toti ventri imponunt sacculum, imò saccum ex *floribus chamameli, meliloti, sem. milii, cumini, carui, anethi &c.* sed hic sacculus est clystere pejor, nàm flatus agitat, nec exitum invenientes, ad scrotum confertim confugiunt, & morbum adaugent; si verò pneumatocele per essentiam, & non per consensum sit, nec obest, nec prodest. Præterquàmquòd nullo modo adduci possumus, ut credamus dari hernias ventosas per consensum ab intestinis, vel abdomine, quia si scrotum manibus premeretur, ascenderet flatus, & scrotum depleretur, ac subligaculo arctè impositò, æger absque aliis præsidiis sanesceret, quod cùm nos in omnibus experti fuissemus, falsum invenimus; credimus tamen hoc evenire posse, quandò pneumatocelen tympanites comitatur.

Facilè curatur hernia flatulenta illis præsidiis, quæ genitos discutiunt flatus, & deturpatum in fibris abstergunt nutrimentum, hujusmodi sunt *Diacubeba Paracelsi ad* ʒ. ij. *Arcanum, seu liquor florum tapsi barbati suo modo paratum ad* ʒ. j. *aliquoties sumptum in decocto seminis, & radicis fœniculi, aromaticum caryophyllatum, diacalaminthos Galeni, diospoliticon* ejusdem. Ipsi scroto adhibeatur fotus:

℞. *Pulegii,*
Calaminth.
Rutæ,
Origani,
Flor. meliloti,
Chamomill. ana m. j.
Sem. anisi,
Fœniculi,
Carui ana ʒ. ij.
Nucis mosch. ʒ. j.

Coque in vino pro fotu. Vel sequens imponatur cataplasma:

℞. *Fimi vaccini lib.* ij.
Sulph. viv.
Sem. cumini ana ʒ. ij.

Misce, & cum sufficiente quantitate mellis, & olei anethini fiat cataplasma. Ipsum scrotum inungi potest

oleo

oleo rutæ, maciis stillatitio, & tandèm imponatur *emplastrum de bacc. Lauri.* Cave, ne pneumatocelen pungas, vel seces, nàm punctione, vel sectione non curatur. Si morbus sit cum tympanitide, non curatur, nisi principali ablato.

CAP. LX.

De Cirsocele.

VEnæ conspicuæ magnitudinis per corporis partes dispersæ quendam patiuntur morbum, quo à carne versus cutis superficiem elevantur, ac ultra naturalem amplitudinem dilatantur, propter quod magnitudine naturali ampliores, & sanguine turgentes apparent. Communiter istæ venarum eminentiæ varices indigitantur, verùm pro loci ratione distinctum meruêre nomen, nàm si in scroto, sive in testibus hujusmodi venæ turgeant, cirsocelen appellitant affectum: cirsocele nàmque idem sonat Latinè ac hernia varicosa, Græcè circos significat varices, & cele herniam. Si in pedibus, & cruribus hæ venarum dilatationes accidant, simpliciter dicuntur varices, de quibus fusiùs *cap. 16.* egimus. Si tandèm talis vasorum amplificatio in inguinibus eveniat, loci ratione cirsobubonocele dicitur.

Signa.

Cirsocele facilè cognoscitur, nàm venæ in oscheo circa testes ob dilatationem sunt tumidæ, quasi funiculi, cum tumore aliquantulùm obliquo, & racematim in uvæ modum veluti glomerantur cum testis relaxatione, & nativi coloris in cœruleum, nigrum, aut subviridem transmutatione. Dolor non adest, nisi flatulento spiritu nimis distendantur.

Causa.

Cirsoceles causam solitis næviis inhærentes credidêre inepti vulgares esse humorem melancholicum in corpore cumulatum ad oscheum, & in prius in venas, quæ testes nutriunt, effusum. Vera cirsoceles causa sunt venæ in oscheo circa testes debilitatæ, quæ sanguinem sursùm non impelliunt, sed colligunt, & novâ accedente sanguinis portione dilatantur, propter quod sanguis, quem in cor revehere debebant, veluti in gurgite ibi recipitur, & in eo circulationis motus retardatur. Conferunt ad cirsocelen partis debilitas, ictus, contusio &c.

Prognosis.

Cirsocele parùm molestat, verùm secundum vulgares curatu difficilior est, quia ab humore melancholico pendet, ut alii tumores, qui ab hoc oriuntur humore; quandòque tamen in turpissimum colorem, & foramina quædam fœtentissima terminare solet

Curatio.

Vulgares pro hujus herniæ curatione purgantia præmittunt pro

humore melancholico expurgando, & talem instituunt curationem, qualis tumoribus melancholicis debetur. Et quidèm nonnulli sectione curant, ut Varices. Verum hæc curatio multa incommoda, & pericula habet conjuncta. Alii emollientibus, & discutientibus curationem moliuntur, ac proindè balneum, seu semicupium ex decocto *radicum althææ, seminum lini, sesami*, & similium usurpant, & deindè locum affectum inungunt *oleo sesamino, amygdalarum dulcium cum bdellio*, & id per octo dies continuant. Postmodùm adhibent balneum *ex lixivio, in quo cocti sint flores chamæmeli, & fœnugraci.* Verùm his vanidis medicamentis nescimus, quid emolliant, discutiantque. Numquid sanguinem intra venas emolliunt, discutiuntque? Imò potiùs relaxatas venas dilatant.

Quidam adstringentibus utuntur, ut *balaustis, corticibus granatorum, rosis rubris, bolo armeno, nucibus cupressi*, & similibus, vel sequenti fotu, ut

℞. *Comar. absynth. sicci,*
Nucum cupressi, &
Gallar. omnium ana p. j.
Mastiches,
Mannæ thuris, &
Ladani ana ʒ. ß.

Coquantur in vino austero, & aquâ myrtillorum ad consumptionem tertiæ partis, & postmodùm colatur, & supra partem affectam fiat fotus, vel linteola in hoc decocto madefacta frequenter in parte affectâ detineantur. Quandòque adhibent singulis diebus *aquam è nucibus cupressi in duplici vase destillatam*; qua scrotum humectant, adhibentque subligaculum.

Indicatio pro cirsoceles curatione est, ut sanguis in venis stagnans fluidior reddatur, & venarum fibræ corrugentur, densioresque fiant. Hoc neque purgantibus, neque phlebotomiâ, neque balneis, neque mercurialibus, neque sectione, neque corrosivis tentandum est; nàm hæc omnia venarum constitutionem magis lacessiunt, eapropter specificis est medico innitendum, horum nos duo tantum experti sumus. Unum est *rasura radicis Bryoniæ recentis*, multoties cirsocelæ superposita, hæc non secus ac in echymosi coagulatum, & crassum resolvit sanguinem venarumque fibras corrugat. Alterum est humana pinguedo, hæc super cirsocelen ligata, ac tèr repetita varicosa corpora ad naturalem reducit situm.

Cap. LXI.

De Scroti, & Testium Inflammatione.

Præter notatas herniarum species, quas scroto, & testibus accidere descripsimus, prædictæ partes alios patiuntur tumores, nempè inflammationes, abscessus, inflationes, scirrhos, cancros, gangrænas, ne idem bis repetatur, silentio prætermittimus, quia de prædictis affectibus peculiaria instituimus capita, solùm hic de scroti, & testium inflammatione age-

agemus; Verumenimverò inflammatione interdùm corripitur scrotum, & quidèm nunc solùm, testibus salvis, sæpissimè cum eodem scroto testibus unà inflammatis.

Signa.

Scroti inflammatio facilè patet, nàm levioris causæ est, & exteriorem cum subjectâ membranâ carnosam comprehendit pelliculam. Scrotum in tumorem attollitur, adest durities, rubor, & calor, dolor lancinans, qui per levem contactum exasperatur, solet unà leviuscula febricula adesse. At si vehementior inflammationis causa subest, tunc inflammatio simul testes incendit cum vehementi dolore, & febris incendio, solo teste inflammato, exterior scroti color naturalis est, testis verò durior, humidior, & ex levi attactu dolere non videtur, at in valido digitorum attactu rubor, dolor, & durities magis se manifestant, quæ omnia, si scrotum simul inflammatur, sunt manifestiora. Febris quoque in graviori causâ semper unà incenditur, cum dolore pulsatili ad renum usque loca se extendente, & hæc omnia geminantur, utroque teste inflammato, & dolor magis acutus per totum lancinat corpus; at si unicus saltim testis inflammatione laboret, dicta symptomata minùs percipiuntur.

Causæ.

Inflammatur scrotum, & testes secundum vulgarium sententiam à sanguine ad eos p. n. confluente, quod accidit vel sponte eò ruente sanguine, vel ex percussione, aut collisione, equitatione durâ, aut ab aliâ causâ externâ sanguinem eò trahere valente, eò attracto, nunc scrotum, nunc unà testes inflammantur, & nunc vel scrotum, vel testes. Optima quidèm causa, sed nimis rustica, & trivialis, & quia multùm dicit, nihil dicit; non enim explicat quomodò fiat inflammatio.

Nostra circa scroti, & testium inflammationem sententia est, quòd sanguis in harum partium venulis vel grumescit, concrescit, vel per tubulorum rarefactionem intra fibras effunditur, concrescit, & per novam affluxionem tumorem, dolorem, calorem, ruborem, & pulsum accersit. Causæ occasionales internæ sunt vesiculæ excitatæ ab humore acri, & salino, sive à degenere succo alimentitio, quæ sub cuticulâ vesicæ lymphâ plenæ, vel pustulæ excitantur, vel intra partium cavitates; undè fit, ut scrotum, vel alteruter testis turgidior, & durior evadat, & facilè postmodùm inflammatio sequi possit. Externæ sunt violentæ injuriæ à lapsu, percussione, equitationis succussione, contusione, compressione &c.

Prognosis

Unable to display this page

Cidonior. cum aquâ ros. extract.
ana ℥. ß.
Cerussæ ℥. iv.
M. f. epithema.

Si dolor urgeat, refrigerantibus, & laxantibus utuntur, ut

℞. *Farin. hord.* ℥. ij.
Sem. lini, &
Fœnugraci ana ℥. j.
Malv. &
Alth. ad mollitiem coctar. ana m. ß.
Pingued. porci, &
Ol. violar. ana q. s.
Fiat cataplasma

Vel

℞. *Solani,*
Malvar.
Viol. ana m. j.
Furfur. p. ij.

Coquantur, & parti dolenti applicentur.

Ad sanguinis fluxum intercipiendum, ad pubis latus, ubi venæ, & arteriæ ex abdomine ad testes, & scrotum descendunt, defensiva, & intercipientia imponunt ex *ros. rubr. bolo armeno, maslichè cum aquâ ros. & ovi albumine, vel unguentum comitissæ, vel emplastrum ad herniam*, tùm repellentibus utuntur, & tandèm materiam digerunt, quæ si suppurationem nanciscatur, eam adjuvant, abscessum maturum aperiunt, digerunt, mundificant, & aliorum more consolidant.

Scroti & testium inflammationem duplici præsidiorum genere curamus, ut in aliarum partium inflammationibus diximus, abdicatis tamen purgantibus, & phlebotomiâ, quæ nunquàm juvare possunt. Primum erit illud, quod sanguinem dissolvit concretum, cujusmodi est *sperma ceti, essentia sanguinis hirci, stibium diaphoreticum, magisterium oculorum cancrorum fluviatilium, extractum bellidis minoris, mumia, aqua theriacalis, mistura simplex, spiritus tartari &c.* quæ intrò sumi possunt.

Alterum est topicum, hujusmodi erit *emplastrum de spermate ceti*. Multum conducit *herba Paris viridis contusa*, nàm inflammationem illicò sistit, vel sequens compositio, ut

℞. *Nymph. &*
Nasturtii aquatici ana m. ij.

Coque in suff. q. acet. ros. cum vino, & in fine decoctionis adde ol. ros. parum, & tepidiusculè applica. Vel præsentissimum erit cataplasma *ex rutæ, & ebuli foliis in aceto coctum*, & applicatum

Si dolor valdè urgeat, anodyna requirit, & tunc:

℞. *Micæ panis in lacte fervido,*
Macerata, & express. lib. ß.
Vitell. ovor. crud. conquass. num. iij.
Farinæ fœnugraci ℥. j.
Ol. ros. ℥. iij. *m.*

Vel sequens, ut

℞. *Farinar. hord.*
Sem. lini,
Fœnugraci ana ℥. j.
Fol. hyoscyami m. j.
Malv. m. ß.
Ping. porci ℥. j.
Ol. sem. papav. ℥. j. ß.
Lact. vaccini q. s.
F. cataplasma.

Si inflammatio per procrastinationem jàm ad suppurationem tendat, tunc humidiora conveniunt, ut

℞. *Althææ cum toto*,
Mali ana m. j.
Farinæ tritici ℥ iij.
Sem. lini,
Fœnugraci ana ℥. j. ß.
Flor. chamæmel.
Meliloti ana p. ij.

Coquantur in jure pingui ad mollitiem, tum contusa per cribrum trahiciantur, & adde

Axungiæ porcinæ ℥. iij.
Ol. viol. q. s.
Fiat cataplasma.

Vel sequens ex *capâ collâ sub cineribus cum axungiâ porci, & modico sapone Neapolitano.* Vel imponatur *emplastrum filii Zachariæ, vel Apostolicum*, sed præstat præ omnibus *emplastrum nostrum Benedictum*, quod abscessum aperit.

Si sufficienter maturata suppuratio per se rumpi nolit, scalpello incidatur, & regatur, ut de aliarum inflammationum suppuratarum curatione dictum, tandèm ad sanitatem perducatur *emplastro fodicationum, vel Oppoteldoch Paracelsi.*

Cave tamen, ne abscessum cauterio potentiali aperias, nàm pessimos habuisse successus nos observavimus. Foramen sit exiguum, quod tantùm tunicas penetret. Licèt in hoc casu pus optimè se habeat, morbus nihilominus perniciosus est, & facillimè in cancrum, aut sphacelum degenerare potest, & commodiori medio, quàm ferro auferri non potest, si in tempore talis operatio instituatur.

Advertas volumus, quòd quæcumque medicamenta scroto, & testibus applicantur, ligatura semper necessaria est, quæ versus superiora tendat, ut scrotum, & testes minùs pendeant; ità enim pondus, dolor, & fluxus ad locum affectum minùs fiet.

Postquàm de testium, & ipsorum domicilii affectibus egimus, ex nostro instituto conveniens est de penis affectibus agere, undè

Cap. LXII.

De Priapismo, & Satyriasi.

NAtura penem efformavit ob coitum, & non ad emittendam urinam, (fœminæ nàmque sine eo lotium excernunt) ac proindè per certa intervalla intenditur, tenditur, rigiduſque evadit, ut longissimè suâ porrectione semen intra muliebrem sinum ejaculetur, qua operatione completâ, à suâ indurationè, tensione, & intumescentiâ iterùm se remittit, ac mollis, & pendulus redit, ne assidua erectio insessum, & negotia præpediat. Evenit quandòque ut assidua fiat penis erectio, quæ duplici insignitur nomine, una dicitur Priapismus, altera verò Satyriasis, sive Satyriasmus.

Priapismus, ut *Gal. placet 6. de loc. aff. cap. 6. Est cum penis, sive virile membrum in longitudine, & latitudine, seu circulo totus augetur, nullo quidèm stimulante ad libidinem desiderio, aut acquisito calore, velati* quibusdam accidere consuevit, qui supini decumbunt, subjungitque *3. de sympt. causis cap. 4. Intumescit omninò instaturque & arrigitur invitò, vel dicere potes permanentem colis-*

colis, aut auctionem, aut tumorem.

Denominationem hic affectus à Priapo desumpsit: fuit Priapus, ut poëtæ fabulantur, Liberi patris, & Veneris filius, quem superstitiosa antiquitas hortorum, agrorumque Deum præsidem credidit, & falce salignâ, ut furum, aviumque esset formido, ac semper pene porrecto sculpsit, hinc etiam membrum virile Priapi nomen accepit.

Altera est Satyriasis, & penis pariter continuò rigide erectus turget, cum ingenti salacitate. Veneriscque furibundo appetitu, per coitum non exatiabili.

A Satyris nomen accepit, qui ad libidinem semper proni sunt, & pene erecto pinguntur, à virili membro, quod veteres Sathin appellabant. Sunt Satyri homunciones uncis naribus, & cornua in frontibus, pedesque caprarum similes habent. Hi ut *Plinius lib. 7. cap. 2.* refert, sunt animalia quadrupedia, in subiolanis Indorum montibus perniciissima humanâ effigie, recte currentia. Veteres hujusmodi monstra pro Sylvestribus dis coluerunt. Alii Sylvestres homines putârunt. Nonnulli dœmones incubos in hac homunciorum specie, aut latitantes, aut sub eâdem in humani generis perniciem apparentes, ut in errorem homines inducant, arbitrantur. Hujusmodi à Divo Antonio per solitudines eremi Thebaidos visum fuisse meminit *Hieronymus* in vitâ S. Antonii: *Vidit homunculum* (inquit) *aduncis naribus, & fronte cornibus aspera, cui extrema corporis in caprarum pedes desinebant. Et præmisso crucis signo, cùm, quisnam esset, interrogasset Antonius, respondisse fertur, mortalis ego sum, unus ex accolis eremi, quos cæcâ superstitione delusa gentilitas faunos, satyrosque appellavit.* Dicitur etiam ab herba, quam Satyrion nuncupant, quod libidinem prouocet. Quæ etiam prouocata lasciuia, si omnem excedit modum, quandòque in Satyriasin quandam terminatur, ità ut nonnunquam occurrant exempla, ubi per nimium Venerem excitantium usum, qualia sunt: *Borax Veneta, scinci marini, boleti cervini, eruca*, & similia, tantus excitatur salacitatis pruritus, ut concubitu non restinguatur, sed tamdiù stimulet, donec exhaustis brevissimo spatio omnibus vitibus, unà cum semine vita profundatur.

Satyriasis non tantùm maribus, sed etiam fœminis accidere solet, (furor uterinus dicitur, ut de morbis mulierum dicemus) estò pene destituantur, qui erectioni aptus est. Virginibus, aut viduis junioribus proprius est affectus, quamvis etiam nuptis accidere possit, quæ ignavos habent maritos, aut non satis adamatos, qui vasa spermatica sufficienter deplere, aut appetitum Venereum explere nequeunt; ingens enim muliebrium prurigo cum dolore eas invadit, ità ut assiduè ad pudendum manus admoveant, & immenso Veneris œstro corripiuntur, extillante simul humore salso, & cunni labia, clytoris, locaque utero proxima phlogosim patiuntur, & quasi ignem concipiunt, in-

tumescunt, ac obstruuntur, adeò ut liquamen illud, quod pro semine vulgares accipiunt, excerni nequeat: hinc ergò partes distenduntur, & coëundi appetitus augetur, morbusque magis intenditur, exasperatur, & tota Veneris domus exardet. Undè afflictæ mulieres in maniam actæ ab intensâ, & effrœnatâ coëundi cupidine, obscœna, & impudica verba passim effutiunt, abjecto omni pudore, Venerem furiosè expetunt, & ad eam quoscumque viros invitant.

Signa.

Priapismus cognoscitur, quod penis in longum, & latum crescit, ac semper rigidus, erectus invitè citra rei Venereæ appetentiam, & durus persistit, ante, & post coitum non detumescit. Nos priapismum in uno tantùm monacho observavimus, cujus penis octuplo major naturalis magnitudinis videbatur, ejus moles tensa erat, & veluti carnosa: Multa pro tantâ imminuendâ mole tentavimus.

In satyriasi adest inexplebilis rei Venereæ appetitus, & re Venereâ peractâ, penis detumescit. sed paulò pòst reaccenditur prurigo cum majori coëundi furore, ac intumescit, & quò pluries futit patiens, eò libidinis œstro rapitur, nec per coitum satiatur, & reverà in omnibus satietas, in coitu homini nulla. Satyriasis, si à causâ externâ pendeat, ut à decubito supino, & lumborum calefactione; à Veneris palestrâ intermissâ, vel nimiâ; à cibis, vel medicamentis Venerem irritantibus, id ægri relatione patescet. Quæ si absint, à causâ internâ provenire probabile est, ut à plurimo, vel illo salino semine. Solet quandòque à flatu oriri, & tunc palpitatio quædam in pene percipitur.

Causa.

Priapismi causam rimatur *Gal. 3. de sympt. causis cap. 4.* inquiens: *Intumescit, omninò inflaturque & arrigitur inuitè, vel dicere potes permanentem colis, aut auctionem, aut tumorem.* Et *lib. de morb. diff. cap. 9.* hujus affectûs fiendi modum his verbis designat: *Augetur enim naturalis magnitudo non secus ac in ulceribus aliquandò caro redundat, ac etiam lingua, testes, & ubera, sive quoduis aliud membrum præternaturaliter increscere consueverunt.*

Satyriasis causa apud vulgares est nimia seminis copia, quod copiosius generatur ob sanguinis abundantiam, & in primis vasorum semini generando dicatorum calorem nimium, ob quem & sanguinem copiosiùs attrahunt, & in semen mutatur. Verùm, ut fusiùs in nostrâ Theoriâ dicemus, allucinantur vulgares cum eorum Antesignano Galeno credentes crassamentum genituræ fieri ex superfluitate sanguinis magis elaborati, & in albam, crassioremque substantiam mutati, atque concreti, idque ex eo probare nituntur, quod genitura quanquàm cruenta enixa fuerit, ab aliis, qui præter modum re Venereâ usi sunt,

Atque

Atque nos certissimis freti conjecturis, atque observationibus affirmamus genitutæ crassamentum non ex purpureo sanguine in album humorem mutato constitui, sed tale, quale est, de propriis vasis effluere, & in propriis conceptabulis recludi, indè concubitus tempore exiliat, nec unquàm purpurei sanguinis speciem exhibuisse. Quòd si aliquandò compertum sit sanguinolentam effluxisse genituram, crediderimus id potiùs ex venæ, vel arteriæ alicujus hiatu, quàm ex genituræ defectu proveniisse; nàm verosimile est languere libidinis æstum, tentiginemque cessare, ubi universa genitura è corpore exilierit. Præterea nimia seminis copia non potest esse tantæ libidinis causa, nàm unico, vel duplici concubitu è propriis conceptabulis effluëret, & tentigo cessaret: aliquid aliud igitur in causâ est pro tanto æstu Venereo.

Vera satyriasis causa est semen nimio sale saturatum, (est nàmque semen naturâ suâ salsum, quod quisquam gustu percipere potest, ut fusiùs in Theoriâ de semine probabimus) undè satyriasis etiam salacitas appellatur, & homines Veneri obnoxii, salaces dicuntur, ac propterea Venerem è sale natam fingêre poëtæ, & ob id Ægyptii canes ad coitum inertes salsamentis, carnibusque sale maceratis ad Venerem alacriores reddebant, quia sal Venerem stimulat, prolificumque reddit semen.

Hinc tempore veris, qui salsamentis frequentiùs utuntur, oleo, quod plurimo abundat sulphure, & leguminibus, quæ flatuosa sunt, magis ad luxuriam proritantur, & salacitas angit, insuper multùm libidinantur, qui piscibus vescuntur, nàm in sale natale solum habent, ubi ipsa Venus orta fuit; Veris enim tempore sol propiùs vertici nostro accedere incipit, & normaliter, ac ad rectos angulos radii solares incidunt, corpuscula in aëre dispersa moveri incipiunt, undè intenditur calor, & sic spiritus corporum seminalis, aliàs torpescens, ad motum excitatur, & semina in naturâ germinant, & juxta destinatas seminum ideas operantur. Hac eâdem ratione veris tempore animalia insecta, reptilia in terrâ, natatilia sub aquis, volatilia in aëre, & cuncta bruta lasciviunt, ad Venerem stimulantur, coëunt, & ardenter varios modulantur sonos, & cantus, quia musicam docet amor. Hoc determinato tempore coëunt, alias minimè quidèm, ut suas perennent species. Solùm homini, post lapsum, non definitum fuit tempus, sicut & cæteris animantibus, sed omni tempore Venerem anhelat, & per victum, & coitum pugnat; homo ille, qui alienâ vivit quadrâ, per coitum tantùm pugnat. Et hac ratione brutorum fœminæ quid serosum, statis temporibus, per vuluam foràs excernunt, cùm, scilicèt fervore correptæ ad concipiendum libidinantur, tunc pudenda tuberant propter istud serum salinum, & consultò natura hoc generat, adhoc ut ad luxuriam alliciantur, & ut

brutorum penis libentiùs illo fero madidus in coitu intra viscera agitaretur, estque pro brutis naturæ sputum. Brutorum fœminæ à conceptione coitum repudiant, at nostrates fœminæ quò prægnantes sunt, eò avidius, & delectabiliùs comprimuntur. Undè *Poppea M. Agrippa* infandæ salacitatis mulier super hoc interrogata, petulanter respondit: Ideò bestias non coire gravidas, quia bestiæ sunt, & hac eâdem de causâ nostratum fœminarum pudenda semper madida sunt, ut perpetuò futiri possint. Sed ad satyriasis causam redeamus.

Provenit satyriasis à semine nimio sale imbuto, saturatur semen nimio sale à cibis calidis putatis, & aromatibus nimiùm conditis, ut & à medicamentis, & cibis ad Venerem stimulandam aptis; quæ nimio abundant sale, ad loca seminalia ab hujusmodi nutritione delato, undè semen à particulis salinis in suis vesiculis agitatum, & exitum quærens facilè fermentationis motum subit, turget, prurítum generat anima sensitiva suum exercet officium, nempè Veneris actum, spirituum affluxum concitat, & penis intumescit, fitque excandescens coëundi appetitus, & in tantâ turgentiâ, & fermentatione concubitus tempore non totum, sed aliqua ejus pars è propriis conceptabulis exturbatur, fermentescens novum generatur, & ideò tentigo non cessat, sed per motum reaccenditur, & usu crescit.

Hujus morbi causa occasionalis est salsi seminis fermentatio à renum incalescentiâ, concubitu supino, præcipuè in culcitris plumeis, diuturna à Venere abstinentiâ, à coitu incalescentiâ, medicamentis, & cibis Venerem irritantibus. Item hunc affectum causant ea, quæ penem, & circumstantia irritant, vellicantque vasa, ut sunt penis ulcera, & medicamenta, quæ luem curant Veneream, calculus renum, & præcipuè vesicæ, stranguria &.

Prognosis.

Priapismus non solùm Veneris usum non adjuvat, ut in satyriasi, sed illum tollit, nàm in hoc affectu penis moles minimè quidèm à concupiscentiæ spiritu augetur, sed à carne quadam tensa in ipso pene producta.

Satyriasis non solùm totum corpus enervat, & extenuat, sed etiam vitam breviat, undè patientes, quia falaces sunt ad triennium vivunt. Huic affectui tantummodò juniores, & seminosi obnoxii sunt, eo quod seminis copia fermentationem excitare apta est, concurrente copioso corporis calore, ut causa excitativa, ad quod senes ob exiguum semen, & calorem minùs apti sunt; Quanquàm & hi validis stimulis interdùm indulgeant ad vitæ usque internecionem. Priapismus, & satyrialis sæpè dolorem inferre solent, qualem patiuntur, qui Tetano corripiuntur, aut aliis membris convelluntur; & revera nil aliud esse videtur, quàm Venerea con-

convulsio, undè perseverans, aut apoplexiam, (ut in quodam M. ob nimium coitum, cujus penis glans infantis recèns nati caput repræsentabat, observavimus) aut spasmum, & eundem exitum efficit cum aliis convulsionum modis, nempè virium exolutionem tetanum, & mortem.

Curatio.

Priapismus, quia tumor est, curatu difficilis, iisdem remediis, quibus scirrhum curari diximus, cum aliquâ juvamenti spe curari potest.

Salacitas, sive satyriasis exactissima curatur diætâ, nàm Cereris, & Bacchi filia est, ideòque *sine Cerere, & Baccho friget Venus.* Abstineat patiens ab aromatibus, cibis salsis, calidioribus, & Venerem stimulantibus, non cubat in mollibus è plumis stratis, sed substernat *salicis folia*, & præcipuè *agni casti.* Vitet decubitum supinum, ne dorsum incalescat, & fermentationem in semine salso excitet, & concupiscentiæ spiritus ad vasa copiosiùs deferatur. Fugiat imagines Venereas, verba inhonesta, & mulierum aspectum, quia:

Oculi sunt in amore duces.

Tollat otium, quia:

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Purgantia, ut & diuretica facilè malum adaugent, phlebotomia nullatenùs juvare potest, quia malum à sanguine non dependet.

Vulgares, ne seminis copia generetur, & ejus fervor, ut inhibeatur, refrigerantia, & semen absumentia exhibent, talia sunt *Vitex, dictus agnus castus, cujus folia, flores, & semen usurpant, Nymphæa, Lactuca, portulaca, plantago, Veneris umbilicus, succus mali citrii, mentha, semen cannabis anethum*, quæ à peculiari proprietate semen extinguunt, & præcipuè *nymphæ radix decocta, & pota* magnum affert adjumentum, & ex his varia concinnant medicamenta, ut syrupos, electuaria, rotulas &c. sed:

Hei mihi, quòd nullis amor est medicabilis herbis.

Ex his etiam varia conficiunt unguenta pro lumborum, & renum inunctione, ut

℞. *Ol. nymphæ* ʒ. ij.
Succ. lactuc. ʒ. j. ß.
Sem. viticis ʒ. ij.
Coque ad succi consumptionem, & colentur, & addito momento cera fiat Unguentum.

Vel

℞. *Ol. ros.* ʒ. j. ß.
Succ. solani,
Sedi,
Portulacæ ana ʒ. ß.
Spumæ argenti,
Ceruss. ana ʒ. ij.
Aceti parum,
Cera q. s.
F. Ung.

Vel adhibent *unguentum refrigerans Galeni, vel ceratum santalinum*, aut alia hujusmodi Lumbis apponunt, & renibus, aut *Laminam plumbeam perforatam* in renum Regione gestare jubent.

Nunc frigida, nunc verò calida pro corporis, & humorum dispositione

sitione eligunt. *Caphuram* plerique cùm per hos assumptam, tùm renibus, & testibus illitam Venerem extinguere putant, quia frigida, & sicca est, ut *Serapioni*, & *Avicennæ* placuit, quæ tamen vehementer mediis ardet in undis, & est adeò sulphurea, & tenuium partium, ut sæpè per se evanescat in auras, ideòque Venerem extinguere negamus. Siquid hîc præstat, ut dicunt, non frigiditate præstat, sed quia valdè siccat.

Eadem adhibent topicè, ut *folia salicis, viticis, sedi, portulacæ, lactucæ Nymphææ &c.* quæ applicant Lumbis, renibus, genitalibus, & pedibus, scilicèt ex dictis plantis fomenta, vel lotiones parant, quibus acetum addunt, vel aquas stillatitias, vel harum plantarum succos istis applicant partibus. Potentissimum est medicamentum ad Veneris extinguendam tentiginem *Cicuta* cum suâ comâ trita, & testibus, vasisque spermaticis circumlita. Verùm ex hac topicè applicatâ pravos observavimus eventus, nempè genitalium resolutionem, & pro uno curando blando, alterum pejorem inducunt morbum.

Ultimum satyriasis remedium castrationem esse putant, undè quosdam ob castitatis Zelum seipsos castrasse, imò penem cum testibus abscidisse compertum est. Et nos observavimus presbiterum, qui ob castitatis zelum, sed indiscretum, & minime quidem secundum Dei rationale obsequium, penem sibi, & quidem pube tenus cultro rasorio prorsus abscinderat. Verùm Eunuchi infames declarantur à jure, & Deus *Deut.* 23. ab Ecclesiæ ingressu eunuchos arcet. *Non intrabit eunuchus, attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, ecclesiam Domini.* Antiquissimus castrandi homines mos fuit, quia id hominum genus servandis regum cubilibus adhibebatur, qui mos adhùc hodie à Turcarum Imperatore retinetur, nàm pueris, quos Gynæceo præficit, non solùm testes, sed totum virile membrum curat abscindendum. Qui castus esse vult non tantùm corpore, sed etiam mente castitatem servare debet, nec sufficit penis abscissio, novimus nàmque quendam, qui abscisso pene pube tenus ob gangrænam, passere salacior erat, ac quotidie in Veneris palæstrâ pluries se exercebat cum concubinâ, & tamdiù illius mulieris pudendis sua mutilata affricabat, donec tandèm semen emitteret. Nec per hoc quia mulieres pene carent, Venereâ non corripiuntur tentigine, imò inter se coëunt, & semen emittunt. Est salacitatis malum in semine in suis conceptabulis, undè *Veri spadones sunt, qui ex utero matris tales nati sunt,* ut fuit Divus Johannes, *sunt spadones, qui coacti sunt ab hominibus, & sunt spadones, qui seipsos castraverunt propter Regnum cœlorum*, non tantùm corpore, scilicet opere, sed etiam mente.

Ad sedandam libidinem certum, & infallibile remedium est legitimus, licitusque coitus, nàm ex Apostoli consilio: *Melius est nubere, quàm uri.* Nec officit virginitatem,

tatem, & castitatem non servare propter conjugium, cùm virginitas, & castitas sint virtutes, conjugium verò Sacramentum à Christo Domino institutum, unde Paulus ad Chorintheos inquit: *De Virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do.*

Pro salacitate, & Satyriasi maximoperè *Aquam castitatis* commendant, ut

℞. *Terræ sigillatæ* ℥. iij.
Sem. viticis ℥. j
Rutæ,
Nymphææ,
Lactucæ,
Papaveris alb. ana ℥. j.
Cannabis,
Acetosæ,
Portulacæ,
Endiviæ,
Milii solis,
Ameos,
Coriandr. præp. ana ʒ. vj.
Radic. dictami alb.
Cynogloss.
Bistortæ,
Ireos Florentiæ, *ana* ℥. ß.
Santalor. omnium,
Magisterium Saturni,
Caphuræ ana ℥. iij.
Herbar. absynth. pontic.
Menthæ crispæ,
Bursæ pastoris,
Taraxacon,
Verbenæ,
Fol. salviæ ana ℥. ij.

Omnia incidantur, contundantur, & infundantur in vini stiptici lib. x. *Digere per octiduum, & destilla in Balneo Maris.* Dosis ℥. j. ad iij. mane, & vesperi. Ferunt hanc aquam Veneris œstrum temperare, & si ejus usus frequentetur, castitatem inducere absque sanitatis dispendio, ideòque nocua conjugatis, & illis, qui in cœlibatu vivere debent, maximè proficua.

Potentissimum, & expertum remedium est *spiritus Saturni* intra corpus ad aliquot guttas sumptus, non solùm ad miraculum usque reprimit libidinem, sed etiam virilitatem destruit, & emasculat; eapropter Poëtæ Saturnum patri testes abscidisse fabulantur. Unde conjugatis propinari non debet, sed tantùm iis, qui in cœlibatu vivere constituerunt, & monachis, qui solenne castitatis votum profitentur, convenit. Idem efficit *sal Saturni*, sed consultiùs fit, si regio saltem externa admisto aliquo oleo inungatur. Valet ad idem *Magisterium Saturni*, si umbilicus, & priapus inungatur. Ad arcendam etiam libidinem proficuum est *Butyrum Saturni*, si eo renum regio, & inguina inungantur, sed ex hoc pravos observavimus effectus in quodam præsbitero. Ad salacitatem hæc juvant, quia Saturnus frigiditate suâ fermentationem in semine inhibet. Verùm non sine sanitatis dispendio medicamenta ex Saturno parata adhibentur. Quòd si vicissim mederi velis, utere laconico, inunge umbilico *oleum nucis moschata destillatum*, & sic coëundi tarditatem, vel imbecillitatem, vel impotentiam excitando, sanitatem recuperabis.

Præstantia pro Satyriasi remedia sunt opiata; hæc nàmque inflammationes temperant, ardo-

rem consumunt, acres cicurant succos, subtiles incrassant partes, efferatos figunt liquores, volatiles obtundunt partes, spiritus fixant, fermentationem inhibent, vitam consopiunt, sensum imminuunt, somnum inducendo, & omnia membra reddunt inertia, præcipuè genitalia, unde sedativis administratis medelis, multos morbos profligatos vidimus. Sed præ cæteris præstantissimum remedium est, ut patiens vocitet panem, panem, & sic carnem non anhelabit crudam, ut de quibusdam fertur.

Tandèm infallibile remedium pro salacitate, & expertum, nec experientia fallit, est coitum exercere licitum, nàm hoc modo immediatâ removetur causa; sic vomitus vomitu, fluxus fluxu, & coitu salacitas curatur, verùm servandus est modus, nec violenter, & cœco libidinis æstro exerceatur, cùm omne nimium sit naturæ inimicum, aliàs cum semine vita profunditur.

A pene transimus ad anum, undè

Cap. LXIII.

De Ani Inflammatione, Abscessu, & Fistulâ.

ANus diversis quoque tumoribus obnoxius est, cujusmodi sunt inflammatio, abscessus, fistula, & de his primò agemus, deindè de condilomatibus, ficubus, cristis &c. nàm si inflammatio non resolvatur, transit in abscessum, & abscessus ex chirurgi imperitiâ, vel ægri morositate non rectè curatus, in fistulam degenerat.

Signa.

Cognoscitur ani inflammatiõ ex tumore, dolore acuto, febre loci rubedine, & id non sine pulsatione, adest difficilis, & valdè dolorosa aluina excretio. Si inflammatio ab arte, vel à naturâ non resolvatur in abscessum transit, & tunc dolor augetur, febris intenditur, tumor cutem versus fit extuberantior, cutis tenuissima, & tactui cedens, cum immediatâ elevatione. Abscessu adaperto, & non ritè curato, excitatur sinus, ex quo quidam producitur ichor, & in circumstantes abscessus partes se insinuans, locum sibi aperit, qui cum præcedenti abscessu communicat. Hoc sinu non curato, fit fistula, quæ nihil aliud est, nisi orificium ulceris strictum, & angustum, cujus labia plerumque sunt callosa, intùs autem amplam, & sinuosam habet cavitatem, quæ continuò ichorem, seu tenuem ex orificio suo exsudat saniem, dummodò ejus orificium non claudatur; tunc enim nihil emanat, & proximæ partes fiunt tumidæ, inflammantur, dolentque, spontè tamen reseratur, & iterum saniem excernit.

Accidit quandòque è podice sine sanguine, & dolore mucosas, & subalbidas sordes excerni, ut in fluore muliebri videre est, & nonnulli bardi falsò pro pure accipiunt. Evenit etiam interdùm, ut

ut ichor quidam ex ano per hæmorrhoides effluat, cùm alvus pondus deponat, aut potiùs post alvi excretionem, quandòque citra hanc, & alias verò non. Quem fluxum nonnulli inepti chirurgi pro ani fistulâ acceperunt, & multo cum incommodo hominis, qui hunc patiebatur fluxum, talem in explorando fistulam frustrà laboratum fuisse scimus. Et hunc fluxum patientes è carnificum manibus, & ani speculo eripuimus, ac lactis seri usu integræ sanitati restituimus. Hinc patet vulgares in morborum cognitione se decipere, cùm quilibet hostem, quem sibi sæpè finxit, expugnandum suscipiat, eum verò, qui reverà hostis est negligat. Fistula tunc erit, quandò præcessit inflammatio, quæ in abscessum degeneravit, deindè in sinum, & ex sinu in fistulam, quòd si hæc, vel saltim ulcus, non præcesserint, nullatenùs talis fluxus pro ani fistulâ haberi potest; hic nàmque fluxus ad multos annos durare solet sine omni incommodo, quod in fistulâ non accidit, tempore nisi dùm alvinæ fæces redduntur, emanat, etsi per biduum, vel triduum æger non excernat, ichor non effluit. Provenit talis ichor ex hæmorrhoidibus; natura nàmque aliàs sanguinem, & sæpè eum ichorosum per has vias expellere solet, in quibusdam etiam continuò tantummodò hunc ichorem ad hæmorrhoidales detrudit venas, qui in earum extremitate hærens, dùm fæces excernuntur, exprimitur.

Ani fistula nunc unum habet sinum, nunc plures, & immisso stylo exploratur. Alia intestinum penetrat rectum, & etiam stylo deprehenditur, vel immisso in anum digito exploratur. Quandòque est recta, & stylo ferreo deprehenditur, interdum tortuosa, & cereâ candelâ exploratur. Multoties ad vesicam penetrat fistula, & urina per anum egreditur. Interdùm ad intestinum rectum, & vesicam penetrat, & tunc mictione crepitus è pudendo, non aliter ac è podice emittitur; deindè nonnihil puris, & fæcis cum urinæ mistum prorupisse multoties observavimus. Quandòque est in sphintere, & alvinæ fæces debito modo non retinentur, sed involuntariè excernuntur. Interdùm tandèm ad uterum penetrat fistula, & tùm fæces cum pure per uterum egrediuntur, ut in duabus mulieribus observavimus.

Causa.

Inflammationis ani causa immediata est sanguis extra sedis venas effusus; occasionales verò, sive mediatæ multæ esse possunt, ut hæmorrhoides restrictæ, duræ, cæcæ, inflatæ, vel etiam resectæ, vel cauterizatæ, sive id fiat per cauteria, vel medicamenta corrodentia. Item longa, & dura equitatio, sive sessio, percussio, lapsus, aliæque causæ violentæ. Similiter refrigeratio, erysipelas, vel tumores.

Abscessûs causa est inflammatio à naturâ, vel ab arte non resoluta, & sanguis à venulis expressus, qui

in fibris se coagulat, ac uno in loco illum natura coadunat, & in pus mutat.

Occasionalis fistulæ causa est abscessus, vel sinus à pure non debitè purgatus, nec maturè curatus, vel etiam tenesmus neglectus, vel fit ab hæmorrhoidibus exulceratis, aliisvè ulceribus non ritè curatis, quæ temporis cursu in fistulam semper degenerare solent. Qui plura, & notatu digna de fistulâ scire cupit, & quomodò fiat callus legati *cap.* 5. *de fistulâ*, quicquid blaterant Galeni sectatores continentem causam atrabilarium esse sanguinem, discussis quidèm, ac per halitum digestis tenuioribus partibus.

Prognosis.

Ani inflammatio malum est periculosum, & curatu difficile, quia pars exquisito prædicta sensu afficitur, quæ medicamentis acrioribus facilè exasperatur, & ob loci caliditatem, & humiditatem inflammatio potiùs suppuratur, quàm resolvitur.

Abscessus ruptus ulcus sordidum, ac purulentum producit, quod ob loci humiditatem, & excrementorum transitum vix coalescit, sed brevi temporis intervallo in fistulam transit, sordium copiâ callosam, perpetuò manantem, & sanitati reluctantem, cujus insanabilitatis causæ plures sunt, & prima, quia hæc pars vegetissimo prædita est sensu, & ab acrioribus medicamentis facillimè irritatur. Secunda, quòd locus est verendus, & liberam medicamentorum applicationem non patitur. Tertia quòd alvi excretio importunè fit, & alvi excrementa excernenda remediorum applicationem, & sanationem impediunt. Quarta, loci humiditas, & caliditas exsiccationem, & refrigerationem exposcens, ex parte tamen ab iisdem læditur, exsiccantia enim & refrigerantia simul mordicationem inferunt, sensui vegetissimo hujus loci permolestam, ob humiditatem verò, & caliditatem naturaliter ad putrefactionem, & apostemationem propendet.

Ani fistulæ non penetrantes penetrantibus sunt minùs periculosæ, undè simplices, recentes, & quæ per carnem saltèm progrediuntur, facilè, & sine periculo curantur. Fistulæ, quæ quatuor digitis penetrant, & per musculos progrediuntur, curari non debent, cùm curantur enim, accidit, ut alvus excrementa retinere non possit. Fistulæ, quæ penetrant, ut ad intestinum rectum, vesicam, uterum, ad ancharum, vel caudæ ossa, & præcipuè cum ossium carie, itèm antiquæ, callosæ, & quæ ad cancri naturam accedunt, incurabiles, & lethales sunt, & earum curatio non est, nisi labor irritus, & bardorum chirurgorum fatuitas, ac propterea tunc curâ palliativâ, quam vocant, utendum est. Illæ fistulæ, quæ dictis modis non penetrant, sunt quidèm pariter difficillimæ curationis, curari tamen possunt, & si non curantur, in lies mundæ habeantur fluentium hæmorrhoidum more,

re, corpus à superfluis, & pravis humoribus in cacochymicis, & cachecticis cum ægri commodo per eas repurgare, ad sanitatem, & senectutem consequendam facere creduntur à vulgaribus, modò relatis modis non penetrent, verùm ejusmodi fistulas, licèt non penetrassent, tamen hecticam, & mortem intulisse notum est, & præcipuè si per multos annos duraverint, & subitò claudantur, lethales sunt.

Curatio.

Ani inflammationis curationem à clysteribus auspicantur vulgares, & reverà clysteres sunt ani remedia, deindè venam in cubito tundunt, ut sanguis à loco affecto avertatur, & postmodùm venam in talo aperiunt. Anus peccat, & sanguinem chirurgus plectit. Educto itaque sanguine, & stercore, in principio podici inflammato ob refrigerationem *folia solani, portulacæ, aut Lactucæ* apponunt. In augmento applicant *medullam panis triticei cum oleo amygdalarum dulcium mistam.* In statu anum fomentant *decocto malvæ, & althææ, florum meliloti, chamomillæ.* Si ad maturationem tendat, fomento addunt *farinam seminis lini, radicem althææ, & farinam tritici*, & cataplasma componunt podici applicandum. Et si inflammatio suppurationem moliatur, eam statim adjuvant, & abscessum ante plenam suppurationem aperiunt; pus namque diutiùs retentum intestinum, & proxima corrumpit loca, & tunc vel gangrænam, sphacelum, vel fistulam gignit. Verùm ex non perfectâ abscessus suppuratione crudum emergit vulnus, undè fluxus sanguinis ex hæmorrhoidibus non compescibilis, & alia mala, quàm hæc expectari possunt.

Inflammationis ani curatio acceleretur, priusquàm in abscessum abeat: si igitur alvus adstricta fuerit, clystere emolliente proritetur ad duriusculas fæces educendas. Purgantia nullo modo exhibenda sunt, nec acres clysteres, ne materia deorsùm trahatur, & ad partem affectam humorum affluxum protrahant; attamen alvus clysteribus semper detineatur aperta. Ad sanguinem expressum, & concretum interna resolventia exhibeantur, ut alibi de aliis partium inflammationibus descripsimus. Loco inflammato sequens applicetur cataplasma:

℞. *Succ. plantag.* ℥. ß.
Sacch. Saturni ℈. j.
Resolvantur invicèm, & adde medullæ panis triticei in lacte caprillo macerata, & in mortario contusæ ℥. ij. *albumen unius ovi m. f. cataplasma.* Vel applicari potest *butyrum Saturni*, intinctis duplicatis petiis lineis mundis sæpè adhibitis: ejus usus frequenter iterandus est, donec omnis calor desierit. Vel *medulla panis triticei in aquâ plantaginis, vel hyoscyami, vel solani, postea exprimatur, adde nonnihil lactis muliebris, & olei rosacei, & fiat cataplasma*, quod superponatur.

Nisi prædictis medicamentis, & aliis alibi à nobis descriptis ani inflammatio in resolutionem abeat,

maturantia applicamus, ut

℞. *Rad. alth. cum toto,*
Fol. malv. ana m. j.
Sem. lini, &
Fœnugraci ana ℥. j.

Coquantur, & contundantur in pultem, adde ol. amygd. d. & axungiæ porcinæ ana q. s. f. cataplasma. Vel

℞. *Rad. lilior. albor. &*
Capar. alb. q. s.

Coque ad mollitiem, adde ipsis contusis ol. ros. q. s. f. cataplasma.

Post abscessûs ruptionem, ac puris eductionem, ulcus melle rosaceo simplici in hordei decocto mundificetur. Post mundificationem consolidetur *infusione lapidis medicamentosi, emplastro Apostolico, vel fodicationum.* Vel pro maturatione, apertione, & consolidatione præstat *balsamus sulphuris cum oleo papaveris.* Verùm in Republicâ medicâ tota quanta est, non reperitur *emplastro nostro Benedicto* præstantius pro abscessibus rumpendis, & persanandis; hoc namque solâ superpositione, & renovatione abscessum maturat, aperit, abstergit, consolidatque absque eo, quod in fistulam terminet, ut pluries experti sumus in ano, & circa, in natibus, perinæo, ac scroto.

Vulgares chirurgi non solùm ani fistulam, sed quaslibet alias in quacumque aliâ corporis parte insanabiles, & non attingendas existimârunt. Verùm semper eorum defectu fistulæ fiunt, & tamen bonus chirurgus ille dici meretur, qui artis suæ gnarus, nunquàm fistulis locum dabit, & cùm illas ex alterius errore factas invenerit, curabit: ut eorum itàque ignorantiam occulant, ne malitiam, & impostaram dicamus, ægrotis suadent eas attingendas non esse vel forribus medicamentis, vel chirurgiâ, quia natura superfluos, pravosque corporis succos per eos, veluti per fontanellam eliminat, ac proindè si humores illi, qui è fistulâ effluunt, ex ejus sanatione detinerentur, necessariò mors sequeretur, ut multoties ex eorum suppressione compertum est. Sic miseliis imponunt ægrotis, insinuato mortis terrore, quia ab ipsis curari nequeunt, ne ab aliis curentur, minitantur. Per curam palliativam fistulas curant, ideòt specioso ignorantiæ pallio eas conservant mundas. Ideòque singulis diebus eas *agrimoniæ, & florum oleæ decocto, cui aliquid aluminis usti addunt*, abluunt, quod per syringam ejaculantur. Si foramen sit nimis angustum, illud sambuci medullâ, gentianæ radice, aut spongiæ turundâ, ne sanies retenta vicinas corrumpat partes, aperiunt, dilatantque.

Vulgarium nonnulli fistularum curationem aggredi, sed incassùm, audent, ideòque universalia præmittunt, bonam scilicet diætam ex victu refrigerante, ad atrabilarium succum corrigendum, & corpus convenienter deplent per catharticum de communi morborum omnium, deinde ad callum absumendum properant, fistulam *hordei decocto, cui myrrhæ, aluminis, & viridis æris pauxillum admiscent*, eluunt; postmodùm turundam *cum unguento Ægyptiaco* intrudunt.

Si

Si orificium sit angustum dilatant turundâ *ex radice bryoniæ, aristolochiæ, gentianæ, vel hellebori nigri.* Si his non cedat medicamentis, ad fortiora confugiunt, undè turundam filo alligatam, propter extractionem, tithymali succo imbutam, & æris usti flore conspersum ad callum absumendum in fistulam immittunt. Quod si his barbaris non curetur remediis, tanquàm incurabilem deserunt; verùm hæc remedia majora pepererunt mala, quàm ipsa potuit fistula, offenditur nàmque his medicamentis intestinum rectum, & pro curando fistulam, multoties mortem inducunt. Alii randèm fistulam vel secant, vel inurunt, verùm sectione, & inustione crescit malum, & æger medio in mortis discrimine versatur.

Medicamenta, quæ fistulam curare possunt, optimè conditionata esse oportet, aliàs minimè curabitur, nunquàm nàmque naturam fistulam curâsse hactenùs compertum est: priùs itàque corpus à pravis purgetur recrementis, modus autem purgandi varius est, sed optimus per medicamenta mercurialia habetur, hæc nàmque nutrimentum mundificant, & vix quid melius exhiberi potest mercurio dulci, vel mannâ mercurii cum extracto catholico, vel alio vulgari purgante admisto.

Duplex est ejus curatio, videlicèt interna per potiones vulnerarias, & externa per aquas, spiritus, vel alias illitiones.

Paracelsus sequentem commendat potionem, quæ fistulam intrinsecùs mundificat, & per se absque medicamento forinsecùs superpositò sanescit:

℞. *Aquar. de cornibus cervi lib.* j.
Centaureæ,
Consolidæ aureæ ana ℥. iij.
Pariheniouis ℥. iv.
Quibus impone rheubarbari,
Mannæ electi.
Spermatis ceti ana ℥. j.

Hujus potionis agitatæ priùs, ut benè misceatur, cochlear. j. singulis diebus bibatur manè, post quod vini cochlearia iij. sumantur per os.

Vel sequenti potione uti poteris, quæ intrinsecè fistulæ sanationem promovet, & optimum conficit nutrimentum, ut

℞. *Rad. dictam. alb.*
Ireos,
Polip. querc. ana ℥. ß.
Herbar. agrimoniæ,
Pilosellæ,
Prunellæ,
Veronicæ,
Ophiogloss.
Card. bened.
Stœcad. citrin.
Arabicæ ana ℥. ß.
Cort. lign. guajaci,
Fraxin. ana ℥. iij.
Salsaparillæ ℥. ij.
Liquiritiæ,
Fœniculi ana ℥. ij.

Conscindantur, & contundantur omnia crasso modo, & probè misceantur, hujus misturæ cape m. j. *ac mensuram unam aquæ comm. superfundè, coque eam ad transversi pollicis casum, colaturam in cellâ asserva, admiscendo ipsi dimidium, tertiam, vel quartam vini partem, ut eò melioris saporis fiat, & bibi*

& bibi queat. Hanc potionem ad sex, septem, vel novem menses continua, & ejus mirabere effectum, non tantùm in fistularum sanatione, verùm in lupi, luis Venereæ, ac incurabilium ulcerum; advertendum tamen, quòd corporis purgatio sæpiùs reiterari, & ulcus quotidiè hac potione elui debet.

Externa curatio obtineri nequit, nisi prius ejus callus ad fundum usque putridum absumatur, mundificetur, abstergaturque, ad quem obtinendum finem talis ablutio ex *Paracelso* optima erit:

℞. *Ol. laterini* ℥. iij.
Terebinth. ℥. vj.
Caryophyllor. ℥. j. ß.
Destilla simul per alembicum, & postmodùm cum additione hac rursum destilla.
℞. *Mastich.*
Myrrh.
Thuris ana ℥. ij.
Mumiæ ℥. iij.

Destillato hoc fistulam ablue immissione per syringam ad fundum usque quovis die bis: & intermissis vicibus abluatur eodem instrumento sæpiùs vino, vel aquâ salsâ, ut in eâ nulla putredo appareat.

Verùm si antiqua fuerit, valet *spiritus salis, aqua mercurialis, oleum Saturni*, sed longè meliùs operatur *spiritus mercurii*; excitant quidèm hæc nonnullum dolorem, sed brevi rursùs cessat. Ulcus mundificatum postmodùm sanatur balsamo proprietatis per syringam. Cùm verò optimè consolidata fuerit, nunquàm ampliùs erumpit, nec conservationibus, & minùs diætâ indiget.

Cap. LXIV.

De Ani Procidentia.

Solet quandòque intestini recti pars ità prolabi, ut post consuetam illam eminentiam, quæ in aluinis fæcibus egerendis accidit, ità extrà prominet, ut nec per se intrò retrocedat, vel absque manuum ope rursùm retrahi sursùm possit, sed manualem exposcit repositionem, quod malum ani procidentia nominatur. Affectus hic familiaris gravidis, parturientibus, senibus, & puerulis esse solet, in quo sphincter, aut suâ sponte labitur, aut vehementiori conatu inter egerendum protruditur.

Signa.

Ani prolapsi signa per se manifesta sunt, & visui patent, à quibus autem causis contigerit, magnâ solertiâ rimandum, & discernendum est, cùm una procidentia sanabilis sit, altera verò non, ac proindè per propria signa id assequi oportet. Si itàque in causâ sit magnus fæces excernendi conatus, vel partus laboriosus, & difficilis, id ex ægri relatione percipitur. Si ab humectante phlegmate, id accidat, dolor in ano gravis, & molestus habetur. Si ex acido dolor stimulans, & irritans est, ac mordicationem longam non infert, cum tenesmo, & ex-

& excretione albicante, viscidâ, & mucilaginosâ, verùm facilè anus ad interiora manibus reponitur. Ex imbecilitate musculorum anum retrahentium hoc habet peculiare, quod anus non procidit, nisi per conatum priùs extrudatur. Ex resolutione, tùm excrementa involuntariè excernuntur, & paralysis signa adsunt, de qua egimus in nostrâ *Trutinâ lib.* 1. *cap.* 3. si inflammatio causa sit, vel adscessus, anus non ingreditur, estò manibus intropellatur, & adsunt calor, tumor, dolor, & febris. Si ob spasmum, denegatur fæcibus exitus, & utplurimum dolor subsequitur colicus. Si ex ulcere fistuloso, jàm diù æger ab eo molestatus fuit, & humor sanioſus continuò extillat. Si ab externâ violentiâ, scilicet casu, percussione, perfrigeratione, diutinâ morâ in aquâ frigida, vel aëre gelido, ex ægri confessione patebit.

Causæ.

Ani procidentia ob varias causas contingit, ut est humectatio, nimia teneritas, sive ligamentorum mollities, quibus sphinter ità podici est alligatus, ut relaxationem facilè suscipiat, qua de causâ infantibus hoc malum familiarius esse solet. Magnus conatus, & fit in alui fæcibus duris excernendis, similiter in difficili, & laborioso partu. Iste magnus conatus accidit quandòque ob irritationem, ut ani procidentia sæpè fiat in diuturno ventris profluvio, sive diarrhœâ, vel teneſmo. Fit ab inflammatione, abscessu, vel fistulâ in recti intestini interioribus latitante. Verùm hæ omnes causæ ad duas principaliter collimant, scilicet ad imbecillitatem, vel resolutionem. Imbecillitas musculorum dependet à frequenti, & diuturnâ ani procidentiâ, vel ex morâ in aquâ frigidâ, aut ab eorum refrigeratione, ex sessione super lapidem frigidum, unde *Hip. Aph.* 22. *sect.* 5. inquit: *Sedi, pudendo, utero, vesicæ, his calidum amicum, & judicans; frigidum verò inimicum, & interimens.* Et juxta vulgare apophthegma:

Mensibus erratis, super lapidem ne sedeatis.

Resolutio paralytica non fit, ut vulgaribus placet, à defluxione, scilicet ex superioribus, cùm impossibile sit, ut humor ex superioribus defluens tantùm in eos exiles nervos sese infinuet, & non simul superiores, & vicinos afficeret. Fit autem resolutio, si nervi circa ossis sacri, aut coccygis regionem debitum tonum ad motum requisitum amittant, vel spiritibus per ipsos via tollatur, vel per externam violentiam, ut casum, percussionem, vel refrigerationem, tunc hi nervi resolvuntur, & anus procedat, oportet.

Prognosis.

Ani procidentia à nullâ causâ periculosâ orta, difficiliùs in senibus, quàm in junioribus, & pueris curatur; in istis enim indies

sanari observamus, in illis verò nunquàm: imo in omnibus hoc malo affectis, periculosâ causâ concurrente, & conuenientibus adhibitis remediis, si successus non respondeat, sed corporis marcor, & extenuatio sequitur cum vultûs discoloratione, lethalem portendit morbum. Si ob vehementem conatum anus procedat, nullâ aliâ accedente causâ, quandòque in suum per se redit locum, vel manus ope non ægrè reducitur. Si fiat cum diarrhœa, dysenteria, vel forti tenesmo, periculosa est, pravum, & per se gravem auget morbum, ac topicorum medicaminum applicationem, & eorum effectum impedit, nisi causa sublata. Quæ ab externa violentia fit, nempè lapsu, ictu, allisione, pro diversitate majoris, vel minoris læsionis, magis, vel minùs curatu difficilis redditur, & diuturnam postulat curationem, & blanda requirit remedia. Si ab inflammatione, abscessu, vel fistula pendet, non curatur, nisi hi affectus auferantur. Quæ ab imbecillitate, aut musculorum resolutione ortum habet, quotiescumque alvus excernitur, & procidit anus, extra curationis spem est. Tandem omnium periculosissima, & irreparabilis est ani procidentia, quæ contingit ob intestini recti avulsionem à membranis, quibus retinetur. Si intestinum rectum diù prolapsum maneat, & externo lædatur frigore, gangræna corripitur.

Curatio.

Ani procidentiæ curatio ad causarum enumeratarum variationem variat. Si itàque ab humectatione, teneritate, & ligamentorum mollitie ortum ducat, phlegmagogis utendum, & postmodùm topica calida applicanda, quia calidis fruitur anus juxta *Hip. aph.*

Si inflammatio adsit, & alvus durior existat, sollicitetur decocto emolliente ex *malvâ, althæâ cum cassiâ extractâ, vel diapruno lenitivo.* Quòd si tumor, rubor, calor, ac durities repositionem impediat, fovendus est anus *decocto tepido ex decoctis in lacte, malvâ, althæâ floribus chamæmeli, seminibus fœnugraci, lini.* Vel æger collocandus in balneum è modò dictis paratum. Vel sequenti decocto foveatur, ut

℞. *Flor. sambuci,*
Chamomill.
Hypericonis ana m. ß.
Ros rubr. p. ij.
Cotnar. absynth. &
Melilоti ana m. ß.

m. & coque in lacte, vel vino rubro. Post fotum inungatur podex *oleis ex vitell. ovor. ros. & anethino simul mistis*, ac tum anus in suum locum reponatur, & repositus intùs detineatur adstringentibus adhibitis, ut sunt *cupulæ glandium, balaustia, gallæ, sumach, plantago, cortices granatorum, flores ros. rubrarum, bursa pastoris, baccæ myrtillorum in vino rubro adstringente, vel aquâ ferrariorum calidâ decoquantur*, in quo decocto æger post repositionem aliquandiù sedeat, vel podex spon-

spongiâ hoc decocto imbutâ foveatur, & interim locus inungendus *oleo rosaceo, myrtillorum, è vitellis ovorum, vel mastichino*, & postmodùm inspergendus pulvere è *mastiche, sanguine draconis, floribus rosarum rubrarum, balaustiis, gallis &c.*

Quòd si non reponatur, elegans remedium est, quod fit ab assere querno apprimè lævigato, & cum mastiche, postquam ille incaluerit ad ignem, illito, & statim ano superposito ad ipsius caloris tolerantiam supersedeat æger. Verùm si nullâ arte reponi, aut intùs hærere possit, hoc unicum, & præsentaneum remedium est, ut

℞. *Scarabeos pilulares in stercore equino natos, mortifica in vitro clauso ad solem, ut benè exsiccentur, & fiat pulvis tenuissimus.* Spargе hoc pulvere intestinum prolapsum, & quoquo modo poteris, repone, & nunquàm ampliùs egredietur; præcipuè si ad tempus exhibitum fuerit laudabile *radicis prunellæ sylvestris decoctum in vino rubro, vel aquâ ferrariorum*, quod sæpiùs haustum in die per aliquod tempus leniter adstringit, sed ità ut aluus quoque sit libera, quam in ejusmodi casibus semper oportet esse talem, alioquin à fortiori egerendi conatu vicissim egredietur.

Si in magno conatu, in duris exonerandis fæcibus, & partu laborioso anus procidat, adhibito priùs decocto emolliente, si inflammatio, vel tumor adsit, deinde fotu, & tandèm decocto adstringente, vel pulveribus reponatur. Cave tamen, ne adhibeas alumen ad hunc finem consequendum ob nimiam stipticitatem, corroditenim partes, & earum venulas. Alvus servetur lubrica, & ne intestinum rectum excidat, stans excernat æger. Nonnulli ridiculum usurpant remedium, sed multoties conducit: Patientis nates extensâ manu quinquies, aut sexies, vel pluries verberato, quo musculi ani levatores intestinum rectum statim in priorem sedem attollant. Sed antequàm ægri nates verberibus excipiantur, intestinum rectum oleo rosarum, & myrtillorum circumliniunt. Verum optimum, & expertum remedium est, ut æger, capite in terram inclinato, ac elevatis sursùm pedibus, & à duobus fortibus viris prensis, pendens concutiatur, mox indice manûs dextræ linteolo molli involuto, & decocto emolliente madido, ac in medium intestini, quod prolapsum est, immisso, id in locum suum feliciter remigrat, deinde ea, quæ post repositionem præscripsimus adhibeantur. Hoc remedio pro curatione cujusdam puellæ 14. annorum attingentis feliciter nos usi sumus.

Si a diuturno ventris profluvio, ut diarrhœâ, dysenteriâ, vel tenesmo ani procidentia fiat, ea usurpanda veniunt, quæ humorum aciditatem temperant, & partem prolapsam roborant, ut in propriis capitibus diximus. Postmodùm anus detergendus est decocto hordei cum melle rosaceo simplici,

plici, ac molliter manibus reponendus, adhibito fotu cum sacculis stipticis,& carminativa adhibeantur, si flatus adsint, qui ani ingressum prohibeant.

Concurrente inflammatione, abscessu, fistulâ, rhagadibus, horum affectuum curatione, ut in proprio capite diximus, facilè reponitur, si ea, quæ necessaria sunt, adhibeantur. Si rupta sit membrana ad vincula illa, quibus intestinum rectum vicinis annectitur partibus, consolidantia adhibenda sunt, qualia *cap.* 56. *de enterocele, & epiplocele* diximus.

Si ab imbecillitate, vel resolutione nervi ex spinæ vitio topica applicentur extremitati spinæ circa coxam, & ea, quæ in Paralysi descripsimus, quæque anum roborant, ac firmant. Hic utiles sunt suffitus, & fumi ex *nuce moschatâ, macere, ladano, masticke, colophoniâ, bdelio.* Vel foveatur anus decocto, vel immergatur balneo, quod nervos roborandi vim habet, parato ex *salviâ stœcade, consolidâ, betonica, chamæpitis, millefolio, foliis quercûs, lentisci*, & similibus, vel roborantibus inungatur oleis.

Cap. LXV.

De Ani Condylomatibus, Thymis, sicubus, cristis &c.

NOn uno tumorum genere gravatur homo, sed multis, sunt alii aliis graviores, ut qui non raro posteriora affligunt, faciuntque opprobrium sempiternum, hujusmodi sunt variæ caruncul æ, appendices, tuberositates, & eminentiæ carneæ circa ani circulum. Non loquimur hîc de hæmorrhoidibus, quia hùc de illis agere non spectat, ideòque physicis eas destinamus. De illis tractamus excrescentiis carneis, quæ condylomata, thymi, ficus, cristæ, mora, porri, seu verrucæ dicuntur. Est anus hortus, in quo ficus, mora, porri sunt, imò velut ager ferax, ubi herbæ, flores, & fructus vegetant, germinant, crescunt, floreseunt, fructificant, & successivis generationum periodis uberem reddunt messem, nec mirum, anus quamoptimè quotidiè stercoratur, sagin aturque. Verùm hæc producta sunt sylvestria, & non secus ac à turdi conspurcatione viscum frutex in arboribus, innascuntur.

Condyloma igitur est tuberculum quoddam rugæ ani, quandò replicatis ani corpusculis, ruga quædam p. n. inturgit, intumescit in margine anti, cùm anus sinuosus sit, rugas habet annexas. Ergò intumescente rugâ, condyloma generatur, sésim excrescens, quod interdùm est molle, & sine inflammatione, interdùm inflammationem habet conjunctam, duritiem, & dolorem; interdùm est durum, & occallescens, & tœdio potiùs plerùmque quàm dolore molestum est. A plerisque in sui initio tuberculum simpliciter appellatur, occallescens autem, condyloma.

Thymus est protuberans quædam excrescentia aspera, ad rubedinem

dinem tendens, oblonga, & augescens, thymi florem referens, & in superiori parte facilè sanguinem fundens.

Ficus, seu sycosis est excrescentia quædam circa anum, ejusque circulum, vel pudendum, basim habens strictam, supernam verò latam, ficui non absimilis, à qua nomen sortitum est. Hinc *Martialis* de hoc tumore jocum captans ex ambiguo *lib. 7. epigrammatum, epigrammate* 70. hæc habet carmina:

Ficosa est uxor: ficosus & ipse maritus:
Filia ficosa est: & gener: atque socer.
Nec dispensator: nec villicus ulcere turpi:
Nec rigidus fossor: Sed nec arator eget.
Cum sint ficosi pariter juvenesque senesque,
Res mira est: ficos non habet unus ager.

Et alibi ficetum, quod locum, ubi ficus consitæ sunt, significat, posuit pro obscœnis partibus ficosis, *lib.* 2. ait:

Ut pueros emeret Labienus, vendidit hortum:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

Appellantur etiam Mariscæ ejusmodi ficus in Lue Venereâ, quæ ex præposterâ libidine circa podicem nascuntur, & propriè sunt illæ, de quibus *Iuvenalis in Cacilianum* loquitur *Satyrarum lib.* 2.

Sed podice Lævi
Caduntur tumida, medico ridente, mariscæ.

Cristæ sunt carunculæ ani cristaceæ, pullorum gallinaceorum cristas referentes, ex luxando, ac naturam pervertente concubitus abusu, pullulantes.

Mora sunt excrescentiæ de ficuum genere, similitudinem quandam mororum arboreorum constituentia, atque indè illud sortita nomen.

Porri, seu verrucæ sunt quædam excrescentiæ carneæ, quæ exteriùs quasdam obtinent radiculas ad porrorum similitudinem, & id ob majorem siccitatem.

Signa.

Hi tumores facilè visu cognoscuntur, & ex supradictis signa patent. Distinguntur ab hæmorrhoidibus, in hisce nàmque tumoribus sola afficitur cutis, nulla verò vena, id quod in hæmorrhoidibus accidit. Hæmorrhoides etiam sanguine turgidæ magis nigricant.

Causa.

Pro harum excrescentiarum causâ assignant vulgares sanguinem pituitosum, viscidum, crassum, & melancholicum, exitum suum in venarum hæmorrhoidalium extremitate, quæ in anum desinunt, quærentem. Verùm falluntur vulgares in harum excrescentiarum statuenda causâ, ut pluries alibi diximus.

Causa harum excrescentiarum est succus alimentitius viscosus, conspurcatus in margine ani; qui

extra solidas fibras expressus in cute rugosâ aglutinatur, & juxta partis texturam, & dispositionem in sylvestres degenerat carnes; videmus nàmque ex crassâ ulceris impuritate, vel unguentorum crassamento tales in ulceribus excitari excrescentias, & à turdi conspurcatione arboribus viscum innasci.

Prognosis.

Hæ excrescentiæ nunquàm solitariæ, sed plerùmque plures sunt, quia spurcum fundunt ichorem, qui vicinas inficiendo partes, multiplices pullulare facit magno cum pruritu, ità ut sæpissimè scalpere cogatur æger. Quæ exilem habent basim, facilè curationem admittunt, quæ latissimam, ægrè. Ubi excinduntur, & nullas relinquunt radiculas, non renascuntur, ubi verò radicula remanet, necessariò regerminant.

Si initio ob verecundiam cœlentur ab ægrotis, ut plerùmque fieri solet, multiplicantur, & simul anum constipant, & nisi appropriatis curentur remediis, in cancerosam migrant naturam, & prava accersunt symptomata, ut dolores ingentes, inflammationes, febres, vel in ulcera depascentia degenerant. Thymi pessimi sunt, & præcipuè ubi sanguinem fundunt. Periculosiores sunt illæ excrescentiæ, quò sunt diuturniores, & præsertim si lui Venereæ conjunctæ sint.

Curatio.

Præmissâ corporis evacuatione pro humore melancholico, vel pituitoso evacuando, vulgares statim ad topica recurrunt, commendantque *salicis succum, vel portulacam tritam suo succo madentem, vel folia calendulæ, scrofulariam, radicem asari, cyclaminis, vel chelidonii recentis.* Pro optimo habent *liquorem, qui è floribus verbasci insolatis sponte in vitro effluit.* Extollunt *cichoriæ Verrucariæ succum, & succum à dente leonis promanantem.* Maximoperè commendant Gallenistæ gallinarum stercus. Verùm imparia, & imbecillia sunt hæc medicamenta pro absumendis, & debellandis his excrescentiis. Undè nonnulli ad *tithymali succum* confugiunt, verùm succus iste inflammationem, dolorem, & febrem parit, vesicat, & exulcerat, ideòque est remedium periculo plenum. Hanc dicant veritatem pueri illi, qui decepti, tithymali succo priapum, ut intumescat, inungunt. Alii sequenti utuntur unguento, ut.

℞. *Squamæ æris* ʒ. j.
Auripigmenti ʒ ß.
Alum. sciss. ʒ. ij.

Et cum oleo rosaceo in unguenti formam redigantur. Verùm hoc unguentum propter auripigmentum, quod compositionem ingreditur, venenatum est, & anum potiùs venerare, vel eum pilis denudare, quàm ejusmodi excrescentias absumere potest.

His parùm, vel nihil proficientibus, filo serico, vel setis equinis excrescentias sensim constringunt, donec nutrimento destitutæ siccescant, & decidant. Verùm

rùm non omnes vinciri possunt ob latam, & callosam basim. Præterea hic curandi modus dolorem, tumorem, & inflammationem parit, & estò quandòque quæ angustam habent basim, curentur, & non radicitùs, facillimè regerminant.

Quidam ferro præscindunt, verùm ferrum non est tutum propter sanguinis effusionem, tumorem, & inflammationem, & quandòque ità curatæ repullulant. Alii tandem candenti inurunt ferro, sed hoc remedii genus maximè formidolosum est ægris, & anus nimio exquisito gaudet sensu, & facilè intumescere solet, non absque vitæ discrimine.

Harum excrescentiarum curatio iisdem ferè perficitur medicamentis, quæ luem Veneream curant, ut fusiùs de *lue Venereâ lib. 3. cap. 17. De moris, cristis, verrucis &c.* diximus, estò hæc vitia luem conjunctam non habeant, sed utinàm hisce nostris in regionibus in pene, utero, & podice simplicia essent, & lui non associarentur! ferè hodiè non inveniuntur hæ tuberositates, tàm in pueris, quàm in adultis, quin luis Venereæ sint conspurcationes, vel à conceptionis primordiis, lactatione, præcipuè nefando concubitu, vel in locis, in quibus lue conspurcatus in podice ventrem exonerârit &c. Nihilominùs cum lue convenientiam habent hæ excrescentiæ, si simplices quandòque fuerint; contingunt enim semper à nutrimenti impuritate, ergo nutrimentum mundificantibus eliminantur, commodè itàque luis Venereæ remediis curantur.

Præmissâ corporis depletione pilulis mercurialibus pluries à nobis descriptis, postea topicis producta proscribantur. Optimus erit *pulvis ex alumine usto, sale armoniaco, & viridello ana p. æ. Oleum viridis æris. Aqua salis armoniaci n. d. vel spiritus salis armoniaci, spiritus sulphuris per campanam, oleum vitrioli, spiritus salis communis*, sed præstat *spiritus mercurii albus*, quo nos frequenter felici cum successu utimur, bis, vel ter has carnes Sylvestres tangendo, quas absque ulla recidivæ suspicione persanamus. Qui plura de his vitiis scire desiderat, legat de *Lue Venereâ lib. 3. cap. 17. de moris, cristis &c.*

Si verò luis Venereæ soboles non sint ani condylomata, omnisque generis verrucæ, ficus, mariscæ, mora insensibiliter absumuntur *à cineribus stercoris murium cum vino cocti*, & applicatis; sed præcipuè *crocus metallorum cum aquâ fœniculi distemperatus*, & in petiis applicatus, primò dolores sedat, deindè condylomata, ficus, mora &c. insensibiliter resolvit.

CAP. LXVI.

De Vteri Procidentia.

AB ano ad cunnum transitum facimus brevi itinere, nàm inter hæc duo orificia parvum mediat interstitium, quod perinæum anatomici appellant; undè non mirum si aliqui quandòque accipiunt quid pro quo, & in æquivo-

co

covolutantur. Post igitur ani mala meritò tantùm de uteri procidentiâ verba facimus, de reliquis enim libro de morbis mulierum agemus.

Signa.

Uteri procidentiæ signa ex ægræ relatione patent; conqueritur enim de pondere, & tumore instar ovi, nunc minoris, nunc majoris. Quandòque tumor cunni labia aperiendo, apparet, quandòque extra labia se videndum exhibet. In principio adest insignis partium dolor, quibus annectitur uterus, lumborum nempè, hypogastrii, pudendi, & circa os sacrum. Si malum diù duravit, ob assuetudinem dolor demulcetur, & solùm quædam ponderis molestia percipitur, & in ambulando impedimentum præbet. Interdùm aluinæ fæces, & urina supprimuntur ob compressionem. Quandòque superuenit febris, & nandòque convulsio.

Causa.

Procidere uterum putârunt nonnulli, quandò ejus fundus prolabitur, invertiturque propter ligamentorum relaxationem, extensionem, vel ruptionem, & deorsùm labitur, ut pars intima extima esset; laxiora, inquiunt, fieri ligamenta à variis causis occasionalibus, ut ab humoris pituitosi affluxu, à nimio fluxu seri, aut sanguinis, diutino fluore muliebri; ab his enim immodicis evacuationibus per uterum factis relaxantur ligamenta, & foràs prolabitur. Externæ causæ sunt partus laborioſus, balnea, insessus, linimenta, & omnia emollientia, & refrigerantia, ut pedum, & lumborum refrigeratio, sessio super lapide frigido, sic & potus aqueus, alimenta lubricantia. Diuretica sæpiùs repetita, & exhibita, nimia corporis exercitatio, aut ambulatio pedestris, equitatio, saltatio, tussis, sternutatio &c. Subiti, & graves animi affectus. Excretiones aut suppressæ, aut immodicæ, alvus adstricta, diarrhœâ, dysenteria, vel similes causæ, quæ vel à toto corpore, aut parte aliquâ ad uterum refundunt. Nonnunquàm & sine ullâ istarum causarum debilitantur corpora, ut membranis, musculisque vulvam sustinentibus exolutis, contingat uteri procidentia, quod in occiduâ ætate fieri solet. Vel ligamenta extenduntur à frequenti, & difficili partu, gravi, & onerosâ fœtûs gestatione. Vel rumpi à violentis causis, ut ictu, casu, vel ponderosi fœtûs gestatione, aut ponderis elevatione, præcipuè post partum, saltatione, partu laborioso, aut abortu, violentâ secundarum extractione, sternutatione post partum, vociferatione &c. His de causis uteri procidentiam fieri aiunt, sicut quandoque musculi ani, sphinteres dicti, intestina, omentum è suo loco deorsùm labuntur, ut in ramice contingit, & ità matricem sæpè deorsùm ruere, & è corpore propendere, & sicut etiam in sanita-

tis

tis ſtatu uteri ſubſtantia denſa, & compacta eſt, nonnunquàm tamen in ſtatu morboſo laxatur, ut ſcrotum. Fundus prolapſus, & inverſus carnem propendulam ſcroto virili perſimilem, ovumque anſerinum magnitudine æquantem repræſentat, vel quod per vuluæ rimam procidit, ovo ſtruthiocameli ſimile eſt, majoris tantùm, aut minoris ratione differens, prout inverſionis violentia coëgerit. Si cervix prolapſa ſit, caro rubens virili glandi cum ſuo foramine ſimilis extra corpus ante pudendum propendet.

Hanc uteri procidentiam ab omnibus ferè medicis, tàm antiquis, quàm Neotericis hactenùs decantatam invenimus, verùm iſti oculos glaucomate offuſcatos habuiſſe credimus, & non mirum ſi quid pro quo, vel pro cete cancrum aſpexerint; aſpexerunt nàmque aliquid rugoſi, & membranei ab interiori colli uterini parte verſus pudendum propendere, quod pro utero ipſo acceperunt, & adhùc quotidiè omnes ferè vulgares vanâ ſpecie deluſi etiam pro utero habent. Reſipiſcant, quæſo, imperiti medentes, & his rationibus Palinodiam canant.

Uterus parte inferiori duobus ligatur fortiſſimis ligamentis, quæ illum firmiter retinent, ne ſuperiores comprimat partes, & neque in dexteram, vel in ſiniſtram contorqueatur, & meatum, vel cornu, vel os interius dilatans; quòd ſi ligamentorum alterum relaxetur, aut contrahatur, contrahitur ad partem dextram, vel ſiniſtram. Hæc ligamenta inferiora quæ proceſſus ſunt nervei, teretes, & cavi, ortum habent à lateribus fundi uterini, vaſa deferentia contingunt, & ad inguina deſcendunt per peritonæi productiones, ac ad pubis os devenientes, bipartiuntur, & antequàm in latam, & nerveam exilitatem degenerent, una medietas Clytoridi jungitur, altera verò in membranam latam per femoris muſculos excurrit. Uteri cervix cum vicinis partibus undique connectitur, anteriùs veſicæ urinariæ, oſſibuſque pubis beneficio membranarum à peritonæo prodeuntium; poſteriùs recto inteſtino, & oſſi ſacro, cui toto ductu incumbit, & circumcircà fibris quibusdam vicinis partibus alligatur.

Parte ſuperiore uterus duo habet ligamenta lata, membranoſa, ac robuſta, ſed mollia, ut incremento augeſcentis ſenſim fœtûs ſucceſſivâ expanſione ſpatium relinquat, quorum primum in lateribus obſervabile pro expanſione quadam peritonæi habetur, eſtque membranoſum penitùs, tàmque latum, ut cum tunis, ac teſtibus, nec non fundo conibulatum, uterum oſſibus illum annectat, vocatur hoc aliforme ob ſimilitudinem alarum veſpertilionum quam refert.

Ex hac uteri anatome conſtat ipſum ligamentis firmari, & roborari, ut in oneribus ferendis, expellendo fœtu, clamoribus, laboribus, & humorum fluxu ad hanc partem, nullatenùs per relaxationem invertatur, nec minùs

hæc ligamenta rumpi possunt, quia à naturâ non conflata sunt ex chartâ emporeticâ. Insuper præter hæc firmissima vincula natura peritonæo totum munivit uterum præter venas, & arterias, quòd si quandòque peritonæum relaxetur, devolvitur, & decidit in partem inferiorem, aliquibus magis, aliquibus minùs. Præterea uteri figura aliis rotunda statuitur, aliis piriformis sed estò ad rotundam accedat, quò capacior sit uterus, tamen cucurbitæ fundo optimè assimilatur, quia fundus recta deorsùm sensim angustiatur, collum verò uteri canalem oblongum, & rotundum repræsentat, inversa cervice: Ex hac igitur figurâ clarè patet nullo modo uterum inverti posse, cum ejus fundus amplior sit, & collum angustius, non invertitur itàque ut mactatorum animalium intestina à laniis invertuntur, non enim si ità procederet restitui posset, & præcipuè illis vanis medicamentis, quibus jactabundi authores uteros prolapsos restituisse gloriantur. Putârunt, credimus, vulgares medicos per relaxationem, aut ruptionem uterum è suâ sede inverti, non aliter ac tibiale invertitur. Non equidèm ab ignaro vulgo dissonat, quod inter naturæ miracula connumerant matricem per rimam magnam deorsùm non prolabi.

Nos uteri procidentiæ, quam vocant, causam proximam esse vaginæ, seu cervicis uteri annexûs fibrosi cum partibus vicinis solutionem statuimus; vaginæ namque uterinæ tunica rugosa est, mollis, laxa, & inæqualis ob rugas orbiculares, (ut major titillationis ab attritu in coitu voluptas percipiatur) nervosæ, sed nonnihil spongiosæ, fungosæque substantiæ: Ut non solùm penem strictiùs amplectatur, ac semen meliùs ad uterum deferat, sed etiam ut partûs tempore infantem excludat. Ista membrana rugosa, seu tunica separatur à cervice, vicinas impellit partes, & deorsùm in pudoris sinum detruditur, ob loci dispositionem fit corpus orbiculare ex hac tunicæ relaxatione, & versus pudendum invertitur, quandòque extra propendet, quod uterum mentitur, bardosque decipit medicos. Sed quod pejus est, nonnulli imperiti hunc prolapsum quandòque pro uteri herniâ suspicantur. Observavimus nos in quadam muliere hanc tunicam totaliter è suâ sede divulsam, & gangrenâ penitùs consumptam, in qua post triste fatum culter anatomicus, quia medentes obstinatè uteri procidentiâ decessisse asseverabant, uterum minimè è suo loco prolapsum patefecit. Causæ occasionales possunt esse omnes illæ, quas in vulgarium causis recensuimus.

Prognosis.

Affectus hic rarò pernicios[us] est, attamen molestus, & opprobrios[us], quia fœminis in deambulando impedimento est, ac Veneris dulcedinem, conceptionem quandòque & rectam menstruorum purgationem impedit, ac quendam fluorem concitat. Dùm recens est, & extra vulvam non proci-

procidit, facilius curatur, at si diuturnus fuerit in corpore cacochymo, & debili, ac extrà prolapsus, non nisi longo pòst tempore, & quidèm difficulter sanatur. Faciliter in junioribus, quàm adultioribus curatur, & præsertim, quibus etsi reponatur, levi de causâ iterùm procidit. Si dolor, febris, inflammatio, vel gangræna ab aëris alteratione, aut violentâ repulsione accedat, si subsequatur mensium suppressio, vel hysterica passio, convulsio, & alia gravia symptomata, fœminæ mortis causa est, & præsertim puerperis.

Curatio.

Tota prolapsûs curatio potissimùm in operatione chirurgicâ consistit: danda igitur opera, ut id, quod prolapsum est in suam sedem quamprimùm restituatur, & contineatur. Ad hunc finem obtinendum, ægram super dorsum resupinam coxis altioribus dilatatis, reflexis poplitibus, pedibus divaricatis, constrictis natibus, & demisso capite in lecto collocabis. Postmodùm admotâ manu, tumor tepidò inunctus oleo comprimatur ab ægrâ, obstetrice, vel chirurgo, & introducatur, ac in situm reponatur naturalem. Si uteri vagina partium vicinarum compressione nimiùm intumescat, præmittatur clyster, si flatus, vel stercus in intestinis procidentiam adaugeant; Si urina in vesicâ adsit, depleatur: Uterus nàmque inter intestina, & vesicam suam obtinuit sedem, idest inter stercus, & urinam) intestina enim vesica tensa, & repleta repositioni reluctantur.

Si uteri vagina intumuerit ex alteratione ab aëre externo frigido, & reponi non possit, adhibeatur fotus ex decocto *malvæ, althææ, seminis lini, fœnugraci, florum chamomillæ.* Vel fat totus *ex rore marino, salviâ, absynthio decoctis in aquâ, & vini partibus æqualibus, aut coquantur folia, & baccæ lauri, menthæ, flores sambuci, summitates artimisiæ in vino adstringente*, & fotus tepidè cum linteo applicetur. Si inflammatio adsit, tamdiù differenda est repositio, donec sistatur. Remisso umore post fotum, priùs uteri vagina inungenda est mucilagine radicis consolidæ, & posteà aspergenda pulveribus, qui asperitatem nullam habent, ne partem lædant, sed glutinandi magis, quàm adstringendi vi polleant, ut

℞ *Mastiches,*
Thuris ana ʒ. ij.
Sarcocol. in lact. mulicbri nutrita ʒ. j.
Mumiæ,
Balaustior.
Lacrym. sang. drac.
Acaciæ,
Hypocystidis ana ʒ. ß.
F. Omnium pulv. subtiliss.

Tumor sensim, & blandè reponatur, quòd si ægrè succedat, id peragat obstetrix bacillo crassiori obtuso linteolis involuto, vel intrudendo insuper gossypium in se involutum, formâ, & crassitudine muliebri sinui respondens, linteoque exceptum, ac vino rubro

ſtiptico imbutum, ſic abſque dolore, & violentiâ in propriam ſedem devolves.

Commendant aliqui tanquàm ſpecificum ad ſpontaneam vaginæ uterinæ repoſitionem ſuffitum *ex pelle anguillæ ſale conditæ, & in furno exſiccatæ, ac in pulverem redactæ*, alii verò *ex ſtercore bubalo*. Multi naribus admovent beneolentia, & fœtida genitalibus ſubjiciunt, dummodò mulier hyſtericæ paſſioni non ſit obnoxia. *Rodoricus à Caſtro de morbis mulierum lib. 2. cap. 17.* ad uteri repoſitionem plurimùm conferre ſcribit, ut chirurgus cauterium actuale, aut aliud ferrum candens manu oſtentet, ac fingat eo uterum inurere velit; Ità enim natura contrahitur, & cum eâ uterus ipſe, tùm etiam quæcumque alia pars extrà prominens. Ad hunc ferè modum *Zacutus Luſitanus* de quadam muliere narrat, quæ ab anno, & dimidio uterum prolapſum habebat ſummâ cum duritie, & poſt multa, & fruſtrà tentata præſidia nihil proficiens, ad ridiculum confugit: ſuppoſuit mulieris cruribus mures filo alligatos, quibus poſitis, & per femora vagantibus, fœminæ metus ingens occurrit, & repentè uterus propriam in ſedem reductus fuit, & à malo inpoſterùm tuta remanſit. Verùm pace noſtri *Luſitani*, ipſe ratus fuit cum *Platone in Timæo* uterum eſſe animal ſenſu, & ratione particeps, quod facilè ab alio animali terretur. Quàm medicamentis indiga eſt vulgarium medicina, ut quandòque ſeriis incaſſùm tentatis, ad ridiculas inventiones recurrere cogatur pro morborum ſanatione! Quidam in hoc affectu vomitorium commendant, quia ad ſuperiora fit humorum revulſio, & eſtò hoc titulo proficuum eſſet, nihilominùs aliâ ratione metuendum eſt; hoc nàmque ſuas exerit vires magno impetu, & conatu, ac non minùs quàm ſternutatio uterum pellit. Imo experientia docuit ad partum difficilem, & fœtum mortuum excludendum nihil efficacius eſſe, quàm vomitorium exhibitum.

Poſtquàm uteri vagina convenienter fuerit repoſita, omni induſtriâ, & arte procurandum eſt, ut in ſuo loco contineatur: Mulier itàque in lecto collocetur aliquantulùm inclinata, cruribus extenſis, & ità coaptatis, ut unum alteri incumbat, & per octo, vel novem dies in hoc ſitu conſiſtat. Interim procurandum eſt, ne alvus ſegnior, vel laxior ſit; nàm ſi fæces duræ ſint, vagina in iis egerendis facilè prolabitur, fluida alvus laxat. Duo ſunt medicamentorum genera, quæ repoſitam uteri vaginam in ſuâ ſede retinent; quædam hanc in ſuo loco ſtabiliunt, & partibus vicinis agglutinant, & coaleſcere faciunt, ea ſunt medicamenta adſtringentia, & agglutinantia; quædam verò tantùm vaginam retinent, ne prolabatur, & hæc cura palliativa nominatur. Equidèm verò, quæ ſit curatio per agglutinationem eſt vera curatio, nàm ſolius naturæ eſt agglutinare continuæ ſolutionem, & ut hæc rectiùs, & facilius perficiatur, ea adhibenda ſunt

m di-

medicamenta vulneraria, quibus in vulneribus consolidandis, & enterocelis curandis utimur. Hæc medicamenta adstringentia, & agglutinantia in hoc affectu cùm internè, tùm externè adhibemus, verùm cautè usurpanda sunt, si menstrua, statis periodis, fluant, ne supprimantur, & indè graviora proveniant mala: opportunum igitur hujusmodi remediis utendi tempus est, ubi menstruus fluxus præteriit.

Dùm sequentia adhibemus medicamenta, quies seriò imperanda est, caveat proindè sibi ægra à vociferatione, jurgiis, omnibusque illis, quæ tussim, aut sternutationem concitare valent. Sumat ægra bis, vel ter in die sequentem haustum adstringentem, & vulnerarium, ut

℞. *Herbar. herniaria,*
Pilosellæ,
Stellariæ,
Bursæ pastoris,
Polygoni ana m. j.
Radic. consolid. maj.
Dictami albi,
Tormentill.
Bistortæ ana p. j.
Ros rubr. p. ij.
Nuc. cupressi num. jv.

Fiat decoctio in vini rubei lib. jv. *vase optimè clauso.* Non credibile est, quantùm valeat in uterinæ vaginæ procidentiâ hoc nostrum decoctum vulnerarium per os assumptum, qui experitur nos vera dicere fatebitur. Imò si per syringam in vulvam injiciet, compendiariâ utetur viâ pro talis affectûs sanatione. Ad uteri vaginæ roborationem exhiberi potest sequens pulvis:

℞. *Radic. thapsibarbati* ʒ. ij.
Fol. myrti,
Sem. pastinac. domesticæ ana ʒ. j.
Rasur. c. c. &
Nucis moschat. ana ʒ. ß.
Ocul. cancr. præp. ʒ. j.
Corall. præp. ℈. ij.

Fiat pulvis, cujus dosis est ʒ. j. in vino austero.

Ad firmandam uteri vaginam in suâ sede, pessus sæpiùs renovandus eâ figurâ, qua vaginam impleat, fiat ex spongiâ, vel lanâ, vel gossypio, vel ex petiis lineis, & sequenti imbuatur decocto, & in vulvam immittatur, ut

℞. *fol. myrt.*
Quercûs,
Rubi,
Artemisiæ,
Matricariæ ana p. j.
Cortic. granator.
Cupular. glandium ana p. ß.
Balaustior.
Baccar. myrt. ana ʒ. ij. ß.
Succ. acaciæ,
Hypocistidis, &
Sarcocollæ ana. ʒ. j. ß.
Sang. drac.
Boli armeni,
Mastiches ana ʒ. ij.
Sumach. ʒ. j.
Alum. rocc. ℈. jv.

Fiat decoctum in paribus partibus vini austeri, & aquæ ferrariorum.

Interim umbilico, vel sub mammarum regione, aut utroque rene cucurbitulam cum multâ flammâ sine scarificatione admovent.

Ventri imponunt sequens emplastrum, ut

℞. *Radic. cyperi*,
Bistortæ ana ℥. j.
Gallarum,
Acaciæ ana ℥. ß.
Nuc. empress.
Cassium dactylor.
Sem. myrtill. ana ℥. j.
Picis,
Colophoniæ ana q. ʒ.
F. emplastrum.

Lumborum, & pectinis regioni tale applicant emplastrum.

℞. *Opoponac.* ℥. ij.
Styracis liquidæ ℥. ß.
Thuris,
Mastiches,
Picis,
Boli armeni ana ℥ ij.
Ceræ q. ʒ.
F. Emplastrum.

Vel admovent *emplastrum contra ruptu*ram, *vel pro retentione fœtûs, vel unguentum comitissæ.*

Fiant suffitus ex pelle anguillæ, vel ex fœtidis. Suaveolentia, ut ambra, moschus &c. naribus non admoveantur; eorum enim odor non solùm ad nares pertingit, verùm etiam ad uterum, & non solùm præcipitationem inducere, sed etiam caput, & cor lædere, ac hystericas passiones excitare possunt, præcipuè si mulier his obnoxia sit. Prædicta remedia per duodecim, vel quindecim dies continuanda erunt.

Solent vulgares convenientes instituere purgationes, humores pituitosos leniter purgantes, ne uterum denuò præcipitent, post quas decocta exhibent sudorifica *ex radice chinæ, ligno guajaco, vel salsâ parilià*, Sed optimum est *visci quercini lignum* admiscere, quod potenter exsiccat. Si hæc quæ attulimus non prosint, thermæ sulphureæ in Putolano, vel Insulâ Ænariæ efficacissimum erunt remedium, & rarum, quarum usu multas mulieres convaluisse vidimus.

Quòd si nulla perfectæ salutis spes superstit, tunc uti possumus curâ palliativâ, qua tantùm vagina in suâ sede retinetur, ad hunc finem *Hippocratis Zona* est adhibenda; hac enim sine procidentiæ periculo munitæ mulieres ambulare, muniaque quotidiana exercere possunt, & vagina ab externo non læditur frigore. Paratur autem hæc Zona ad eum ferè modum, quo fasciæ pro herniâ parari solent.

In deploratis procidentiis utilissima sunt pessaria formâ rotundâ, & tantæ longitùdinis, & crassitiei esse debent, ut citra violentiam intrudi, vaginam tamen, ne iterùm procidat, retinere possint. Formantur commodissimè e lævissimo suberis cortice, aut glomere è filo vel meliùs funiculo, & in cerâ liquidâ intinguntur, & eâ obducuntur. Sint lævissima, aliàs actritu suo menstrua alba excitarent, vel maturam ad seminis ejaculationem impellerent, qua necessariò corporis vires debilitarentur. Fiunt perforata, ut menstruorum fluxus, vel salsus ichor ex utero profluens non impediatur. Alliganturque ligulâ sericâ insuunturque, ut commodiùs, quandò liber, extrahi possint, quod tamen rariùs fieri debet, & non

nisi

nisi concubitûs tempore. Hoc pessario adolescentulam munivimus, quam tanto malo ità lenivimus, ut à viro compressa conceperit, gestârit, & suo tempore natum in Lucem ediderit. His pessariis munitæ mulieres, vagina ità firmiter suo loco persistit, ut pedes ambulare, currere, saltare, sternutari, vociferari, rixari, equum, aut currum ascendere, pondera elevare &c. possint, & nullum tamen præsentient incommodum.

Bardi vulgares, qui uteri fundum inverti, & deorsùm prolabi, ac per magnam vulvæ rimam extra corpus procedere imaginantur, pessaria ad columnellæ formam, ut prolapsum uteri fundum in suâ sede retineant, efformant, non aliter ac columna fornicem fulcit. Verùm hæc pessaria ad columnellæ modum non habent, ubi suam stabiliant basim, sicut nostra, quæ uteri orificium non excedunt, & sunt depressa, ac perforata, veluti placentula, ac unius transversi digiti cum dimidio crassitiem adæquant, quorum circumferentia orbicularibus uterinæ vaginæ rugis adhærent, ipsamque vaginam, quæ priùs pendula erat, firmiter in suo loco stabiliunt. Multa miranda canunt vulgares de pessario in columnellæ formâ, sed non credenda; asseverant nàmque, ut mulieres conceptum retineant, utero gerant, pariantque absque eo, quod extrahatur, non impedire, imò etiam, si mulieres priùs propter uteri procidentiam concipere non potuerunt, ut concipiant, auxilio est. Verùm nos adduci non possumus, ut credamus cum tali pessario in uteri fundo mulieres concipere, utero gestare, & parere posse, quin potiùs conceptum, gestationem, & partum impedire, ut consideranti patet. Pessaria juxta nostrum institutum confecta, ante coitum extracta, & post intrusa conceptionem non impediunt, ac gestationem, & partum, quæ si utique concubitûs tempore non extraherentur, impedirent, ut faciunt aliquæ devotæ mulieres, quæ intra uteri collum ad cervicem usque, quantùm fieri potest, spongiæ fustulum, vel petiam, ne concipiant, intrudunt, & post coitum extrahunt unà cum semine.

Peragrato jàm universo microcosmo, ejusque descriptis tumoribus quò ad signa, genesim, prognosim, & sanationem, tempus nos monet exponendorum ex truncо membrorum, manuum nempè, & pedum de tumoribus simili methodo pertractare, & huic nostro primo chirurgiæ Tomo supremam imponere manum.

CAP. LXVII.

De Paronychiâ.

PAronychia Græcè, Latinè panaritium, tumor est ad inflammationem pertinens, verùm quandòque malignam carbunculi, aut anthracis naturam redolet, generatur in digitorum extremitatibus ad unguium latera.

Signa.

Signa.

Facilè cognoscitur paronychia, in principio enim adest dolor circa unguium radices exiguus, & adhuc tolerabilis, postmodùm augetur dolor vehementissimus, & exquisitissimus, cruciatus intolerabiles, & incredibiles, tumoris, & ruboris præsentia, totus nàmque digitus maximè tumet, ut quater crassitiem superet naturalem, adest vehemens pulsatio. Quæ accidentia, ut dolor, & inflammatio ob nervorum consensum aliquandò se per totum extendit brachium, & ob nervosæ partis consensum æger nec die, nec nocte somnum carpere potest, hinc deliria, quæ pendent à periostii inflammatione.

Tantus est in hoc tumore dolor, ut veteres hunc morbum *Rodentem Vermem* appellârunt, quia in eâ fuêre sententiâ Vermem in tumore latere, imò eum nominatum magis exasperari, ideòque nominandum non esse, nàm vermium instar maximo dolore corrodit, ac intolerabili, sic ut noctes, atque dies ægros torqueat, & noctù maximè. Sed hæc tanquàm fabulosa rejicimus.

Nùm mitis, aut maligna fuerit paronychia, ex accidentium remissione, aut vehementiâ deprehenditur; ut enim remissa accidentia affectûs levitatem ostendunt, sic eorumdem vehementia, ut plerùmque febris continua, intolerabilis cruciatus, nausea, vomitus, quandòque deliria, lipothymia, vigiliæ, aliaque symptomata, ejusdem pravitatem, & malum ostendunt morem.

Paronychia suas habet differentias, nàm alia est superficialis, alia profunda, illa cum exiguo dolore tantummodò extremas affligit partes; hæc verò nervos, fibras tendinosas, periostium, & ipsa ossa sævissimis excruciat doloribus. Subjecti ratione alia extimam solùm cutem affligit, alia interiores partes, ut duræ matris processum, perioslium nempè, & os ipsum furtivo modo cruciat, alia manuum, vel pedum digitos apprehendit. Genuina prope unguem, spuria juxta reliquas partes oritur. Alia in unguis latere, alia in digiti dorso, alia verò in ejusdem ventre fit. Pollex huic malo obnoxius est, seu quod major sit, seu quod præ reliquis injuriis externis, & laboribus sit expositus, præcipuè cum ipse singulorum reliquorum quasi minister, & adjutor existat.

Causa.

Pro paronychiæ causâ assignant vulgares sanguinem adustum, corruptum, & plerùmque malignum, quem natura ad digitorum apicem, à jecinore per viarum ambages, intellectui impossibiles, tanquàm ad ignobiliorem deponit partem, ac ibi inflammationem parit. Sed hæc vulgarium causa est nimis rustica, & trivialis; non enim docent, quomodò sanguis aduratur, non assignant adurentem, & si aduratur, quo-

quomodò non carbonizatur ; Si corrumpitur, corruptorem ostentare deberent ; in malignam si transit naturam, quomodò transit, & an ista malignitas sit occulta, vel manifesta : occulta quidèm, sed quomodo quandòque in paronychiâ brevi tempore cane pejus ossa corrodit, quod in aliis ab occultâ qualitate morbis non evenit, non assignant. Nonnulli ad humorum acrimoniam confugiunt, sed quinàm sint isti acres humores, non benè conveniunt.

Paronychiæ causa est ros ille inter fibras tunicarum, venularum, cæterarumque membranarum in digitorum extremitate diffusus, qui non rectus à partibus illis, vitium contrahit, aciditatem concipit, undè tumor, rubor, & initio levis oritur dolor, cunctatione intenditur, exaltatur aciditas, & in corrosivam, ac realgarinam transit naturam, & non secus ac potentiale causticum, hinc ab exordio sui centrale punctum invisibile ponit, & posteà ardentem concipit tumorem, ac maximis cum punctûris subjectam carnem corrodere incipit cum unâ ichoris guttulâ, & sensim maculam magnitudinis (O) efformat sub digiti cute, deindè vicinas partes nerveas, & membranaceas, ibidem vasa omnia excidit, & exedit, periostium, & ipsum subjectum os corrodit, putrefacit, & mortificat.

Causæ externæ sunt digitorum contusiones, distorsiones, violentæ tensiones, festucæ digito intrusæ, punctûræ &c. non rarò hunc infelicem pariunt fœtum, quam ob causam sæpissimè mulieribus, & viris consuentibus paronychiæ accidunt, cùm acubus punguntur, & eò magis cùm postmodùm aquâ punctus digitus humectatur.

Prognosis.

Paronychia, si prava, & maligna fuerit, curatu difficilis est, & non solùm ligamenta, vicinos nervos, os, & extremum digiti articulum, sed etiam interdùm totam corrumpit, & sphacelat manum, & nos mortem ex paronychia fuisse secutam in quampluribus observavimus.

Curatio.

Vulgares tribus intentionibus paronychiæ curationem complent, primò, scilicet idoneo victu, quem tenuem, & refrigerantem laudant cum abstinentiâ à vino, carnibus salsis, frixisque cibariis.

Secundò materiæ antecedentis evacuatione, & à loco patienti retractione, undè in hoc vehementi affectu illicò humorem purgant melancholicum statimque etiam sanguinem mittunt, non solùm semel, sed etiam pluries, prout indicatio meliùs suadebit desumpta ex affectionis gravitate, corporis plenitudine, & habitu, ætate, & consimilibus. Locus autem sanguinem mittendi, vel erit ex brachio oppositò, vel ex pedibus, servatâ rectitudine, cum sanguinis missione conspirant frictiones, cucurbitulæ, & alia auxilia. Verùm

purgatio secundùm eorum opinionem non convenit, cùm sit affectus à sanguine non proveniens, præterquamquòd plerùmque adest malignitas, quæ à circumferentiâ ad centrum traheretur. Phlebotomia potiùs optimum esset remedium pro tanto morbo, cæterùm vel totus sanguis est adustus, vel tantùm ejus pars, si totus, is qui remanet, est ejusdem conditionis cum educto; si pars, quis pro his spondebit tantùm illam educi partem? Si sanguis est corruptus (ut aiunt) eadem militat ratio, præterquamquòd dicant, quomodò per phlebotomiam in naturæ gratiam reduci potest? A privatione enim ad habitum non datur regressus. Si malignus, præter eandem rationem quæ militat, malignitas sanguinis missione non educitur, imò phlebotomia in morbis venenatis est veneno nocentior ipso, cùm ab ignobilioribus ad partes nobiles ipsum trahet venenum.

Tertiò tandèm localia auxilia patienti digito adhibent, eapropter repellentia, & adstringentia administrant præsidia, quatè digitum patientem in *acetum acerrimum* calidum pluries immergunt. Alii hoc idem præstant in *aquâ ferventi, ubi fabæ bulliunt*, si verò anni tempus fuerit æstivum, & dolor plurimùm cruciet, hoc efficiunt in *aquâ gelidâ*. Quidam utuntur *emplastro de gallis immaturis, vel de granatorum corticibus, vel linteo madefacto in limonum succo*, & patienti loco applicato. Verùm repellentia, & adstringentia parti affectæ imponenda non sunt, nè humor in parte impingatur, dolor augeatur, & nervi, atque os corrumpantur.

Si inflammatio nimis cruciet, applicant refrigerantia, ut *succum solani, plantaginis, Umbilici Veneris, lactucæ &c.* Vel *ovi albumen cum oleo violarum mistum.* Si dolor affligat, sedantia commendant, ut *lac cum succo hyoscyami.* His peractis, si affectus ad suppurationem tendat, eam adjuvant maturantibus auxiliis, communiter utuntur *adipe suillo pluries loto cum aquâ rosarum, cui adipem gallinaceum vel etiam recenter lotum addunt.* Nonnulli applicant *fermentum veteris.* Genito pure, expectant, ut ex seipso disrumpatur absceſſus, quòd si non eveniat, tandem ferro aperiunt, exiguo tamen facto foramine, ne pars exigui caloris multùm debilitetur, postmodùm locum digerunt digestivo ex terebinthinâ, ovi vitello, & oleo rosaceo, ac demùm cicatrizant.

Curativa paronychiæ indicatio consistit, ut stagnantes succi acres, & corrosivi corrigantur, emendentur, immutentur, resolvanturque, quorum assecutione optima medicamenta sunt absorbentia, & diaphoretica in morbi initio, & progressu, ut *stibium diaphoreticum, sulphur auratum diaphoreticum, tinctura antimonii, bezoardicum minerale, diaphoreticum in peracutis, bezoardicum animale, salia volatilia cornu cervi, viperarum, volatilia oleosa &c.* Purgantia, quæ succos acuunt, emetica, & diuretica acriora protùs proscribimus. Anodyna sudori-

feris,

feris, & absorbentibus palmam præripiunt, nàm præterquamquòd symptomatibus, etiam succorum acrimoniæ succurrunt, eos immutant, & corrigunt, ac vi diaphoreticâ eliminant, coagulatos resolvunt, & fluxiles reddunt; ideòque hæc illis maritanda, & horâ somni propinanda optimè existimamus. Hujusmodi sunt *theriaca Cœlestis, laudanum opiatum, essentia opii, tinctura Nepenthes &c.* quæ etiam confectiones cordiales recipere possunt.

Non desint intereà topica, quæ sola quandòque sufficiunt apud vulgares. Verùm, ut diximus, repellentia, & acida, tùm aquea, & frigida, ut *acetum, succus limorum, solani, lactucæ &c. aqua gelida &c.* in quæ digitum immergunt patientem, exulent, qui succos coagulant, constipant, obstruunt, & ineptos ad refluendum in sua vasa reddunt; ideòque in paronychiâ omnia remedia applicanda calida esse debent. Sequentia in linteis madefactis panaritio imponi possunt, ut

℞. *Aqua theriacalis cum sp. Vini* ʒ.iij.
Camphoræ gr. vj. *m.*

Vel

℞. *Elixiris vitæ* ʒ.ij.
Balsam. Peruviani alb. ʒ. ß. *m.*

Vel

℞. *Balsam. propriet.* ʒ. ß.
Olei sabinæ ♁. j. *m.*

Vel

℞. *Spiritus V. camph.* ʒ. j.
Spiritus flor. sambuci ʒ. ß.
Aquæ flor. sambuc. ʒ j. ß. *m.*

Paracelsus laudat *vermem terrestrem* omnium maximè vulgarem, quem *lumbricum* vocant, & pluvialem, qui illius tempore extra terram prorumpit, & reverà vermis iste magnam virtutem, & mysterium tantum in se continet contra omne vermium genus, ex morbis orientium, & potissimùm in paronychia digitorum morbo, quæ vermium instar maximo dolore corrodit, undè hunc morbum veteres rodentem vermem appellârunt. Processus ejus ad hunc se modum habet:

℞. *Vermem jàm dictum parvum, aut magnum juxta personarum respectum. Nàm si homo senex, aut mulier existat, vel dolor ipse magnus, tanto major lumbricus assumendus est, ut morbum ejusmodi superare valeat. Superligandus est linteo digito, vel ei loco in quo dolor maximus existit, & maneat ibidem* 24. *horas, aut donec vivit: eo mortuo, curatus est morbus, & unà cum verme moriuus.* Non quòd hoc per incantationem, idololatriam, aut superstitionem fiat, sed ex naturæ viribus, & operationibus. Indè satis colligi potest Omnipotentem Deum nihil æquè parvum, simplex, vel deforme super terram creasse, contemptum nil, quod in hominum sanitatem esse non debeat. Idem Paracelsus commendat remedium ex externis putrefactivis curam agere, *porcorum stercore cum aceto decocto*, & impositio.

Si dolor, & inflammatio angit, hoc convenit cataplasma, ut

℞. *Flor. chamomill.*
Meliloti,
Sambuci, &
Fol. hyoscyami ana m. ß.

Sem. lini,
Fœnugræci ana ʒ. ij.
Coque in lacte vaccino, & applica. Vel applicetur cataplasma *de micâ panis cum oleo papaveris*, quod si neque hoc pacto sedetur, sed adhùc vehementer infestet, prædicto cataplasmati, addatur *hyosciami succus*, vel in eodem dissolvatur *quidpiam opii* juxta usus exigentiam.

Præstans est remedium *aqua spermatis ranarum*, si digitale ex corio multoties prius eâ intùs madefacto; & exsiccato, digito imponatur, per duas horas paronychiam enecat. Imò panaritium saltim in *aquâ sperniolæ* intinctum, sed in eâ immersione tanti excitantur in digito crucitatus, ut nisi patientem manibus fortiter teneas, vix cruciatus ferre possit.

Si paronychia maligna fuerit, ægroto propinanda sunt diaphoretica supra enumerata, præcipuè si anthracis, vel carbunculi naturam redoleat, vel *diaphoreticum Paracelsi cap.* 8. à nobis descriptum, vel alia alexipharmaca passim recensita, quæ venenum, & malignitatem obtundunt, & evincunt.

Si ad suppurationem tendat materia, ea adjuvanda est suppurantibus pluries à nobis descriptis; attamen si maligna fuerit, superponatur *emplastrum filii Zachariæ cum theriacâ* mistum, verùm non expectanda est perfecta suppuratio, & ut abscessus ex seipso rumpatur, nàm præterquamquòd malignitas, nunquàm coctionem admittat, cutis eâ in parte admodùm densa est, & præcipuè quandò æger ob mechanicos labores callosas cum digitis habet manus, ità ut paronychiæ materia (quæ utplurimùm maligna esse solet) cùm nullo modo exhalare possit, majorem malignitatis gradum nanciscitur, & quandòque cum digito tumido unà manus, & brachium propter doloris vehementiam intumescit, & tunc parùm prodest incisio, nisi priùs materia cocta, & in pus conversa fuerit. Præterea utplurimùm materia altiùs penetrat digitum, nec suppurantia per aliquot dierum spatium adhibita quicquàm juvant: incisio igitur statim à principio fieri debet, aliàs ex humorum concursu inflammatio, tumor, dolor, & pejora symptomata excitantur, ac ichor subjectam carnem, imò etiam ossa corrodit.

Fit incisio in internâ digiti parte secundum primæ articulationis longitudinem, & occurrit plerùmque macula una, & item altera ichorem, exiguâ tamen quantitate, exhibens omnis mali causam. Post incisionem absterso ichore statim linteum madefactum vini spiritu, ubi theriaca dissoluta fuerit, digito applicetur, manui verò, & carpo reduplicatum linteum defensivo imbutum imponatur, postmodùm curatio perficiatur sequenti abstergenti, & incarnanti, ut

℞. *Aloës hepatica* ʒ. iij.
Myrrhæ,
Thuris,
Sarcocollæ ana ʒ. j.
Terebinth. claræ ʒ. ß.
Mell. ros. col. ʒ. ij. *m.*

Vel ea adhibeantur, quæ alibi descripsi.

cripsimus. Si unguis decidat, scabra renascitur.

Quod si hæc pars patientis, vel chirurgi negligentiâ in gangrænam, sive sphacelum transeat, extirpanda est. Mirum, cuidam puero, observavimus, à quo os primæ articulationis pollicis mortificatum volsella extraximus, illæso digito, nisi potiùs naturæ opus committere, quæ sæpenumero suâ sponte osticulum separat.

Si tandèm in prava, & fœtida ulcera degeneret, vel in ossium carìem, ut plerùmque evenit, ex capitibus de ulceribus pravis, & malignis, ac de ulcere cum ossis carie est consulenda curatio.

CAP. LXVIII.

De Vnguium Pterigio.

SÆpè accidit, ut, apertâ paronychiâ, ex aliquo unguis latere supercrescat caruncula quædam, membranæ instar, dura, & nervosa quæ supercrescens, interdùm universum tegit unguem, & ex alio capite ab eodem ungue pungitur, & laniatur, quam ob causam ingentes sæpè accidunt dolores: hujusmodi caruncula græcè appellatur Pterigium, latinè à quibusdam pinnula, ut etiam non rarò contingit in oculis, ac eapropter appellatur oculi pterigium, latinè autem unguis oculi. Id non solùm accidit in manuum, pedumque digitis, sed sæpissimè accidere solet in pollice tùm manuum, tum frequentissimè pedum, & licèt hoc malum sæpiùs ex paronychiis occasionem sumpserit, præsertim neglectis, & non ritè curatis, tamen etiam absque eo, quod paronychia præcesserit, quandòque generari potest, cùm ex aliâ causâ occasionem sumat. Hujusmodi autem pterigium non semper est uniforme, & unius tenoris, sed etiam multiplex, & varium, non solùm quia quandoque est majus, & ferè totum occupat unguem, quandòque verò est mite, & facile curatu, interdùm verò contumax, & curatu difficile.

Signa.

Pterigium diagnosticis non eget signis, nàm ut diximus, est caruncula, seu caro sylvestris in utroque unguis latere tùm manuum, tùm pedum supercrescens, nunc in dextro, nunc in sinistro, verùm frequenter in pedis pollice suam figit sedem. Quandòque ità dolorem infert, ut patientem claudicare cogat, & ichorem fundit.

Causæ.

Pterigii causa est nutrimenti crassities, & sordities in parte vulneratâ, vel ulceratâ extra fibras in carnem sylvestrem concrescens, ut videre est in ulceribus, quæ unguentorum crassitie tractantur, nisi recte à sordibus abstergantur, facilè in carnosas transeunt excrescentias. Causæ mediatæ esse possunt paronychia, contusio, vulnus, unguis excisio in latere cum carnis portiunculâ, cal-

ceamenta nimis stricta pedum digitos coarctans, unguis excrescens, & intra carnis substantiam se insinuans, eamque dilanians.

Prognosis.

Affectus hic periculosus non est, attamen chronicus quandòque esse solet, ac tunc diuturnitate tœdiosus; pernicioſus tamen erit si inflammatio in eo excitetur, vel aliquam nanciscatur pravitatem.

Curatio.

Pro curatione tenui instituto victu, si periculosus non sit affectus, sed mitis, & benignus, universalibus non indiget præsidiis, cùm nec febrem, nec inflammationem afferat. Quantùm spectat ad topica parti affectæ applicanda, si caruncula fuerit mollis, & carnosa, primò diligenter est à subjecto ungue separanda, & inter ipsam caruncu'am, & unguem, imponatur tenuis pulvillus ex filamentis conflatus, imbutus pulvere aluminis roccæ usti. Postmodùm, si fieri poterit, brevior erit curatio, si tenui incidatur scalpello, & locus cicatrizetur pulvere aliquo cicatrizante. Si major fuerit caruncula, ut tota incidi non possit, tunc procurandum est, ut sensim erodatur his pulveribus, quos semper felici cum successu præscripsimus, ut

℞. *Salis armoniaci*,
Vitrioli, &
Alum. rocc. usti ana ʒ. j. *m.*

Vel

℞. *Pulv. sabinæ*, &
Alum. ust. ana ʒ. j. *m.*

Et tamdiù hi pulveres applicentur semel in die, donec tota caro absumpta fuerit.

Si dictis pulveribus uti nolumus, poterit absumi caruncula *spiritu salis armoniaci*, quo nullus præstantior in carnibus absumendis reperitur, vel *oleo sulphuris*, vel tandèm *spiritu mercurii albo*, aliquo ex his semel in die carunculam tangendo, cave tamen, ne inflammatio excitetur, vel nimis quàm decet, corrosio fiat. Si unguis nimis intra carnem se insinuet, & curationem impediat, juxta partis exigentiam incidatur. Si pterigium fuerit pravum, & malignum, ea quæ malignitatem, & pravitatem evincunt, administranda sunt, vitatis tamen purgatione, & phlebotomiâ, quæ multùm nocere possunt, & nulla melior erit curatio, quàm actuali igne carunculam cauterizare, & adurere, ubi incisioni non fuerit locus.

Solet quandòque in hoc affectu sanies quædam subtus unguem colligi, & ibi pervalidos inferre dolores; curandi tunc modus erit; ut quandò unguis ex aliquo latere incidi nequit, adhoc ut saniei prædictæ detur exitus, in medio ungue tenui aliquo instrumento, vel limâ foramen aperiatur, per quod prædicta expurgetur sanies.

Breviter hic, & quasi per transennam agimus de Ungue sub carnem se defodiente, malum ferè vulgare hisce in nostris regionibus, non contemnendum tamen, quod sæpè atrociora infert symptoma-

ta,

ta. Fit, cùm unguis, præsertim in latere pollicis pedis, nimis excrescit, & in suppositam carnem detruditur, & se insinuat, illiusque continuum solvit, fibras dilacerat, & scindit, ac caro extuberat. Curatio peragitur, si caro extuberans, & spatium illud, quod unguis excavavit momento aluminis usti, vel salis armoniaci exedetur, ut unguis in carnem profundiùs delapsus forcipe tuto secari possit, deindè consolidetur balsamo proprietatis.

CAP. LXIX.

De Pernionibus.

DAtur peculiare inflammationis genus, quod à Græcis chimetlon, Latinis Pernio, vulgò Buganza, hic spirone vocatur: est morbus pedum ex nimio algore, & calcaneum apprehendit, ac infestat. Dicitur Latinè pernio à membri pernicie, undè

Esse pedum dicunt vitium, cui pernio nomen,
Est à pernicie membri patientis id ipsum.

Signa.

Sub hyemis initio, calcaneo intentissimè perfrigerato, sequitur pruritus, & dolor, undè calcaneus rubet, & intumescit, pernionem in calcaneo esse dicas. Interdùm exulceratur, interdùm resolvitur, & licèt æstatis, & autumni tempore cesset, circa hyemis tamen initium revertitur.

Causa.

Perniones generari credunt vulgares ex materiâ sanguineâ non syncerâ, sed aliis admistâ succis. Ulcus, quod ex ipsis gignitur, non esse uniforme, & unius conditionis asserunt, nàm præterquamquòd interdùm majus, interdùm minus, quandòque superficiale, sed interdùm sordidum, interdùm purum, quinimò plerùmque malignum, & non solùm subjectam exedit carnem, sed etiam ossa nudat, & artus devastat: sicuti quædam ex ipsis sunt magis, vel minùs rebellia, vel contumacia, & etiam sæva, & maligna; hinc fit, ut materia, & succi, à quibus excitantur, etiam sint varii, & multiplices, interdùm, scilicèt mitiores, plerùmque verò sæviores, & deterioris conditionis. In specie autem cùm majori ex parte pendeant à materiâ sanguineâ, utplurimùm tumores prædicti fieri solent mitiores, cùm verò sanguini admiscetur bilioſus succus, quo magis hic fuerit mordacior, eò pariter magis sæva, & dolorosa excitatur affectio, accedens ad naturam phlegmonis erysipelatosi, cùm verò eidem sanguini admiscetur salsa pituita, facilè etiam ad ulcus prædicta affectio terminatur magis, vel minùs pravum, secundum quod magis, vel minus salsa erit pituita, cùm tandem ex melancholico succo ortum

ducit

ducit affectus ; omnium magis erit contumax, & rebellis, & si ad atræbilis naturam accedet, in ulcera prava, & maligna permutatur. Sed ô bella chirurgia ! Ecquis idiota unâ horâ nolit chirurgus evadere, & inter Galenistarum proceres his quatuor humoribus de totâ chirurgiâ disserere? Certè absque labore, & studio, solo horum humorum commento cum honore hanc medicinam assequi poterit, cùm brevis sit, & compendiosa.

Pro causâ hujus inflammationis externa frigus hybernum assignant, hoc nàmque credunt non solùm partem reddere de iliorem, & ad recipiendum aptiorem, sed dolorem majorem ad partem facere attractionem.

Pernionum frigus causa mediata est, cujus essentia in motus privatione consistit ; tubuli nàmque per quos succi vertuntur in gyrum, à frigore externo quasi coarctantur, corrugantur, & constringuntur, ac succi adeò tardiùs circulant, ut plus affluxûs, quam commeatûs ipsis concedatur. Dùm succi liberum non aperiunt transitum, (non enim totalis succorum transitus feriatur, aliter nàmque coagulatio, & partis extinctio succederet) & aliqualis datur ingressus, & is facilior, quàm egressus, plus infertur, quam effertur, obstructione partis intumescentia oboritur. Hinc partibus volatilioribus resolutis, reliquæ particulæ stagnantes actiores reddiuntur, & pruritus, seu formicationis sensus excitatur, cunctationq exaltantur, & fermentationem moliuntur, hinc incalescentiam, & ardorem inducunt, fit dolor à tubulorum corrosione, & ulcus succedit, tanquàm ab igne excitatum.

Prognosis.

Affectio hæc multùm molesta, & dolorosa est, nec vitæ tamen periculum minatur, verùm semel in calcaneo sedem figens, postmodùm annuatim brumali tempore redit, adeò ut omni hyeme recidivos producit effectus. Quandòque resolvitur, & quandòque in suppurationem abit, & in ulcus transit sordidum, plerùmque cacoëte. & malignum, adeò ut plures non solùm subjectam carnem, sed etiam ossa denudasse, artus vitiasse, ac devastasse observavimus.

Curatio.

Pernionis curatio apud vulgares in sedando illam congelationem, & frigus extrahendo, velut sponte exhalet consistit. Inepti, quasi frigus esset ens positivum, & non mera caloris privatio ! Sed de hoc fusiùs in nostrâ Pyrotechniâ, & alibi. Quasi pernionis causa esset nuda eorum fictitia qualitas ! Extracto frigore per calcanei immersionem in aquam frigidam, hîc vulgari eorum theoremate obliviscuntur : contraria contrariis curantur. Affectam quidam partem fovent *lacte dulci, in quo cocta fuerint ros marinus, origanum,*

rum, salvia, rutæ folia, & lauri baccæ, vel pedes *in aquam calidam* immergunt, *in qua rapa, præcipuè frigore antè congelata, cocta fuerit. Oribasius* commendat *sulphur vivum in tenuissimum pollinem redactum, & cum melle mistam.* Laudatur ab aliis, ut pars affecta aspergatur *cinere calceorum veterum.* Ad idem prædicant *decoctum umbilici Veneris.* Nonnulli commendant *cyclamini decoctum*, quinimmò *cyclaminum excavant, & oleo communi, & paucâ cerâ replent, postmodum ad ignem concoquunt*, & eodem calido affectam illiniunt partem. Vel utuntur *decocto lupinorum in aquâ maris*, imò frequentem ablutionem ex aquâ maris simplici, actu tamen calidam multùm conferre credunt.

Si pernio exulceratus fuerit sequens commendant emplastrum, ut

℞. *Ol. ros.* ℥. ij.
Succ. ciclamini ℥. j. ß.
Adipis taurini,
Resinæ pini ana ℥. j.
Colophoniæ ℥. ß.
Spumæ argenti ℥ j.
M. & cum paucâ cerâ
F. linimentum.

Ad idem valere asserunt *folia malicorii, & umbilici Veneris decocta, & contusa, ac unguento rosaceo permista.* Quotiescumque vulgares stercus, & sanguinem non educunt, ad ineptias confugiunt medicas.

Duplex pernionibus curatio debetur, una, scilicet præservativa, ne affectus prædicti denuò molestent, & annuatim recurrant; altera est curativa, quæ vindicandi modum, dùm actu divexant, docet, & hæc etiam duplex est juxta duplicem prædictorum affectuum conditionem, una enim ipsis antequàm exulcerentur, debetur, altera verò ad eosdem, postquàm exulcerati fuerint, dirigitur.

Quantùm ad methodum præservativam spectat vulgares ex *Aëtio* præscribunt *sal subtilissimè tritum cum melle mistum*, & ex eis calcaneum fricant. Laudatur etiam, si accipiatur *myxa acida cydoniorum, & hæc diligenter teratur, ac trita admisceatur cum adipe suillo*, & pariter eâ prædictum illiniunt locum. Verùm his veteraneorum omissis medicamentis, dicimus multum glorioſius esse hunc tumorem præcavere, quàm eundem curare, undè adventante hyeme, necessarium ducimus partes optimè muniri à frigoris injuriis, & succi in suâ vertigine conserventur, ne lædantur, quia, hiberno tempore accedente, succi aliquantulùm crassiores redduntur, canales constringuntur, & permeare nequeunt, hinc succi stagnare coguntur, & affectum producunt. Consequemur præservationem, si socci spiritu vini simplici, spiritu vini camphorato, crocato, vel aquâ Reginæ madidi induantur, & benè muniantur.

Pernionum actu infestantium curatio perficitur medicamentis, quæ tubulos à frigore externo coartatos laxant, & succos crassiores redditos fluxiles reddunt; eapropter calcaneus illiniatur *oleo ceræ, vel ex vitellis ovorum, juniperi, philosophorum, petræ, guajaci, vel spiritu*

vini simplici, vel crocato, camphorato, fuligînis, formicarum, aquâ Reginæ, vel tinctură castorei, seu horum omnium præstantissimum est *oleum terebinthinæ*. Præstans erit *emplastri de spermate Ceti* applicatio. Expertum, & à nobis inventum pro pernionibus infallibile remedium est *aqua Vitrioli* calida, quasi bis, vel ad summum ter madefiant, eos curabis, primâ namque vice pruritum, & dolorem sedat, ruborem aufert, ac tumorem resolvit, secundâ vice, incantamenti instar, morbum curat. Alii sequens parti applicant unguentum:

℞. *Sebi cervini*,
Ceræ,
Ol. violac. ana ℥. ß.
M. f. unguentum.

Vel *imple hoc unguento raſam excavatam, cooperculumque ejus abscissum iterum alliga, & madefactæ stuppæ involutam sub calidis cineribus percoque, tumque in pulviculam tunde*, & applica. Vel

℞. *Ol. violac. q. u.*

Frige in eo allium, & expressum abjice, oleo verò adde tantundem ceræ, & liquescant in unguentum.

Si perniones in ulcus abierint, & præcipuè sordidum, sequenti utere emplastro:

℞. *Pulv. gallar.*
Aristoloch. rotund. ana ℥. ß.
Minii ℥. j.
Merc. meteorizati gr. vj.
Lithargyr.
Myrrh. ana ℥. j ß.
Camphoræ ℈. j.
Thuris ℥. ij.
Ceræ viridis q. s.
M. f. empl.

Vel hujus loco substitui potest *emplastrum de Gratiâ Dei*. Verùm *fodicationum emplastrum Paracelsi* optimum erit, & tantùm superpositione ulcus curabis, hoc enim sanguinis ichorem immutat, dulcem reddit, & remanens consolidat ulcus.

Cap. LXX.

De Roseolis.

Alterum etiam peculiare inflammationis genus reperitur, quod hyemis tempore manuum, & pedum digitos obsidet, & angit, ac vulgariter roseolæ simpliciter absque additamento, ad saltantium differentiam, appellantur, & quia in medio macula quædam subrubra rosam quodammodò referens conspicitur, roseolæ fuerunt appellatæ, quasi parvæ rosæ. Est affectio multum molesta, pruriginosa, & dolorosa, verùm nunquàm in suppurationem abit, vel rarò in exulcerationem, nàm totum digiti spatium apprehendit, nec in unâ dumtaxat parte colligitur. In hoc distinguntur roseolæ à paronychiis, quæ in eisdem cùm manuum, tùm pedum digitis sæpè excitantur, ut diximus, circa unguium radices, & in iisdem non levibus cruciatibus suppuratio sequitur; roseolæ autem præter ungues toto ferè digito potiuntur, & nunquàm ad suppurationem deveniunt, licèt rarò exulcerentur. Ex his liquet roseolas esse tumores inflammatorios,

rios, interdùm sine ulcere acraro cum ulcere, hyberno tempore, & magis frigidiori, manuum, pedumvè digitos occupantes.

Signa.

Roseolarum signa ex dictis patescunt, nam sunt tumores in manuum, pedumvè digitis secundum ipsorum longitudinem, & latitudinem, quandòque botuli crassitudinem referentes, ad subtubrum tendentes, cum molestâ, & ingenti prurigine, quæ ægrum ad scalpendum invitat, ac compellit, post quod urens in parte calor, & subsequitur dolor, ulcere carent, estò quandòque sed rarò superficiale contineant.

Causæ.

Roseolarum causa interna apud vulgares est sanguis non purus, & syncerus, sed bilhosus, vel pituitosus, vel melancholicus; externa verò hyemale frigus. Verùm apud vulgares morbi omnes ex horum quatuor humorum combinatione fiunt, non aliter ac apud philosophos Epicureos omnia corpora ex atomorum combinatione.

Causa roseolarum coincidit cum pernionum genesi, differunt tamen hi duo affectus ratione loci. Roseolarum causam à mediatâ rimamur, nàm, adventante hyemis algore, in manuum, pedumvè digitis succi non totaliter stagnant, sed quoad partem, nec fluiditate pristinâ vertiginoso gyro volvuntur, tùm ob crassitiem, tùm quia fibrarum tubuli corrugantur. Hinc majori agglutinatione fit obstructio, subtiliores particulæ evanescunt, reliqui succi in ossam crassam degenerant, & ad circulandum inepti, ea propter majori mole augentur, & cunctatione acorem concipiunt, fit particularum motus inordinatus, acuuntur, & hostiles reddantur: undè tumor, pruritus intolerabilis, calor, & dolor in partibus excitatur. His omnibus rationibus addamus oportet, quòd causæ externæ non operantur, nisi in dispositâ materiâ; oportet propterea, ut præcedat aliqua partium imbecillitas, ob quam excipiendæ actualitati externæ frigiditatis, modo jàm dicto reddantur idoneæ.

Prognosis.

Roseolæ nullam vitæ minantur perniciem, estò annuatim regerminent, quasi formæ Aristotelicæ de potentiâ materiæ educantur, adveniente brumâ, sed tantùm pruritus, formicationis sensûs, caloris, doloris, & tumoris ratione, ac digitorum deformitate earum curatio expetitur, verùm absque medicorum lucello.

Curatio.

Omittimus vulgarium de roseolis curationem, quia vanâ, & nullius efficaciæ sunt eorum medicamenta, imò potiùs, malum adaugent, quàm aliquo modo lenunt.

Pro præservatione dicimus partes roseolis obnoxias priùs bene

muniri, antequàm algori committantur, ne lædantur; undè manus manicis ex animalium pellibus, & præcipuè ex lutrâ conflatis defendantur, pedes verò soleis, vel soccis vini spiritu imbutis foveantur, & adhibeantur calcei Gallorum, non Hispanorum more constructi.

Pro nostrâ roseolarum curatione dicimus juxta causas assignatas necessaria esse ea medicamenta, quæ stagnantes succos circulantes reddunt, & vasa corrugata relaxant, & cùm roseolæ, & pernionis cognati sint affectus, illis horum medicamenta, quæ recensuimus conducunt; eapropter efficax remedium est affectos digitos *vini spiritu* colluere, hic enim non tantùm præservat, verùm etiam actualem curat affectum. Optimum præsidium erit, si digitos madefaciat æger *infusione lapidis medicamentosi* calidâ, sed certissimum, & infallibile erit *aqua vitrioli* cap. 2. de Inflammatione descripta, qua nos vulgò vitimur; hæc namque irritatum in parte vitæ spiritum sedat propter anodynum vitrioli sulphur, quo sedato, scalpendi desiderium, calor, & dolor feriant, & hinc concretos succos, & coartatos tubulos ad pristinum reddit statum vita, ac tuberositas subsidet. Commendant multi digitos inungi affectos oleo ex seminibus gossypii expresso. Digitos *in aquam spermatis ranarum* immergere proficuum experti sumus remedium. Expertissimum medicamen pro roseolis persanandis habemus, quod libenter absque invidiâ communicamus, hoc est *oleum murinum recenter natorum per infusionem* in amphorâ in ventre equino, vel sole paratum, quo siquis bis, vel saltèm ter affectos inungat digitos, incantamenti instar roseolæ persanantur. Amabò, nequis despiciat, vel irrideat hoc nostrum medicamen tanquàm vile, & abominabile, illud nàmque in experientiam vocet, & nos vera dicere fatebitur. Is sciat Deum Omnipotentem nil abominabile, & deforme in hoc orbis amphitheatro creasse, tam contemptum, quod in hominum salutem non crearit.

In roseolarum, & pernionum curatione interna curatio non est contendenda, solis nàmque internis martialibus hanc affectionem abegimus. Igitur quæ obstructa reserant vascula, medicamenta administranda sunt. Conveniunt etiam sudorifera, & volatilia, quæ stagnantes succos fluidiores reddunt.

Cap. LXXI.

De Myrmeciâ.

Illud animal, quod formicam vocamus, Græci Myrmeciam appellant, verùm chirurgi pro tumore formicam usurpant. O miseram humanæ sortis conditionem, sat non fuit omnium malorum lernâ undique stipari, ni dira animalia talpa, testudo, polypus, ranula, lupus, cancer, elephas, & alia accessissent, ut minimam corpo-

corporis partem cruciatibus liberam reliquissent! Deficiebat exiguum illud animal, formica nempè, ut summam humanis ejulatibus imponeret manum! Dictus est hic tumor formica, quia ad contactum dolorem, & punctionem exhibet, qualis fit à morsu formicæ. Nonnulli cum myrmeciâ herpetem confundunt, sed perperàm, ut ex utriusque signis quisque facilè colligere potest.

Signa.

Si in manuum, pedumvè digitis, manu, brachio, pede, tibiâ &c. verrucæ humiliores, inferiùs latiores, superiùs tenuiores, durioresque, quæ radices suas altiùs figunt, una penes aliam, dolorem movent ad contactum, ut fit à formicæ morsu, colore nigricantes, vix magnitudine lupinum excedentes, & ex fricationibus flava emanat aqua, crustæ decidunt, earumque loco renascuntur aliæ maximo cum dolore punctorio, myrmeciam esse censebis.

Causa.

In myrmeciæ assignandâ causâ vulgares acerrimè contendunt; quidam enim bilem assignant, alii pituitam bili commistam adducunt, alii verò pituitam salsam pro causâ materiali constituunt.

Fit myrmecia à sale acuto, & corrodente, in dies namque observamus hoc laborantes morbo in parte affectâ corrosione affici. Quomodò autem hoc fiat demonstrandum est: est *Aristotelis* doctrina multis in locis: *omne enim simile tendit ad conservationem sui similis, tàm secundum generationem, quàm secundum conservationem*, in dies namque videmus, quòd homo homines, leo leones generat, & sic de cæteris; contrà putredo putredinem, alteratio alterationem facit &c. ergò pari modo in casu nostro erit discurrendum. Tota itaque difficultas consistit in hoc præcipuè demonstrando, quomodò, scilicet in nostro corpore salia generentur acuta, quam doctrinam sat tradidit *Paracelsus in libris de salibus*, plurimis in capitulis, & sic laconicè nos circa hanc materiam discurremus, dicendo, quòd quoties aliqua pars vitalis in nostro corpore persistens ob prohibitam transpirationem, & ob materiam occasionalem morbificam acutam, & nimis volatilem per cutis poros transpirare non potest, toties nullâ interpositâ morâ eadem pars ordinariam mutans simmetriam ex vitæ indignatione in sal acutum degenerat, undè per fibras transcurrens, alimentum ad talem particulam sustentandam adveniat, cùm eam reperiat plus justo excandescentem, illicò exaltatur, & in acutum convertitur sal, ac fit tumor in suo centro.

Prognosis.

Myrmecia est admodùm pernicioſa, ac proindè non solùm difficillimè, verùm etiam diuturnæ

curationis; excisionem nàmque ob latissimam basim, cui adhæret, sine magnâ exulceratione non patitur, & tandèm in fœdam degenerat ulcerationem cum ossis carie, & ægrum in tabem perducere potest.

Curatio.

Totus curationis cardo consistit ad restituendam ad ordinatam temperiem partem affectam, nec non etiam salia illa acuta à parte tollenda, undè per has duas indicationes, internis, & externis præsidiis myrmecia curatur.

Interna sunt potiones, decocta sudorifica, balnea, medicamenta diaphoretica pluries dicta, quæ salia acuta eluunt, & parti naturalem restituunt constitutionem.

Si ad tabem perductus fuerit æger *Mannam sancti Angeli montis Gargani, vel nostræ Calabriæ ad* ℥. iv. *vel* v. propinare possumus, vel si fuerit pauper administrari poterit *Syrupus ros. solut.* qui pauperum manna vocatur, necnon quamplurima alia medicamenta juxta ægrorum dispositionem, quæ pro tabe diximus.

Extrinseca verò quæ parti adhibentur, sunt unguenta, quæ describuntur, à *Paracelso in libris de Apostematibus, de formica cap.* 38. ut

℞. *Litharg. abluti* ℥. j.
Sperm. oli ℥. j. ß.
De liquorib. barbæ Iovis,
Succ. ex Nenuphare ana ℥. iij.
F. Cerotum sine cerâ,

Super pannum illine, & administra per noctem; refrigerat enim & morbum tollit, ut ampliùs non revertatur. Vel alio modo:

℞. *Aquæ ros.* ℥. ij.
Resolutæ camphoræ ℥. j.
Commisceantur.

Ad salia corrosiva dulcia, & innoxia reddenda, nullum præsentaneum remedium reperitur, quàm *oleum saturni in cella per deliquium*, vel *sal ejusdem saturni in aquâ rosarum solutum*, sed *mel ejusdem* præstantissimum est: ideòque in ulceribus corrosivis, quæ à sale proveniunt, præstans est medicamentum *mel, seu saccharum ex saturno elicium*, sicut etiam in vegetabilibus saccharum vulgare acrimoniam, & rerum amaritudinem temperat, ac corrigit; ità mineralium & mercurii, arsenici tàm in magno, quàm in parvo mundo hoc Saturni saccharum mitigat, ac emendat.

Si in ulceratione abeat myrmecia, & non resolvatur, curetur, ut ulcus, quòd si cum ossis carie sit conjunctum, ut sequenti capite regatur.

Cap. LXXII.

De Spinâ Ventosâ.

NOn sòlùm caro suam patitur apostemationem, verùm etiam, & ossa apostemantur; solent enim quandòque manus, pedisve digitorum internodia prius mali mineram i. inflammationem, & corruptionem in ossibus contrahere, quàm circumducta caro in tumorem, se attollere. Hoc tùm oris genus Græci Padarthrocacem, Latini

Latini ossis cancrum, sive ossis sphacelismum, & vulgares spinam ventosam appellant. Miserabile morbi genus, quòd prius cane pejus ossa, quia densitate suâ magis resistunt, postmodum carnes, quia raræ sunt, exedit, & corrumpit.

Signa.

Oritur in articulis extuberantia, cum prolixo, ac minimo graditur auctu, inibi punctorius percipitur, in periostio dolor, tera accedit exulceratio, quia priùs ossa, mox periostium, & tandèm caro morbi sævitiem sentiunt. Ulceris foramen est valdè exiguum, labiola pallent, materia ex carioso ulcere manans est oleosa, pinguis, & maximè fœtida, aliquandò flava, subviridis, sed utplurimùm tenuis, & fluida, puris ac plus puris ex tali effluit ulcere, quàm ipsa ulceris conditio paritur ob latentes cuniculos. Caro esse solet mollis, spongiosa, fungosa, at minimè, ut in hypersarcosi ulcerosâ est, in superficie sublivida, ac pallida deprehenditur.

Adesse in tali ulcere os cariosum, cognoscitur 1. Autopsiâ. 2. Ex pure profluente, quod tenue, oleaginosum, flavum, & graveolens est. 3. Si ulcus sit vetustum juxta *Hip. aph.* 45 *sect.* 6 *In ulceribus annuis, aut etiam diuturnis, abscessum cum osse communicari necesse est, & cicatrices cavas fieri.* 4. Si ejus coalescentia sit difficilior, aut post coalitionem suâ sponte iterùm aperiatur. 5. Si caro circumducta flaccida, pallida, & livida observetur. 6. Si supra turundas, vel emplastra macula nigra appareat. 7. Si admoto specillo asperitas in osse percipiatur, imò si hoc ab illo perforari videatur.

Causæ.

Vulgares Galenici proximam hujus affectûs causam in pituitâ crassâ rimantur, & ad hujus confirmationem in medio statuunt pueros, qui utplurimùm huic sunt obnoxii morbo; hi enim in hunc incurrunt, qui à parentibus languidis, & pravo habitu præditis vitiosa prima sumpserunt principia; tùm quia infantes, & pueri pituitosi sunt, & egrè his repurgantur, undè post imperfectas variolarum, achorum, lactuminis, vel tineæ repurgationes, facilè in hanc labuntur affectionem; nàm illa pravæ conditionis materia non expurgata ad articulos, tanquàm ad emunctoria, vel ad ignobiles partes se exonerat, & hujusmodi in ossibus vitium producit. Verùm allucinantur, deliranteque vulgares in pituitâ, quæ nunquam ossa exedere assolet, sed potiùs in ipsâ spicula obtundunt. Minùs bardè dixissent, si in pituitâ salsâ cariei causam collocassent, & cum hac etiam extra rem fuissent locuti; sal enim in pituitâ potiùs conservatur, quàm exedit, nisi fuerit exaltatus. Consultiùs dixissent ab humorum acrimoniâ, ut sic ossa singulariter cariari. Quod dicunt de infantibus,

& pue-

& pueris esse pituitosos, ideòque post imperfectas variolarum, achorum, lactuminis, vel tineæ repurgationes, facilè in hunc labuntur morbum; verum est hos esse pituitosos, sed non quia pituitosi sunt in hanc labuntur affectionem, sed quia vias habent nimis laxas, per quas pituitosus, qui dicitur humor decurrit, nec validam habent expultricem, nam ad expultricem validam efficiendam partium robur, & compactio esse debet aliquâtulùm densa, & sicca, quæ non reperitur in infantibus, & pueris.

Cariei genesim non per congestionem, sed pravorum humorum defluxum fieri contendunt à cerebro, ventriculo, hepate &c. quia natura in cacoëticis noxios succos à partibus robustioribus perpetuò ad viles, debilesque deponere studet: Sicut in Republicâ Magnates, & Potentiores in debiliorem plebem gravia deponunt onera. Hi sciant inepti malum esse topicum, & non per descensum, ut chymici lequuntur, à cerebro, ventriculo, hepate &c. impertitum, ut fabulantur.

Cariei causa juxta nostram sententiam in spinâ ventosâ est rosile in periostio diffusus, qui à partibus illis non regitur, & vitali non illustratur aurâ, derelictus, & ferè extra vitæ jurisdictionem eliminatus stagnat, vitium, & aciditatem contrahit, undè ab acido intolerabiles excitantur dolores, periostii fibras contrahendo, & convellendo, quasi à spinæ punctione, & quia dolores tensivi, ad flatum, sive ventositatem referunt ægri, & vulgares hunc tumorem spinam appellavêre ventosam. Cunctatione hic ros aciditatus, quia nutritioni, & resolutioni ineptus est, stagnat, & cum succis intùs contentis commiscetur, ac necessariò fermentalem concipit motum, intenditur, exaltatur, fitque corrosivum sal, non secus ac causticum potentiale, periostii fibras exedit, gravissimum excitat dolorem, ipsaique corrodendo, & dissolvendo fibras tendinosas, ossium poros invadit, quæ primò dissolvit, corrodit, putrefacit, & mortificat, tandèm carnem exedit, fitque ulcus. Eodem pari modo caries ulceribus diuturnis, tanquàm pessimum symptoma, accedere solent, ab ulceris acido exaltato in sal corrosivum, & causticum, quod in ptimis carne, venis, ac nervis exesis, ossa tunc cariosa fieri necesse est, ut *sect. 6. aph. 45. Hip.* inquit.

Prognosis.

Spina ventosa curatu difficilis est, diuturna, & periculi plena, præcipuè in corpore debili, & pravis scatente succis. Perniciosa est, ubi junctiras, atque ossium capita, quàm ubi internodia corruptione laborant, apprehendit, utpotè quibus remedia cariosum superantia os commodè non applicare licet. Pessima tumoris soboles, siquidèm multis confirmatum est experientiis omnes sic ferè affectos, ac in puerili ætate constitutos, radicali humido dissipato contabescere, & misera-

ferabiliter vitam finire, pus nàmque infinitè profluens ægrum cum morbo commoriturum portendit, præsertim si cum aliis malis indiciis enervatæ languentis vires appareant, & principali morbo necrosis accedat. Hoc tumoris genus exercitatos, & eruditos exquirit chirurgos, illosque acriter fatigat, omnem solertiam habet irritam, & curantis hominis omnem eludit, irridetque laborem; eapropter tenellos infantes à matris ubere rapit, quòd si quandòque aliquis supervivat, à mutilatione non evadit, & si curantis chirurgi solertia mutilationem effugiat, vix saltim vitari potest, quin in motûs abolitionem, aut depravationem incurrat. Verùm tanta ægrorum laniena non chirurgiæ culpâ, cùm ipsa conjecturali modo non procedat, sed nudam contemplandam, & manibus palpandam se exhibet, provenit, verùm professorum defectu; sunt chirurgi Neapolitani vulgares, (pauciſſimorum pace sit dictum) qui legere, & scribere nesciunt, ac parùm, vel nihil à tonsoribus distant, & quod magis dolendum, non reperiuntur hodiè tonsores, nàm omnes sunt chirurgi.

Curatio.

Vulgares spinam ventosam hac methodo curant: si patientis vires fuerint enervatæ, tunc totum opus naturæ committunt, & interim optimos cibos, maximique nutrimenti exhibent (verùm *corpora impura quò magis nutries, eò magis lædes*,) donec constantes evadant: si verò validæ fuerint, patientem purgant pilulis de tribus, vel Arabicis, vel meliùs propinant syrupum de spinâ cervinâ, qui ab articulis trahendi energiam habet. Deindè sani cubiti venam secant, sed qua ratione id faciunt, ipsi videant. Ad exsiccandum pravos humores in corpore genitos, qui malum perennare possunt, salsæ parillæ, & radicis chinæ cum guajaci cortice decoctum ad plures exhibent menses.

Si tumor non sit ruptus, illum aperiunt, ut ossa observentur denudata, non quidèm ferro, ne nervosa attingantur corpora, sed parvo facto foramine, gentianæ radice, vel mitioribus causticis patefiant, ubi detecta apparent, ossis corrupti partem auferunt, integrumque conservant. Auferunt ossa duplici modo, vel chirurgiâ, vel medicamento, hoc nàmque naturam ad ossis carioſi sequestrationem irritari dicunt, quia osse carioso existente, ulcus sanari, carnem sanam supercrescere impossibile est. Tollunt ab osse cariem scalpro excisorio cum malleo, statuariorum more. Si ossis caries altiùs descendat, os perforant terebrâ, tribus, vel quatuor in locis scalpro percurrendo cum malleo à foramine in foramen. Totum corruptum os ablatum esse signum esse dicunt, quandò cruor succedit, & tunc ab opere cessant.

Quandòque os carioſum adurunt, ut corruptum omni alimento, & humiditate destituant; ablato enim nutrimento, naturam facilius

ciliùs sequestrare, quæ sequestranda sunt, aiunt. Idem perficere dicunt medicamenta siccissima, & frigidissima, qualia sunt ex *hyoscyami foliis, & semine cum atramento sutorio usto contusis.* Similiter *radices eos, peucedani, aristolochiæ, folia ficûs, papaveris sylvestris, euphorbii, squama æris, erugo, aqua aluminosa magistralis*, qua læpiùs os cariosum madefaciunt, & cariem absque dolore curare scribunt. Vel tandèm ferro candente os adurunt, quia ignis maximè omnium exsiccat, & corroborat, & adustionem tamdiù repetunt, donec perficiant opus. Verùm candens ferrum dolorem, fluxionem, & inflammationem excitat, & ob loci affecti angustiam non rectè a laptari potest, ac proindè caro exuritur, & nervosæ partes lædumtur. Sed nè ichor ex ustione resultans circumsitas lædat partes, tenuissimis filamentis, vel tenerrimis spongiis illum excipiunt. Ustionis terminus est, donec os prorsùs siccum fiat, post ustionem decenter factam, os ab inflammatione, & dolore vindicant aquâ rosarum cum oleo rosaceo, vel violarum, ovi albumine stuppâ exceptis, & applicatis, postmodùm sedato dolore, & vindicatâ inflammatione, ad ossis separationem procedunt, & tandèm sarcoticis ulcus carne replent.

Pro nostrâ spinæ ventosæ curatione dicimus, quòd quò citiùs curatio instituitur, eò melius perficitur, nec exulceratio expectanda est, sed à tumore inchoanda, ut materia corrosiva in eo contenta educatur, & ossium caries per abditos cuniculos non crescat eundo, nec alio modo ossa à carie liberari possunt, nisi ad ea perveniatur: ante omnia igitur eò incumbendum est, ut per incisionem ad partem affectam deveniamus, ad ossa carie affecta denudanda, quod etiam militat deruptо tuberculo, ut ossa cariosa sub oculos veniant, verùm magnâ solertiâ id faciendum, ne venis, arteriasmagnis, membranas, & tendines discindamus. Hinc statim cultro incisorio simplici utendum est, nec cunctandum, ne malum pejoret, imò ulceratio cum suis labiis induratis aperienda est, & abscindenda: sectio itaque per ossis longitudinem usque ad ipsum os facienda est. Si patiens cultrum exhorreat, causticis benignioribus res peragenda est, & inducenda est escharа, quousque os denudatum appareat, tunc medicamenta os lævigantia adhibenda sunt; non enim natura os periostio amicit, donec cariosum persistit, ideòque pars cariosa tanquàm mortua separanda est à sanâ, & vivâ, cum qua nec coalescere, nec diù subsistere potest, quin eandem itidem inficiat, & ad parem sensim deducat cariem.

Ossa lævat præ cæteris *spiritus mercurii albus, deindè spiritus salis armoniaci, vel sulphuris per campanam*, qui juxta curantis libidinem bis in die repetatur, & quidem plumaceola in eo imbuta imponatur; hi nàmque spiritus volatilitate suâ, quam gignt, ossa lævigant, & corrosiva salia hebetant.

Cele-

Celebertimum est remedium, quo *Paracelsus* ossa corrosa restituit, ut

℞. *Ol. de camphorâ per albumen Ovi præparati, &*
Ol. Caryophyllor. ana ʒ. ß.
M. & utere.

Præstans est euphorbii tinctura n. d. qua nos in hoc affectu utimur, ut

℞. *Euphorbii* ʒ. ij. ß.
Radic. peucedani,
Aristoloc. rotund.
Bryoniæ ana ʒ. ß.
Myrrhæ, &
Aloës ana ʒ. ij.
Caryophyllor. ʒ. j.
Infunde in aquæ Reginæ Hungariæ lib. ß. *per quinque, vel sex dies, deindè colaturam servа.* Tinctura hac placentulæ ex filamentis imbutæ bis in die in ossibus carioſis repetantur, quousque os læve appareat, & periostium supercrescat. Vel ossibus carioſis applicati potest *bryoniæ trita, vel aristolochia rotunda* in cataplasmatis formâ, vel *peucedani radix* in pulverem imposita, vel tandem *euphorbii pulvis* (gummi est euphorbium) verùm magna cautio in hujus applicatione adhibenda est, nàm penetrat, inflammat, exulcerat, & violenter abstergit, ideòque eo utentes, ne vicinas corrumpat partes, necesse est linimentis, aut ceratis communire corpus, quo ossa investiuntur.

Nonnulli in ossis carioſi curatione, parùm supradictis remediis proficientibus, ad ignem actualem confugiunt, & reverà quod non sanat ignis incurabile est juxta Hip. aph. & sic sæpè succedere solet curatio; verùm quia ægri spavent, timentque ignem, & persuaderi nequeunt ossa non sentire, non semper hæc operatio perpetrari potest. Verumenimverò esto ossa non sentiant, partes ossibus vicinæ, membranæ, tendines, nervi & similes ab actuali igne læduntur, & intolerabiles patiuntur dolores, augeturque malum ex frequenti ignis applicatione, nàm unâ vice id præstare non potest, nec laudabilem affectum producere solet. Tandem nihil proficientibus generosis, optimisque remediis, nullum est certius, & utilius, quàm ignis, modò ab experto chirurgo ustio instituatur, & deindè os igne actuali aduratur, & ne dolores, fluxiones, inflammationesque insequantur, ac membranæ, tendines, nervi &c. attingantur, lædanturque muniantur oportet, & deindè olivare cauterium ignitum per ferreas, aut plumbeas fistulas injiciatur, quæ ne incalescant, plures esse oportet, sæpèque mutentur.

Præter topica, interna medicamenta ad curationis festinationem propinari debent, inter quæ lenia cathartica commendamus, & præcipuè sequentem Barbette compositionem magnifacimus, ut

℞. *Rad. consolid mai.*
Osmund. regal.
Chinæ,
Salsaparill. ana ʒ. j.
Cortic. lig. guajac. raſ. ʒ. ij.
Rhabarb. opt. ʒ vj.
Fol. sen. mundat ʒ x.
Agarici leviſſ. ʒ. j.
Caryophyllor. ʒ. j.
Cinnam. ʒ. ij.

Infusa horis 24. in suff. quantitate aquæ hordei tepidæ coque lento igne, & expressioni lib. IV. adde.

Syr. de symphyto fernel. ℥. jv.

M. f. apozema.

Sumat ejus æger ætatis adultæ ℥. iij. jv. v. leniter purgabit, curationem promovebit, & à novo morbo præservabit.

Intereà ea non desint medicamenta, quæ salia corrosiva cicurant, attenuant, resolvuntque per diaphoresim, alioſque naturales ductus, & sic facilè os cadaverosum ad expulsionem sollicitatur, hujusmodi erit *chinæ, ligni visci quercini, aliorumque lignorum decoctum*, similiter *antimonium diaphoreticum, sal volatile viperarum, c. c. cardui sancti, succini, eboris &c.* Sed lege *Tomum 2. de Ulceribus cap. 21.* ubi fusiùs agimus *de Ulcere cum ossis carie.*

Cap. LXXIII.

De Clavo, & Callo.

IAm tandem, Superis faventibus, à capite ad extremos corporis artus sensim devenimus, ad manus, scilicèt & pedes, quorum duos hìc tantùm describemus tumores, clavum nempè & callum. Est clavus dura quædam excrescentia, colore albicans, rotunda, quæ clavi capitello non absimilis cuti infixa videtur, ut clavus ferreus pungit, undè ipsi nomen obtigit, ac plantis, digitisque pedum enascitur; callum verò est quædam summæ cutis duricies in volis, manuumque digitis.

Signa.

Clavus facilis est cognitu ex tuberculo duro profundiùs in pedis digitis, vel plantâ latente; præterquamquòd ex ægri relatu patescit. Patet etiam, quòd centrum quoddam veluti foramen, seu punctum habeat, formâ sit rotundâ, & clavi capitelli instar est cuti infixus, ejusque durities ad periostium usque penetrat, dolore interdùm pungitivo ità fuerit, veluti clavus ferreus infixus, ut gradienti molestiam ferat.

Callus visu, & tactu cognoscitur, cutis nàmque dura, & fere ossea est, doloris expers, & estò cultro abscindantur tactûs sensus est abolitus.

Causa.

Vulgares Galenici clavum ab humore pituitoso, & melancholico fieri existimant, mediante calcei pressurâ, attritu intertrigine, labore &c. De callo verò eandem repetunt næniam produci, nàmque ab eisdem humoribus, pituitoso, scilicèt & melancholico etiam credunt, mediante pressu, attritu, intertrigine, labore &c. Verùm modum, quo clavus, & callus oritur, non docent. Maledicti sint tales humores, qui tot veterenarios fecêre chirurgos.

Clavum fieri existimamus, à prohibitâ transpiratione per impeditum fibrarum motum, quæ à corpore duro comprimuntur, quasi dila-

dilacerantur, situmque mutant, quibus pressiùs sibi invicèm coagmentatis, ac superimpositis, & coacervatis, sub ipsis nutrimentum per poros evaporari solitum post nutritionem, aggestum per arcta interstitia evaporari nequit, & in clavi duritiem abit. Causæ externæ, & occasionales sunt compressio à novis, & arctis calceis pedum digitos comprimentibus, & coartantibus, multa, & diuturna ambulatio, ac continua statio.

Callus oritur ab impedito fibrarum motu sub cute, quæ ab instrumenti durioris, & insoliti contrectatione comprimuntur, situm mutant, invicèm conglomerantur, & exsuccæ fiunt, quia succus alimentitius post manuum sustentationem per has fibras, & indè per cutis poros obliteratos insensibiliter resolvi non potest, hinc cutis spissior evadit, & tandèm in callum, eo loci ubi congestus fuit, convertitur. Occasionales causæ sunt diutina instrumentorum laboris contrectatio, ut sunt ligo, aratrum, bipennis, grandiores mallei &c.

Prognosis.

Clavus non est curatu facilis, nàm quandò semel est enatus, vix sponte evanescit, sed duriusculâ, & solida radice semet introrsùs figit ad periostium usque & osseâ membranâ constare videtur, chirurgum spe suâ frustatur, undè post dexteram excisionem semper recrescit, dolorem sæpiùs movet, & claudicare facit; at si incautè exscindatur, maximum periculum oboriri potest, ut spasmus, convulsio, delirium, quæ symptomata acerbum excipit funus.

Callus recens, cùm sit affectus cutaneus, facilè curatur, nullumque infert periculum, nisi incautè exscindatur, præter manuum defœdationem; inveteratus verò difficillimè, cùm fibræ semel unitæ, & constrictæ iterum dissolvi, dilatari non possint.

Habere in manibus callos, & in pedibus clavos, bonum, quia à chiragrâ, & podagrâ liberat; significat enim manibus labores exercere mechanicos ad communem vitæ usum necessarios, & pedibus ire ad comparandum ea, quæ ad vitæ sustentationem spectant, adimpletur sic Catholicum illud Dei præceptum: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo*, id est in manuali labore sudorem exprimente vitam perages. Verùm sunt quidam in hoc mundo homines, qui sine molestiâ, delicatè, molliter, & voluptate ità alienâ vivunt quadrâ, ut probrosum, & indecorum existimationi censeant instrumenta mechanica summis attractare digitis, ne expolitæ, læves, & rugosæ obcallescant manus, imò odoratis saponibus, aquisque cosmeticis eas abluunt, ut cutis asperitatem leniant, lævem, subtilem, & nive candidiorem reddant; sed horum manus non possunt, non putere rapinis. Sed quod magis, sunt alii, qui plebeorum more pedibus ire per urbem molestè ferunt, ne in pedibus clavos contrahant;

trahant, & ut suum statutum, & nomen præferant, magnificis vehuntur equis, & carpentis ad loca, quæ petunt, esto pauciſſimis distent passibus. Nonnulli uno trahuntur equo, sed *trahit equus asellum*, alii ob grave peccatorum pondus ad unum trahendum virum, duo equi, vel quatuor, vel sex requiruntur. Sed justus Deus hos suos castigat servos, eorumque plerosque invisibili carnifici, nempè chiragræ, & podagræ tradens.

Curatio.

Callosas manus vulgares curant per emollitionem, tenendo eas in aquâ calidâ simplici, vel in decocto, vel balneo ex herbis emollientibus, deindè callum novaculâ abscindunt, vel abradunt. Vel emplastro de mucilagine emolliunt, eumque deindè scalpro auferunt. Nonnulli ad cauteria potentialia confugiunt, verùm magnum vitæ periculum inferunt, ac proindè meritò repudiamus.

Clavum duplici modo curant vel medicamentis, vel instrumentis. Balneant pedes decocto ex herbis emollientibus parato ad plures dies, postmodùm in subtiles taleolas clavum exscindunt, absque eo, quod hæmorrhagia excitetur, demùm ad plures dies *folia sedi majoris viridi pelliculâ exuta* bis in die applicant, repetuntque. Alii *nigellam ex vetere urinâ* imponunt, loco priùs scarificato, vel *mel cum alumine decoctum* superponunt. Commendant *emplastrum viride*, *Vigonis cum quadruplo mercurii*, *Gratia Dei*, *diachyl. cum gummatibus*. Nonnulli excisionem moliuntur, alii causticis utuntur, & sequens multùm extollunt:

℞. *Cantharidum*,
Vitrioli, &
Castorei ana ʒ. ij.
Cum terebinth. m.
Et f. emplastrum.

& clavo balneato imponatur. Vel hoc alio modo:

℞. *facis vin. ustæ*,
Calcis nondùm aquam expertæ,
Visci ana ʒ. j.
Cum lixivio m.

& clavo applica. Sunt qui *sulphur citrinum pulverisatum* clavo inciso imponunt, attamen priùs locum gummi ammoniaco muniunt, & desuper bis, vel ter accendunt, & deindè cum radice clavum extirpant. Verùm hæc remedia pro curando clavo, ægrum interficere possunt, excitant namque inflammationem, gangrænam, & tandèm necrosim.

Nostra de callo curatio consistit, ut fibræ naturalem adipiscantur situm, & alimentitius succus post partis nutritionem insensibiliter resolvatur, ad quem finem præter interna, volatilia succos attenuantia, externa topica emollientia fi ras cataplasmata conducunt, ut *ex floribus chamomillæ, meliloti, seminum fœnugræci, foliorum malvæ cum lacte cocta*, & sæpiùs applicata. Non desint balnea, & manuum immersiones, ex emollientibus parata, ut postmodùm callus abscindatur. Laudatur *succus sedi majoris, vel nicotianæ*. Summoperè

meperè conducit, ut callus *spiritu vini camphorato* affricetur, vel si *gummi ammoniacum solutum in spiritu vini*, & iterùm applicetur. Multùm valet *ceratum de spermate ceti* callo impositum, quod multis experimentis comprobatum habemus. Sed ad quid in manuum callis tempus teritur, cùm chirurgi nunquàm censum quotidianum in his fundare possint?

In clavi curatione eadem, quæ in manuum callo prodesse diximus, usurpare possumus, cùm amborum affectuum ferè eadem sit genesis, dummodò clavus altas non fixerit radices, eapropter *oleum lini tepidè* illitum, vel linteum dicto oleo imbutum, & superpositum, priùs tamen clavo profundiùs inciso, nunquàm ægrum fefellit. *Radix buglossæ contusa*, & superposita mirandum præstat effectum. Admiraberis linteum *sanguine menstruo* tinctum, & clavo superimpositum. Multùm prodest *emplastrum de Galbano Mynsichti*. *Martinus Rulandus* in clavis eruendis valdè commendat tanquàm secretum sequens:

℞. *Ol. Sulph. per campanam* ℥. ß.
Lapidis corrosivi, vel
Salis alkali ʒ. ij.
Sem. hyoscyami ʒ. j.
Opii ß. j.
Tere, & m. f. magma.

Non est credibile quanti sit pro pedum clavis curandis hoc nostrum ceratum, quod hactenùs pro secreto habuimus, at nunc ingenuè communicamus, ut

℞ *Gum. ammoniaci, & galban.*
Cum sp. V. solut. & inspissat. ana ʒ. j.
Euphorbii ʒ. j.
Alum. ust. ʒ. j. ß.
Virid. æris ʒ. ij ß.
Merc. dulc. unius sublimationis ʒ. ij.
Ol. euphorbii, &
Cera citrina ana q. s.
M. f. ceratum s. a.

Aliqui chymicastri ad corrosiva confugiunt, ad *Lapidem, scilicèt infernalem, vel olei antimonii, oleum mercurii meteorizati, sulphuris, vitrioli, butyrum antimonii.* Verùm hæc medicamenta, quia corrosiva sunt, & non tantùm fibræ nerveæ ab his irritantur, sed quidèm discinduntur, corroduntur, & ustulantur, meritò, cùm arsenicalibus constent particulis, repudiamus.

Finis Primi Tomi.

D. CAROLI

MUSITANI

PHYSIATROS PROFESSORIS.

Academici Peregrini, Pigri, &c.

TRUTINÆ

CHIRURGICO-PHYSICÆ

TOMUS SECUNDUS,

DE ULCERIBUS.

In quo facilis ULCERUM curandorum Via instruitur, novis Medicamentis illustrata.

Cum INDICIBUS *Argumentorum ac Materiarum locupletissimis.*

COLONIÆ ALLOBROGUM.

Sumptibus CRAMER & PERACHON.

M. DC. XCVIII.

MEDICODOCTOR BIBLIOTHECA FERRARINI

INDEX CAPITUM.

CAP. I. Quid sit Ulcus, & quod ejus subjectum. pag. 1
II. De Vlcerum differentiis. 2
III. De Accidentibus, quæ ulceribus superveniunt, vel ea comitantur. 3
IV. De Vlcerum speciebus. 4
V. De Vlcerum causis occasionalibus in genere. 5
VI. De Vlcerum signis. 6
VII. De Vlcerum causis. 8
VIII. De Vlcerum prognosi. 14
IX. De Sex rerum non-naturalium in ulceratis regimine. 16
X. De Vlcere simplici. 36
XI. De Vlcere cum intemperie. 38
XII. De Vlcere cum humorum affluxu. 46
XIII. De Vlcere cum inflammatione. 51
XIV. De Vlcere cum Erysipelate. 56
XV. De Vlcere œdematoso. 63
XVI. De Vlcere sordido, & putrido. 67
XVII. De Vlcere Verminoso. 69
XVIII. De Vlcere cum labiis callosis. 79
XIX. De Vlcere sinuoso. 81
XX. De Vlcere fistuloso. 85
XXI. De Vlcere cum ossis carie. 89
XXII. De Vlcere cum carnis excrescentiâ. 94
XXIII. De Vlcere canceroso, Lupo, & Noli me tangere. 95
XXIV. De Vlcere dysepuloto, cacoëthe, Telephio &c. 103
XXV. De Tineâ. 108
XXVI. De Aurium dolore. 115
XXVII. De Aurium ulcere. 119

XXVIII.	De Exeuntibus p n.ab Aurium cavitatibus.	122
XXIX.	De Aurium ſonitu.	124
XXX.	De Gravi Auditu, & Surditate.	130
XXXI.	De Narium ulcere, & Ozœnâ.	137
XXXII.	De Coryzâ.	142
XXXIII.	De Narium hæmorrhagiâ.	144
XXXIV.	De Aphthis, & Oris ulceribus.	154
XXXV.	De Gingivarum exulceratione, & eroſione.	161
XXXVI.	De Dentium dolore.	164
XXXVII.	De Dentium ſtupore.	171
XXXVIII.	De fœdo Dentium colore, & ſorditie.	173
XXXIX.	De Dentium mobilitate, & caſu.	177
XL.	De Difficili infantium Dentitione.	180
XLI.	De Tonſillarum, & Uvulæ ulceribus.	183
XLII.	e Balbutie, & his, qui difficulter loquuntur.	187
XLIII.	De Aſperæ arteriæ, & œſophagi ulceribus.	191
XLIV.	De Labiorum Rhagadibus, & uleeribus.	194
XLV.	De Mammillarum, & Papillarum ulceribus.	198
XLVI.	De Morbo pilari.	202
XLVII.	De Papillarum fiſſuris.	204
XLVIII.	De Cervicis uteri ulceribus, & Rhagadibus.	206
XLIX.	De Vteri ulceribus.	212
L	De Penis ulceribus.	217
LI.	De Veneris Senſu.	224
LII.	De Excoriatione, & ulcere Scroti.	235
LIII.	De Perinæi ulcere.	238
LIV.	De Tibiarum, & Pedum ulcere.	240

FINIS.

CAROLI

D. CAROLI MUSITANI

Physiatros Professoris &c.

TRUTINÆ CHIRURGICO-PHYSICÆ

TOMUS SECUNDUS.

DE ULCERIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Vlcus, & quod ejus subjectum.

GALENUS 3. *meth. cap.* 1. Ulcus à vulnere non distinguit, sed utrumq; per continui solutionem in parte carnosâ facta definit: Verùm differt ulcus à vulnere, primò, quia vulnus semper à causâ externâ vulnerante infligitur, ulcus verò à causâ quidèm externâ occasionem habere potest, sed semper à causâ internâ vel in toto corpore, vel in parte existente fovetur. Secundò, vulnus est continui solutio recenter facta, ulcus est solutio continui diuturna. Tertiò, vulnus in ulcus abire potest, ulcus verò nequaquàm in vulnus. Quartò, vulnus strictè sumptum est, cùm in loco vulnerato nullum aliud accidens accedit præter continui solutionem, ulcus verò dicitur, cùm præter continui solutionem in parte solu-

tâ, vel in totò illius solutionis causa fovetur. Quintò, in ulcere semper aliquid de parte affectâ imminutum, vel amissum est, si non plus, saltim cuticula; semper enim in ulcere aliquid in parte aufertur à causâ erodente, & estò quandòque superflua excrescat caro, tamen cutis, vel ipsa caro naturalis deest, & ulcus illud non est simplex morbus, sed compositus, & cum magnitudine auctâ conjunctus.

Possunt cum ulcere varii morbi, ut intemperies, inflammatio, erysipelas, caro supercrescens, & alii conjungi, qui tamen ad ulceris essentiam non pertinent, & auferri possunt, ulcere manente, cujus essentia solùm in continui solutione cum partis affectæ aliquâ diminutione consistit.

Hinc fas est ulcus definire, quòd sit continui solutio à causâ erodente in aliquâ corporis parte, cujus solutionis causa vel in ipsâ parte ulceratâ, vel in toto corpore tanquàm mediatâ conservatur cum imminutâ magnitudine.

Sextò differt ulcus à vulnere, quia ulcus utplurimùm provenit à prægresso abscessu, vel vulnere perperàm curato. Tandèm, vulnus est continui solutio recens ab externis causis cæsim, vel punctim, vel ruptim illata, & semper cum sanguinis profusione contingit; ulcus verò ab internis causis erodentibus producitur, quibus non instantaneâ violentiâ, ut in vulneratione, sed lentâ erodentis humoris in tumores, & apostemata collectione, eorumque purulenta erosione fit continui solutio, è qua non sanguis, ut ex vulneribus, sed pus, vel sordidum, putridumvè liquamen, sanieſvè effluit, vulnera tamen perperàm curata non rarò in sordida, & putrida degenerant ulcera, quæ tùm ab iis, quæ ab internis proveniunt causis, non differunt.

Ulceris subjectum sunt omnes nostri corporis partes, præcipuè molliores, seu carnosæ, quarum continuum erosione ità solui, & quavis à causâ exedi potest, ut difficulter coaleſcat; ossa tamen excipimus, quæ ad cariem pertinent. Carnis vocabulo non modò propriè dictam musculosam, quæ afficitur, sed latè dictam, quâ intestina, vesica, & alia viscera constant comprehendimus. Item glandulas, quæ sunt veluti naturæ cribra, & in partes carnosas semper aliquem immittunt succum; ductus Lymphaticos, rami quorum in carnosas, & membranosas immediatè inseruntur partes; similiter omnes membranas, venas, arterias, fibras, nervos, tendines &c. complectimur. Perpetuò tamen unas pars præ alterâ erit magis dispositа, & præcipuè ubi plures sunt ductus, copiosiores sunt succi, & frequentiora sunt ulcera, ut in inguinibus, abdomine, ano, utero, perinæo frequentius eduntur.

Cap. II.

De Ulcerum differentiis in genere.

VLcerum differentias prolixè proponit *Gal. 4. meth. med. cap.* 20, easque quinque esse docet scilicet

à

à figurâ, quantitate, atque æqualitate, & inæqualitate, à tempore, & loco.

Differentiæ ulcerum à figurâ pendent, cùm ea obliqua sunt, vel recta, vel tortuosa, vel rotunda, vel oblonga, vel in superficie lata, & circa fundum angusta, vel in superficie angusta, & circa fundum lata.

Secundum quantitatem, vel magnitudinem differunt ulcera, vel in eo, quod sint magna, vel parva, majora, vel minora, longa, vel brevia, in superficie residentia, vel in profundum penetrantia.

Ab æqualitate, vel inæqualitate oriuntur ulcerum differentiæ, cùm ea vel æqualem, vel inæqualem habent circumferentiam, labra vel plana, vel depressa; profundum, vel scabrum, vel planum; orificium in medio, & in profundo vel æquale, vel latius, vel angustius.

Differentiæ à tempore sunt, ut vetustum ulcus, vel recens, exigui temporis, vel diuturni.

A loco tandèm, si in cute sit ulcus, vel in musculis, si in musculorum capitibus, vel in eorum medio, si in articulis, vel in carne, vel glandulis, vel emunctoriis, si tandèm in visceribus, vel in eorum quolibet, locum nunc esset proponere, ut à qualibet dictarum differentiarum indicatione ulcerum curatio desumi debeat, ac proindè sufficiat nos docuisse frequentiores ulcerum differentias: nàm cùm de eorum curatione sigillatim agemus, hujusmodi differentias commemorabimus, ut congruens sit medicaminum applicatio pro cujuscumque ulceris differentiæ necessitate.

CAP. III.

De Accidentibus, quæ ulceribus supervenium, vel ea comitantur.

MUlta accidentia ulcera comitantur, vel iis superveniunt, quæ ulcerum curationem vel variant, vel immutant; non ergò à re alienum erit prædicta accidentia comitantia, vel supervenientia hìc enumerare. Comitantur itàque ulcera, illisque superveniunt dolor, punctura, pruritus, inflammatio, intemperies, erysipelas, œdema, durities varices, tumor, coloris depravatio, putredo, sordities, vermes, malus odor, fluor ichorosus, sanioſus, callus, fungus, sinus, fistula, ossium caries, indolentia, folliculus, cancer, lupus, noli me tangere, gangræna, sphacelus, aliaque similia, quæ ulceribus conjuncta, unumquodque illorum distinctum curationis exigit modum. Operæ pretium faciemus, si notata jam accidentia ulceribus supervenientia memoriæ mandemus, nàm cùm de illorum curatione agemus, hujusmodi accidentia commemorabimus, ut eorum rationem habeamus, quia illorum unum quod libet, dùm ulceri conjunctum observatur, proprium, & specificum exigit remedium.

Cap. IV.

De Vlcerum speciebus.

Diversæ ulcerum species emergunt vel ab ulcerum excrementis, vel accidentibus supervenientibus, vel comitantibus. Excrementa, quæ ex ulcere emanant sunt *sanies*, *ichor*, *pus*, *& sordes*, & estò saniem, & pus vulgares chirurgi confundant, & pro eodem ulceris excremento accipiant, accipiunt tamen quid pro quo. *Sanies* propriè est fluida, & tenuis illa humiditas subalba, vel lutea, quæ à crudo, & incipiente ulcere effluit, & hæc à *Celso* dividitur in *ichorem*, qui tenuis est, & subalbus, atque in melliceriam magis crassam, & glutinosam, mellique albo consimile. Dicitur posteà virulenta, tenacior, & glutinosior materia, quæ in malignis gignitur ulceribus, & utplurimùm lividi, aut nigri coloris est. *Pus* autem illud dicitur excrementum, quod ab inveterato fluit ulcere, album est, læve, æquale, & minimè fœtidum. *Sordes* tandèm omnium viscosissima, & maximè glutinosa mucilago est adeò tenaciter ulcerato adhæret loco, ut difficillimè ab eo auferri possit. Ex his excrementis variæ ulcerum species desumuntur, ut.

Vulgare est, quandocùmque ulcus pus album, æquale, & minimè fœtidum excernit, omnium facillimè Sanabile. Ubi verò serosa humiditas pure tenuior, & aquosior affatim emanat, ulcus dicitur sanioſum, veteribus rheumaticum, phlegmaticum, vel fistulosum dictum, ad quod nimirùm natura humiditatem excrementitiam, quæ ichor dicitur per emunctoria convenientia evacuare debebat; ulcus tamdiù insanabile redditur, donec priùs ejusmodi fluxus ab ulcere avertatur, & exsiccetur. Ubi autem sordes mistæ sunt, nempè pus, sanies, utrumque lividum, Cinereum, variegatum, tabum, sordidumvè excrementum glutinosum, crassum, & tenaciter ulceri adhærens, in eo reperitur cum fœtore, & profunditate, præduriſque, & siccioribus labris, tale ulcus dicitur sordidum, veteribus ulcus melancholicum, malignum, & depascens, ac omnem sanationis spem respuens, donec priùs malignitas, & putredo ex ipso auferatur. Quæcumque ulcera depascentia, & in profundum, ambitumque rodentia ulcera à quibusdam indiscriminatim *Lupus* vocantur. Alii tamen per lupum intelligunt ulcus quoddam specificum plerùmque in carnosâ femoris parte sedem figens, & acerbis cruciatibus affligens, nisi ulceri quotidiè frustum carnis recentis imponant. Alii contrà sævam illam faciei, & narium exulcerationem, quæ aliàs *Noli me tangere* appellatur, lupum vocant. Sic quoque ejusmodi corrosiva ulcera nuncupantur *Phagedæna*, & *Nomodes*. Aliis etiam *chironia* à Chirone chirurgo, aliis *Dysepulotica*, *ac Telephia* dicuntur, id est quæ non tantùm affectam carnem erodunt, & quasi cane pejus dentibus devorant, suffodiunt, & excavant. Sed etiam adjacentes, & vicinas partes exeden-

edendo, & putrefaciendo depopulantur. Talem autem differentiam inter utrumque eſſe volunt, quod nimirùm phagedæna ſit paulo mitius Nomode, & ſaltem ambulando (hinc dicitur *Foreſto* ambulativum ulcus], & ſerpendo cutem erodat, ſitque impetiginis, & ſerpiginis ſpecies; *Nome* verò non tantùm cutem, ſed & carnem excavet. Cùm autem ulcus cum tumore præduro incipit, ac deindè in malignißimum, & maximè dolorificum ulcus degenerat, hinc ulcus dicitur *cancroſum*, ſeu *cancer exulceratus*. Quodlibet etiam ulcus malignum, ſeu virulentum, exedens, & omnem ſanationem reſpuens *cacoëthe* vocitatur.

Ex accidentibus, quæ ulceribus ſuperveniunt, vel ea comitantur, aliæ ulcerum ſpecies emergunt, undè alia dicuntur ulcera *verminoſa*, & *phthiriaſiaca*, quæ variis in locis vermibus ſubcutaneis capillaribus, partes exedentibus ſcatent, quin & majores quandòque vermes in ulceribus reperiuntur cum putridâ, ac fœtente, corruptâque ſanie. Datur quoque ulcus cum *hyperſarcoſi*, ſivè carnis excreſcentiâ, ſeu luxuriante carne. Sic eſt & ulcus *Scorbuticum*, quod ſcorbutum habet comitem. Eſt aliud, quod tumorem, inflammationem, aliud gangrænam, ſphacelum, aliud hydropem excipit, ſinum, fiſtulam, aliud cum carie, & oſſis corruptione, & alia accidentia, quæ capite tertio deſcripſimus.

CAP. V.

De Vlcerum cauſis occaſionalibus in genere.

VLcerum quorumcumque occaſiones ad quatuor genera congruè reduci poſſunt, quorum duo ſunt externa, duo verò interna; Primum genus occaſionum externarum eſt quodlibet corpus vel vivens vel non vivens, acutum, vel obtuſum, quod quovis motu cutem, vel ſubjectam partem pungit, lacerat, incidit, percutit, diſtrahit, contundit, vel quovis alio modo offendit; hæ enim læſiones cutis, vel carnis facillimè innumeras ulcerum ſpecies excitare poſſunt.

Secundum genus occaſionum externarum ulcerum eſt contagium vel per fomitem, vel ad diſtans hominis cutem, vel carnem contaminans, ex qua contaminatione innumeræ quoque ulcerum ſpecies emanant. Ad diſtans agere videmus peſtis contagium, per fomitem verò ſcabiei, & luis Venereæ contagium.

Genus primum occaſionum internarum ſunt tumores, quomodocùmque, & qualitercùmque ſub cute, & in carne coacervati; nàm quoties ipſi aperiuntur, ſpecies ulcerum diverſæ producuntur.

Alterum genus internarum occaſionum eſt, quoties liquor alimentitius, ſanguis, vel aliud ſimile in corpore deliteſcens, in qualitate exaltatum abſque tumore carnem, & cutem corrumpit, vel ſecat, &

ulcerum non paucas aperit ſpecies.

Ulcera, quæ ex occaſionibus externis primi generis fiunt, niſi à venenatis dentibus, unguibus, vel mucronibus fiant, à bono chirurgo faciliter curari poſſunt; Si verò venenum admiſtum habeant, difficulter. Quæ verò ab alterius generis occaſionibus fiunt ulcera, à contagiis ſcilicèt, ſi peſtis contagio producantur, difficillimè curantur; ſi ex ſcabie, vel lue Venereâ, facillimè, ſi chirurgo medicamenta, quæ contagium extingunt, ſint nota.

Ex occaſionibus deindè internis primi generis, ſcilicet ex tumoribus ulcera, ſi ex illis tumoribus erumpant, qui materiæ coctionem admittunt, faciliter curantur; qui verò coctionem materiæ non admittunt, obſtinatiſſima pariunt ulcera.

Alterius generis ex occaſionibus internis erumpentia ulcera ſemper difficillimæ ſunt curationis, quia non ſolùm chirurgicam, ſed phyſicam exigunt curationem.

Cap. VI.

De Vlcerum ſignis.

NArratio de Ulcerum ſignis ſupervacanea videtur, externa ſiquidèm ulcera utpotè noſtris ſubjecta ſenſibus, lippis, atque tonſoribus pateſcunt, quoniam vel viſu, vel tactu, vel olfatu deprehenduntur, & hæc profectò ulcera chirurgis imperitis nota ſunt, ſed hoc non ſat eſt, oportet namque eorum differentias, & accidentia cognoſcere, quæ quam maximè curationem variant; imò magnæ molis eſt ulcera interna, quæ ſub oculos non cadunt, noſſe, & hæc non niſi ab eruditis deprehendi poſſunt. Ideòque tàm de ulcerum internorum, quàm externorum ſignis aliquid in medium afferendum.

Signa internorum ulcerum, affectarumque partium petuntur ab excrementis, doloris proprietate, actione Læſâ, atque ſitu.

Ab excrementis ulceris, & laborantis particulæ in cognitionem venimus, & ſi per quemcumque corporis meatum, ut per tuſſim ſanies effluat, intùs in pulmonibus ulcus exiſtere conjectamus, nàmque aſpera arteria ſolùm in pulmonibus extat, & quæ per anachartaſim exturbantur, in pulmonibus, vel thorace utplurimùm præexiſtebant. Similiter ex purulentæ materiæ excretione per vomitum, œſophagum, aut ventriculum eſſe ſuſpicamur. Si per nares, aut aures pus, aut ſanies effluat, ulcus intùs latere indicio eſt. Seroſum ejectum pus palatum, fauces, aut circumſtantes partes exulceratas oſtendit. Si per muliebre pudendum eliminetur ſanies, uterus, aut ejus vagina, aut circumpoſitæ partes ulcus patiuntur. Per alvum ſi effluit pus, ventriculum, inteſtina, meſenterium, vel alia abdominis viſcera ulcus obſidet, ſi cœtera conſentiant. Diximus, ſi cœtera conſentiant, quandoquidèm huic ſoli ſigno non perpetuò fidendum eſt, cùm à diſſitis quoque partibus excrementum illud fluere poſſit; ſic multoties pus, quod in thoracis cavitate continebatur, unà

cum

cum Lotio excretum fuisse observavimus, alioquin vesica, aliæque partes Lotii excretioni dicatæ ulcere Laborarent.

In qua autem parte ulcus lateat, præter excrementa doloris proprietas, situs, ac læsæ partis actio docebunt. Sic si dolor sit pungens, partis nervosæ læsionem, pulsans arteria indicabit. Doloris situs similiter ipsam partem exulceratam docebit. Si in parte exulceratâ sensus, vel motus læsus fuerit, nervosæ partis affectæ indicium est. Sic si Languens cibi fastidio prematur, & pus per alvum cum incoctis cibis deponat, exulceratus est ejus ventriculus, ad quem ciborum appetitus, & coctio spectat; contrà benè se habente ventriculi coctione, si pus per sedem quoque exturbetur unà cum alvi excrementis liquidioribus, ulcus in intestinis existit, in quibus ventris superfluitates debitam adipiscuntur consistentiam. Tandèm ex situ, si nàmque simul cum lotio latæ membranulæ portio excernatur, exulcerata est vesica. Doloris situs in dextro hypochondrio hepatis, in sinistro splenis affectionem demonstrat.

Externorum ulcerum signa facilè innotescunt; ubi enim pus apparet, ibi ulcus, verùm pus diversum est, modò album lactis instar, & crassum cremoris lactis instar, absque odore, & fœtore, quod censetur optimum. Est album, ex eo quia acida salia exulcerato in loco Luxuriantia præcipitant succum nutrimentitium alkalinum in album liquorem. Sic sulphur in lixivio solutum, vel simili menstruo alkalino acidi permistione lactescit. Modò ulcera pus flavum, viride, vel tenue, acre, ac interdùm crassum, seu spissum expuunt.

Succi ex ulceribus fluentes varia à veteribus sortita sunt nomina. Primò, *pus* dicitur, quod nobis est alba, & crassiuscula materia benè olens, & nihil aliud est, quàm coagulatus succus alimentitius Lactis cremori similis, quæ à veteribus concocta in ulceribus habetur materia. Secundò, *ichorosus sanguis*, qui communiter acidum spirat, & gustu deprehenditur salsus, & videtur esse sanguinis serum, dicitur *sanies*, & cùm sanguini permiscetur, dicitur pus sanguinolentum. Tertiò, *ichor* vocatur tenuis humor sulphureus, & salsus, qui etiam sæpè ex ulceribus effluere solet. Quartò, *Sordes* dicitur illa materia, quæ lardo similis est, lutosa, spissior, quæ non facilè per ductus carneos profluere potest, & Lardum repræsentat in ulceribus difficilioris curationis. Quintò, *Virus*, quod appellatur, est acris, fœtibus, tenuis humor, ulceribus maximè noxius, qui etiam ulcera aperit rodendo, & cutem pustulosam reddendo. Sextò, *Melagium* est oleosus humor, qui ex corruptis ossibus effluit, & ossium adustorum fœtet. Verùm quædam reperiuntur ulcera nullum exhibentia succum, quæ sicca dicuntur, & multum negotii chirurgo faceſſunt, hæc cognoscuntur ex siccitate aridâ nullum de se præbente digestionem, adest partis squalor, & siccitas, & quasi quædam rugositas, ut & asperitas quædam, & durities ulcerati membri à pertinacissimâ vasculorum obstructione proveniens ex

sym-

ſymptomatibus; ulcera enim ſphacelata nullum exhibent pus.

Ulcus ſordidum, ſeu putridum hæc habet ſigna: materia intùs contenta eſt lardi inſtar ſcilicet tenax, lutoſa, & maximè ulceris latetibus hærens. Hoc ulceris genus cacochymicos infeſtat i.e. corpora, in quibus ſucci non ſatis attenuantur, vel ſubtiliantur, vel fluidiores non fiunt.

Ulcera Phagedænica ſunt cum Telaphiis, & Chironiis rebellia, magna, nullis obedientia pharmacis, oras habentia duras, & tumidas, ex optimorum remediorum applicatione ſemper hæc ulcera in deterius ruunt, & magis cum ſuis vaſis ſanam diſcindunt carnem, & ægri adeò vehementem patiuntur dolorem, ut dies, noctesque traducant inſomnes. Ulcus nudatum plures angulos, & profunditates exhibet, fibræ, venæ, ac arteriæ nudę conſpiciuntur cum gangrænæ metu. Materia, quæ effluit, nihil aliud eſt, quàm ichor fœtidus, aut flavum, putridum ſerum. Sæpè eryſipelas, vel herpes in tale degenerat ulcus.

Ulcerum ſigna cum oſſis carie, vermibus, carnis excreſcentia &c. ex propriis capitibus innoteſcent.

Externorum ulcerum ſigna etiam à figurâ, profunditate, & magnitudine deſumuntur, nàm vel autopſiâ cognoſcuntur, vel ſpecillo explorantur, ità ſimiliter eorum accidentia, ab excrementorum quantitate conjectare valemus. Sic ulcus, an magnum, an parvum ſit, puris copia indicabit, quæ in magno major, in parvo minor eſt.

Cap. VII.

De Vlcerum cauſis.

GAlenici hepar pro ulcerum cauſâ accuſârunt, & hac viâ hepar ab acuitate ſuâ per ulcera repurgari docuerunt, hepar autem ut membrum mutum à tot, tantiſque injuriis, & impoſturis ſe defendere non potuit, quare falſam accuſationem pati neceſſum fuit, cujus tamen innocentiſſimum eſt. Aliqui caput inculpavêre, quod per deſcenſum ſe in inferiores partes acuitate ſuâ exoneret: Sed hoc capitale fundamentum non omnibus arriſit Galenicis, ulcerum nàmque omnium originem uni hepati tribuerunt, cui deſpoticum dominium in humano corpore aſſignârunt, undè innocentiſſimum hepar ipſi in tantam ſuſtulerunt inſolentiam, & temeritatem, ut quodlibet ulcus ſivè magnum, ſivè parvum ejus culpâ à plantâ pedis ad verticem capitis fieri, & cauſari arbitrentur, & nihil corporibus accidere, quod deſpoticâ non patretur hepatis tyrannide, fateantur. Id adeò apud ipſos indubitatum eſt, ut Luem Veneream, quæ ab extrinſeco contagio in corporibus creatur, in inſonte hepate ſuam habere ſedem vivæ vocis oraculo inſinuent. Quatuor humores in corpore poſuerunt, & horum officinam hepar, & corruptos pro ulcerum origine conſtituerunt. Poſt horum geneſim melancholiæ ſedem in liene, bilis in veſiculâ felleâ, pituitam in cerebro, & ſanguinem in hepate collocarunt.

Verùm

Verùm quomodò hi corrupti humores in cute foramina sibi aperiunt, absque eo, quod partes in transitu non lædant, non docent. Fabrum choleram adurentem, & in atram bilem mutantem non assignant. Sed nesciunt adusta amittere vires. Quomodò igitur cane pejus corrodit? Si corrosio in adustionibus existit, quis pituitam, quis sanguinem aurit? A Galeni quo usque ad nostrum sæculum hepar usurpato totius corporis imperio pacificâ possessione, quousque inepta, & nimis credula medicorum posteritas in Galeni verba jurârunt, fuit potitum; at cùm fatali necessitate Galeni authoritas declinare cœpisset, hepar suspectum esse, & usurpatam per tot sæcula tyrannidem, quam obiverat, amittere cœpit, & aliam quam ab hepate ulcerum genesim recentiores, Galeni præjudiciis exuti, meditari cœperunt, & considerantes ulcera, quæ internis à causis excitantur, ejusdem esse conditionis, ac ea quæ à causis oriuntur externis, inculpato hepati æstimationem, & pristinæ innocentiæ statum solemni decreto restituerunt.

Tres humores ab ulceribus præcipuè effluere dicunt, unum subtilem, qui *sanies* dicitur, alium crassum, qui *sordes*, & tertium, qui medio modo se habet, & *pus* appellatur. Hinc ulcera vel saniosa, vel sordida, vel purulenta vocantur; quòd si scilicèt humores aquosi ad partem confluant, dicitur sanioſum ulcus, si crassi, sordidum, si purulenti, purulentum.

Pro nostrâ de ulcerum causis, sententiâ dicimus, quòd causa, quæ est immediata, efficiens, & effectiva solutionis continui in ulceribus, eadem quoque est ejusdem continui conservativa juxta scholas: *functio vitiata est ejusdem partis, cujus est in sanis functio integra; & contrà*, pro cujus intelligentiâ cum anatomicis asseveramus continuum in viventium animalium corporibus fieri à fibrarum spermaticarum texturâ, interveniente quodam glutine, sivè glutinoso quodam liquore albo, lucido, viscoso, qui ipsis fibris gratus, & genialis est, ipsasque connectit, & glutinat adeò exactè, ut licet ipsæ fibræ solitariè consideratæ contiguæ potiùs, quàm continuæ dici possent. Hujus liquoris ope earum textura verè continua fit. Hunc glutinosum liquorem cognoverunt antiqui medici, fuitque apud illos dictus *Ros*, & *Cambium*. Aliqui ex recentioribus liquorem hunc *Sinoviam* sive *Sinoniam* appellarunt; undè licitum nobis erit pro clariori rei intelligentiâ cum *Paracelso* hujusmodi liquorem *radicalem Balsamum* appellare.

Balsamum sanè, & rectè glutinosum illum liquorem appellamus, quia cùm vox ista Balsamus apud omnes denotat materiam, sive liquorem quendam, qui non solùm se ipsum à putredine defendit, sed qui alia corpora, quibus miscetur, ab ipsâ præservat; congruentissimum erit balsami nomen glutinoso liquori, qui in viventibus corporibus fibrarum spermaticarum continuationem efficit, nàm ipse non solùm se ipsum conservat, sed ipsas fibras, quas glutinat, à corruptione, & mortificatione præservat.

Radicalem deindè hujusmodi

balsamum appellamus, nàm cùm ipse ab ipsismet spermaticis fibris producatur, sitque in penitissimis vitæ animalis penetralibus elaboratus. Iure merito radicalis dici debet, nàm in ipsis fibris non est externè appositus, sed internè ab iis emanat, & continuò per ipsas fertur.

Est tamen hîc sedulò advertendum, quòd iste balsamus radicalis multiplex est in viventium corpore propter multiplicitatem partium spermaticarum idem corpus componentium; enimverò, ut prædiximus, balsamus iste ab ipsismet partibus spermaticis generatur, & producitur, & unaquæque earum Secundum sui naturam proprium sibi balsamum elaborat, & id in eis particulis efficit, quod est ad conservationem ipsius partis aptum; Undè est, quòd balsamus in medullis est medullaris, in ossibus osseus, in venis venosus, in nervis nerveus, in cartilaginibus cartilaginosus &c. quod summâ cum providentiâ fuit à naturâ ordinatum, enimverò cùm defectus, corruptiones, & lacerationes propriarum partium reparare fuerit huic balsamo radicali demandatum, ut ipse reparandæ partis indigentiam reparare posset.

Cùm ergò balsamus iste radicalis sit causa immediata unionis, & continui in corporibus viventibus, dùm in suâ temperie, idest constitutione existit, necessariò concedendum est & ipsum esse causam immediatam solutionis ipsius continui, quoties vel degener factus, vel corruptus, vel alteratus existit, nàm tunc à febris renuitur, deficit illicò, qui glutinis officium gerens, eas connexas conservat, undè evenit, quòd illicò ab invicèm distrahantur, & separentur, cùm verò à causâ externâ fit continui solutio, tunc balsamus iste radicalis per aëris adventum, vel alterius corporis suam constitutionem perdit, corrumpitur, devenitque ad glutinandum ineptus, & in tali casu ipse in causâ est, ut solutum continuum in unionem non coëat. Ergò radicalis balsamus vel degeneratus, vel corruptus, vel alteratus semper erit immediata cùm ulcerum causa, quæ ab intrinseco fiunt, tùm eorum, quæ ab internâ causâ producuntur, eritque quoque causa non solùm ut actu continui solutio fiat, sed etiam ut post factam perseveret.

Assignato balsamo radicali degenere, vel corrupto, vel alterato pro immediatâ ulcerum causâ, nunc mediatas eorum causas assignemus oportet, & dicimus balsami radicalis in fibris degenerationem corruptionem, vel alterationem ab ipsis causis mediatis pendere, hujusmodi sunt salia corrosiva, exurentia, acria, vitriolata, aluminosa, nitrosa, arsenicalia, realgarina, mercurialia &c. quæ ipsum balsamum in fibris degenerare, corrumpere, & alterare faciunt, ac ineptum ad continui unionem reddunt; hinc perfringendo, discindendo, corrodendo, causticando, & exurendo fibras procedunt, & sibi viam aperiunt, qua patefactâ, ulcus producunt cum partium deperditione, & succus alimentisius effluit tàm ex fibris, quas lubricat pro vitæ animantis sustentatione, quàm effluunt contenta ex ductibus, ut arterio-

teriolis, venulis, vasculis lymphaticis, nervis &c. quæ continuò circulant, undè variegatus succus emanat, ut flavus, vel albus, vel salsus, aut tenuis, vel crassus, qui vulgò pus dicitur. Ex ductibus ruptis, corrosis, vel discissis succi effluentes commiscentur, & factâ succorum cum particulis salinis fermentatione, juxta earum diversitatem puris diversitas producitur, & salia magis exaltantur; *omne* enim *agens non agit, nisi exaltatum*, & fibrarum, ac vasculorum multitudo corroditur, & rumpitur, ac ulcera magis Cava fiunt, & plus materiæ à majori ulceris profunditate, & circumferentiâ effluit ob majorem fibrarum, & ductuum corrosorum, & ruptorum multitudinem.

Esse in nostro corpore salia, præter salinos fontes à *Paracelso* Medicinæ Monarchâ assignatos, probamus, totumque hominum salis congeriem esse dicimus, & absque eo vivere nequit, eo quod ejus putrefactionem arcet, & dùm mortuas à putrefactione diutissimè conservat carnes, quantò magis vivas præservabit, judicare facile erit. Sal cibos corrigit, & si non intervenit, nulla eorum fit correctio. Sal per urinam, & secessum expulsionem exercet. Sanguis totus naturâ suâ salsus est, nè grumescat. Hinc sudor, lacrymæ, saliva, urina, fæces, & quicquid ex humano corpore expulsionem recipit, salinam redolet indolem.

Cibaria in ventriculo benè se habente acescunt, undè chylus posteà aciditatus fellis effluvio in salsum transit, si Helmontio credendum est, & chylo fictitio, quem in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib. 4. c. 1. de ventriculi actione* opiparè repudiavimus, assentiendum est, & sicut acidum ventriculo est geniale, & gratum, ità sanguini in venis exoticum, & hostile; fixatur namque sanguis, si in vivi animalis venas per syphonem injiciatur, & paulo post ejusdem subsequitur mors. Confirmatur hoc, sanguinis è venâ detracti coagulatio, quæ temporis momento succedit spiritûs vitrioli, sulphuris, vel aliûs acidi permistione, ejusdemque dissolutio alkalicorum salium, ac spirituum, ut fuliginis &c. beneficio perficitur. Horum acidorum salium locupletes sunt hypochondriaci, & præsertim scorbutici ob fellis ignaviam, ut Helmontio placuit, undè ulcerum myriadibus tentantur, ac proindè languoribus ab acido prodeuntibus salia alkalina magnum sunt solatium.

Materia potulenta, ut aqua, qua quotidiè utimur, varia salium genera, & mineralium intra se continet, exceptâ aquâ per vitrum destillatâ; ac vinum, quod maximis in deliciis habemus, & præter has cùm ad alendum, tùm etiam ad nostrum corpus roborandum adhibemus, multis particulis salinis scatet, præter tartarum, qui est vini sal, imò vinum in insulâ Ænariæ, & in agro Puteolano, ac circa Vesevi radices, quod fit, ob varias soli fodinas sulphuris, ammoniaci salis, aluminis, & vitrioli particulis est imbutum. Præterquam quòd vita nostra jugiter, ne dùm vegetantium, & animalium, verùm etiam mine-

ralium hauſtu alitur; latent ſiquidèm mineralia, & in omnibus corporum particulis natura abſtruſit, quibus non apertè, ſed furtivo quodam modo veſcimur.

Aër quoque, quem inſpiramus acria ſalia ſecùm vehit ex mineralium effluviis hauſta; volitare autem in aëre ſalia, facilè admiſerit, qui pulviſculos in ipſo à ſolaribus radiis illuſtratos exploravit, in quibus latitant interdùm hæc ſalia. Helmontius in linteo aëri expoſito ſalinas haſce obſervavit impreſſiones, & nos quoque non paucis ab hinc annis hîc vidimus lintea aëri ſiccanda expanſa ſubfuſco, & rubiginoſo tincta colore, cruciſque figuram variè referentia, quod noſtri Galeniſtæ rerum naturalium veras cauſas ignorantes, ad occultas qualitates confugere non valentes, rudi vulgo tanquàm ominoſi eventûs talem rem prædicabant. Certè ſi probè noſſent inter cæteras omnis generis particulas, vitriolatas quoque in aëre contineri, quæ linteorum licia colorabant, & fortè tali figurâ diſponebantur, cùm licia intertexta non difficile crucis figuram aſſumere poſſent, ut cuilibet manifeſtum eſſe poteſt, certè inquam talia non effutiiſſent.

Prædictæ particulæ à majori fluidi quantitate dilutæ neque partibus, per quas fluunt, nec in quibus continentur, nocent, ſic ſpiritum ſulphuris, ſalis, aut vitrioli multâ aquâ dilutum innoxiè, imò ſalubriter propinari obſervamus, & peſſima ſymptomata cauſare abſque debitâ fluidi copiâ exhibitum. Eodem pariter modo ſi ſalia ab humano corpore non eliminentur per ſua emunctoria, ſed à debitâ fluidi quantitate ſecernantur, primò mediante fermentationis motu aciditatem excitant, deindè ſalſedinem acutam, exaltantur, acuuntur, fiuntque ſectica, & juxta varios exaltationis gradus varias ulcerum ſpecies excitant, & juxta hunc noſtrum ſenſum intelligendus eſt magnus *Hippocrates lib. 6. de veteri medicinâ.*

Quod aſſumpſimus mecanicè probamus: Salia lixivialia, ſeu alkalina in multo lixivio nullatenùs, ſi carni noſtræ applicentur, lædunt, attamen poſt lixivii aliqualem evaporationem cauſticant, ut videre eſt in ſaponariorum lixivio, ex quo lapis infernalis efformatur. Ità tartarus ad albedinem calcinatus, linguam, ſi ea tangatur, carbonis accenſi inſtar exurit, quod ante calcinationem non faciebat. Pariter nitrum, ſal commune, ammoniacum in retortâ cum bolo agitentur, ſimiliter de ſulphure per campanam igne agitato dicendum eſt, exaltatum proliciunt liquorem, qui ſi noſtræ applicentur carni, in illâ ulcus inducunt, quod non faciebant, dùm erant ſub ſalis, vel ſulphuris formâ.

Hæc ſalia ante exaltationem ſunt nobis familiaria, dùm in ſtatu naturali nobiſcùm morantur, multiſque noſtris ægretudinibus medentur, at ſi ſemel noſtrâ culpâ, vel ſiniſtro eorum uſu in furorem rapiantur, exaltentur, non ampliùs eorum amicitiæ fidendum, nobiſcùm veluti cum hoſte ſe gerunt, quos enim apprehenderint, commaculârint, in maximum vitæ diſcrimen adducunt.

cunt. Cavendum itaque ab iis, quos vel semel offendimus, quia si quandòque hostes evadunt; vitam nobis susurantur.

Salinæ, sulphureæque particulæ in aëre; quem spiramus, in cibariis, ac potulentis latent, quibus non apertè, sed furtim vescimur, non rarò nostra afficerent corpora, nisi particulæ amicæ, & inimicæ miscerentur, & hostiles ab amicis castigarentur, quæ castigatio nisi intercederet, ulcerum myriades subsequerentur.

Alteratur balsamus radicalis ab acidis, sed ferè utplurimùm à salsis, hinc alimenta, quæ nimio abundant sale acti, & mordaci, ut sunt porri, sinapi, allia cepæ &c. salita omnia, ut carnes, & pisces omnes sale condjti, itèm oleum, quod totum sulphureum est, multam ulcerum excitant supellectilem, si eorum salia, & sulphura in humano corpore exaltentur, & solvendi vim nanciscantur.

Hinc fit, ut plerique veris tempore tunc cùm humani corporis succi magis fermentescunt, [verùm de his primo Tomo de tumoribus cap. 60. de Priapismo, & Satyriasi fusiùs egimus) utplurimùm ulcerosi fiunt non tantùm in internis corporis partibus, verùm etiam in cute tanquàm in universali emunctorio, si ad eam exaltati salis demandatio fiat, nàm ibi pruritum excitat, cutem corrodendo, & sic scabiem, aliasque cutis defœdationes, ulcera producit, & alios morbos tùm internos, tùm externos, ut inquit *Hip. sect. 3. aph. 20. Vere etenim furores & morbi melancholici, & comitiales, & profluvia sanguinis, & anginæ, & gravedines, & rancedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.*

Externæ ulcerum causæ sunt medicamenta exteriùs nostri corporis partibus applicata virtutem, & efficaciam eas corrodendi, & earum continuitatem solvendi vim habentia, cujusmodi sunt omnes aquæ stygiæ, caustica potentialia, corrosiva, putrefactiva, & quæ nos ustulando rodunt, talia erunt arsenicum, sandaracha, realgar, mercurius meteorizatus, calx viva, cantharides, quæ nimio sulphure inflammabili, & plurimo sale caustico, corrosivo, volatili, & exaltato constant. Itèm multa è vegetantium familia, ut ephemerum, euphorbium, esulæ succus, ranunculus, flammula Iovis &c. quibus mendici quamplurimi, tenebriones, & perditi, tibias, & crura sua exulcerant, dilaniantque, imò & caput suum tineâ defœdant, ut eleemosynas à tenacibus hominibus extorquere possint.

Ad hujusmodi causas ignem actualem revocamus, cùm escharа relicta ad ulcera potiùs, quàm ad vulnera pertineat. Hùc etiam spectant combustiones ab aquâ, oleo, aliisque succis fervidis.

Ad externas etiam causas referimus variorum salium effluvia, quæ ex terrâ, aquis, fodinis &c. jugi fermentatione elevantur, ut sunt vitriolata, nitrosa, gemmea armoniaca, aluminosa, realgarina, arsenicalia &c. quibus addimus variorum sulphurum effluvia, quæ inspiramus. Sic quotidiè Chemistæ

Sylve-

Sylvestre, & pernicioſum aquas è carbonibus, aquis ſtygiis, & mineralium fuſionibus potant. Item qui cinnabari, arſenico, auripigmento, ſublimatis, ſtibio &c. laborant, Sic foſſores, ſeparatores, & mineralium coctores, qui non ſibi cavere poſſunt, indeſinenter eorum effluvia introhauriunt, quæ multoties cum pulmonum excrementis fixantur, illoſque lacerant, corrodunt, exulcerant, præſertim ſi pulmones pro cribro inſerviunt, & phthiſin, vel empyema, vel vomicas producunt. Hinc quamplurimi Chemiſtæ vel in phthiſin, vel empyema incidunt, vel ſubitaneâ occumbunt morte, & ſuis in lettis cadavera reperiuntur, quorum mortis proculdubio vomicæ præcipua cauſa ſunt; eruptione pus cordi communicantes, illudque obruentes, quæ conjecturaliter ipſis occultè ſuccrevêre ab introhauſtis acribus, ſalſiſque atomis rerum venenatarum, ac in igne evaporabilium. Hùc etiam referendum eſt contagium, quomodò vapores è phthiſicorum pulmonibus exhalantes ab aliis inſpiratione attracti pulmones exulcerant, phthiſinque producunt: & ſordes, atque effluvia ſcabioſorum, leproſorum, & lue Venereâ laborantium cuti communicata, eam exulcerant, & ſimile vitium generant.

Mediata etiam, & antecedens ulcerum cauſa eſt cacochymia, ſive corporis, & fluidarum impuritas, hoc eſt, corpus, in quo ſucci non ſatis attenuantur, vel ſubtiliantur, vel fluidores non fiunt propter pravam viſcerum conſtitutionem, vel ſiniſtrum uſum ſex rerum nonnaturalium. Sunt & aliæ ulcerum cauſæ, de quibus in propriis capitibus agemus.

Cap. VIII.

De Vlcerum prognoſi.

VLcera cutem occupantia, & ſuperficialia faciliùs, & brevi temporis intervallo curantur, cœterùm profundiora difficiliùs. Ulcus magnum, cæteris paribus, difficiliùs curatur, quàm parvum; in ulcere enim magno multæ partes externo objiciuntur aëri, & ſubjectæ partes, venæ, arteriæ, nervi magis læduntur, & deſiderantur. Item anguſta, & oblonga ulcera faciliùs curationem admittunt. Ulcera orbicularia, vel ad circularem figuram proximè accedentia, longiori indigent tempore, adhoc ut curentur; figura nàmque circularis eſt omnium capaciſſima, & eſt plana, unâ tantùm lineâ contenta, in cujus medio punctus eſt, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ ſunt æquales, ideòque ulcera circularia ſunt magna, labia, quæ uniri debent, à centro ſunt diſtantiſſima, ac proindè longâ indigent curatione.

Si pus, quod excernitur, bonum ſit, optimum ſignum denotat, quia fermentatio ad ſummum non pervenit faſtigium, facilioris curationis eſt ulcus; bonum autem pus mediæ eſt inter tenue, & craſſum conſiſtentiæ, album, læve, æquale, & minimè fœtidum; malum verò eſt, quod valdè tenue eſt, & fluidum, pallidum, lividum fœculentum, & mali odoris. Sanies,

Sanies, quæ est pure tenuior, & aquosior ex ulceribus profluens, quid de curatione præsagiendum sit, indicat; sanies nàmque multa, tenuis nimis, pallida, livida, nigra, pravi odoris, & quæ vicinam exedit cutem, difficilis curationis ulcus portendit: si verò sit mediocriter crassa, non multa, subrubra, subalbida, facilius curatu ulcus indicat.

Ulcera valdè humida, & in corporibus cacochymicis, similiter in locis superfluâ humiditate, & excrementis scatentibus, ut in utero, vel ano, difficillimæ, & tardissimæ sunt curationis. Ulcera in hydropicis oborta rarò sanantur, & exsiccantur, ut inquit *Hip. sect. 6. aph. 8. Aquà inter cutem laborantibus, ulcera in corpore facta, difficulter sanantur.* quia continuò emanant; omnes enim canaliculi obstructi sunt, vel rupti, vel corrosi, hinc nulla alia via restat, quàm extra cutem, ideòque nulla consolidatio fieri potest ob assiduum affluxum aquosæ materiæ, seu ichoris, propter acres, pungentesque particulas, quibus vasa discinduntur, hinc etiam melioris sanationis spes elucet, si materia albidior, & spissior redditur.

Ulcera interiora exterioribus magis sunt periculosa, & præcipuè nobilium viscerum, & quæ ad vitam summoperè necessaria, ut cordis, pulmonum, diaphragmatis &c. aut quæ in consensum viscera principalia trahere possunt, ut ventriculus, uterus &c. Siquidèm multa sæpè superveniunt pessima, & lethalia symptomata, quæ ægrum de medio tollunt, antequàm ulcus ad cicatricem perduci valeat. Ulcera extremarum partium, nempè manuum, pedum, & capitis concitant glandularum tumorem, ut capitis pone aures, vel circa collum, manuum sub alis, & pedum circa inguina. Ulcera glandulosarum partium contumaciora sunt, cùm aliquid acidi secernatur, & lympham constituat, & si dolorosa, & corrosiva sint, facillimè in fistulas degenerant, imò cancrosam sæpè induunt naturam. Ulcera articulorum, & extremarum partium non facilè curantur, tùm ob motum, tùm ob debilem calorem, ac proindè gangrænæ obnoxia sunt. Exulceratio partium perpetuo motu gaudentium, ut cordis, pulmonis, arteriarum &c. incurabilis censetur; quies nàmque ad dictarum partium coalescentiam multùm conducit. Ulcera nervorum, aliarumque partium exquisito sensu præditorum periculosa sunt, tùm quia convulsiones, vel saltim spasmodici motus excitari solent, tùm quia inflammationes, & gangrænæ ejusmodi ulceribus supervenire possunt.

In ulcerum curatione accuratè ad applicata remedia attendendum est; si enim majorem quàm anteà dolorem, humiditatem, vel siccitatem, caliditatem, vel frigiditatem inducunt, ea minimè esse idonea, vel convenientia, sed mox mutanda esse arguunt, idonea enim illicò conferunt, vel saltèm non nocent. Ulcera faciliùs curantur, ad quæ medicamenta, quæ adhibenda sunt, pertingunt, iisque faciliùs adhærent; difficiliùs verò, quibus medicamenta non rectè applicari possunt,

&

& quibus non facilè adhærent. Ulcera, quæ aliis morbis succedunt, vel in ipsis nascuntur, sive autem ante, vel in morbo ipso excitata, plerùmque difficulter sanantur, quia natura vitiosos humores in corpore latitantes ad partem depellit, & transmittit.

Ulcera, quæ ad viriditatem, livorem, vel nigredinem tendunt, partis affectæ calorem debilem, & penè extinctum significant, & morituris paulò ante mortem ulcus pallidum, livens, nigrum, & aridum apparet propter caloris nativi extinctionem. Si ulcus postquàm carne impletum est, ipsique cicatrix induci debet, recrudescit, vel in fistulam abit, vel in osse subjecto corrupto causa investiganda est.

Frigus inimicum, calidum verò amicum ulceribus, hinc ulcera, quæ ex hydrope, vel frigore oriuntur, pessimi moris sunt, illa verò quæ post phlegmonem, & abscessum oriuntur, melioris sunt notæ, & curatu faciliora; per calorem enim seu motum succi circulantur, à frigore verò non tantùm succi inspissantur, & ad motum inepti reddunt, sed etiam ipsa vascula, per quæ circulantur, constringuntur, & faciliùs obstruuntur.

Tandèm ulcera valdè diuturna, & inveterata non nisi cum periculo sanantur; natura enim diutino saniei per ulcus effluxui assueta, eoque per occlusionem denegato, morbum concitare solet, nisi exitu iterùm aperiantur, vel corpus sedulò purgetur, & victûs ratio bona observetur. Reliqua præsagia in specialibus ulcerum curationibus tradentur.

Cap. IX.

De Sex rerum non-naturalium in Vlceratis regimine.

NOn opportunis tantùm medicamentis ulcera sanescunt, sed & diæta in his non respuenda est, aliàs subministratâ novâ læsionis causâ, chirurgus incassùm exulcerato medicam adhibebit opem, nihilominùs non tantùm in cibo, & potu moderetur æger, cæterùm in omnibus sex rebus non-naturalibus; hæ nàmque vel valetudinem collapsam in meliorem statum redigere, vel optimè dispositam conservare possunt, hinc.

Estò noster aër non sit simplex; & uniusmodi, sed ex pluribus, dissimilibusque componatur particulis ex æthere, aqueis vaporibus, ac, terrestribus expirationibus permisto, hic tamen ad vitam salubrem necessarius est, & sufficit, ut eligatur purus, nitidus, serenus, at non eâ puritate, qua æther potitur, quò est summè tenuis, & perspicuus, ut in altissimis montium cacuminibus, in quo homines non aliter vitæ munia obire possunt, quàm per spongiam humore imbutam spiritum haurientes, quia in respiratione requiritur aër notabiliter crassus, & multâ vaporum, exhalationumque copiâ refertus, qui ad altissimorum montium cacumina gravitate suâ non pertingunt. Cæterùm aër debet esse dissitus à fodinis, voraginibus, specubus, stagnis, paludibus, è quibus jugi fermentationis ope tetri,

tetri, nebulosique vapores, varia effluvia salina, ut vitriolata, nitrosa, aluminosa, armoniaca, gemmea, arsenicalia &c. quibus sulphurea copulamus, erumpunt, aëri commiscentur, illumque conspurcant, quæ proditoriè inspirata diversimodè nostra afficiunt corpora. Præter aëris puritatem, & nitorem ipse temperatus esse debet, nàm nimis frigidus sanguinem, cœterosque circulantes succos inspissat, incrassat, & est ulceribus, ut diximus, inimicus; nimis calidus succos calore suo resoluit, & salia humiditate destituta exaltantur, & ansam ulceribus præbet.

Post aërem de cibo, potuque aliquid subjungamus oportet: horum enim maxima est vis in tuendâ sanitate, profligandisque morbis. Addimus & nos, quòd pleræque ægritudines esculentis, & potulentis originem habere observantur, ut propterea rectè scriptum sit à *Fernelio: Unam gulam hominum esse prope morborum matrem, atque intemperantiam medicorum esse nutricem*; cibi itàque omnes usurpentur facilioris coctionis, qui plurimo sale alkalico sint referti, ut salia corrosiva obtundant, cicurentque. Vitentur angue pejus omnia acida, & acria; hæc nàmque ulceratis valdè obsunt, quia exedentia, & majorem salium congeriem, ac proventum ulceribus refundunt; illa verò nostros succos, & præcipuè sanguinem incrassant, coagulantque & ad circulationem ineptos reddunt: sanguis enim noster ex sexcentis ferè constat particulis, ut plurimùm ex sale alkali volatili, cui si acidum sal conjungatur, ex tem-

plò sanguis inspissatur, coagulaturque non aliter ac si oleum tartari p. d. inspissatur per spiritûs vitrioli acidi affusionem. Si sanguini extravasato quendam acidum liquorem affundas, illicò niger, & spissus apparebit, imò si per Syringam in alicujus animalis venam acidum liquorem inijceris, in momento morietur, ut multoties in quampluribus animalibus experti sumus. Oppositum verò experimur in Sanguine, si aquam ex sale armoniaco, vel nitro compositam ipsi effundes, sanguis rubicundus apparet, & fluidior redditur, imò & nostri lanii, ut mattatorum porcorum sanguinem pro confitiendis botellis asservent fluidum, sale communi condiunt.

Fugiantur salsamenta, ut carnes muriâ conditæ, fumo induratæ, sale conditæ, ut petasones, Lucanicæ &c. Itèm pisces sale induratæ, haleces &c. Nimis pinguia nocent, quia nimio exuberant sulphure, ut lardum, caro suilla, anguillæ, ansares, legumina, caseus vetustus. Conducunt carnes animalium juniorum, avicularum, aut vervecinæ, vitulinæ &c. Vitentur omnia dulcia, ut saccharata, & mellita, quia viscidum in se continent, quod à visciditatis compede ignis beneficio per cornutam extricatum, in liquorem transit corrosivum.

Pro potu fugiantur vina dulcia, acerba, austera, signina, turbida & præcipuè Puteolana, quæ multis salinis, sulphureisque sunt referta particulis, ac cervisiæ. Itèm hydromel, aquæ saccharo condi æ, & id genus alia. Si vinum nec acre,

nec dulce, ſed medium, optimi coloris ad helvium vergentis, ſaporis, & odoris, ſitque generoſum, & non oligoſarum, ſed quod aquam admittat, nàm *Dilutum creſcit, dulceſcit, & ledere neſcit.* Vel pro potu concedat Theæ, vel Capheæ infuſum, quod ulceribus maximè conducit; hujus nàmque potionis ope particulæ ſalinæ, vel ſulphureæ, peccantes obtunduntur, & per ſua emunctoria cicures redditæ eliminantur. Omnia verò eſculenta, & potulenta nec nimis frigida ſint, quia nimis calida magnum fermentationis motum in ſuccos inducunt, & plures ſubtiliſſimas particulas avolare faciunt; nimis frigida incraſſant, coagulantque ineptoſque ad naturalem fluorem reddunt. Tandèm conſiderare oportet naturam ſucci illius, qui ad diſſolutionem plurimùm confert: nàm ſuccus ſalinus, vel acidus aquæ potu temperatus utilior redditur, & aquâ diluitur. Verùm ſolent authores diſceptare, quæ nam aqua melior, & ad ſalutem utilior conſeri debeat: commendatur autem ab omnibus illa, quæ levior eſt. Quomodò verò aquæ pondus explorare poſſumus, non unus à ſcriptoribus traditus eſt modus. *Hip. 5. aph. 26. Aqua*, inquit, *quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leviſſima eſt.* Optimum profectò eſt Hippocratis argumentum, nec de aquis tantùm, ſed de cæteris etiam liquoribus intelligi poterit, ſic e. gr. aqua ardens multo faciliùs, citiùſque incaleſcit, quàm vinum, & hoc etiam faciliùs quàm aqua, & hæc promptiùs quàm lac, & ſic de cæteris intelligere licet, & propter hoc optima illa cenſetur, quæ viſu, guſtu, & olfactu pura, & ſyncera eſſe deprehenditur: quæ nullius rei ſaporem guſtui, vel odorem olfactui offert; quæ tenuis, & Levis, ut per hypochondria celeriter permeet, & per corpus citò diſtribuatur; quæ verſus ſolis ortum, & præcipuè æſtivum ſcaturiat per terram mundam, quæ arenis, & lapillis ſcaturiens, per eoſdem fluit, & ab omnibus, quæ innatare ſolent ramentis liberata, quævè hyeme eſt calidior, æſtate verò frigidior.

Tertiò pauca de ſomno, & vigiliâ attingamus; naturâ quidèm compertum eſt, ut vita noſtra ſomno, atque vigiliâ alternatim gaudeat. Somni plurimæ ſunt utilitates, nàm & cibus in ſomno meliùs conficitur, collapſæ reficiuntur vires, & dolores, ac animi pathemata vel conſopiuntur, vel leniuntur. Vigilia verò ad alimenti diſtributionem, & inutilium reliquiarum ſecretionem, excretionemque magis quàm ſomnus conferre videtur. Functiones autem animales, quarum gratiâ vita expetitur, niſi in vigiliâ fieri ritè nequeunt. Non ab re nobis alienum videtur in ſomni gratiam cum ſit animi quies, & humanæ vitæ melior pars, aliquantulùm digredi.

Solent aliqui inquirere, cur nonnullis animantibus uſque adeò longus, diuturnuſque ſit ſomnus, ut nonnunquàm ſemeſtris ſpatio dormire videantur, quemadmodùm contingit gliribus, ſerpentibus, & quamplurimis inſectis animalibus? Equidèm minus mirabile videri poteſt, quòd animalia diutiſſimè dormiant,

miant, quàm quod illis vita per multum temporis spatium sufflaminari, & intercipi possit. Nàm animantes, quæ dormiunt, quia eo tempore parùm, aut nihil moventur, parùm etiam consumuntur, atque perspirant, idcircò diutiùs sine alimento vivere possunt: nec profectò major est difficultas, quamobrem hominis somnus alternatim ad horas octo, vel decem extendatur, quàm quare gliris somnus semestre spatium occupet. At certè mirandum videtur, quòd pisces in quibusdam locis, ubi mare in glaciem concrescit, simul cum aquâ ipsâ conglaciantur, vitâ intercipiuntur, donec adveniente calore, glacies soluatur in aquas. Idem contingit certè cuidam hirundinum speciei, quæ simul conglomeratæ sub aquis fluviorum merguntur hyberno tempore, ibique ad vernam tempestatem, vitâ interceptâ, morantur. Sed non eadem videtur esse ratio, quæ dormientibus animalibus, atque de his, quibus vita planè intercepi observatur: nàm in animalibus, quæ dormiunt, cor jugi palpitatione movetur, & sanguis per universum corpus circulatur, sed in animalibus, quorum vita sufflaminatur, nullus omninò motus in corde fit, nec ulla apparent vitæ vestigia, nisi revixerint. Porro vitam hyemali tempore intercipi Lucomoris non modò impossibile videtur, sed omninò consentaneum est: neque enim ulla videtur major difficultas, cur contingat hominibus, cùm hirundinibus evenire in locis Septentrionalibus, jàm ferè omnibus sit compertum.

De somni generatione, & causis non eadem est apud omnes sententia. Equidèm nemo ibit, inficias in somno quiescere facultates animales, & præcipuè sensitivam; sed undè fiat, ut facultates quiescant, in dubium videri potest. Quod autem complures scribunt retineri, & coërceri in somno spiritus, ne ad corporis partes impellantur, rationi valdè consentaneum videtur. Sed quomodò spiritus coërceri posse putabimus? Profectò, qui hominis naturam accuratè prospexerit, comperiet non in corde tantùm, & venis inesse valvulas, quæ sanguinis ingressum, vel egressum remorantur, sed suas etiam in cerebro inesse valvulas, atque in nervis quoque quæ spirituum animalium ingressum, aut egressum impedire possunt, sponte autem, & suâ vi concidunt ejusmodi valvulæ in cerebro, nisi certa quædam vis illas apertas, & suspensas sustineat, non secus ac palpebræ oculorum sponte concidunt, oculosque tegunt, nisi vi attollantur: undè contingit, ut morientibus, & iis, qui vitali robore destituuntur, oculi claudentur, palpebris concidentibus. Similiter, & longo labore fessis corporibus facilè irrepit somnus, nàm imbecilla fit illa vis, quæ valvulas cerebri adaperire & adapertas sustinere potest. Hinc patet, quamobrem vinum, opium, & similia somnum plerùmque inducere valeant: quippè quemad modùm ex modico vino, & pauxillo opio spiritus reficiuntur, & ad motum promptiores fiunt (habent enim spiritus animales cum vini spiritu aliquam analogiam), ità ex nimio vino, aut

opio animales Spiritus conturbantur, & ineptiores fiunt, undè & universo corpori torpor accidit, & ipsis etiam valvulis segnities ad sese sustinendum, atque ideò somnus obrepit.

Cæterùm tametsi dormientium spiritus in corporis partes, & præsertim in sensuum organa non deferuntur, non tamen omninò feriantur, ac cessant: suas enim vices in cerebro quam maximè exerunt, hinc multæ fiunt in somno cogitationes, quæ vulgò in somnia nuncupamus. Fiunt autem insomnia non modò cùm somnus levior est, & medius quidam status inter somnum, & vigiliam, ut omnes ferè authores hactenùs opinati sunt, sed etiam in profundissimis somnis, ut uno verbo dicamus, semper dormientes somniamus: sed eorum tantùm somniorum meminimus, quæ in leviori somno contingunt, nàm quòd profundè dormientes somniant, patet ex somnambulis, qui certè dùm ambulant, januam aperiunt, loquuntur, gladium evaginant, stringunt, natant, & alia vigilantium opera exequuntur, omninò somniant, sed illos profunde dormire uel indè manifestè liquet, quòd ad varios occursus, rumoresque non facilè expergiscantur, imò experrecti eorum, quæ dormientes agebant, vix meminerunt. Hinc etiam intelligi potest non semper in somno occludi canales illos, per quos spiritus motivi feruntur: nàm profectò illi, qui motum thoracis propter respirationem adjuvant, minimè clauduntur unquàm; sed neque eos, qui ad pedes, manusque pertingunt, semper claudi videntur, ut ex somnambulis liquet; neque omnes ductus, per quos spiritus ad sensuum organa deferuntur, semper in somno obserantur, ut in ipsis quoque somnambulis est manifestum, & in his, qui dormientes loquuntur. Sed ad nostra redeamus.

Somnus moderatus plurimùm sanitati confert, vires nàmque lassas reficit, humidum radicale, restaurat, spiritus laboribus diuturnis resoluti instaurantur, calor ad interiora recurrit, membra calefacit, corroborat, alimentorum, crudorumque humorum coctio optimè perficitur, bonum alimentum paratur, corpus pinguefacit, unde *Hip. 6. epid. com. 5. t.* 10. inquit: *Somnum visceribus esse cibum, omnem evacuationem tollit somnus præter sudorem, dolores sedat, animi molestias abigit.* Immoderatus verò sanitatem destruit, nàm naturales impedit evacuationes, appetentiam dejicit, crudos cumulat humores, calorem hebetiorem reddit, & spiritus animales torpidos, undè actiones omnes segniores fieri necesse est, corpus enervat, & pallore diffundit, caput vaporibus replet. Nocet etiam, si intempestivè ineatur, undè *Hip. 2. progn.* 11. habet: *Interdiù vigilare, noctu verò dormire oportet.* Verùm si laxitudo à labore dependeat, aut nox insomnis præcesserit, interdiù dormire non incommodum est: Sicut nec iis somnus meridianus nocet, qui assueti sunt, ut testatur *Hip. 2. aph.* 50. *Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, in suetis minùs molestare solent. Oportet igitur ad insueta transire.*

Si-

Sicut somnus nil aliud est, quàm sensuum quies, & cessatio, ità vigilia eorundem actus, & exercitatio, hinc moderata vigilia profectò spiritus, & sensus excitat, vegetioresque reddit, spiritus, & calorem in omnes corporis partes distribuit, alimenti distributionem adjuvat, excrementorum propulsionem promovet, & membra vigore fovet; at ex immoderatâ vigiliâ corpora exsiccari, & contabescere in confesso est apud omnes, & causam assignant, quia in vigiliâ plurimæ superfluitates excernuntur, quæ in somno retineri solent. Verum enim verò experimento compertum est nostra corpora magis in somno perspirare, quàm in vigiliâ, ut vel ex ipso sudore liquet, qui frequentior, & promptior somni tempore contingit: atqui sæpiùs memorata *Sanctorii* observatio nos edocet multo majorem esse eam excretionem, quæ fit per perspirationem, quàm ceteras omnes evacuationes simul sumptas: deberet igitur ex prædictâ ratione corpus magis exsiccari in somno, in quo major est perspiratio, quàm in vigiliâ. Equidèm videmus ex diuturnis vigiliis corpora extabescere, atque consumi multo magis, quàm in diuturnâ somnolentiâ solet evenire: Id autem indè contingere arbitramur, quia ipsamet causa, quæ longum inducit pervigilium, potens est corpus consumere. Imò verò longa vigilia vires exsoluit, & plurimos dissipat spiritus, spiritus autem ex purissimâ alimenti portione fiunt: undè nihil mirum. Si ex vigiliâ magis, quàm ex somno corpora contabescant.

Præterea vigiliæ nimiæ spiritus absumunt in sanguinis massâ, undè sanguis in vappam degenerat, corporis vires labefactant, coctionem impediunt, cruditates pariunt, & universos corporis succos exsiccant, eosque acres, & cortosi ros reddunt, imò cerebrum exsiccant, quia natura circa sensus, & exteriora corporis occupata evocat, distribuitque multum spirituum, & caloris ad exteriora, undè interiora exsiccari, refrigerari, ac humiditatem absumi oportet, quæ in sensuum instrumentis est, operis diuturnitate, & magnitudine, ut quod cerebrum in vigiliis maximè laborat, non solùm sensûs, & motûs instrumentis spiritus suppeditando, sed etiam intensione animi, atque cogitatione, ut tandèm spiritibus exhaustis, & cerebro exsiccato, mentis alienationem, & morbos calidos inducere possunt.

Somnus itaque & vigiliæ moderatæ sanitatem conservant, immoderatæ verò eandem destruunt, ut inquit *Hip. 2. aph. 3. Somnus, & vigilia, utrumque si modum excesserit malum.* Idem repetit *7. aph. 71. Somnus, & vigiliæ utraque modum excedentia, morbus.*

Quartum rerum non-naturalium genus sub motu, & quiete continetur: nàm corporis motus, atque exercitia, & his opposita ocium, & quies non parvam habent vim ad sanitatem tuendam, morbosque profligandos.

Complures esse solent utilitates, quas motus nostris corporibus præstare potest. primò nàmque mediante motu succi alimentarii, & sanguis attenuantur, & ad circulationem promp-

promptiores redduntur. Secundò, internus calor promovetur, augetur, & ex caloris augmento felicior fit nutritio. Tertiò, corpus faciliùs perspirat, & excrementa per proprios ductus deferuntur, undè membra, atque artus roborantur, & solidescunt, ac tandèm motus efficit, ut corpora non ità facilè ab externis injuriis afficiantur, sed causis ægrotare facientibus magis resistant.

Motuum complura sunt genera, nàm labor omnis, aut exercitium sub motu comprehendi videtur, ejus generis sunt ambulatio, cursus, saltatio, magnæ, & parvæ pilæ lusus, gestatio, navigatio, vectio, equitatio, & similia, quibus antiqui ad valetudinem conservandam uti consueverunt. Imò *Asclepiades*, qui nominis celebritate omnium medicorum famam potuit obscurare, recto pharmacorum usu utpotè, quæ stomachum lædant, & visceribus infensa sint, omnem curandi rationem in victu, & exercitio posuit. Undè factum est, ut ejus exemplo posteriores medici magnam exercitii curam habuerint, ut apud *Cornelium Celsum*, & alios legimus. Frictionem quoque inter motus reponere licet: nàm Senes, & qui sedentariam vitam degere coguntur, cùm nullo possint exercitiorum genere uti, frictione quam maximè indigere videntur, ut calor excitetur, humores attenuentur, & perspiratio longior fiat. Dici autem vix potest, quantùm ad valetudinem perspiratio conferat, nàm multo major est exitus, qui perspiratione fit, quàm qui per excretiones alvi, urinæ, salivæ, narium muci aliarumque evacuationum sensibilium contingere solet. Quandoquidèm, ut longâ observatione à *Sanctorio* compertum est ex octo partibus eorum, quæ ore assumuntur, tres tantùm in hominibus rectè valentibus per sensiles excretiones vacuantur, reliquæ partes quinque insensibiliter perspirant. Quòd si perspiratio minor fiat, quàm res, & necessitas postulat, tunc morbi contingunt. Liquet igitur exercitia, frictionesque ad valetudinem maximoperè conducere, cùm ex illis perspiratio excitetur.

At verò complura exercitiorum genera, quibus antiqui ad tuendam valetudinem utebantur, in desuetudinem abiêre, hinc autem fit, ut nonnulli morbi, qui ex ocio progignuntur, nostris temporibus frequentiùs ingruant, ut arthritis, vesicæ, & renum calculi, similesque ægritudines, quæ desidiâ, ocioque vigescunt.

Quomodò ex motu nostrum corpus incalescat, res est inquisitione digna. Profectò nulli dubium est dura corpora, dùm invicèm atteruntur, & colliduntur, incalescere, & sæpè etiam ignem concipere: quod qua ratione eveniat, non ab omnibus eodem modo explicari solet. Nobis arridet ea, quæ *Plato* scripsit, à quo calor definitur esse agitationem cujusdam subtilissimæ substantiæ, quæ omnibus ferè corporibus magis, aut minus commiscetur. Videmus nàmque in his, quæ incalescunt, corporibus, agitationem quandam, & motum vel penes universas eorum partes, vel saltem penes subtilem materiam in eorundem po-

poris contentam. Undè fit, ut à vehementi calore corpora ferè omnia colliquentur; nàm primum à calore incipit agitari materia subtilis in corporibus concluſa, deindè verò à vehementiori agitatione etiam ſolidæ ipſorum corporum partes agitantur, & à vinculo diſrupto invicèm diſrumpuntur, undè in liquentem maſſam abeunt. Hinc manifeſtum eſt non ex quorumcumque corporum attritu, & colliſione calorem excitari, ſed ex eorum dumtaxat, quæ dura ſunt, attritione. Neque verò liquida, & fluida corpora atteri, collidique invicem poſſunt. Undè non videtur ſatis manifeſta ratio, quamobrem animalium membra ex curſu, ſaltatione, aut quavis vehementi agitatione incaleſcant: nàm præterquàm in oſſibus nulla adeſt inſignis durities, quæ attritionem, colliſionemque efficere poſſit, neque ex curſu verbi gratia corporis partes atteruntur: & ſanguis, qui maximè omnium incaleſcit, cùm ſit corpus fluidum colliſioni, nequaquàm videtur obnoxius: ergò alia videtur inquirenda ratio, quæ explicare poſſit, quomodò ex motu, aut exercitio poſſint noſtra corpora incaleſcere.

Equidèm ſi vini ſpiritum obſervaverimus, comperiemus illum in ore incaleſcere, & multo magis, ſi intereà in ipſo ore agitetur, imò vinum generoſum vehementi in ore agitatione ità incaleſcit, ut propter fervorem ſuſtineri nequeat: ineſt enim in vino tenuis quidam ſpiritus facilè mobilis, qui agitatus in ore propter promptitudinem ad motum facillimè incaleſcit. Similis quidam ſpiritus eſt in ſanguine, qui ex motu, & agitatione facilè incaleſcit: at verò in univerſi corporis agitatione, motuque ſanguis quoque celeriter movetur, & multo velociùs circulatur; comprimuntur enim ex motu venæ, atque adeò ſanguis è venis propellitur vehementius in cor, undè & cordis palpitationes, arteriarumque pulſus frequentiores fiunt. Et hinc manifeſtum erit, quamobrem ex curſu, & corporis agitatione calor in ipſo corpore intendatur.

Quoniam verò ex calore perſpiratio major fit, & humiditas conſumitur, perſpicuum eſſe poteſt, quomodò ex motu corpora exſiccentur, & humidis excrementis minùs ſcateant. Cæterùm hæc non ità intelligi debent, ut quò major fiat motus, eò magis calor in corpore intendatur: quippè in laborioſo, & vehementiſſimo motu vires reſolvuntur, & vitalis calor imminuitur, undè etiam ſuperfluitates excrementitiæ ſuperabundant. Hinc nimius motus ſpiritûs, & ſolidarum partium ſubſtantiam exhaurit, & diſſipat, & conſequenter totum refrigerat corpus, coctionem præpedit, venas, aliosque ſæpè rumpit ductus, undè vomitiones, expuitiones, ac mictiones ſequuntur cruentæ. Motu etiam valido ſanguis cum impetu extra venas fertur, & hinc inflammationes in partibus exterioribus, & interioribus excitantur. Quòd ſi ſanguis in venis agitetur; incaleſcatque febres, multoſque languores, præſertim ſi totum corpus pravis ſcateat humoribus, excitat; ſiquidèm

dèm pravi humores, qui antea quasi consopiti quiescebant, valido agitati motu per universum corpus feruntur, & in imbicilliori parte tumores excitant, & ulcera: Si autem ad interiora regurgitant, alvi profluvia, vel vomitiones concitant, aut intra venas hærentes, febres accendunt, alioſque plurimos generant morbos. Eapropter corpora pravis referta ſuccis validè nullatenùs ſunt exercenda, præcipuè à cibo, & non dùm coctione completâ.

Quemadmodùm moderatus motus bonæ valetudini ſummo eſt emolumento, ità moderata quies eidem plurimùm confert; quies nàmque motui oppoſita eſt, poſt labores dulce lenimen, ut *Hip. 2. aph. 48.* ſcribit: *In omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudinem aufert.* Et Poëta Sulmonenſis cecinit:

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.

Eſt quies non tantùm corpori, verùm etiam animo multùm neceſſaria, ut idem:

Ocia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis.

Sicut motus phlegmaticis, frigidis corporibus, humidiſq; naturis prodeſt, ità calidis eſt commoda quies; verũ enim verò ſumma quies, ocium vocata maximè ſanitati adverſatur, hęc immoderata quies profectò corpus ſuperfluitatibus, quæ nõ eliminantur, implet, ciborum coctionem, eorumque diſtributionem efficit infeliciorem, vires enervat, corpus impinguat, ſegne, & invalidum reddit, undè languorum myriadum in causâ eſt, eapropter cecinit Ovidius:

Cernis, ut ingnavum corrumpant ocia corpus?
Vt capiant vitium, ni moveantur aqua.

Eſt igitur moderatus motus, moderataque quies in ulceratis ſervanda, verùm ſemper partis conditio attendenda eſt.

Excreta, & retenta, aliàs inanitio, & repletio ſub quinto rerum nonnaturalium genere comprehenduntur, pro quorum notione ſciendum eſt, quòd perpetuò aliquid de noſtri corporis ſubſtantiâ vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter deperditur, ad cujus reſtaurationem cibus, & potus ſufficiuntur, atqui ea, quæ ingeruntur, talia planè non ſunt, quale id, quod abſumitur: coctione igitur elaboranda, atque utilia corpori alimenta commutanda ſunt, ſed non tota, eapropter utilium ab inutilibus ſeparatio fieri debet, utilia retinenda, inutilia excernenda ſunt, ut in ſalubri ſtatu corpus conſervetur. Cæterùm ſi quę in corpore retineri debent, excernantur, aut ſi quæ excerni oportebat, retineantur, valetudo depravatur. Undè *Hip. 5. aphor. 57. Menſtruis longiùs fluentibus, morbi eveniunt, non fluentibus autem ex utero, morbi contingunt.* Ubi notamus Hip. dixiſſe debere menſtrua ex utero fluere, nàm ſi naturalis evacuatio naturalem non ſervet viam, adhuc morboſa eſt, ut ſi per vomitum menſtrua fluerent, quamvis nimis periculoſa omnimoda ſuppreſſio. Quod dixit Hip. de menſtruis, accipiendum eſt de qualibet

eva-

evacuatione, & retentione. Undè.

Si alvinæ fæces debito non excernantur tempore, coctionem interturbant, inappetentiam causant, & nauseam excitant, quia ex fæcibus fœtidi sulphuris effluvium elevatur, & ad ventriculum, vicinasque partes exhalat, dolores excitat colicos, flatibus exitu prohibitis, & alia mala. Si caput feriant excrementitii vapores, vertiginem, cephalalgiam, aliosque inducunt languores. Alvus nimis lubrica potiùs commodum, quàm incommodum affert, dùm lævior facta est in ventriculo aliqua ingestorum, vel humorum degeneratio, & mox sese exonerat, aut ex reliquo etiam corpore natura validior vitiosos per alvum sponte excernit humores, & multorum morborum causas avertit; attamen si frequentiùs, aut diutiùs contingat, corpus necessariò alimento defraudatur, & contabescere incepit, vires confestim nuntur, & non ratò intestina relaxantur, vel abraduntur. Undè Lenteria, Cœliaca, dysenteria, tenesmus & alia oboriuntur mala. Si verò alvi excrementa secundum naturam se habeant, mollia sint, mediocrem habentia consistentiam, colore subrufa, nec admodùm fœtida, copiâ autem ingestis respondeant, tunc salubrem indicant statum.

Eodem pariter modo, si urina debito reddatur tempore, corpori confert; Si verò citiùs justo excernatur, diabetem inducit; Si verò diutiùs retineatur, multum damni affert: solet nàmque non solùm vesicam, partesque vicinas gravare, sed sæpè vesicam adeò replere, & distendere, ut postea contrahi, atque urina excerni non possit, undè interdùm vesicæ inflammatio succurrit, imò mortis occasionem hac ratione quibusdam accidisse ex pudore in conviviis, urinæ suppressionem diuturniorem experientiâ compertum est. Hinc tàm urina, quàm alvi fæces non diutiùs retineantur, sed debito excernantur tempore juxta illud:

Nec missum retine, nec comprime fortiter anum. Hinc superfluæ humiditates quæ nostro corpori nutriendo sunt ineptæ partim insensibiliter perspirant, partim etiam per sudores exturbantur, & magna earum pars per vesicam excernitur, si per vasa lymphatica ad renes non delabatur, & in vesicam non profundatur, cachexiæ, & hydropi causam suppeditat.

Verùm urina naturalis his conditionibus frui debet, nempè mediocris debet esse consistentiæ, coloris fulvi, sine sedimento, aut cum sedimento albo, lævi & æquali, quantitate liquidis assumptis respondens.

Eadem est reliquorum excrementorum ratio, ut spuri, muci, & præsertim flatuum, ex quibus retentis multa oboriuntur mala, ut

Quatuor ex vento veniunt in ventre retento,
Spasmus, hydrops, colica, vertigo, quatuor ista.

Hæc enim communis est naturæ lex: excrementa excernenda esse, ut nutrimentum ex omni parte purum corpori suppeditetur, quòd si fiat, nutritio quoque rectè fit, corpusque vegetum, benè coloratum, &

omninò sanum evadit. Si verò eadem detineantur, alimentum inquinatur, corpus redditur impurum, & tandèm morbi excrementis suppressis cognati succrescere solent.

Sudorem inter excreta, & retenta connumeramus, ea quippè quæ crassa corpora extenuare valent, & fluidiora reddere, sudores promovent. Sic in vehementi calore sudor excitatur, dùm aquositates, vel humores attenuati in sudorem resolvuntur: quemadmodùm destillationibus solet contingere. Salubris est sudor, si intra suos coërceatur fines, nàm per cutis poros toto corporis ambitu, & habitu noxios purgat humores. Nulla febris nisi sudore perfectè terminatur, imò inveteratis affectibus crassos, lentosque humores foventibus, ut destillationibus dictis diuturnis, cephalalgiæ, paralysi, epilepsiæ, lui Venereæ, pectoris hydropi, reumatismo, ischiadi, & aliis articulorum doloribus, utiles sunt sudores. Si verò suos transgrediatur limites, nativi calidi aliquid dissipat, corpus dissoluit, vires dejicit, tabefacit, morbum, & symptomata multiplicat, & si frigidus, & diaphoreticus sit, mortem præ foribus portendit.

Hùc etiam refertur insensilis transpiratio idest transporatio, quæ si aliquandiu prohibeatur vel pororum constipatione à frigore, vel pravis humoribus retentis, graviſſimos excitat morbos; Si verò conveniens, & legitima sit corporis transpiratio, corpus sanum, & benè dispositum reddit,

Sed in his evacuationibus spatiari aliquantulùm nobis placet, & primò ab urinâ exordium facimus: Per solitas urinæ vias superfluas nostri corporis humiditates expelli omnibus manifestum est, sed quomodò, & ubi secernatur urina, non omninò hactenùs patuit, vulgares medici putant urinæ materiam sanguini permistam per universum corpus deferri, & postremò per venas emulgentes ad renes delabi, ibique à sanguinis massâ secretam percolari, & per proprios canales, ureteres appellatos, ad vesicam profundi. Verùm experientia docet sanguinis serum non esse ejusdem, aut similis substantiæ cum urinâ; nàm serum sanguinis, si ad ignem evaporet, in crassam, & glutinosam concrescit substantiam, & valdè durescit, quod tamen non contingit urinæ, quæ plurimo sale cùm volatili, tùm fixo conferta esse deprehenditur. Porrò venæ emulgentes sanguinem non ferunt ad renes, sed à renibus ad venam cavam: neque secùs atque aliæ replentur aliâ substantiâ, quàm sanguine. Venarum igitur emulgentium usus idem est, atque aliarum venarum: & munus, quod illis vulgares adscribunt, verum est commentum. Urinæ autem unica tantùm via est scilicet per venas lymphaticas, spirituosa pars in ventriculo mediante fermentationis motu, quæ è cibis educitur, per fibras se insinuat, quasi per filtrum, per totum corpus se diffundit ad animantis sustentationem, in itinere aquosas superfluitates in venas hydroticas, seu lymphaticas à *Thomâ Bartholino* inventas per oscilla deponit

nit, partim per diaphæresim resoluitur, partim etiam per sudores eliminatur, sed magna pars per dicta vasa lymphatica ad renes, & deindè in vesicam profunditur.

Operæ autem pretium erit hîc animadvertere aperientia à medicis pluribus modis considerari; nàm alia sunt, quæ alvum laxant, alia, quæ urinam ciunt, alia, quæ venarum, & arteriarum oscula recludunt, alia, quæ viscerum obstructiones reserare dicuntur, & alia, quæ cutis poros pervios, & magis permeabiles efficiunt. Scimus isthæc à multis confundi, sed erroris, & periculi plena est illorum consideratio. Cæterùm hæc distinguere oportet, nec unum pro altero sumere: nàm multa videmus urinam ciere, quæ alvum adstrictionem reddunt; Ea, quæ diaphoresim promovent, reliquas plerùmque evacuationes cohibent. Hinc est, quòd illis sæpenumerò adstricta est alvus, qui copiosam mingunt urinam: illi verò parciùs meunt, qui plurimùm sudant. Neque ulla major est in corpore evacuatio, quàm insensilis transpiratio. Adde, quòd hęc præ cęteris ad valetudinem plurimùm conferre videtur, nàm reliquę evacuationes possunt sine valetudinis noxâ aliquandiù retineri: hęc autem, si brevissimo temporis spatio intercipiatur, notabiles parit morbos.

Atqui videmus nonnulla esse, quę alvum cieant, alia, quæ urinam provocent, alia, quæ sudores, alia, quæ sanguinem per venarum oscilla exsudare faciant, inquirendum profectò foret, qua vi ejusmodi producantur affectus; nàm quod medici ajunt hæc fieri propriâ, & insitâ rerum facultate, sed hoc philosophi cupiditatem nequaquàm explere videtur. Nobis verosimile videtur alvum ciari ab his, quę vellicare, & stimulare ventriculum possunt: quemadmodùm nasipurgia stimulum naribus admovendo, sternutationem, & humorum illapsum promovent: & quæ palato ingrata sunt, salivam copiosiùs excitant. Quæcumque verò salis naturam præferunt, urinam cieunt, naturam enim ad evacuationem stimulant. Et quia vegetabilium salia possunt ejusmodi stimulos excitare, idcircò ad promovendam urinam valdè conferunt. Similiter, quæ corpora extenuare apta sunt, sudores promovent. Denique menstrua, & hęmorrhoides excitantur ab his, quę sanguinem extenuare valent, aut actiorem facere, ut propterea venarum oscilla aperire queant.

Non solùm excreta, & retenta morbos generare possunt, verùm si utilia intempestivè, atque immoderatè evacuentur, vires dejiciunt, corpus consumunt, & morbos illis affines excitant. Sic repletio vel ratione multitudinis, vel pravæ qualitatis, vel ratione non rectè operantis ventriculi, corpus alterat, & morbos parit. Ratione multitudinis ventriculi vis obruitur, & resistentem multitudinem superare non potest, ingesta corrumpuntur, & non fermentantur, ac multitudo corrupta nisi vomitu, vel diarrhœâ evacuetur, ventriculi actionem ità conturbat, & irritat, ut omnes ventriculi actiones depravatas, & inordinatas efficiat, quibus depravatis,

ressimi moris morbi contingunt. Hinc *Hip. 2. aph. 22.* inquit: *Quicumque morbi ex repletione fiunt, evacuatione curantur, & quicumque ab evacuatione, curantur repletione, & aliorum contrarietate.* Idemque peculia ius ostendit 2. *aph.* 51. *Plurimùm atque respente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sivè quovis alio modo corpus movere periculosum: omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est, tùm aliàs, tùm cùm ab altero ad alterum transitus fit.* Ratione pravæ qualitatis ingestorum non solùm ventriculi actio à promovendo in iis fermento desistit, sed principium motûs ipsius actionis à pravâ qualitate ad depravatè movendum adigitur, totamque ventriculi œconomiam subvertit, & per consequens proprium nutrimentum degener reddit, quòd si citò ad statum secundum naturam non adigitur: multorum morborum erit occasio. Ratione non rectè operantis ventriculi, vel fermentatio, vel separatio utilis ab inutili depravatur, undè congeries fit in illo superfluitatum, quibus assuefactus ventriculi rector spiritus non adeò vehementer in suis motibus turbatur, undè est, quòd superfluitates illæ potiùs chronici morbi, quàm acuti occasiones esse possunt; obstructiones enim inappetentiæ, affectiones hypochondriacæ, ariduræ, tabes, hydropes, & similes morbos inducere soiet.

Magna est cibi, & potûs vis in alterandis nostris corporibus, enimverò quicumque cibus etiam familiarissimus, & consuetus nequit corpus alere, nisi mutetur, & assimiletur, ut vulgò medici loquuntur: atqui hæc assimilatio, & mutatio non potest fieri sine aliquâ ipsius animalis alteratione, quippè *omne agens* [ut est vulgare enunciatum) *agendo patitur*: igitur necessariò cibus, & potus corpora nostra afficere debent. Sed illud inter cœtera hìc venit observandum, quòd varia, & multiplex est ciborum natura, neque omnibus æquè salutaris, aut noxia. Quinimmò inveniri solet peculiaris quædam hominum dispositio, quæ à rebus communiter salubribus maximoperè lædantur. Sic nonnulli non minùs à carne, aliavè simili re afficiuntur, quàm à Lethali veneno, quantùm autem in ciborum ratione ciborum valeat consuetudo, vix facile est enarrare; nàm & ipsis quoque venenis homines vesci assuevêre. Aphri plerique opio valdè delectantur, & integras ejusdem drachmas devorant, & nota est Mithridatis, & aliorum historia, qui longo usu didicêre venenis pasci. Indi tabacum devorant, ut inebrientur, & in mentis alienationem inducantur. Nec vinum ex suâ ipsius naturâ nobis familiare, & amicum est, sed tale potiùs usu solet evadere. Id quod cibus non valetudinem modò potest immutare, sed mores etiam, & quodammodò naturam.

Ex-

Excreta igitur, & retenta in ulceratis ad ordinarias leges debito modo revocanda arbitramur, præcipuè menstruorum in fœminis fluxus solitus promoveatur, insensilis transpiratio non impediatur, sic urina, lac, & saliva, ut & alvus sit lubrica naturâ, vel arte.

Inter ea, quæ excernuntur, vel retinentur, Veneris usum collocamus, estò amorem cum Venere considerandum putemus, nàm ut amor profectò in animi affectibus esset recensendus. Cæterùm maximam esse Veneris vim, ejusque usum magnoperè seu officere, seu prodesse manifestum est, & virginibus, & viduis, quæ ob seminis retentionem in gravissima sæpenumerò incurrunt symptomata, ut interdùm mortuis similes decumbant. Pariter & importunus ejusdem usus plurimos infert morbos, podagram, chiragram, petulantem senectutem, alioque quamplurimos languores.

Veneris usus moderatus valetudini confert, homines nàmque hilares reddit, calorem excitat naturalem, appetentiam acuit, sensus, & spiritus vivificat, animi passiones lenit, corporis torporem eliminat, membris levitatem conciliat, & tandèm species perennat, undè consonum est per Veneris usum, ut vitam, quam à parentibus hausimus, aliis restituamus, nè cum campanæ sonitu nostra pereat vita. Hinc meritò Galenus Epicuri sententiam damnavit, qui Venerem nihil prorsùs ad valetudinem conferre docuit. Ætas veneri aptissima est juvenibus atque viris.

Cæterùm immoderatus Veneris usus viros magis, quàm fœminas lædit, spiritus nàmque dissipat, nativum resoluit calorem, universum refrigerat corpus, cerebrum, oculos, & articulos, nervos, & ventriculum debilitat, tristitiam parit, sed non in fœminis, undè memoriæ, intellectionis, sensuumque imbecillitatem infert, vitam breviat: præ omnibus senibus, naturis siccis, debilibus, & convalescentibus plurimùm Veneris palæstra nocet. Qua ratione Venus ab *Epicuro* damnabatur, quia, cùm summum bonum in rectâ corporis constitutione, & valetudine collocaret, [hanc enim ille voluptatem appellabat] Venerem respuebat, utpotè quæ valetudinis commodo officeret. Hinc autem est, quòd mulis, monachis, cœlebem vitam agentibus longior sit vita, quàm asinis, & equis; abstinent enim plerùmque illi à Venere. Si semen diutiùs retineatur, corporis totius gravitatem, & torporem inducit, & si corrumpatur, gravissima symptomata, qualia virginibus, viduis, & uxoribus, quæ ignavos habent maritos, excitat. Veris tempus magis Veneri est idoneum, deindè hyemis minùs autumnus, omnium minimè æstas, quo tempore est omninò abstinendum, hinc poëta cecinit:

Est Veneris fugienda tibi immoderata voluptas
Nàm capiti, mentique nocet, sensusque retundit,
Virtutemque hebetat animalem, & corporis omnes
Debilitat nervos, infirmaque pectora reddit.
Parca tamen laudanda quidèm est: hæc una calorem
Excitat, hæc hilares animos facit: indè sequuta
Membrorum levitas, torporem expellit, & infert
Spiritibus vitam, præsertim ubi purpureum ver,
Autumnusvè suum exponit maturus honorem.
Tandèm hyeme, atque æstate Venus lethale venenum est.
Crebra Venus nervos, animum, vim, lumina, corpus
Debilitat, mollit, subripit, orbat, edit.

Adhoc ut Venus valetudini conferat, duæ requiruntur conditiones, una, ut ejus usus sit moderatus; altera, ut debito fiat tempore, undè si sub his adhibeatur conditionibus, homo fit seipso agilior, atque meliùs perspirans: moderatus verò ejus usus consistit, ut homo ex eo non debilitetur, & nullo modo laxetur. Cœterùm nonnulli tempus, & horam præscribere solent, in qua sine valetudinis noxâ Venus obiri possit, hanc aliqui dixêre esse horam noctis tertiam, quòd hoc tempore prima, & secunda coctio jam absoluta, & tertia etiam est dimidio facta. Verùm hæc vana, & ridicula sunt, nec quisquam erit, qui hæc adamussim sibi servanda persuadeat. *Hippocrates* creditur Veneris tempus perscripsisse, cùm dixit: *Labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria*, quasi hîc omnia eo ordine, quo scribitur, obiri debeant, ut primò sit laborandum, & corpus exercendum, deindè opportunum alimentum sit præbendum, & conveniens potus, tertiò dormiendum, & postremò Venus à somno sit exercenda. Ab hac *Hippocratis* sententiâ discrepat *Cornelius Celsus*, qui salubriorem ait esse Venerem interdiù, quàm sequitur cibus, quàm noctu, quam sequitur labor, & vigilia.

Aliqui magis in die Venereum concubitum exerceri laudant, quia statim à prandio, vel Cœnâ, post cæteris, & Bacchi munera, spiritus promptiores, alacriores, & vegetiores sunt, ac homo ardentiùs Veneris connubia celebrat, Quidem noctù potiùs, quia calor per somnum, & tenebras intùs collectus meliùs coctionem perficit, & phantasia ab aliis objectis non distracta meliùs veneris dulcedini incumbit, & pudor, cùm sit veneri inimicus, & in nocte nullus sit pudor, nocturnum tempus Veneri magis arridet.

Verùm in Veneris usu plurimùm valet consuetudo, & particularis quædam subjecti natura; nàm alii alacriùs noctù, alii promptiùs, & fortiùs interdiù hoc munus obeunt: alii pleno stomacho meliùs, alii commodiùs jejuno stomacho. Quapropter non potest homo in Veneris usu exquisitâ uti methodo, nè aliquem committat errorem, præcipuè si libidinis œstro percitus occasionem habeat promptam, ac proindè ad valetudinem tuendam in omnibus non

non oportet medicis credere, qui nè nihil dicere videntur rerum quarumdam usum, & præsertim in rebus venereis, ubi *trahit sua quemque voluptas*, & omninò errores sunt inevitabiles ob innatum speciei propagandi desiderium. Qua de rè consulendæ sunt in hac materiâ mulieres, quia ipse noctù, & die, & toties, quoties occasio dabitur, Veneri indulgendum esse affirmant.

Juvat in majorem conjugum commoditatem jucundis digressionibus aliquantulùm in Veneris palestrâ spatiari circa modum, quo quisque uti possit, sed, quia verecunda res est, & nostro cœlebatûs statui absona, nè pagina evadat impudica, estò non erubescat, & castæ nè lædantur aures, pauca leviter attingemus.

Quidam medici, ut Arabes, figuram damnant, in qua vir mulieri subjicitur, quia laborat vir in seminis emissione, & non rarò in verettum aliquod descendit excrementum ex utero, quod plurimùm obesse potest, præcipuè si spurca fuerit mulier lue Venereâ. Addimus & nos utrorum semen intra uterum ejaculari non posse, sed in emissione per verettum labi, & foràs excerni.

Alii commendant, ut coitus quadrupedum more exerceatur, ità Arabes medici, *Mercurialis lib. 1. de morbis mulierum*, *Paulus Ægineta*, & quamplurimi alii. Et reverà hic modus naturalis est, cùm omnibus animantibus sit communis, & Veneris furtis commodior, ac compendiosior; nàm sic vir angustè concumbit, penis capulo tenus admittitur, præsertim si mulier aliquantulùm inclinata decumbat. Præterea ad concipiendum maximoperè confert, si à tergo belluarum more vir cum muliere Venere utatur, ità philosophans cecinit *Lucretius lib. 4.*

Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque magni refert. Nàm more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu, plerùmque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.

Imò si mulier sit sterilis, hoc modo fœcundatur, ut *Q. Serenus Gordiani Imperatoris præceptor*, cùm scripsit super hic Lucretii carminibus:

Irrita conjugii sterilis si munera languent,
Nec sobolis spes est, multos jam vana per annos
Fœmineo fiat vitio res, nec nè, si lebo.
Hoc poterit magni quartus monstrare Lucreti.

Qui modus non est ità explodendus, ut secùm magnam non habeat rationem, & potiùs dictu turpe, quàm factu videatur. A tergo coitum conceptum juvare ostendunt, confirmantque peritorum anatomicorum observationes, qui observârunt, ut semen virile rectà uteri orificium percuteret, ab eodemque attraheretur, naturâ ità fabricasse viri foramen in inferiori glandis parte, atque uteri os ad superiorem pudendi regionem, ut in naturali copulâ more omnium animalium factâ, hæc duo foramina ità è directo sibi mutuò occurrant, ut semen

Unable to display this page

nis feminis extra vas periculum, quia semen rectà ad uteri fundum ejaculatur, præsertim si mulier aliquantulùm inclinata succumbat: cùm igitur in situs inversione servetur finis matrimonii legitimus, qui est sobolem concipi, estò inordinatè quæratur delectatio intra matrimonii limites, culpâ vacare capitali, & licitè exerceri posse putamus.

Alium coëundi modum alii commendant, nempè facie ad faciem, præsertim si mulier formosa sit, ità cecinit *Naso lib. 3. de arte amandi*:

Quæ facie præsignis erit, resupina jaceto:
Spectetur tergo, cui sua terga placent.

Cæterum hic modus est meræ hominum lasciviorum delectationis inventum, qui oscula, mammarum contactus, aliasque delicias generationi nihil famulantes quærunt. Undè positum, quo venter ventri, pectus pectori, & os ori admoveatur, sat celebrare nequeunt, pro cujus commoditate, ut nudi in letto cubant, etiam subuculâ spoliati præcipiunt: sed hæc dicta sint theoricè, non verò practicè.

Sed in dubium vertunt authores, an accensâ candelâ Veneris fœdus celebrari debeat? Pro qua re dicunt, si deformis sit mulier, aut verecunda nimis, exerceatur in tenebris; si verò maximè formosa, tria accendantur lumina.

Post celebratum hymeneum laudandi sunt illi viri, & mulieres, qui statim à Venere genitales partes siccant, vel urinâ abluunt; solent enim quædam sordes genitalibus adhærere, quæ ni tollantur, brevi contactu pustulas inducunt.

Cæterùm hîc eam tantùm Venerem intelligere protestamur, quæ ad generis humani propagationem spectat, modo legitimo, & divinis legibus concesso; neque enim ad valetudinem servandam illicitâ Venere quisquam uti debet, sed simul uterque finis coire, & conjungi potest, scilicet ut liberis opera detur, & sanitatis corporis habeatur ratio: nihilque valetudini conservandæ gratia tentare opus est, quod legibus divinis sit contrarium: & Creator homini tantum, & hac in re indulsit, quantum ad omnia, quæ sanitati obesse possunt vitanda, est necessarium.

Verùm quia non omnes esse possunt licito hymeneo conjuncti, & plerique castitatem servare vel volunt, vel debent: quomodò isti, quibus Venus est omninò interdicta, se gerere debent, postremò inquiramus oportet.

Primò, prohibeatur seminis generatio, vel resolutio multis laboribus, & victûs parsimoniâ cum omnimodâ à vino abstinentiâ, nàm *sine Cerere, & Baccho friget Venus.* Sancti patres ad servandam castitatem frequenter orabant, & jejunabant, nàm *hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione, & jejunio.*

Secundò externorum habenda est ratio, juxta illud:

Quid facies facies, Veneris cùm veneris ante?
Nè sedeas, sed eas, nè pereas per eas.

Et *Lucretius lib. 4. de rerum naturâ* his versibus mulierum aspectum fugiendum esse suadet:

Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris
Absterrere sibi, atque aliò convertere mentem.

Undè mulierum imagines cavendæ, epistolæ adamatoriæ mulieris haud legendæ, nec amatorij libri, & præcipuè earum fugiendus aspectus, id nos docet rudis asellus, qui onustus, & labore consumptus, visâ asellâ, statim rudit, qui paulò anteà neque minis, neque clamoribus, aut verberibus ad motum concitari poterat, currit posteà onustus, & fatigatus suam tentat explere libidinem: Videte, quantùm valeat rei amatæ aspectus! Et denique sermones impudici, conversationes fœtidæ, & omnia alia vitanda, ut in eodem asello didicimus, qui statim, olfatâ asellæ urinâ, ad Venerem incitatur, & dùm nos aliquem in pariete mingentem vidimus, statim mingere cogimur, quia tunc acrimoniam advertimus, quàm anteà, quia mens aliò vagabatur, non advertebamus, ità etiam & spiritus sensitivus molestans, qui anteà ob inadvertentiam non sentiebat, quia posteà propter pravam consuetudinem advertitur, mirè nos angit, & ad Venerem movemur.

Est itaque Veneris usus ulceratis vitandus, ne breve illud dulcedinis tempus diuturna reddat ulcera.

Tandèm moderata animi pathemata ad conservandam totius corporis constitutionem non solùm maximam habent energiam, sed corpus à naturali statu in morbos conjicere, & interdùm subitæ morti dare possunt immodici eorum excessus, ac propterea medici fuerit, diligenter in eorum, quorum cura sibi concredita est, affectus inquirere, ut si quos vehementiores adesse animadvertat, eos quantum potest corrigere, & si quid mali sanitati afferre possint, ostendere. Cæterùm animi motus in toto corpore non parvam efficiunt mutationem, tamen illud membrum imprimis, & maximè afficitur, quod primò in affectibus movetur. Fiunt hi subiti motus vel à corporis centro ad circumferentiam, ut est ira, gaudium &c. vel à circumferentiâ ad centrum, ut timor, mœror &c. Qui igitur incolumem vitam servare cupit, animum sedatum, & tranquillum aucupari, & vehementibus passionibus resistere debet. Verùm quia impossibile est ab omnibus animi pathematibus sese immunem reddere, adnitendum propterea summâ rationis vi illis obsistere, eorumque impetus coërcere.

Benignæ animi passiones sunt gaudium, & spes, cæteræ verò dicuntur malignæ, & à *Platone* animi ægritudines nuncupantur, & non solùm sunt ira, timor, mœror, invidia, pudor, desperatio, sed etiam anxietas, exclamatio, impetus, rixa, odium, temeritas, audacia, incontinentia, iniquitas, & omnes alii similes animi motus, qui si modum excedant, magnas in corpore efficiunt mutationes.

Pro tuendâ tamen valetudine, & naturali corporis constitutione aptissimus, corporique nostro amicissimus affectus est gaudium; spes nàmque cùm sit futuri boni expectatio, est afflictorum medicina; gaudium ità que moderatum, & non repen-

pentinum ad conservandam valetudinem principem tenet locum, totum enim corpus, atque imprimis cor, & spiritus vitales recreat, calorem, spiritus, & sanguinem à centro ad corporis periferiam diffundit, undè functionum vigor excitatur, corporis habitus nutritur, humectatur, vivido, ac florido suffunditur colore, senectus retardatur, & vitæ tempora producuntur, tandèm multos præ solo gaudio morbos evasisse observavimus. Si gaudium sit immodicum, vel repentinum, cor relaxat, nàm in gaudio spiritus à centro ad circumferentiam moventur, veluti dilatatione quadam factâ ad præsentis objecti fruitionem, spiritus nimiùm dissipat, ad externas diffundit partes, dissoluit, qui cor deserunt, & internas refrigerant partes; undè ex nimio gaudio, vel repentino multos in syncopen incidisse compertum est & interdùm plerosque extemplò occubuisse historiæ testantur.

Sicut gaudium animi securitatem, placiditatem, & quietem affert, ità mœstitia, quæ gaudio est opposita, quia spiritus, & sanguinem à corporis circumferentiâ ad centrum retrahit, oppositos inducit affectus, nàm subitas mutationes in corpore, ut terror panicus, non efficit: tamen sensim, & pedetentim id plurimùm immutat; nativum enim debilitat calorem, corpus refrigerat, siccat, dissoluit, faciem reddit decolorem, pulsumque imminuit ob cordis constrictionem, interdùm febrem ob prohibitam transpirationem accendit, coctionem vitiat, vigilias inducit, spiritus obtenebrat, ingenium obtundit, memoriam debilitat, rationem impedit, & insaniam inducit. Naturalis facultatis imbecillitatem parit, spiritus, & sanguinem ob frigiditatem crassiorem reddit, & hinc morbos melancholicos inducit à quibus non facilè tristes se extricant.

Ira, cùm sit sanguinis accensio, sivè ebullitio circa cor propter appetitum vindictæ, spiritus, & sanguinem turbat, exagitat, accenditque; ea propter spiritus, & sanguis efferveseit, & cum impetu ab interioribus ad exteriora moventur, & hac ratione irati fiunt rubicundiores, & ad omne scelus promptiores, corpus calefacit, pulsus auget, accelerat, febres accendit, alioSque excitat morbos. Si valdè effrœnis sit ira, rationem subigit, & de sede suâ dimovet. Patiuntur quoque irati artuum tremores, spirituum dissipationes, virium resolutiones, cordis palpitationes, convulsiones quandòque & mulieres abortum.

Cæterùm quærimus, an ira aliquem interimere possit? Respondemus affirmativè, estò in irâ nec calor extinguatur, nec suffocetur, sed liberè saltèm, & cum impetu per universum corpus diffundatur, nàm hoc verificatur de frigidis corporibus, in his nàmque calor debilior excusciratur, vegetior redditur, vires augentur, undè his naturis iraSci valdè utile est. Hinc in morbis frigidis dictis excitanda est ira, & in calidis vitanda; si verò in corporibus calidis exerceatur, potest spiritus dissipare, vires dissoluere, syncopen inducere, & consequenter mortem, vel ex humorum agitatio-

ne vertiginem, apoplexiam, & epilepsiam afferre potest, & postremò mortem.

Timor etiam insignes in corpore efficit mutationes, nàm in hoc calor, sanguis, & spiritus exteriora deserunt, & ad cor subitò revocantur, undè partes externæ algescunt, corpus pallet, pulsus fit parvus, artus contremiscunt, dentes stridٍent, vox interrumpitur, vires concidunt: interdùm alvus soluitur, & urina involuntariè profunditur ob musculorum imbecillitatem, vel resolutionem, testanturque historiæ quosdam metu mortis, & pœnarum unicâ nocte canos factos. Observatum fuit puellulum, dùm duo sui fratres majores laqueo suspenderentur, quia delicti erat particeps, & in pœnam juxta patibulum spectaculo astabat, sanguinem toto corpore sudasse. Imò in nimio timore, suffocato calore, quosdam expirasse compertum est. Non ità tamen lædit timor, ut aliquando etiam aliqua commoda non afferat, nàm quandò moderatus est, & præcipuè in corpore calido, solet calidam partium constitutionem moderari, fluxiones frigiditate, quam inducit; cohibere, & furentem animum reprimere. Et nos multos morbos, timore incusso, sublatos observavimus.

Tandem in pudore primò sanguis, & spiritus à corde ad externas partes fertur, deindè à partibus externis ad cor se retrahit; undè in pudore sanguis, & spiritus has assiduas efficit vicissitudines, & variæ colorum mutationes brevi tempore in pudibundis conspiciuntur.

Enarratis sex rebus nonnaturalibus, communi statuimus sententiâ ex earum legitimo, & moderato usu sanitatem conservari, & languores abjici, contrà verò ex importunâ earundem administratione morbos generari, atque foveri: in omnibus itàque mediocritas seligenda est, & ideò *Hip.* inquit: *labor, cibus, potus, somnus, & Venus, omnia mediocria,* quia

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.

Cap. X.

De Vlcere simplici.

ILlud ulcus simplex, seu vulgare dicimus, quod à sale simpliciter corrosivo, parùm exaltato producitur, nec aliorum salium energiam habet adjunctam, nec ullo alio symptomate stipatur.

Signa.

Ulcus simplex omnibus corporis partibus evenire potest, tàm externis, quàm internis, idque pus laudabile reddit, album, læve, æquale, & minimè fœtidum, vel ichore madet, nec symptomata habet adjuncta, ut sunt intemperies, inflammatio, erysipelas, humorum affluxus, & Cætera, de quibus in propriis capitibus dicemus, sed continui solutionem tantùm in superficie habet, ità sunt herpetes simplices, serpigines, scabies, & cæteræ simplices cutaneæ excoriationes.

Can-

Cauſæ.

Pro ſimplicis ulceris cauſâ Galenici humores acres, erodentes, eoſque pituitoſos, bilioſos, vel melancholicos aſſignant. Cæterùm ità perpetuò in omnibus ulceribus has repetunt inſulſitates, & ineptias, ac ſemper in ulceribus hepar incuſant, tanquàm ulcerum officinam, ut nauſeam, ne dicamus vomitum, pariant, & ſe ridiculos exhibeant.

Ulcus ſimplex, juxta noſtram ſententiam, provenit à ſale balſami radicalis abundanti, qui per diapheresim ad aliquam cutis partem, vel ad cutem totam, tanquam ad ſentinam, & commune totius corporis emunctorium demandatur: Si ibi magis, ac magis deſiccetur, coroſionem acquirit, pruritum excitat, ſenſim excoriat cum aliquali ſubjacentis carnis diminutione, & partem ulcere ſimplici exulcerat, ſi ſal nullâ aliâ, quàm ſimplici energiâ imbuatur. Porrò ſi ſal fixior magis profundè exulceret, dummodò nullâ aliâ qualitate, quàm ſimplici coroſione partes afficiat, nec proindè curationem mutat, ſed iiſdem, & ſimilibus omninò medicamentis ulcus ſanari poteſt. Ulcus ſimplex non tantùm à cauſâ internâ corpori advenit, verùm etiam externâ, quæ contagio, vel veneno eſt expers.

Prognoſis.

Simplex ulcus, quod cutem obſidet, & ſuperficiale eſt, faciliùs, & breviori tempore curatur. Idem dicendum eſt, ſi quam habeat cavitatem, & nullum accidens illi conjungatur.

Curatio.

Simplex ulcus ſimplici quoque curationis modo curatur, nàm prę-ter continui ſolutionem, nullum aliud accidens habet adjunctum.

Galenici in ulceris ſimplicis curatione primò corpus purgant, ſi corpus ſit cacochymum, nè humores ad partem affectam ampliùs fluant. Verùm medicamenta purgantia in ulceribus nullatenùs ſunt adhibenda, quia, juxtà noſtra principia præter virus laxativum, balſamum radicale excalfaciunt, calorem pro enim in corpore humano augent, calor auctus ſalia exaltat, & in cutis ſuperficiem, tanquàm ad emunctorium exturbat, ibique ulceribus ſymptomata aggerant, ut in ſcabioſis compertum eſt, quos quò plus purges, eò ſcabiem pertinaciorem reddes. Prætereà aſſignant Galenici pro ulcerum cauſis humores acres, & coroſivos, ſed medicamentis ad hos purgandos ſunt experres, niſi tantùm de communi morborum omnium, quòd ſi per accidens hos purgari dicant, nullam habent certitudinem, an expurgentur, nec ne. Sufficit ulceratis alvum habere fluidam, & laxam, qua niſi potiatur languens, ea arte provitanda eſt. Deindè expurgatâ alvo, ſi corpus ſit pletoricum, ad phlebotomiam deveniunt. Cæterùm pletoria rara eſt, ut muſcæ albæ, & rariſſimè ab optimè notæ medicis fuit obſervata, tantùm à bardis ſæpiùs obſervatur; ſufficit

sufficit namque hos colorem faciei floridum, & rubicundum, vel corporis habitum carnosum, & benè compactum spectare, ut perperàm pro pletorico accipiant. Expedit ulceratis sanguinem minuere, sed multo tutiùs, atque commodiùs eum per inediam soluere.

Postmodùm in partis poris sanguinis, vel humoris effusi aliquid hærere supponunt, & ut illud coquant, id est in pus mutent, digestivum usurpant medicamentum, ità celebre est illud vulgare digestivum, quod paratur ex *terebinthinâ Venetâ, oleo rosaceo, & ovorum vitello.* Post digestivum abstergentibus utuntur medicamentis, ut

℞. *Resinæ abjetinæ* ℥j.
olei rosacei ℥ vj.
pulv. thuris ℥j. m.

Vel si majoris energiæ absterstone opus sit,

℞. *Mell. rosac.* ℥j.
terebinth. ℥ß.
succi apii ℥ j.
pulv. thuris,
farinæ hordei ana q. s. m.

Absterso, & mundificato ulceri incarnantia, seu sarcotica applicant medicamenta, hujus farinæ sunt unguenta, *basilicum, aureum, de tutiâ, lithargyrio, plumbo &c.*

Nostra de ulceris simplicis curatione indicatio requirit, ut balsamum radicalem ad suam temperiem reducamus, & restituamus, nàm simulatque suam nactus fuerit temperiem, soluti continui unio in promptu erit, & estò medicus illam impedire velit, non potest.

Si ulcus sit superficiale in cute, optimum remedium erit *aqua lapidis medicamentosi, vel unguentum ex succis refrigerantibus* dictum, aliàs à nobis descriptum, vel præstantior erit *balsamus sulphuris, vel emplastrum Diasulphuris.* Cæterùm si ulcus ex balsami torpore in unionem pigrè abeat:

℞. *Croci Martis opt. præp.*

Et ulcus bis in die eo aspergatur, & infra duos dies solidatum erit. Ejusdem efficaciæ erit *lithargyrium aureum* in pollinem redactum, & eodem modo applicatum. Notari tamen hîc debet, quòd pulverum aspersio ablutionem cum vino tepido requirit, quoties ulcus deligatur.

Si concoctam expurget materiam:

℞. *Empl. de gratiâ Dei.*

quod optimè sit compositum, & ulceri superimpone, nàm infra quatuor dies cicatricem inducit. Sed præstat *emplastrum nostrum Benedictum.* Si quomodo profundum sit ulcus:

℞. *Empl. fodic.*

quod ulceri impone, & infra sex dies ulcus ad cicatricem reducet. Remedia universum respicientia corpus in his simplicibus curandis ulceribus prætermittimus; necessaria enim non sunt, sufficitque tantùm victûs ratio cum mediocri diætâ, ut curatio ex voto respondeat.

Cap. XI.

De Vlcere cum intemperie.

Sæpè accidit, ut ulcera simplicia non sint, sed alii ipsis conjungantur affectus, undè operæ pretium erit dicta ulcera per accidentium

Unable to display this page

progignere valeant, undè si solares propellas radios, caloris fons protsùs extinguitur. In locis, quæ circa terræ polos existunt, frigus intolerabile prædominatur, propterea quòd ibi minùs valet solis efficacia: Addimus, quòd quemadmodùm calor ex motu, & agitatione proficiscitur, ità frigus ex quiete; radii nàmque solares terræ superficiei occurrunt tantâ cum inclinatione, ità ut in eorum reflexione minimum, vel nullum motum cieant in corpuscula in aëre dispersa: at quies motûs privatio est: igitur & frigus caloris est privatio.

Sed estò hæc sententia aliquam præseferat similitudinem, suos tamen patitur manes; nàm privatio nullum producit effectum, sed nix aquam, vinum, & omnia contigua corpora refrigerat. Verùm scimus, quid ad hæc respondsuri sunt ii, qui frigus è rerum naturâ eliminare conantur, scilicèt docent nivem esse corpus caloris expers, calorem autem consistere in motu, motum prætereà esse de eorum genere, quæ alteri communicantur; sed interea tantundem depellitur, atque adeò vinum ex nivis applicatione calorem suum amittere, dùm illùm nivi impertitur, tantundem enim vinum caloris deperdet, quantum nivi communicabit. Verùm hæc responsio non nobis arridet, nàm totam non evacuat difficultatem, hinc meliùs juxta nostra principia respondetur: Calor in motu consistit, qui motus à particulis exilissimis dependet, aquæ, vel vini particulæ propter nivem torpescunt, consopiuntur, ligantur, ac motum amittunt, undè aqua, vel vinum frigidum, quale nix potantibus sensum præbet. Intereà verò non videmus, quomodò sal petræ, quod nullum habet sensibile frigus, vinum tamen, & aquam possit insigniter refrigerare? Enimverò notabile frigus in sale petræ progignitur ex aquæ admistione, quare videtur frigus esse ens, & inter rerum numerum collocandum potiùs, quàm inter non entia.

Siccitatis clatior est contemplatio, & ipsis sensibus manifesta, sed prærnonere oportet plerosque decipi in definitione humiditatis, quandò dicunt ea corpora vocanda esse humida, quæ facilè terminantur finibus alienis: hac enim ratione metalla fusa humida dici deberent. Est autem liquidorum corporum proprietas illa, ut termino alieno facilè finiantur; humida verò sunt quæ humorem in se continent. Sic aër, cùm semper liquidus sit, non tamen semper humidus dicendus erit: nàm flante Austro, aër multâ humoris copiâ imbutus videtur, contrà verò spirante Boreâ, siccior erit. Spongia, aut pannum humore imbutum humidum erit: igitur corpora non aliter fieri humida possunt, nisi per participationem humoris, vel potiùs humidæ substantiæ, secùs contingit in calore; ferrum enim incalescit sine substantiæ calidæ adjunctione: neque enim ferrum candens præter propriam materiam habet aliam substantiam, cujus admistione ferrum incalescat. Verùm spongia humescere nequit, nisi eidem addatur humor, qui illius pondus adaugeat. Quapropter spongia

sicca

Unable to display this page

eo consistit, ut particulas subtilissimæ substantiæ contentæ in corporibus agitet, continuoque motu propellat. Quocircà caloris sensus in nobis percipitur, quotiescumque spiritus, & tenuissima substantia in sentiente organo contenta agitatur. Quamobrem ea nobis calida videntur, quæ spiritum magis ciere, atque agitare possunt: quæ verò vim habent motum infringendi in spiritibus existentem, ea frigida apparent. Hac ratione vini spiritus in nostro corpore calorem progignere, & excitare potest: sanguinem enim humoresque, imò & spiritus violenter agitat, undè fit caloris generatio. Videmus autem vini spiritum frigidæ aquæ permistum ejusmodi motum, agitationemque producere, ut propterea notabilis calor in aquâ progignatur, & in chymicis multa habemus, quæ cùm ex seipsis minimè calida sint, simul commista calorem, fervoremque ingentem excitare solent. Sic videmus quotidiè contingere, cùm vitrioli spiritus oleo tartari p. d. superfunditur, vel ipse spiritus vitrioli salibus rerum vegetabilium admiscetur. Salia verò quantùm in seipsis inest frigus potiùs, quàm calorem excitare solent, præsertim si aquæ puræ admisceantur, id evidentissimè apparet in sale petræ, vel sale armoniaco, quæ aquæ injecta notabile frigus excitant, qua ratione vinum insigniter refrigerari solet, quo invento utuntur sæpissimè navigantes tempore æstivo, si nive caruerint. Neque hìc prætereundum est vocari potestate calida ea, quæ cùm actu frigida videantur, vim progignendi caloris in se continent, hujusmodi est vini spiritus, qui quidèm non semper, & ubique calorem progignere potest. Neque externis partibus applicatus calorem magis quàm frigus excitat.

Signa.

Calidam intemperiem testantur causæ calefacientes, quæ præcesserunt, & non solùm labia, verùm & ipsa ulceris caro rubicundior appareret, & ipse æger calorem in ulcere sentit, cui dolor plerùmque conjungitur. Ulceris excrementa acria sunt, & mordicant. Medicamenta frigida applicata juvare, & calida nocere credunt vulgares.

Frigidam indicant intemperiem causæ refrigerantes prægressæ, ulceris color albicans, ejusdem labia ad albedinem, vel livorem vergentia, & mollia sunt, atque ulceri calida utilia, frigida noxia putant.

Humidam intemperiem humectantes causæ, quæ præcesserunt, ostendunt, deindè caro mollis, flaccida apparet, & plerùmque nimiùm excrescit; & humidorum excrementorum abundantia adest.

Siccam tandèm intemperiem cognoscunt ex causis exsiccantibus, quæ præcesserunt, ulceris labia ficca, squallida, & dura, membri laborantis gracilitas apparent; excrementa ulceris pauca sunt, vel nulla.

Causæ.

Calidam intemperiem in ulceribus secundum Galenicos causare valent, aër nimis calidus, topica præsidia

sidia calidiora, fasciarum nimis stricta deligatio, involucrorum nimia copia, alimenta calida, vini meracioris potus &c.

Frigidam inducunt intemperiem aër frigidus, si ulcus fasciis, & involucris contra externi aëris frigiditatem non satis muniatur, medicamenta frigida &c.

Humidam causant intemperiem aër humidus, undè nonnullis in locis aëris humiditas ulceribus valdè inimica est, præsidia humida, alimenta humida, nimius potus, humorum affluxus &c.

Siccam denique excitant intemperiem aër siccus, topica vehementer exsiccantia, exculentæ, & potulentæ materiæ penuria &c. Quòd si prædictæ conjungantur causæ, compositam in ulceribus producunt intemperiem.

Hæ causæ, quas vulgares assignant, sunt mediatæ, occasionales, & intemperierum excitativę, non autem immediatæ, & secundum nostra theoremata duæ tantùm essent intemperies, nempè calida, & humida; frigida namque & sicca non sunt entia positiva, sed solummodo privativa. Præterquam quòd calor, & humiditas non sunt qualitates nudæ, seu accidentia, ut *vulgares philosophi Arristotelici* blaterant, quia reverà non dantur accidentia in universitate rerum, sed sunt substantiæ; calor enim ab igne non nisi penes gradus differre in nostrâ *Pyrotechniâ* fusiùs demonstravimus, humidum verò illud dicendum fore, quod intra se humorem continet probauimus.

Excitant, juxta nostram sententiam, in, vel circa ulcus calidam intemperiem, omnia quę subtilissimæ substantię particulas, ut sulphureas, salinas vitriolatas &c. in motũ & agitationem adigunt, vel sanguis lympha liquores vitiosi, vel in canaliculis obstructiones, & cœtera viscerũ vitia, quorum ope, vel agitatione subtilũ particularum fermẽtatio succedit. Ita sunt aer nimis calidus, medicamenta calidiora, potus, & cibus calidus &c. quæ hunc particulis motũ inducere possũt. Frigida ulceris intemperies opposito modo producitur, per caloris nempè defectum, per subtilissimarũ nàmq; particularum motum interdictum ab aliquâ causâ tàm internâ, quàm externâ & per harum particularum feriationem, & ligationem frigus in parte sentiri videtur. Hujusmodi sunt aër frigidus, medicamenta frigida &c. Humidam intemperiem illam dicimus, quæ humorum affluxum continet; impossibile nàmque est humidum concipere, absque eo quod humefacientem intelligamus substantiam. Humidam statuimus ulceris intemperiem hoc cum discrimine, quod sit illud, quod neque calorem, frigus, vel siccitatem habet, in cujus causâ venit etiam aër humidus; medicamenta, & alimenta humida, ac nimius potus. Siccam tandèm ulceris intemperiem induci concludimus per humoris privationem, provenitque ex alimenti defectu, vel à causis illud potentibus in halitus resoluere, hujusmodi est aër siccus, medicamenta nimis exsiccantia, cibi, & potûs penuria &c.

Si nulla adest in loco affecto intumescentia in ulcere, vel in partibus

bus circumjacentibus, intemperiem illam nudam, seu immaterialem appellant vulgares; si verò intumescentia ulcus, vel partes circumjacentes obsideat, materialem appellant.

Prognosis.

Ulcera cum intemperie ægrè curantur, quia ejus curationem impedit; post habito nàmque ulcere, chirurgus soli intemperiei vacare debet. Ulcera cum intemperie calidâ, frigidâ, vel humida non difficulter curantur; unâ enim operâ & eodem tempore iisdem medicamentis intemperiei subvenire, & ulcus curare oportet, estò frigus ulceribus sit inimicum. Sicca intemperies cum ulcere difficiliùs tolli creditur à vulgaribus, estò clamitent ulcus, ut ulcus exsiccatione indigere.

Curatio.

Nullum ulcus tàm facilè curant vulgares, quàm illud, cui conjuncta est intemperies; indicat nàmque, ut dicunt, intemperies per contraria alterationem juxta *Galeni* Tariffam: *contraria contrariis curantur*, ut calida frigidis, & frigida calidis &c. Cùm autem intemperies habeat causæ rationem, & eâ præsente, ulcus curari non possit, nisi priùs auferatur intemperies, primò igitur intemperiem tollunt, deindè ulcus sanant. Si intemperies sit materialis, eam adhibent curationem, qua in ulcere cum humorum affluxu utuntur.

Si itaque intemperies sit immaterialis, & quidèm calida, ulceris intemperies refrigerantia mitiora, vel valentiora pro caloris excessu expostulat; commendant autem communiter *aquam plantaginis, endiviæ, portulacæ, rosarum, succum sedi, sonchi, solani, lactucæ, cicutæ.* Hæc medicamenta refrigerantia non solùm ulceri, sed etiam partibus circumjacentibus, & vicinis imponunt, ideòque etiam unguentis, oleis, aliisque hujus farinæ præsidiis utuntur, ità sunt unguentum *de cerussâ, album Rhasis, album camphoratum, rosaceum, populeum, refrigerans Galeni, santalinum. Oleum rosaceum, violaceum, ovi albumen, lac, acetum, oxycratum*, & id genus alia. Ori ea medicamenta, quæ refrigerant, administrant, ut sunt *syr. de Nymphâ, endiviâ, violar. cichor. portulacâ*, itèm *quatuor seminum majorum frigidorum emulsiones, jusculæ &c.* Cœterùm frigidorum medicaminum applicatione facilè ex nativi caloris extinctione multi in gangrænam, & sphacelum, ac ipsam mortem incidunt; obstructis nàmque meatibus, & porositatibus, major particularum salinarum, acidarum &c. agitatio, & exaltatio excitatur, ac inflammatio, deindè gangræna, & sphacelus.

Frigidam ulceris intemperiem calefacientia requirere dicunt, ideòque ad calida topica recurrunt, qualia sunt *oleum hypericonis, nardinum, irinum, rutæ, anethi, de spicâ, chamæmelinum, terebinthinæ, ceratum de betonicâ, vinum calidum* cum spongiis applicatum. Et quidem varia linimenta, & unguenta ex his parata ulceri imponunt. Extrà verò,

& partibus vicinis imponunt fomenta *ex decocto saluiæ, hyssopi, absynthii, pulegii, rutæ, roris marini, lauendulæ, origani, menthæ, fol. lauri* parata in vino generoso. Quòd si magis calefacere intendunt, *oleum euphorbii* adhibent, aut *de piperibus* instillant. Verum enim verò hæc medicamenta calida non ad Galenistarum nutum excalfaciunt, sed juxta partis dispositionem agunt, & nisi exilissimas particulas internas ad motum adigant, nullum in parte calorem excitare possunt. Si motus excitetur, paulatinâ agitatione fieri debet, aliis ab uno contrario in aliud absque ullo medio fieret transitus, & phlogosim potiùs excitaret, quàm ad naturalem temperiem partem adigeret, & ulceris salia intensiùs agerent, fierentque exedentia, præcipuè cùm ista vulgarium medicamenta ob lentorem porositates obstruerent, & intensissimam salium fermentationem excitarent.

Humida intemperies siccantia desiderat; verùm quia ulcus ex se exsiccantia requirit, si deindè humidum fuerit, fortiora requirit exsiccantia, quàm ulcus simplex usurpat, qualia sunt *radices cyperi, marrubium, salvia, chalcitis, plumbum ustum, ferri squama, lithargyrium, cerussa, minium, thus, mastiche*, & his similia, ex quibus secundum intemperiei humidæ gradum varia cuique ulceri medicamenta parant. Quò ulcus humidius est, eò fortiora requirit exsiccantia; si verò minùs humidum sit, mitiora exigit exsiccantia. Lavant, deterguntque ulceris sordes vino, vel poscâ, in quibus adstringentia, & siccantia, ut *radic. cyperi, hypericum, salvia, absynthium, betonica, rosæ* cocta sint, deindè dictis medicamentis pulveretenus ulcus inspergunt. Quàm varia sint hæc vulgarium medicamenta siccantia ad humidæ intemperiei sanationem, facilè quisquam, qui vix chirurgiam à primo limine salutavit, conjicere potest; ferrum nàmque, ut diximus, estò siccissimum sit, spongiæ humiditatem destruere, atque siccitatem in illam inducere nequit, sed per expressionem, vel evaporationem exsiccatur: ità est humida ulceris intemperies, nisi foràs eliminetur per evacuationem sensilem, vel insensilem, nequaquàm curatur.

Sicca tandèm intemperies humectantia exposcit præsidia, eapropter parti aquam calidam applicant triplici modo, fotu scilicet perfusione, & balneo. Fotus fit spongiâ, panno, stupâ, aut gossypio, & hic modus commodior existimatur, perfusio autem, & balneum non ità commodè adhibentur. Utiliùs est, si ulcus hydroleo tepido foveatur, quàm aquâ; aqua namque tepida actuali calore partem calefacit, poros aperit, & calorem dissipat, iterùm post fotum refrigerat, quod prohibet oleum admistum, quia lentore suo poros obstruit. Post fotum sequens cataplasma humectans applicant, ut

℞. *fol. malv. ad mollitiem coctor*
℥ ß.
farinæ hord.
tritici ana. ʒ. *ij.*
amygdal. d. contus
mellis cocti ʒ. *j.*

Croci ℈. ß.
ping. porci q. ſ.
m. in mortario & f. cataplaſma.

Vel ſequenti linimento humectante utuntur, ut

℞. *fol. malv. contus. lib.* ß.
butyri recentis ℥. *viij.*
m. coquantur ad mollitiem uſque, trahiciantur, & deindè adde
Olei liliorum albor. ℥. *jß.*
m. f. linimentum.

In ſiccâ intemperie vitet chirurgus exſiccantia, vſque dùm intemperies hæc in totum abiit, nàm aliàs curatio pertinax & difficillima reddetur.

In intemperie compoſitâ medicamenta utrique qualitati oppoſita ahibent. intemperie ſublata ſarcoticis utuntur, & quidem in calidâ minus calidis, in frigidâ minus frigidis, in humidâ minus humidis & in ſiccâ minus ſiccantibus, ne pars intemperata in eandem relabatur intemperiem.

Quis agaſo unâ horâ non evaderet medicus Galeniſtâ, medendi indicatione deſumptâ in omnibus morbis ab intemperies circulum commitunt vitioſum, nàm calide frigida, frigida calida, humidę ſicca, & ſiccę humida præſidia applicant, eapropter vulgarium medicina eſt caloris, frigoris & dogma ac proinde facta eſt fabula vulgi.

Intemperiei curationem ita inſtituimus, ut ulcus quantum fieri poteſt non negligatur. Si tamen utrique ſimul ſuccurri non poſſit, ei quod magis urget chirurgum magis intentum eſſe oportet. Si itaque ſit calida, utimur *foliis ebuli, & nicotiana tepore imbutis, vel aquâ ſpermatis ranarum, phlegmate vitrioli, aquâ vitrioli, plantaginis ſale Saturni impræ-gnatâ, vel aquâ lapidis medicamentoſi, his aquis utimur tepidis, lacte tepido, linteis ſanguine leporino illitis.* In frigidâ utimur *ſpiritu vini, tùm ſimplici, tùm camphorato, tùm etiam aquâ reginæ Hungariæ, aquis ſtillatitiis juniperi, florum camomillæ, balſamo ſulphuris terebinthinati, aniſati, juniperati &c.* In humidâ omnia ſiccantia deſcribenda capite præcedenti, de ulcere cum humorum affluxu conveniunt.

In ſiccâ tandèm cuncta exſiccantia vitanda, conveniunt humifacientia, & præcipuè fotus ex ſequenti decoctione, ut

℞. *Althææ,*
malvæ ana m. j.
flor. viol.
papav.
Nymph. ana ℥. *j.*

Coque in aquâ fontis, vel lacte vaccino, aut caprillo, & cum ſpongiâ tepidè applicetur decoctio, vel immergatur pars exulcerata in ipſam. Si ex alimenti defectu dependeat, quod pars non attrahat, cibo euchymo, & facilis diſtributionis utimur. Si atrophiâ laboret, ejus curatione removetur.

Cap. XII.

De Vlcere cum humorum affluxu.

RAriſſimè ſola intemperies ulcus comitatur, ſed interdùm ipſa cum humorum affluxu conjungitur, quam materialem intemperiem nuncupant vulgares, illamque eſſe volunt quadruplicem ſcilicet cali-

calidam, frigidam, humidam, & ſiccam. Cæterùm hunc humorum affluxum excitant acidi, ſalſi, vel aliùs ſimilis indolis humores in ulcus decumbentes, vel ſtagnantes, & niſi his circulatio, vel reſolutio reſtituatur, ſive, ut vulgares inquiunt, talis materialis intemperies tollatur, ulcus nullam admittit ſanationem.

Signa.

Ulcus cum humorum affluxu deprehenditur non ſolùm ex labiorum, ſed etiam circumjacentium, ulceris partium tumore. Deindè ex dolore, præcipuè ſi nervoſæ afficiantur partes. Tertiò ex excrementorum copiâ emanantium, quæ major, quàm pro ulceris magnitudine eſſe ſoler. Denique etiam, licèt omnia, quæ ad curationem neceſſaria ſunt, adhibeantur, ſanatu difficile eſt; humorum nàmque affluxus curationem moratur.

Cauſæ.

Communiter vulgares humorum affluxûs cauſas aſſignant plures, & primò peccantium ſuccorum vel in toto corpore abundantia, vel in aliquâ corporis parte, in hepate ſcilicet vel liene. Deindè natura irritata, & ſtimulata quantitate, vel qualitate ſe exonerat, expellit, deponitque in partem exulceratam. Poſtmodùm, ubi pars affecta propter dolorem, aut calorem pravos ad ſe allicit humores. Tandèm vel dùm ad partem in loco inferiori poſitam humores utpotè graves ſuâ ſponte defluunt, aut aliàs ad partem imbecillem, & ignobilem moventur, ac ibi ſtagnant. Non confutamus Galeniſtarum cauſas, quia ineptias ſapiunt, vitioſos nàmque aſſignant humores, ſed quo laborent vitio, ſilentio involvunt. Confugiunt ad hepar, tanquàm ad omnium morborum patronum, vel ad lienem tanquàm ad humoris melancholici cloacam. Naturam ſe exonerantem in debilem, & vilem culpant, & humores gravitatis accuſant. Deindè apud languentes oraculi inſtar, non ex tripode, ſed ex quadrupede potiùs naturam commendantes, hæc verba ſemper pronunciant: *Natura eſt morborum medicatrix, medicus naturæ miniſter*, & nos hos ridemus ſanè medicos cum *Empedocle*:

Jàm quod mortales naturam nomine dicunt,
Hoc nihil eſt.

Cum neſciant ipſi, quid dicere velint his verbis nihil ſignificantibus. Eſt itàque apud ipſos natura Deaſtra morborum, & ſanitatis effectrix, & velut Achillis haſta, quæ ferit, & ſanat:

Una manus vobis vulnus, opemque feret.

Inquiunt calorem, & dolorem attrahere, uerùm in rerum naturâ nullam attractionem fieri contendimus, nec ullam dari aliam præter mechanicam, qua nimirùm id, quod trahitur, corpori trahenti alligatur atque affigitur.

Humorum affluxum in ulcere ſecundum noſtram ſententiam cauſant pororum, vel canaliculorum obſtructiones; detinetur nàmque ſanguinis, vel lymphæ, ſucci alimentitii, vel aliarum ſubſtantiarum

fluiæ

fluidarum copia in circumjacentium ulcerum particulis a partium texturâ immutatâ. Hæc in loco laborante cumulatur, stagnat adeò ut non solum porositates & canaliculi implentur sed etiam distenduntur & sanguinis limphæ succi nutritii vel aliarumque substantiarum liquidarum transitus magis impeditur. Ibidèm acescunt exaltantur hi liquores & subjectarum partium fibras vellicant ac dissecant ac proinde dolorem & calorem excitant. effluit interim ab ulcere pus vel sanies ichor vel sordes &c.

Prognosis.

Vlcus cum humorum affluxu difficile curatur qnia ex affluxu ulcus humidum redditur intumescit & dolor excitatur; maior tamen vel minor curationis difficultas pendet tum à maiori, vel minori humoris stagnantis quantitate, tùm etiam ab ejus majori, vel minori acrimoniâ, vel effluxus majori, vel minori quantitate.

Curatio.

Ulcus cum humorum affluxu cutare non possunt vulgares, nisi fluxum, ejusque causam tollant, ac proindè sive in toto, sive in aliquâ parte totius, hepatis vitio, aut lienis vitiosus humor generetur, ejus genesim prohibent, humorem, qui affluit decenti modo præparant, evacuantque præsidiis, quæ tonsoribus patent, præcipuè si cacochymiâ exulceratus laboret. Postmodùm per aliquod temporis spatium ad talem affluxum digerendum, suppurationem promovent *digestivo ex ovi vitello, oleo rosaceo, & terebinthinâ* composito. Verùm hoc modo putredinem augent, & in causâ sunt, ut chirurgi longiùs trahant ulceris curationem, ac pro dirigendo ulceris affluxu, quotidianum constituunt censum, & ægri crumenam digerunt. Non equidem *Galenum* legunt vulgares, qui *in commento aph. 22. sect. 5.* expresè docet: *In ulceribus putridis, & fluxione vexatis suppurantia non competere; putridis quidèm, quia illis addenda non sunt, quæ putredinem augere possunt; in fluxione vexatis verò, quia suppurantia affectam partem magis laxant, & disponunt ad recipiendam materiam fluentem.*

Deindè, nè humor ad partem affectam confluat, illum revellere, intercipere, repellere satagunt. Inter revulsoria præsidia fonticulos in oppositâ corporis parte excitant, qui fluentes humores, qui ad partem affectam confluunt, alio loco evacuant. Hos fonticulos necessarios esse credunt in ulceribus diuturnis, & rationem assignant; Cùm enim natura jàm diù assueverit humores vitiosos per partem ulceratam evacuare, si ulcus planè claudatur, & aliquid humorum vitiosorum cumuletur, facilè fieri potest, ut in venas regurgitet, & in nobiliorem aliquam partem ruat, quod fonticulo præcaveri potest.

Cæterùm tantùm abest, ut fonticuli ulcera habentibus emolumento sint, quin potiùs detrimento, quia pro diuturno curando ulcere, novum, & diuturnius excitant, & ex per-

permanente ulcere ulcerati salutem mendicant; præstaret, ut primum ulcus sustentaretur globulo, chartâ bibulâ, & hederæ folio. Imaginantur per fontanellas, quasi per fontes, morbos exhauriri, quasi vitiatis humoribus per novum emunctorium ad vulgarium nutum se naturam exonerare credunt, & illorum jussibus obedituram seriò sibi persuadent. Vitiatos citant humores, ut personaliter compareant ad finem providendi, aliàs &c. Nulla est communio inter illa membra opposita, quia salebrosa est via, neque anatomicorum solertia usque modò peculiares invenit ductus, quibus degeneres humores in brachium, femur, & tibiam deferantur. Excrementum, quod è cauterizato loco emanat, non dissitis è partibus venit, quia non præexistebat, sed est geniale, optimum, & laudabile partium nutrimentum, quod in degenerationem abit. Hoc turpe, & putidum ignorantiæ asylum, ad quod pro excrementorum expurgatione confugiunt vulgares, non solùm humano generi officit, sed impietatem sapit, & implicitam contra Deum blasphemiam involuit; quippè in hominis opificio insufficientiæ eum accusant, quòd necessaria ignorârit emunctoria, quasi tot non condidisset, quot erant necessaria. Prætereà membrum cauterio infectum debito defraudatur alimento, naturale amittit robur, extenuatur, macilentum evadit, & multoties atrophias, erysipelata, inflammationes, gangrænas, & sphacelos subit, præter assiduas callositates, carnium excrescentias, & sanguinis profusiones.

Ulcerum affluxum intercipiunt defensivis, quæ supra partem exulceratam in parte sanâ versus vasorum radicem, in locis ubi venæ majores, & magis conspicuæ sunt, imponunt, quæ vasa, per quæ humor affluit, constringunt, & humorem retropellere tentant, ex siccis, & adstringentibus parant, *ex sanguine draconis, bolo armeno, balaustiis, flor. ros. rubr. cortic. granat. myrto, alumine cum albumine ovi, ol. myrtino, rosaceo, poscâ, vino austero, aquis adstringentibus &c.* ex quibus cataplasma, vel alia medicamenta parant. Sed concesso, quòd hæc constringendi potestatem habeant, vasa humores adducentia, & consequenter ipsorum affluxum impediendi, iisdem de causis talia defensiva noxia sunt; quandoquidèn si constringunt arteriolas sanguinem deferentes, angustiabunt quoque venulas, & lymphaticos ductus, sanguinem superfluum, & aquosam humiditatem à parte abducentes, & reportantes. Undè magis stagnabunt liquores in loco ulcerato. Pro defensivis deligandæ essent potiùs arteriolæ, si hoc absque salutis noxâ fieri posset.

Humorem denique affluxum, qui in membro ulcerato adhuc fluctuat, repellunt; ideòque partem exulceratam, vel ei proximam abluunt *aquâ aluminosâ, vitriolatâ, aquâ vel decocto plantaginis, rosarum, balaustiorum, radic. cyperi, pentaphylli &c.* Sed hæc repellentia acida, austera, atque adstringentia medicamenta multis de causis suspecta sunt, nàm partium porositates constipant, &

ſanguis magis incraſſatur, & coagulatur ab ipſis, & cùm humor parti jàm impactus eſt, repelli nequit, & peſſima mala ſubſequi ſolent. Inſuper explicari, aut intelligi nequit, quomodò, & per quas vias fieri debeat talis repercuſſio, quod enim perpetuò à corde mittitur per atterias in omnes corporis partes, ſanguis eſt: ad hoc igitur, ut ſanguinis in locum ulceratum affluxus impediatur, neceſſe eſt, ut cordis motus ceſſet, vel arteriolæ in affectam deſinentes partem occludantur. Præterea adhibitis repellentibus magnum non tantùm damnum percipitur, verùm etiam ulcus augetur, nullo igitur prorſùs modo adhibenda ſunt ob infelicem ſucceſſum, quia humor ad alias corporis partes repercuſſus majora inferre poteſt incommoda. Sunt repellentia frigida, & humida in eorum ſententiâ, quadere denſantia, & adſtringentia potiùs, quàm repellentia appellari debent, quia partem affectam, ejuſque vaſa comprimunt, contrahunt, adſtringunt, affluxumque humorem denſant.

Interim ulcus pulveribus exſiccantibus tractant, ut *Lithargyrio, tutiâ, plumbo uſto, corallis, bolo armeno, chalcitide &c.* Poſtmodùm ſarcoticis utuntur, & tandèm ulceri carne repleto epuloticis cicatricem inducunt.

Ulcus cum humorum affluxu, cum intemperie materiali appellatum à vulgaribus exſiccatione indiget, ſi *Hippocrati, & Galeno* credimus, vel ex aliorum ſententiâ acidum temperantibus, & ſalia obtundentibus, ac caſtigantibus. Præterea excrementa, quæ in ulcere generantur, vel confluunt, & medelæ impedimento ſunt, tolli debent. Eapropter ſedulæ danda eſt opera, ut tenues ſuperfluitates exſiccentur, craſſæ abſtergentur, & optimum interea nutrimentum in corpore gignatur, & in affectam partem fluat, ut amiſſam ſubſtantiam denuò gignere queat. Ad hunc itàque finem primò ſi ſanguis abundet, tenui victu imminuenda eſt pletora, nàm ut Hiſpani dicunt: *La dieta es una continua ſangria.* Præterquam quòd tenuis victus ulceratis ſalubris eſt, & magnum ſucci alimentitii proventum minorat. Poſtmodùm ſi lymphæ, vel aliarum ſubſtantiarum fluidarum copia in causâ ſit, cathartici hos humores exturbantibus res peragenda eſt, ut *reſinâ jalap. extract. gummi gamandræ, mechoacæ, Diacarthami, vel conſervâ florum perſicorum &c.* Hæc nàmque pororum, & canaliculorum obſtructiones reſerant, & circulatio reſtituitur.

Deindè alkalia, quæ acidum abſorbent, propinanda ſunt, *ut c. c. philoſophicè præp. ſtibium diaphoreticum, alkali cancr. fluviatil. corall. præp. oculor. cancr. pulvis, ſal volatile c. c.* Decocta lignorum *ſaſſafras, guajaci, juniperi, viſci querni* maximoperè conducunt ad reſolvendum affluxum per ſenſilem, ſive inſenſilem evaporationem. Similiter potiones vulnerariæ ex herbis plurimo alkali volatili abundantibus, *ut ſcabioſâ, ſcordio, carduo benedicto, alchimillâ, piloſellâ &c.* Item *tinctura martis aperitiva.* Potus ordinarius ſit decoctum herbæ Theæ.

Quò ad topica parti ulceratæ me-

medicamenta mitiùs exsiccantia, & detergentia conveniunt, ut nitrosâ, aut amarâ facultate prædicta, quæ excrementa producta abstergere, & blandè tenues humiditates exsiccare valent, hujusmodi erunt *balsamus proprietatis, vel emplastrum sodicationum, vel stipticum Paracelsi. Emplastrum de lapide calaminari*, quoque ulcera manantia desiccat, & cicatrice claudit, cujus compositio est:

℞. *Lapidis calaminaris,*
tutiæ præp. ana. ℥. *ij.*
terebinthinæ ℥.*ß.*
Ceræ citrinæ,
resinæ ana ℥.*j.*
Lithargyrii ℥.*ß.*
olibani,
mastiches,
tragacanth. ana. ℥.*j.*
olei rosar. &
myrti ana ℥.*ij.*
f. empl. s. a.

Unguentum Rubeum, sive *de minio camphoratum* potentissimè manantia ulcera exsiccat, & humorum acrimoniam obtundit, ut

℞. *Olei ros. lib. j.ß.*
Lithargyrii ℥.*ij.*
minii ℥.*iij.*
Cerussæ ℥.*ß.*
tutiæ præp.
Camphoræ ana ℥.*iij.*
Ceræ albæ ℥.*ij.*

Liquatam ceram cum oleo lento igne misce in mortario plumbeo, cum reliquis rebus tenuissimè tritis.

Unumquodque horum topicorum per se ulceris aciditatem immutare, excrementa abstergere, tenues humores exsiccare, carne implere, & cicatricem inducere valet absque alieni medicaminis ope.

CAP. XIII.

De Vlcere cum inflammatione.

NOn tantùm peccantium succorum affluxus ulceribus supervenit, sed pro succorum diversitate diversi emergunt tumores, ac propterea fieri non potest, ut ulcus sanescat, quin priùs intumescentia cum eo conjuncta removeatur. Sæpissimè ulcera inflammatio deprehendit, quæ ortum ducit ab impedicto circulari sanguinis motu in partibus ulceri circumpositis.

Signa.

Cognoscitur ulceri complicatam esse inflammationem ex tumore cum tensione, calore, rubore, dolore, partis pulsatione, & febre.

Tumor oritur ab intercepto circulari sanguinis motu in suis conceptabulis obstructis, in quibus stagnat, & liber denegatur transitus, eo sanè modo, quo superficialibus cujuspiam membri venis arctiori pressis vinculo, & sanguinis motu in ipsis impedito, talis membri intumescentia subsequitur. Quædam conceptabula tamdiù distenduntur, donec rumpantur, & sic sanguinem intùs contentum effundunt, qui stagnans tumorem, & tensionem efficit.

Calor intensior oritur ab intensiori particularum motu in sanguine stagnantium, & quia quasi vi transeunt, & circulant, effervescunt, & eò magis dum suppuratio-

nem subeunt; qui calor utique non excitaretur, si particulis liber permitteretur transitus.

Ruborem causat sanguis diffusus, & effervescens inter tunicas, & fibrillas, vel inter obstructa vasa, cui circulationis motus denegatur, & se expandit.

Dolor provenit, quia membranæ, & fibrillæ, quasi violentiâ premuntur, tenduntur, contrahuntur, crispantur, convelluntur, imò sæpè quidèm lacerantur, disrumpuntur à stagnantis sanguinis particulis acidis, quæ inter partis laborantis membranas, & fibrillas incuniantur ad spinæ similitudinem, undè doloris sensus emergit. Sed de doloris causâ fusiùs diximus in nostrâ *Trutinâ de capitis dolore.*

Pulsatio ortum ducit ab arteriis compressis à sanguine evasato, qui stagnans intumescentiam parit, comprimuntur arteriæ, & fortis fit earum pulsatio, quæ aliàs arteriis liberis existentibus, tàm vehemens non perciperetur.

Febris quoque inflammationem comitatur, quòd in sanguine evasato salia alkalia cum acidis particulis commiscentur, ex quibus fermentationis motus excitatur, ut videre est in liquorum alkalicorum, & acidorum miscelâ, qui motus tunicis, & fibrillis impertitus illas depravatè agitat, & febris progignitur.

Causæ.

Proxima cum partibus ulceri immediatè proximis complicata causa fingitur à Galenistis sanguis, & quidèm in legitimâ purus, in illegitimâ verò non ità purus, sed cum aliorum humorum copiâ mistus; ex hac humorum varietate contingit, ut sanguis nunc lenior, nunc acrior, modò crassior, modò moderatus, ut in legitimâ deprehenditur, & hinc fit, ut juxta variorum humorum exorbitantiam sub variis larvis emergat inflammatio. Illegitimam triplicem esse dicunt, vel sanguini inflammationem causanti admista est bilis, & dicitur erysipelatodes, vel permiscetur pituita, & nuncupatur inflammatio œdematodes, vel in sanguinis massâ melancholia exorbitat, & vocatur scirrhodes.

Verùm vulgares hæc sententia fallit, ità inflammationem perrumpentes; nàm erysipelas non fit à sanguine, sicut inflammatio, & sic inflammatio erysipelatodes ruit; nec rectè œmatodes cognominatur, quia non datur inflammatio œdematodes, cùm sit verum œdema; Scirrhodes dici potest, nàm non ità facilè curatur, quia scirrhus est affectus contumax, periculosus, & facilè in canorum degenerans, præcipuè si imprudenter medicamentis tractetur.

Cæterùm hoc inflammationis discrimen magnâ indiget explicatione, cùm sanguis apud vulgares sit quatuor humorum congeries, quam non facilè ipsi venantur, sed recentiores ità rimantur: Inflammatio dicitur legitima, si intumescentia circumpositarum ulceri partium fiat ab illâ sanguineæ massæ portione, quæ convenientium circulationum ope in corde, cæterisque visceribus depurata, atque spiritualizata fuit,

&

& deindè in parte inflammatâ ſtagnat, vel ob vitium ibidem contractum, vel ob viarum anguſtiam. Vel dicitur inflammatio eryſipelatodes, Si ſanguini inflammationem parienti admiſceatur bilis, ſive potiùs ſanguineæ maſſæ portio, quæ ob multiplices filtrationes, & circulationes nimiùm attenuata, volatilizata, & æſtuoſa eſt. Vel nominatur œdematodes, ſi pituita, ſive meliùs illa ſanguinis portio, quæ ex chylo (ut dicunt) noviter facta fuit, ſanguini inflammanti permiſcetur, nec ſufficienter circulata, librata, ac præparata eſt, ſed ſanguis potiùs crudus, & non multùm ſpirituoſus. Vel ſcirrhodes, ſi in ſanguineâ maſſâ melancholia exuberet. Sive craſſa ſanguinis pars, fæculenta, tartarea, quæ poſt multas fermentationes, ac ſpirituum evolationem ſupereſt. Sanguis hic adeò quantitate peccat, ut non ſolùm magna vaſa diſtendat, ſed etiam parva, & cùm contineri non poſſit, effunditur à foraminulis admodum roris, & à partibus carnoſis combibitur. Ad cauſas antecedentes referunt partem mittentem validiorem, & recipientem imbecilliorem, quæ imbecillitas vel naturalis eſt, vel adventitia.

Inflammatio in partibus ulceri circumpoſitis fit ab impedito circulari ſanguinis motu. Hoc impedimentum aliquandò ortum ducit à cauſâ externâ, ut contuſione, punctură &c. Vel ſex illæ cauſæ non naturales dictæ etiam inflammationem excitare valent, ſanguini præbentes in vaſis ſtagnationem, vel evaſionem inter tunicarum, & fibrillarum interſtitia; diſruptis nàmque, vel obſtructis arteriolis, ſanguis extravaſatus, vel obſtructione impeditus ob ſpirituum diſſipationem aceſcit, grumeſcit, ductuum ſanguiferorum extremitates claudit, & pus ſubit. Interdum pendet à cauſâ internâ, ab obſtructionibus nempè arteriarum capillarium [dùm tranſit ab arteriolis in venas) inductis à ſanguine craſſo, & glutinoſo, in quo acida exorbitant ſalia, & in vaſis ſuis ſubſiſtit, & ſtagnat. Idem ſanguis abſque craſſitie, & glutine eſſe poteſt, ſed ſpirituoſus, qui inter membranas, & fibrillas effuſus, vel in ſuorum conceptabulorum extremitatibus remoram facit, ſubtiles evolant particulæ, motum amittit, concreſcit, & diù hærere nequit, quin acorem concipiat, & quia eſt, quaſi extra proprias ædes depoſitus, proſcriptus, & vitalitate deſtitutus in corruptionem, & pus abit, & ſic abſceſſum parit.

Ex quibus colligimus ſecundum noſtram ſententiam non tantùm plurimo, ſed etiam minimo ſanguine abundantes inflammationi obnoxios eſſe. Hinc quoque eruimus fruſtaneam eſſe maledictam ſanguinis miſſionem in inflammatione curandâ.

Effunditur ſanguis è ſuis conceptabulis in partium intercapedines propter eorum apertiones vel anaſtomoſim, vel per diæreſin, vel per diabroſin.

Prognoſis.

Inflammatio non nimis in profundo latens & corpus non ſit cacochymum

chymum, aut debile, facilè resolui potest; omnis enim inflammatio, quæ per insensilem evaporationem non resoluitur, suppurationem accersit, vel si perperàm tractetur, in gangrænam degenerat, & quandòque mortem affert. Inflammatio in partibus adenosis facillimè in gangrænam, & sphacelum desinit. Si tandòm calor, dolor, & cætera imminuuntur accidentia, tumore superstite, periculum imminet.

Curatio.

Curationem inflammationis cum ulcere conjunctæ exordiuntur Galenistæ à venæ sectione, quam præsertim maximè necessariam existimant, siquidèm sanguine detracto, qui inflammationem faciebat, tumor, calor, rubor, & cætera accidentia desinant oportet; verùm phlebotomiâ prohibere intendunt, si verũ est, ne novus sanguis ad partem affluat, respiciũt ad posterius sed priùs illapsum intactum in partium intercapedinibus relinquunt, & sic perperàm bardum celebrant medicamentum. Deindè blando utuntur purgante juxta humoris à sanguine peccantis exigentiam, abstinent à vehementioribus dejectoriis, quia ab his humores impetuosè commoventur, & in partem laborantem impelluntur. Postmodùm alterantibus qualitatum excessum in humoribus emendant, & quia inflammatio requirit partis refrigerationem, ad intensum calorem restinguendum, refrigerantibus utuntur, ut *Lactucâ, violâ, portulacâ, Nymphæâ, cichorio, seminibusque frigidis.* Verùm refrigeratia tubulorum obstructiones augent, humores coagulant, & ex auctâ obstructione vehementiùs agitantur, tumor supervenit major, & inflammatio ad gangrænam apta redditur. Præterquam quòd *refrigerantia*, juxta *Hippocr. aphor., ulceribus sunt hostilia.*

Post hæc commendant præcipuè revulsionem in fluxionis principio, cui satisfacere putant insensibiliter evacuãdo, frictionibus, cucurbitulis, similibusq; præsidiis. Deindè viriosũ humorem, qui jàm affectum obsidet locum, sed non dùm firmatũ repellere tentant *succo solani, sedi majoris, lentis aquaticæ, portulacæ, acetosellæ &c.* Cæterùm abstinendum est à repellentibus, quia humorem intropellunt (sed hæc verbo tenus repellũt), & repulsum ad partes nobiles demãdant; prætereà ulceri nocent, ut diximus. In inflammationis deindè statu, & declinatione discutientia adhibent, ut stagnans sanguis discutiatur, utuntur fotu ex decoctione *malvæ, meliloti, fœnu græci, chamomillæ, sambuci &c.* Sed hæc cùm constent ex rebus mucilaginosis, atque crassis, magis claudunt insensiles partis affectæ meatus, humoribusque incrassatis, transpirationem impediũt, ac proindè nullatenùs uti debent.

Inflammatio ulceri conjuncta curatur obstructionis vasorum reseratione, vel sanguinis effusi resolutione, ac proindè primò incommodo occurremus, si medicamenta, quæ acidum absorbent, adhibeamus, ità sunt illa, quæ plurimo constant alkali; nàm sanguini fluiditatem restituunt, & circulationem consuetam promovent, talia sunt *sanguis hirci ad pleuritidem, extractum papaveris rhœados,*

dos, oculi cancrorum, cornu cervi philosophicè præparatum, stibium diaphoreticum, ebur sine igne paratum, corallia præparata, sperma Ceti &c. ut

℞. *Sang. hirci* ʒ.j.
c. c. philosophicè præp. ϑ.ij.
ocul. cancror. ʒ ß.
salis volatilis succini gr. iij.

m. f. pulvis, & divide in sex schedulas æquales, & utere manè, & vesperi in aquâ stillatitiâ papaveris rhæados, vel cum potu calido herbæ Theæ, vel in decocto radicis chinæ, & salsæ parillæ; Hæc nàmque alkalia ità conformatas habent vacuitates, in quibus particularum acidarum cuspides incuniantur, ut obtundantur, infringanturque &stagnans sanguis acidis particulis destitutus fluidior reddatur, & consuetam, ac naturalem nanciscatur circulationem.

Sanguinem effusum resolvunt diaphoretica, ut *Bezoardicum minerale, stibium diaphoreticum, unicornu, mistura simplex, sal volatile c. c. ejusque spiritus rectificatus, sal volatile cardui sancti &c.* Hæc non tantùm coagulata dissolvunt, & fluida reddunt, sed sudorem promovent, peccantemque expellunt materiam, imò ipsum sanguinem effusum, aciditatum, coagulatumque resolvunt, acidi vis infringitur, nova coagulatio impeditur, & interim tàm sensibiliter, quàm insensibiliter per suos ductus resoluitur. Quòd si sanguis ob lentorem in resolutionem non habeat, ad dissolvendum magni æstimamus *spiritum tartari, salis armoniaci, vel fuliginis*, & ad hunc etiam finem diuretica magnoperè prosunt, ut *lapis prunella, floris salis nitri, sal stipitum fabarum, spiritus salis dulcis &c.* Si dolor in inflammatione ulceri conjunctus maximè urgeat, anodyna diaphoreticis commista celebramus; hæc nàmque dolorem sedant, vitam consopiunt, acidos aculeos obtundunt, & vim diaphoreticam augent, ut

℞. *Diascordii Hieronymi Fracastorii* ϑ. *ij.*
stibii diaphoretici gr. xii.
bezoardici mineral. gr. iij.
anodyni minerali. ϑ. *ß.*
m. f. pil. v.

Interim pars inflammata topicis non destituatur præsidiis, sed foveatur *spiritu vini camphorato, aquâ regina Hungariæ, vel decocto sulphuris cum urinâ*, conducitque *succus cancrorum fluviatilium* calidè impositus, & sæpè renovatus. Irèm *aqua vitrioli, vel lapidis medicamentosi* calidè applicata. Similiter *emplastrum de spermate Ceti cum camphorâ, & croco.* Verùm præ cœteris excellit decoctum ex blandis diaphoreticis, & aromaticis, *ut radice ireos, rore marino, menthâ, scordio, flor. sambuci, chamomillæ &c. cum spiritu vini camphorato, & aquâ Reginæ Hungariæ.*

Quòd si hisce adhibitis, phlegmonis materia ob aliquam crassitiem & nimiam copiam resolui nequeat, fortia calefacientia, & exsiccantia vitare oportet, ne ipsorum ope tenuiores particulæ, crassioribus remanentibus, exhalent, & inflamatio in scirrhum degeneret; undè mediocria

cales-

Unable to display this page

Erysipelas dicitur græcis, latinis verò *ignis sacer*, propter acriorem calorem, qualem ægri in ambustis sentiunt, vel ignis dicitur sacer i. execrandus; à nonnullis medicastris *ignis sylvestris* appellatur, quasi efferatus ob fervoris ferociam.

Erysipelatis subjectum frequentissimè est cutis externa, atque extrema, interdùm etiam membranæ, ac viscera interna, ut pulmo, cor, ventriculus, hepar, uterus &c.

Differt erysipelas ab inflammatione jam superiùs tractatâ, nàm in hac calor ardens minor est, in illo vehementior, quia interdùm cutem sic urit, ut vesiculæ excitentur. Differunt & dolore, in inflammatione siquidèm dolor est comprimens, & pulsans, in erysipelate verò dolor est mordens, & acicularum instar pungens. Differt colore, nàm si digito pars inflammata prematur, permanet rubra, in erysipelate verò, admoto digito, recedit, cutis albescit, sed remoto, illicò rubescit. Præterea erysipelas colorem pallidum, vel flavum, vel ex utrisque mistum retinet, inflammatio verò rubrum. Tumor major in inflammatione, & non ità à premendo cedit, qui tamen in erysipelate non observatur. Distinguitur etiam ratione subjecti, nàm erysipelas cutem tantùm obsidet, inflammatio verò præter cutem subjectam quoque carnem occupat. Inflammatio omni tempore, eodem in loco infixa consistit, & erysipelas facilè serpit de loco in locum, & ignis fatui instar modò in hac, modò in aliâ parte. Humor quoque erysipelas producens tenuior est, quàm inflammationis. Tandem erysipelas ex febre acutâ discriminatur à phlegmone, quæ tertianæ motum habet.

Signa.

Erysipelas horripilatione incipit, calor intensior, & volatilior subsequitur, post quem febris cum siti, oris amaritie, & vigiliâ, quæ ad tertianæ typum accedit, & erysipelas antecedit. Adest in parte dolor acicularum instar pungens, color rubicundior apparet, qui loco sæpè mutatur ignis fatui instar, ac defervescente humore, ad flavedinem magis vergit. Tumor non tàm altè elevatur ob minorem humorum stagnationem, nec tensio adest difficilis, cedit quoque digitis premen-tibus, & color rubeus in album mutatur, qui tamen illicò rubescit.

Causa.

Galenus pro erysipelatis causâ materiali bilem flavam statuit, & amaram non absimilem illi, quæ in cysti felleâ continetur, copiosior quàm par est in jecore genita, & ex hujus visceris robore ad imbecillam partem depulsa. Cæterùm parùm sibi constans idem *Galenus lib. 2. ad Glauc. c. 1.* ex tenuissimo sanguine, aut huic admistâ bile erysipelas fieri dictitavit, ex purâ verò bile herpetem potiùs produci, quàm erysipelas. Id quoque declaravi *de tumoribus p. n. c.* 10. Hanc Galeni inconstantiam in tradendâ erysipelatis causâ materiali multis in locis quisquam animadvertere potest.

Sed erat *Galenus* cum suis Gale-

nistis, nàm erysipelatis color flavus non est, ut in Ictericiâ, nec pallidus, sed rubicundus, testaturque potiùs sanguinis, quàm bilis genesim. Præterea sanguineo temperamento præditi, & sanguine abundantes huic malo magis obnoxii sunt, quàm biliosâ temperie donati, & magnam bilis copiam habentes. Deindè appellant erysipelas apostema igneum, quia fit ex bile calidâ, & siccâ ignis elemento correspondente. Verùm videmus frustaneum bilis commentum, quia quæ ignis indolem imitantur, non sunt de biliosi humoris familiâ. Insuper in æquivoco volutantur, accipientes humorem felleum pro bile, ut fusiùs in *Trutinâ cap. de Ictericiâ* refutavimus. Undè falsum est quicquid de materiali erysipelatis causâ sectatores imaginantur, neque solidi quidquam habet eorum conjectura, quæ omnes morbos à quatuor humoribus mendicat, qui nunquàm tales in viventium corporibus fuêre, neque ii hos nunquàm viderunt, nec videbunt.

Dividunt in legitimum, & in illegitimum erysipelas; legitimum est, quod ex solâ bile, vel naturali, vel non naturali fieri autumant; illegitimum verò dicunt, quod ex bile non solâ, sed aliis commistâ humoribus originem ducit, ut si sanguis bilem superat, dicitur erysipelas inflammatum, si bilis à pituitâ superetur, vocatur œdematosum, si tandem bili prædominetur melancholia, dicitur scirrhosum.

Dupliciter quodcumque producitur erysipelas vel ex prohibitâ transpiratione ab aliquâ causâ externâ productâ, vel ex alicujus corporis partis vitio, ut vulnere, ulcere, contusione, fracturâ &c. Quoties transpiratio prohibetur, toties ultimum partium nutrimentum, quod in carnis poris retardatur, nè effluat ob pororum angustiam à causâ externâ causatam, à partium continentium calore agitatur & degener fit, naturamque easdem continentes partes irritantem acquirit & fermentescit & fermentationis actione tumorem coloris mutationem dolorem, febrem, cuncta reliqua in parte producit. Ita quoque aliquo existente vitio in aliquâ parte fiunt erysipelata, nàm vitium illud partis, si assidua transpiratione non ventiletur quod remanet proximum partis nutrimentum inficit: propterea fit suis fibris continentibus exoticum & erysipelas excitat. Vltimum partium nutrimentum ex prohibita transpiratione in carnis fibris & in cutis poris retardatum salinam habet indolem ex cunctatione aciditatem concipit cui sulphureæ associantur particulæ, hoc mediante connubio, salinæ, acidæ & sulphureæ, quia exiliſſimæ sunt, fermentationis motum subeunt, quoniam per obstructos cutis poros resolvi nequeunt, à copiosioribus acidis coagulantur, & in obstructam cutem impelluntur, in hac ob angustias remanent, eamque magis obstruunt, sanguinem, reliquosque succos circulantes retardant in exiliſſimis vasculis non profunde latentibus, sed in cutis superficie existentibus, & ex eorum vitiata texturâ & lubricis particulis vividior *rubeus color* apparet quam in inflâmatione, quæ in majoribus & profundis

fundis vasis ex sanguinis coagulo fit ideoque digito premente, albescit pars quod in inflãmatione non succedit. *Intumescentia, & resistentia* in erysipelate semper est minor quàm in inflãmatione, cum tubuli minores sint, & stagnans materia non adeò copiosè congeratur, & cùm fluidior faciliùs per vasa lateralia delabitur, nec tantam suscipit fermẽtationem, undè acidæ, salsæ, acutæ, cæteræque particulæ in tubulorum fibrillas impingunt, quæ non distenduntur, quousque rumpantur, ut in inflammatione, & hinc oritur potiùs pruritus, quàm doloris sensus, quia fibrillas afficiunt, & proximum cutis rete. Indesinens fit salium à sanguine secretio, quæ ad cuticulam denandantur, & priorum ibi commorantium copiam adaugent, cuticulam distendunt, à cute divellunt, eamque in vesiculas elevant, distentæ cuticulæ pori arctiores fiunt, & difficilèr particulis salinis datur exitus, & pauciores hac de causâ exhalant. Hæ vesiculæ ichore repletæ cernuntur, quem disruptæ reddunt, verùm pus non extillant, quia partiũ corruptũ, non est nutrimentũ sed ichor tenuis roris instar aquæ, lucidę, non absimilis scatet, qui sudore tenus insensibiliter exhalare debebat, in parte coërcitus fuit, & corrodentibus salinis particulis imbutus aquam caustĩcam æmulatur.

Prognosis.

Vlcus cum erysipelate periculo non vacat, cùm ob partis imbecillitatem, tùm ob maximã humoris stagnantis copiã; hinc est quòd si multũ sit in parte nutrimentũ degeneratum fermentescens, ità ut in continentibus altas egerit radices, satis rebelle est, vel à continentibus regi non potuerit vel pravam acquisierit qualitatem quam natura vincere nequit, mortificatio succedit & inevitabilis mors, & quidem ob repellentium & refrigerantium remediorum applicationem, vel ob aeris ambientis subitam refrigerationem aliquoties lethale observavimus quia ob hæc herysipelatis materia exhalare nequit, undè *hip. 25 apho. sect. 6* inquit: erysipelas *foras intro versi malum, intùs verò foràs ex stere bonum. & in Co: sect. 2. Erysipelas verò foris quidem extare utile, intrò autem vergere lethale; cujus quidèm rei indicium est cum rubore evanescente, pectus gravatur, & agriùs spiritum trahit ager.* quia in externis existens partibus ejus causa faciliùs transpirare potest; introrsùm verò pulsa vitæ parat insidias, quia principes partes invadere potest. Erysipelas, quod ad alios sequitur morbos, nempè ossium denudationem, malum, ut prædixit *Hip. aph. 19. sect. 7. Ab ossis nudatione erysipelas malum.* In Vlcere itèm, vulnere, fracturis, luxationibus, difficilior est ejus curatio; in his enim semper timere debemus, ne in alios exitiales degenerent morbos, nempè in ulcera sinuosa, corrosiva, phagedænica, & cætera. Si putrescit, vel suppuratur, quod rarissimè contingit, malum portendit, ut asserit *Hip. aph. 20. sect. 7. Ab erysipelate putredo, & suppuratio, malum.* quia nimiam humoris acrimoniam, vel caloris nativi debilitatem osten-

dit; sæpissimè nàmque in pravum ulcus, vel in gangrænam abit. Facilè hoc malum recidivare solet, vel aliquandò in ulcera degenerat rebellia. Eventus salutis in erysipelate est utplurimùm per insensilem transpirationem, ubi, accedente pruritu, cuticula quasi in squamas fatiscet, & calor in ordinarium, & consuetum mutabitur.

Curatio.

Ulceris erysipelatosi curationem aggrediuntur vulgares, primò visâ erysipelatis facie, venam secant, & quidèm miramur, si nàmque inflammatio adsit, sanguinem fundunt eodèm pariter modo, attàmen in eorum sententiâ inflammatio in causâ sanguinem, & erysipelas bilem cognoscit, quare deindè in erysipelate venam secant, id minimè intelligere possumus. Postmodùm ad eandem educendam bilem medicamentum cholagogum præscribunt, ut

℞. *Fol. sen. or.*
tart. alb. ana ℥. *j.*
myrobol. citrin. ℥. *ij.*
rhabarb. elect. ℥. *jß.*
f. decoct. in aquâ cichor. & insuff. quantitate diss.
mannæ elect. Calabrensis,
syr. de Cichor. Nic. ana ℥. *iij. m. f. p.*

Interim fortiores injiciunt clysteres, vel prædictum reiterant purgans. Verùm in hoc morbo neque phlebotomia, neque medicamentum purgans convenit, nàm ambo à circumferentia ad centrum trahunt, quæ medicamentorum genera introrsum pellunt, morbiosam causam ad principales trahunt partes & exitiales morbi indè evenire possunt, ut inquit *Hip. Erysipelas foràs intrò verti, malum.* Præterquam quòd tali remediorum supellectile curati, si quandoque curantur, in hoc malum sæpè incurrere solent. Ad sanguinis effervescentiam, & bilis correctionem varios exhibent refrigerantes syrupos, ut *de endiviâ, nymphaâ, violis, cichorio &c.* cum aquis etiam refrigerantibus, ut *portulaca, lactucæ, cherifolii, lupulorum &c.* Nec interim ulceris oblitiscuntur.

Quò ad topica, ut id, quod in partem fluit, repellunt, & erysipelati frigefacientia admovent, & id, quod jam coacervatum est, frequenter alterant herbis refrigerantibus cum humiditate absque adstrictione, veluti est *sedum, portulaca, cucurbita, lenticula palustris, solanum, sambucus, hyoscyamus, lactuca &c.* Solent his *opii* quid, & *succi papaveris, cicutæ, & mandragoræ* admiscere, & composita concinnant medicamenta, vel utuntur cataplasmate de micâ panis. Applicant quoque olea refrigerantia, ut *rosaceum, violaceum, amygdalarum dulcium*, vel unguenta frigefacientia, ut est *refrigerans Galeni, album Rhasis, de santalo &c.* Cæterùm hæc topica refrigerantia perpetuò exitialia fuêre; nàm obstructis poris, erysipelatis causa nec attenuari, nec intrò foràs exhalare potest, undè tragicos eventus, quos nos autopsia docuit, expectare oportet.

Curationem ulceris erysipelatosi facilè assequimur, si æger in sex rebus non naturalibus optimè regatur,

&

& primò aër sit temperatus ad calidum vergens, vel saltim non sit frigidus, vitatis summoperè utriusque extremis; calidior namque plus justo poros dilatando, nimis elimināre potest; frigidior cutem magis densat, & malum pejorat. Victus temperatus, non autem refrigerans est ægro adhibendus, qui potius sit crassus, quàm tenuis, acidis vitatis, nocent etiam omnia alimenta salsa, dulcia, saccharata, pinguia, & nimis calida. Lymphaticum exhibendum est vinum, in quo si alkali cancrorum fluviatilium infundantur, saluberrimum erit. Si vinum non bibat æger, pro potu utatur *decocto cornu cervi, salsæ parilie, vel sassafras*; & si vinum bibat, hoc decocto diluatur. Somnus multùm conducit, quia transpiratio major fit in somno, quàm in vigiliâ, undè si noctes vigilentur amaræ, vel *theriacâ novellâ, vel pilulis de cynogloſſo, vel diascordio, vel laudano opiato, vel nepenthe* concilietur somnus; anodyna enim morbo, & symptomati suffragantur. Motus intempestivus absit, quia succorum exhalationem facilè impedire potest, undè eorum coagulatio oritur, & indè cordis palpitatio. Animi pathemata, & præcipuè excandescentia, timor, & mæstitia vitentur. Alvus servetur lubrica, saltim arte, si naturaliter haberi non possit.

Sanguinis missio in erysipelate nullatenùs præstat, estò non solùm semel, & bis, sed ter, & quater in praxi à vulgaribus magno cum ægri periculo celebretur; nàm erysipelatis materia non est intra venas, ac proindè phlebotomiâ depleri nequit. Præterea corpus refrigeratum fit debilius, & ad exhalandum ineptius. Eadem quoque ratio pro medicamento purgante militat, cui nos addimus naturam ad motum contrarium impelli.

Indicatio ulceris erysipelatosi curativa desumenda est à causâ; reseranda est itaque pororum cutis obstructio, & ultimi partium nutrimenti in fibris coagulatio ac statui fluido reddenda est. Internè conveniunt diaphoretica, ut causa stagnans per poros sufflaminetur, ut *stibium diaphoreticum, bezoardicum minerale, martiale; imò omnia chalybeata, spiritus c. c. volatilis, salis fumariæ; & cardui benedicti volatilis, c. c. sine igne paratum, ebur philosophicè præp. spiritus tartari, oculi cancrorum, sanguis leporinus, spiritus florum sambuci, sal volatile succini, viperarum, aqua theriacalis cum spiritu vini &c.* ut

℞. *Bezoardici martialis* ℈ß.
salis card. bened. volat. ℈j.
salis volat. c. c. gr. viij.
salis volat. succini gr. ij.
stibii diaphoretici gr. xij.
m. detur cuspidatim cum aqua theriacali. Vel.

℞. *Syr. Card. bened.* ℥ß.
eboris,
c. c. sine igne præp. ana ℈j.
salis volat. viper. gr. vj.
spiritus flor. sambuci ʒß.
spiritus vitrioli Martis gutt. V.
aquæ card. bened. ℥iij.
m. detur cochleatim.

Hæc medicamenta diaphoretica præterquam quòd naturæ motum adjuvant, & sufflaminant, aciditatem sub cute, & inter carnis fibras obtundunt, infringunt, & absorbent

bent ab alkalium energiam.

Ut verò pororum obstructio meliùs tollatur, & auferatur, parti affectæ adhibenda sunt varia localia, & remedia topica, cæterùm à refrigerantibus omninò cavendum, in parte scilicet qua erysipelas apparuerit, quia pertinacem redderent causam, ut multis in locis notat *Galenus*, & præcipuè *in libello quos, & quandò purgare oportet*, ubi purgantia medicamenta, alioquin calida consulit pro febrium curatione, non quia refrigerant, nàm potiùs calefaciunt, sed quia febris materiam exturbant. Duo occurrunt medicis inconvenientiâ, qui refrigerantibus utuntur in erysipelatis curatione; primum est, quod erysipelatis materia à refrigerantibus repercussa in internas, nobilioresque partes remeat; secundum, & quod frequenter accidit, est, quòd cùm refrigerantibus impediatur, quominus materia exhalet, & quia pravæ qualitatis, solidarum partium calorem suffocat, & gangrænam inducit. Hæc topica sint resolventia, & diaphoretica, vel acidum destruentia, & coagulatam materiam dissolventia, ut materia sub cute, & inter fibras stabulans dissolvatur, & liberior concedatur transfluxus. Hinc commendamus omnia alkalia, quæ etiam diaphoreticam habent energiam, & transpirationem adjuvant. Nonnulli telam leporis sanguine martio capti imbutam, & usûs tempore aquâ florum sambuci humectatam tepidè imponunt, cui multùm fidunt. Omnes ferè commendant fotum ex vini spiritu simpliçi, vel ex aquâ theriacali cum eodem vini spiritu elicitâ, sed cautè procedendum est in hujus remedii applicatione, nam si ob humoris erysipelas generantis malignitatem fatis cedat languens, vulgo, & vulgaribus medicis tali applicationi mortis occasio adscribetur. Vel utuntur spiritu vini crocato, vel camphorato. Quidam utuntur vaporoso balneo decoctionis anodynorum; calidi nàmque illi halitus, qui elevantur, poros aperiunt, materiam coagulatam, dissolvunt, attenuant, & evolare faciunt. Alii sequenti misturâ tepidè adhibitâ erysipelas aliquoties illiniunt, ut

℞. *Aq. spermatis ranar.* ℥.iij.
Spiritus vini camphor. ℥.ß.
flor. sambuci ℥.j.
tinct. crocei ℥.ß. *m.*

Lapis medicamentosus aquâ florum sambuci junctus maximum est medicamentum, si tepidè cum petiis applicetur, in cujus defectu vitiolum solùm opus complet. Vel

℞. *Aquæ flor. sambuci,*
spiritus vini ana ℥.ij.
Camphoræ ℥.ij.
salis saturni ℥.j. *m.*

qua misturâ linteum quadruplicatum imbutum sæpiùs parti affectæ imponatur, quo non tantùm acidum peccans obtunditur, sed obstruentes porositates reserantur, quibus habitis, erysipelatis symptomata, & igneus ardor inductus certo certius cessabunt. Verùm in hoc affectu, sicut in aliis, non semper uni medicamento insistendum est, multùm namque juvat sæpiùs medicamenta mutare, quia sæpè unico effectum non præstante, aliud præstabit.

Si

Si vesiculæ in loco affecto sunt excitatæ, aperiendæ sunt, ut contenta lympha acrior effluat, & subjectam non exulceret partem: deindè detecta cutis linimento ex ceruſsâ, & spiritu vini illiniatur, vel decocto malvarum abluatur, ut omnia salia ab ipsâ diluantur, & recentibus ulceribus non detur occasio.

Postquàm erysipelas ab ulcere ablatum fuit, ipsius ulceris curationem aggredi debemus, nec proindè perseverante erysipelate, ulceris immemores esse debemus.

CAP. XV.

De Vlcere œdematoso.

SI lympha in partium ulceri circumpositarum porositates è lymphaticis vasis effundatur, nec convenientes ductus subire valeat ob eorum angustias, aut aliâ hujusmodi causâ, & ob assiduam novæ materiæ ejusdem naturæ effusionem adeò cumulatur, ut partem ulceri proximam in tumorem attollat, & fit ulcus œmatodes. Oedema est tumor aquosus, mollis, laxus, digito prementi cedens, indolens, albicans, sine calore, & rubore, ortum ducens à lymphâ è suis ductibus evasa:a.

Signa.

Oedematis signa ex iis, quæ in ejus descriptione retulimus patescunt. Est tumor, quia reseratis vasis lymphaticis effluit lympha, & diuturniori aggestione omnes partis pori implentur, eamque in tumorem elevat. Aquosus, quia à lymphâ, seu aquâ ortum ducit. Laxus, & mollis, quia nunquàm coagulatur, ideòque rarissimè, vel nunquàm in pus abit, nisi alkalia, & acida in eodem tumore pugnant, fermententurque. Doloris expers, nàm iste succus fermentationem non subit, & particularum minimarum motus intestinus non adest, undè fibræ contrahi, convelli, distendi, & lacerari non possunt. Est sine calore, & rubore ob motûs fermentativi absentiam, undè inter tumores frigidos œdema collocârunt, quia latex quantum est ex se nullam efferveſcentiam concipere potest. Coloris subalbidi, quia contentæ materiæ qualitatem in superficie ostendit. Cedit sub digitis, & impressorum vestigia perseverant, & iterùm elevantur, quia pars crassâ lymphâ est referta.

Causæ.

Galeni sectatores pro œdematis causâ nimiam pituitam existimant, sanguinem nempè crudum, pituitosum, non benè ab hepate elaboratum, [credunt inepti hepar esse sanguinis officinam] serosum, non tantùm intra massam sanguineam admistum, sed etiam intra externas corporis partes è venis effusum. Hinc imaginantur œdema vel esse simplex i.verum, & exquisitum, quod ex pituitæ influxu fit; vel compositum scilicet cùm ex humore pituitoso cum aliquo alio humore permisto producitur, nàm cum sanguine dicitur œdema phlegmonosum, cum bile

bile erysipelatosum, miramur tamen huic divisioni non addere œdema scirrhosum. Causa antecedens ab ipsi judicatur humida ventriculi, cerebri, vel hepatis intemperies, ac partis recipientis imbecillitas. Causæ remotæ sunt crapulæ, somnus immoderatus, vita sedentaria, alicujus evacuationis suppressio. Cæterùm œdematis causa stolidos decepit vulgares: dicant quæsò, quis est iste tàm sedulus in œdemate separator, qui purum à sanguine serum secernit, & intra corporis fibras è venis absque ullâ sanguinis tinctura effundit? Si serum, sive pituita cum sanguine è venis effunderetur, fieret potiùs in eorum sententiâ inflammatio œdematosa quàm purum œdema phlegmonosum, quod nec veteres, nec recentiores nunquam observârunt: alia ergo œdematis causa perveſtiganda est, cùm muscas in aëre volitantes venentur.

Secundum nostram sententiam fit œdema in ulceribus ex obstructione vasorum lymphaticorum à lymphâ, quæ in dictis vasis coagulatur; scatet nàmque lympha alkalibus particulis, quæ acidæ acrimoniæ ope in materiam crassam, & lentam transit, non aliter ac si cornu cervi decocto acidum affunderis, & in gelatinam mutatur, & in angustiora vasa defertur circulationis lege, ea obstruit, & novâ adveniente lymphâ conglobatio oritur, ulteriùs non progreditur, in illis remoram contrahit, non circulat, & per omni novæ lymphæ succedentis affluxu vasorum tunicas ampliat, & dilatat, ac partes circumjacentes in tumorem elevat œdematosum. Interdùm tanta fit lymphæ coacervatio, ut tunicarum fibræ non ampliùs sese extendere possint, & tandèm disrumpantur, vel hoc accidit ope medicaminum acrium, aut acidorum salium, quæ ulcus excitarunt, & vasa contentum effundant intra vicinas partes liquorem, qui hydraulicis non paret regulis, ac extra vitæ consortium semel rejecta limpha excrementi naturam subit, & deorsum sæpè properat, proprio gravata pondere, & hac ratione sæpè tumores œlematosos in pedibus observamus. Interim lympha torpida lymphaticorum vasorum oribeia, à quibus referatur, nec subingredi valet, nec subingredi valet, nec sorberi, & ad renes delabi, ut ultimam lotii determinationem subeat. Breviter igitur immediata œlematis causa est lymphæ in parte quædam stagnatio à vase lymphatico obstructo, & distento, vel ab effusione ejusdem in partem, in qua colligitur à rupto vase. Antecedentes causæ sunt obstructio, cachexia, vel aliud erratum in sex rebus non naturalibus vulgò dictis, & præcipuè immodicus potus.

Prognosis.

Oedema ex obstructione periculosum pathema minimè est, si exquisitis remediis tractetur, si verò ex ductuum lymphaticorum disruptione ortum ducat, nunquàm in suppurationem abit, & pessimi ominis est, hydropem nàmque ascitem irreparabilem præ foribus præstolatur. Quandòque ob nimiam vasorum compressionem, & salis volatilis

tilis defectum in lymphâ, œdema in gangrænam, & sphacelum transit, prout tale quid simile hydropicis multoties accidisse observavimus.

Curatio.

Galeni asseclæ œdema curare satagunt vel per resolutionem, vel suppurationem. Resolutioni satisfaciunt, humorem pituitosum præparando, deindè phlegmagogis pituitam educunt vel in formâ potûs, vel *pilulis sine quibus, de hermodactylis, vel de agarico*, sed efficaciores existimant *pilulas cochias Rhasis*, nàm omne pituitæ genus absque corporis agitatione, & alteratione purgare credunt, præsertim si cum *mastichinis* permisceantur. Cæterùm quia pituitæ fontem ventriculum esse imaginantur, non semel ad emetica confugiunt. Venæ sectionem in œdemate negant, quia frigidus est affectus, attamen, si à mensibus, vel hæmorrhoidibus suppressis ortum ducat, eam admittunt.

Si his non cedat, ad repellentia circa initium accedunt, non tamen valdè frigida, sed moderatè, & simul adstringentia, & exsiccantia, hujusmodi est oxycratum, quod ex aceto, & aquâ constat, ità tamen temperatum, ut bibi possit. Verùm tàm acetum, quàm aqua in eorum sententiâ sunt frigida, quæ pusillum calorem in parte ædematosâ extinguere, & gangrænam inducere possunt. Priusquàm oxicratum applicent, partem affectam leviter fricant, ut medicamenti vis citiùs penetret. Cæterùm ità peragendo, malum pejorant. Spongiam oxicrato imbutam supra œdemate arctè ligant, attamen semper ligaturæ initium ab inferioribus partibus ducunt, ibique valentiùs arctant, & ad superiores progredien do desinunt; sic enim ab affectâ parte facilè exprimi, ac simul dissipari humores, qui extra vasa existunt, ineptè credunt.

Quòd si tumor non subsideat, majoris energiæ medicamen applicant, ut *spongiam aquâ aluminosâ imbutam, cui myrti succum admiscent.* Quibus nihil proficientibus, ad validiora confugiunt medicamina, nempè ad decoctum *foliorum myrti, absynthii, chamomillæ, stœcados, nucis cupressi, salviæ, roris marini, aluminis roccheæ, & salis communis*, in quo calido linteola intingunt, & œdemati imponunt. Quibus etiam non juvantibus, ad efficaciora, & validiora recurrunt, ut

℞. *Lixivii acerrimi ex cineribus fici, ac vitis confecti lib. ij.*
aceti acerrimi lib. ß.
olei ℥. iij. m.

Macerentur, & spongiam madefactam calidè loco applicant. Verùm ex lixivio, quod alkalia continet, & aceto magna succedit fermentatio, undè alkalia, & aceti acor ob mutuum fermentationis motum obtunduntur, præcipitantur in vasis fundum, & hebes, ac œffetum resultat medicamen. Itèm ex lixivio, & oleo nostrates mulieres pro capitis ablutione præsentaneum conficiunt saponem, undè nullius efficaciæ medicamen emergit. Vel œdematoso loco spongiâ, vel linteolis aquam calcis applicant. Quòd si tumor ad declinationem venerit, sequenti utuntur cataplasmate, ut

℞. *Sulphuris,*
farinæ fabar. ana ʒ.ſß.
ſtercoris columbini ʒ.ſß.
mellis communis ʒ.ſ.
decoct. radic. aſphodeli q. ſ.
coque ad cataplaſmatis conſiſtentiam,

& bis in die renovant. Quòd ſi tumor in duritiem abierit, in ſcirrhum degeneravit.

Quandò œdema ad ſuppurationem tendit, quod rariſſimè contingit, nàm ad ſuppurationem promovendam requiritur calor, qui in hoc tumore ſatis eſt imbecillis; tunc ea, quæ concoquendi, & ſuppurandi vim habent, medicamina applicant. Inter ſuppurantia non infimum locum tenere dicunt emplaſtrum *ex ſuccis lapatii, ebuli, ſambuci cum althæâ decoctis, melle, & oleo.* Si tumor vi ſuppurantium non rumpatur, in loco declivi, ſervatâ fibrarum rectitudine vel ferro, vel corroſivo medicamento aperiunt. Verùm has ſuppurationes non ſemel in ſinuoſa, putrida, ac exitialia ulcera degeneratas vidimus. Ulcus apertum mundificant, & digerunt terebinthinà ovi vitello miſtà cum pauca quantitate gummi ammoniaci in aceto ſoluti. Peractâ digeſtione ulcus unguentis ſarcoticis carne implent & tandem cicatrizant.

Sicut ulcus ſanari non poteſt, niſi prius oedema ſubmoveatur, ita œdema ſubmoveri nequit, niſi ductuum limphaticorum obſtructio, vel euaſata limpha pœnitus tollatur, primo itàq; limpham per ſedem urinam & cutem evacuare oportet. Cathartica limpham excernentia (verum nobis inpoſſibile videtur (ſunt. *reſina jalappæ, extractum mechoacanna, gummigut, conſerva florum perſicorum,* & id genus alia. Dieta ſimiliter talis eſſe debet, ut lympha abſumi valeat. Aër debet eſſe calidus, ut calor externus cum remediis intrò aſſumptis ſimul cooperetur; frigidus nàmque maximè nocet. Victus ſit tenuis, & cibi coctu faciles. Aqua omninò vitanda, & vinum, vel decoctum ſaſſafras in minimâ quantitate uſurpari debet. Vigiliæ, & ſomnus non excedant mediocritatis limites. Exercitium ſit moderatum. Excreta, & retenta naturalem ſervent tonum. Animi pathemate, & præſertim terror, & mæſtitia vitentur.

Poſtmodùm proficua ſunt medicamenta illa, quæ lympham incidendi, & attenuandi vim habent, nàm ad fluiditatem redactâ obſtructiones reſerantur, ad priſtinum circulationis motum revertitur, & per urinam, ac per ſudorem eliminatur. Huic fini incumbendum tùm internis, tùm externis remediis: œdema igitùr tractandum eſt medicamentis incidentibus, & ſimul attenuantibus lympham, ejuſque ſtagnationem reſolventibus. Commendamus itaque diaphoretica, omnia ſalia volatilia, & aromatica pluries decantata, quæ coagulationem deſtruunt, & niſi diaphoreſim aperiant, ſaltim diureticas reſerant vias. Magnoperè conveniunt, quæ viſciditatem tollunt, & obſtructiones aperiunt, hujuſmodi ſunt *vinum abſynthii, tartarus vitriolatus, ſal abſynthii,* omnia medicamenta ex marte elicita multis emolumentum fuere, quia præter incidendi, & aperiendi energiam, lymphæ ductuum mem-

membranas nimis ampliatas suâ austeritate constringunt, lymphamque ad corporis cisternam propellunt. Itèm conducunt *decocta ligni guajaci, salsa parillæ, ligni sassafras, visci quercini, Nephritici &c.* Similiter, quæ per urinam exturbant lymphæ colluviem ulceratam partem obsidentem, ut *sal prunellæ, stipitum fabarum, genistæ, spiritus salis dulcis, baccharum juniperi, salis armoniaci.* Tandèm ea omnia, quæ in hydrope proficua sunt, conveniunt, nàm œdema est hydrops particularis.

Internis hisce simul externa jungimus, ea spirituosa penetrantia, poros reserantia, & resolventia esse debent, ut lymphæ coagulatio dissolvatur, & fluidior reddita, vel ad ductus urinarios devehatur, vel per partis affectæ poros exhalet. Conveniunt cùm *aquæ balnei Gurgitelli ex Pithecusâ* delatæ, tùm spiritus vini, & Laconica dicta. Sic etiam fotus ex aromaticis, & sale volatili constantibus vegetabilibus, & calidè applicari debent. Pars arctiùs deliganda, ut vasorum amplitudo debito major auferatur. *Radix bryoniæ contusa*, & cataplasmatis instar applicata salutare præstat auxilium. Vel cataplasma ex *origano, calamintha, absynthio, rutâ, rore marino, chamomilla &c. Vel emplastrum de cumino cum oleo tartari, & succini malaxato*, vel *emplastrum de baccis lauri.* Liquores spirituosi illiniendi sunt, ut *oleum philosophorum, spiritus vini camphoratus, lumbricorum*, & alia resolventia.

Ulcus tandèm tractari debet haud secus ac si adjunctam haberet humidam intemperiem, de qua *cap. xi.* abundè diximus.

CAP. XVI.

De Vlcere sordido, & putrido.

SOlet quandòque ulcus, vel quia negligenter curatur, non mundatur, nec rectè detergitur, vel unctuosis tractatur medicamentis, vel aliis de causis, in sordidum, & putridum degenerare: sordidum ità-que ulcus illud dicitur, quod crasso illo abundat excremento, vel crassas, & viscosas habet sordes, vel carnem flaccidam, mollem, & albicantem; putridum verò appellatur illud, quod fœtorem exhalat, quippè ab eo graveolens, & cadaverosus prouenit odor.

Signa.

Ex suprà dictis facillimè hæc ulcera dignoscuntur, & non nisi secundum magis, minusvè differunt; sordidum nàmque crasso, viscido, ac subalbido est refertum excremento, quod ulceris parietibus vehementer adhæret, & carne flaccidâ, molli, & albicanti potitur; putridum verò putrilagineam eructat materiam, quæ graveolentem, & cadaverosum expirat fœtorem, & colore fusco, vel atro est imbutum.

Causa.

Ulceris sordidi, & putridi causa apud Galenistas est humidorum, & oleosorum medicaminum longus usus, & frequenter ob succorum

vitium, à quibus pars exulcerata fovetur, vel varii errores in victûs ratione, simulque mali succi, undè cacochymia, & ulceris sordities, ac putrilago. Quandoque ob naturæ defectum producitur, quæ aliis vexata malis, ad quæ superanda intenta, & occupata est, ità planè ut ulcus omni auxilio destitutum relinquatur; hinc humores crassi, ac vitiosi in sordidos, & putridos degenerant, qui à naturalibus afflictæ partis facultatibus non regulati, non modò sordescunt, verùm etiam putrescunt.

Excitant juxta nostram sententiam hæc ulcera particulæ acidæ, vel acido salsæ, quæ ulceri inhærentes, succos dulces de novo alluentes, fermentativâ vi itidèm in acidos degenerare faciunt, qui ob tubulos in ulcere ruptos circulationem continuare nequeunt: à Succis ergò à tergo continuò insequentibus in ulceris cavitatem propelluntur, quam semper adimplent, & quia aciditate nimiâ præditi sunt, coagulationem quandam lentam habentes, sordidum efficiunt ulcus, & dùm in eo coagulantur, caro mollis, vel fungosa ab iisdem gignitur. At succi acido salsi, vel acido-acres temporis progressu exaltantur ob putrilaginem, & sectam, ac realgarinam nanciscuntur naturam, & ulceris partes putrescunt, ideòque cadaverosa illa caro in suavem, & graveolentem expirat odorem.

Prognosis.

Ulcus simpliciter sordidum periculo vacat, at nisi maturè occurratur, in putridum degenerat, tum quia à sordium copiâ impediuntur effluvia subtilium particularum excrementitiarum propter prohibitam transpirationem, vel obstructionem, quæ in ulcerato membro gignuntur; tùm etiam quia cumulata excrementa singulos in dies magis fermentescunt, & malignam quandam, & arsenicalem adipiscuntur indolem majori aciditatis exaltatione, undè ulcera putrida priùs in gangrænam, & deindè in sphacelum transeunt.

Curatio.

Ulceris sordidi curationem aggrediuntur Galenici, primò rectâ rerum non naturalium administratione; deindè humorum vitiosorum, & redundantium evacuatione, pro qua pharmaca crassos, lentosque humores evacuantia exhibent vel unicâ vice, vel partitis vicibus, nec interim revellentium omnium genera omittunt, ut frictiones, cucurbitulas, & id genus alia. Postmodùm quo ad localia, ad sorditiem detergendam, & exsiccandam conferre dicunt lotiones ex decocto *lupinorùm*, *hordei*, *absynthii*, *milii*, *plantaginis*, in quo *oxymel* dissolutum fuerit, vel fiant ex *aquâ aluminosâ*. Post lotionem impleatur ulcus pulvere *aluminis saccharini*, *æris usti*, *vel chalcanti rubri*, vel applicant unguentum detersivum, quod concinnatur *ex farinâ hordei*, *melle*, *succo apii*, *& pulvere aluminis rocchæ*, vel demùm, si putredo adsit, ad *unguentum ægyptiacum*, *vel apostolorum* confugiunt.

Qui-

Quibus nihil proficientibus, ad inciſionem, vel ignem actualem deveniunt, priuſquàm ſordidi, ac putres humores majora accerſant mala. Ulcus abſterſum vino calido rubro corroborant, in quo coquunt *myrrham*, *thus*, *aloën*, & ſimilia ſarcotica, vel ſpongiam vino calido madidam applicant.

Ulceris ſordidi curatio in eo conſiſtit, ut ſucci attenuentur, fluidiores, ac ſpirituoſiores reddantur, particulæ acidæ, vel acido ſalſæ obtundantur, immunentur, diluantur; ad finem obtinendum, internè conducit pulvis *antimonii diaphoretici*, *oculi cancrorum*, *& chalybis*, quia ſatis potens eſt in abſorbendis acidi ſpiculis. Sudorifica, & diaphoretica pluries recenſita negligenda non ſunt, & etiam ad decoctorum uſum, vel ad decoctiones vulnerarias confugere poſſumus, eo quia maximam acidum immutandi vim habent. Verùm ſi occaſiones in primis viis ſtagnent, productorum evacuatione leniter tolli debent.

Inter topica ad abſtergendam craſſam ſordem, & corrupta fragmenta removenda, ea ſunt adminiſtranda medicamenta, quæ propriæ ſubſtantiæ tenuitate, qua prædita ſunt, in ſordē illam facilè penetrāt, attenuāt diſſipatum, craſſumque excrementū quantumvis viſcidum immutant, abſtergunt, & ſequeſtrant; calidè itàque uſurpamus lotiones ex *aquâ lapidis medicamentoſi*, *vel aquâ calcis*, *ſapherinâ*, *vel aluminoſâ fallop.* Prodeſt *emplaſtrum de gratiâ Dei*, vel ſequentem efficaciorem compoſitionem adhibemus, ut

℞. *Aquæ Reginæ Hung.* ℥.ij.
tinctura myrrh.
aloës ana ℥.j.
ſalis armoniaci ℥.ß.
camphoræ ℥ ß. *m.*

quam quater de die calidè applica cum filamentis. Si ſordidum in putridum jàm ulcus degenerarit, ſupra dictà compoſitione abluendum eſt, vel *unguentum ægyptiacum magiſtrale* applicari poteſt, ſed præſtat *unguentum noſtrum compoſitum*, *vel magiſtrale*. Cæterùm ulceris putrilaginem maximè immutat, abſtergit, & à parte ſanâ ſeparat *manna mercurii*, *magnum calcinatum Paracelſi*, *mercurius præcipitatus tàm per ſe*, *quàm unguento admiſtus*, *vel mercurius dulcis.*

Si efficaciora applicare velis, putridum ulcus tange *aquâ perſicariæ ſpiritu mercurii albi impregnatâ*, filamenta ſuperponendo, & ad miraberis effectum. Tandèm mundificato ulcere, ſarcoticis utere ad cicatricem uſque.

CAP. XVII.

De Vlcere Verminoſo.

QUemadmodùm in omnibus humani corporis partibus integris vermes generantur: ità in iiſdem ulceratis multoties vermes inveniuntur, præcipuè ſi imprudenter tractentur medicamentis unctuoſis, vel negligantur; tunc enim ſordeſcunt, putreſcunt, & verminans ulcera, niſi rectè à pure, & ſanie mundentur, & detergantur.

Signa

Signa.

Si ulcus sit superficiale, vel patens, vermes facilè visui patent; si verò sit profundum, vel angustum habeat orificium, & vermes videri non possint, ex aliis signis cognoscuntur, morsu, punctûris, doloris, & motûs sensu. Plerumque & fœtor quidem in talibus ulceribus percipitur.

Causa.

Ut horum animalculorum genuinam inquiramus causam, methodo procedamus oportet, ac proindè præmittimus, quòd animalium propagatio duplex est, una, quæ dicitur ovipera, quatenùs scilicet animalia ova pariunt, ex quibus ab ipsis exclusis, animalia viventia fiunt; altera vipera, quatenùs animalia in se concipiunt, & viva pariunt. Ad utramque propagationem solius patris requiritur semen, à quo fit conceptus, & in quo anima est formationis viventis animalis principalis causa. Ova habere futuri animalis animam patet ex eo, quod quamprimùm à debito caloris gradu fota, in iis anima exerit, & animal simile ei, a quo ova fuerunt exclusa, format. Neque generans hujus formationis causa esse potest, cùm id sæpè, cùm ova excluduntur, mortuum sit, neque etiam ulla alia causa univoca, vel cogitatione inveniri potest. Notissimum est ex ovis gallinarum pullos ab anatibus, & econtrà, excludi. Imò Cairi calore fornacis pullos excludi, & in multis nostris pagis fimi equini calore: in quibus modis nullum agens univocum dari potest, nisi spiritus, sive anima latens in ovo.

Animalium ova media sunt inter semina plantarum, & animalium, quia cum utrisque in quibusdam, conveniunt, & in quibusdam differunt: seminibus plantarum in hoc respondent, quòd & animam, & materiam corporis formandam continent; præterea verò semen cortice, & membranis tegitur, in eo verò est differentia, quòd plantarum semina, cùm terræ committuntur, ex eâ materiam corpori formando necessariam hauriunt, atque ex seminis materiâ primæ radiculæ, & germina formantur, reliqua materia ex terrâ attrahitur. In ovis cùm anima corticibus suis, & membranis ita vallata, & concluſa sit, ut extrà nihil attrahere possit, interim in ovo fœtus penè perfectus formetur: ova non solùm animam, & materiam primis fœtûs rudimentis formandis aptam, sed habent paratam universam illam materiam, quæ satis est, donec pullus absolutè formatus excludatur, & præter albumen complectatur etiam luteum, quo potissimùm pullus jàm exclusus, cùm lacte quodam alatur, cùm eidem primis statis diebus non sufficiat alimentum ore ingestum. Cum animalium

Unable to display this page

rorum propagatione suo loco agemus, desumptâ occasione ab hominis generatione; tantùm hìc agimus de sponte nascentibus, ut vulgò creditur, quorum generatio non univoca, sed æquivoca à vulgaribus philosophis putatur, talis est insectorum, ut ex equino stercore scarabæi, è frumento curculio, è fabis midas, cossus è lignis, è cutis, & vestium sordibus pediculi, & pulices, è caseo, & carne aliisque rebus putrescentibus vermes, & insecta, vulgò dicta varii generis, oriuntur. De horum generatione nihil aliud sciebant prisci, nisi quantum voces important: *Nascuntur ex putri.*

Quibus spontaneus hic ortus competat non eadem fuit omnium mēs. Putârunt prisci omnia insecta, bruta, ipsumque adeò hominem è terræ initio provenisse. Id *Plato*, aliique philosophi Platone longè vetustiores docuerunt, quos poëtæ secuti sunt. Verùm hæc opinio ex Genesi originem habuit, & veritatem in has converterunt fabellas; cùm constet Deum jussisse, ut terra animam in genere suo producat, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas, & Deum fecisse hominèm de limo terræ; ipsi verò Creatorem ignoratunt: spontaneum istum ortum indè commenti sunt.

De talium viventium causâ efficienti valdè digladiantur philosophi.

Cardanus casu, & fortunâ generari contendit. Cæterùm falsitate convincitur, quia casus, & fortuna naturalibus locum non habent, & quæcumque casu fiunt, & fortuitò, ea non semper ex iisdem principiis, & eodem modo generantur: atqui sponte nascuntur viventia, semper ex iisdem principiis, & eodem modo generantur, & habent certas causas efficientes, quæ etiam certi finis gratiâ agunt, certosque producunt effectus. Sic ex stercore equino scarabæi nascuntur, & non erucæ, à caseo sui generis vermes, alii è carnibus, & in genere semper determinata ex determinatis. Et licèt variis in locis, in terrâ, in aquis, cadaveribus, & alibi generari videantur: tamen ex efficienti causâ, quæ pluribus in locis sæpè reperiri potest, nascuntur.

Alii etsi casu, & fortuitò generari negant, nullam tamen causam habere efficientem proximam, sed solum communem, & remotam opinantur, & hoc discrimen ponunt inter viventia per se, & sponte orta, quòd illa præter agens universale, putà Cœlum, & particulare expetunt *sol, & homo generent hominem*; sponte verò genita, causâ proximâ cùm careant, absque agenti particulari producuntur. Ut ipsa appellatio id indicare videtur. Verùm horum sententia falsa deprehenditur, nàm inter causam, & effectum debet intercedere proportio, & effectuum universalium universales, particularium particulares debent esse causæ. Præterea causæ communes, & remotæ omnes sunt externæ, & manifestæ: at sponte nascentia à causâ internâ, & latente in materiâ probabimus.

Decausâ istâ remotâ in varias dividuntur opiniones philosophi.

Ali-

Aliqui prædictarum difficultatum scopulos considerantes, eosque vitare capientes, tanquam ad sacrum ignorantis azylum, confugiunt ad cœlum, solem astra &c in illo existentia atque ipsis culpam generationis vermium tribuunt *albertus magnus* cœleste lumen causam proximam sponte nascentium esse dixit. *S. Thomas Aquinas* sponte nacentia à cœli motu mendicat. *Fernelius. occultat* influétias infamat neque hos pudet talis inepti commenti: sed cœlum sol, astra cœleste lumen, cœli motus &c generalis tantummodo causa esse possunt præparans causam, non vero particularis, & determinata ad hos producendos, & non alios vermiculos in hoc, & non alio ulcere, vel loco. Præterea lumen, calor, motus, & occultæ influentiæ accidentia sunt, at nulla substantia, quales sunt animæ sponte natorum, potest ab accidentibus produci. Insuper cœlum, sol, astra &c. sunt corpora inanimata, nec animata producere possunt, quia producerent nobiliora seipsis.

Alii animam mundi causam efficientem sponte natorum viventium esse existimant: sed si mundus animam haberet, esset maximum animal mundus, & esset causa univerversalis, & non propria, & proxima, & sicut ab eâ sponte nascentia provenirent, ità non sponte nascentia, nec ab unâ animâ tot diversæ species sponte nascentium provenire possent.

Scotus, & alii animas viventium sponte generatorum à Deo proximè provenire statuunt, sed hi inep-

tiores sunt, quia invenire nequeunt genuinam talium animalculorum effectricem causam, nec humanæ cognitionis imbecillitatem fateri volunt: opinantur Deum ipsum esse vermium causam, quod verissimum quidèm est, si loquamur de causa universali, & remotâ. Difficultas tamen consistit in propriâ, peculiari, & proxima vermium causa, cui scilicet concessa fuit, dataque facultas à Deo, ut vermes generare possit. Neque enim vermes adeò nobiles, & perfecti judicari debent, ut à nobilissimâ, & perfectissima causa originem ducere debeant: Vix imò, ne vix quidèm quisquam ausit illorum generationem, formationemque huic divinæ formatrici virtuti adscribere, haud intelligens, quonàm pacto tàm præstans, & tàm nobile agens ad vilia hæc opera sine suæ majestatis læsione descendere queat; alia verò omnia ità ignobiliora, atque imperfecta, ut à vilissimis seminibus progigni tantùm valeant: neque in universo condendo oblitus est consulere causis propriis vermium, cœterisque imperfectis, quemadmodùm consuluit aliis animantibus speciales habentibus causas. Neque tandèm sunt minùs naturales, quàm cætera animalia causas naturales habentia. Denique ad adagium, quod à vulgaribus philosophis adduci solet quod *Deus natura author agere se solus tenetur id, quod causæ naturales præstare non possunt.* Respondetur verissimum quidèm hoc esse in supernaturalibus, non verò in instituto ordi-

ne naturæ, & in hoc non facile oſtenditur contractus cum teſtibus quo obligatum contendunt adverſarii, quamvis enim in hac aut ſimili materia ab iſtis demõſtrari nõ poteſt cauſa naturalis; ac proxima, non ſequitur tamen ipſam nullam eſſe Deumque ſe ſolum vermes, & hujuſmodi inſecta producere: ergo ranas, muſcas ſcarabeos, lumbricos ſyrones &c eſſe divinas creaturas ſequeretur, quod ne dum abſurdum verum impium putamus. Hinc magna temeritas eſt preſumere nos noſſe quidquid cauſatum eſt naturaliter & nullum fugere, quod ſupra ipſam naturã ſit, nec verò alia poſſit quam ipſe deus. Præterea omnium viventium generatio eſt naturalis, & cauſa naturalis inquirenda eſt, nec ad deum ſtatim recurrendum eſt, nàm *Turpe eſt philoſopho ad Deum recurrere ubi poteſt cauſa ſecunda aſſignari*, quia poſtquem naturam inſtituit, jàm immediatè ampliùs nihil creare videtur præter animam intellectivam, & cùm plantarum, ac brutorum ſponte naſcentium origo ſit à ſuis parentibus, mediante ſemine, non à Deo niſi ut causâ remotâ, & univerſali: eritnè Deus cauſa proxima imperfectorum, & ignobilium animalium?

Omnes ferè noſtræ tempeſtatis gregarii philoſophi putredinem ſolam proximam ſpontaneę generationis cauſam ſtatuunt, quibus ſufficit uneverſalibus quibuſdam verbis quæſtiones potius implicare quàm ſolvere: dicunt gigni hæc animalia nàm in corpore quàm extra illud ex putredine ſeu calore putredinali agente in quaſdam particulas materiæ putrescentis, ſed hujus opinionis falſitatem oſtendunt primò vermes in aceto, & nive geniti; hæc enim juxta vulgarium ſententiam putredinem in miſto inhibent, & in his frigiditas potiùs quàm caliditas excedit. Deindè præclara experimenta *Franciſci Rhedi* in libro de inſectis deſcripta oſtendunt, quòd carnes & quodcumque aliud facilè putreſcibile incluſa in vaſe optimè cooperto, putreſcunt, vermes tamen nunquàm exhibent: tacemus, quòd calor ille produceret corpus animatum, & conſequenter ſe nobilibus. Prætermittimus, quòd intelligi minimè poteſt, quomodò calor admirabilem nervium organizationem, tot vermium ſpecies, animam, ſenſum, & motum producere poteſt: non negamus tamen neceſſarium eſſe nonnunquàm calorem ad excitandum motum in interno ſpiritu in ſeminibus, ſive ovulis vermium latente, ſicut calor gallinæ, ſimi, vel fornacis Ægyptiæ, à quo fovetur ſpiritus in ſemine galli exiſtens in ovo fœcundo non eſt cauſa principalis generationis pulli &c.

Prætereà tota putredinis ratio in eo conſiſtit, quod ſit miſti corruptio, quatenùs miſtum: ſi verò quid prætereà ex putredine oritur, id ex accidenti evenit. Inſuper plantas multas, & alia ſponte naſci ſine omni putredine expe-

experientia teſtatur : igitur ſponte viventia non geneeanturex putri materiâ , licèt interdùm naſcantur in putri, & ex parte rei putreſcentis.

His breviter explosis , alia cauſa de ſponte naſcentibus inquirenda eſt. Quæ non ſponte naſcuntur ſunt illa , quæ ſemina habent manifeſta , quæ verò ſponte, eorum ſemina ſunt occultiſſima, & omnem latent ſenſum ; ideòque ſponte naſci inſecta veteres,& cum his vulgares philoſophi exiſtimârunt , quia eorum ſemina non ſemper animant, & ſuo tempore exerunt.

Generantur ſponte viventia, cùm ſemen , in quo eſt anima , occulto modo alicubi latens idoneam materiam nactum , & calore ambientis ſeſe exerit , & vitales operationes exercere incipit. Hæc animalia ortum trahunt ex ovulis , quæ cùm ab inconſpicuis præ exiguitate initiis, & ſeminibus , quaſi atomis in aëre volitantibus , & à ventis hinc illinc delatis , diſſiminatiſque oriantur , ſive ex putredine , ſeu non genitis orta eſſe exiſtimantur , quia noſtrorum ſenſuum efficaciam ludunt. Cœterùm certum eſt animalia inſecta ex ſemine paterno generari , & carnium , herbarum , aliarum rerum vel planè putrefactarum , vel putreſcentium inſectorum generatione non alias eſſe partes ; nec aliud officium , quàm vas , & locum mirè commodum præbeant , in quo inſecta ſtatim ac orta ſunt , in hoc nido alimentum ſufficiens, & nutritioni commodiſſimum inveniunt , & niſi à parentibus ſupradictum ſemen hinc delatum ſit,nullum ibi vermem unquam generari poſſe dicimus.

Sponte ortorum ſemina , eſtò in terram conjiciantur , non ſemper ſuam inſiſtam exerunt vim, ſed interdùm frigore , interdùm calore, vel etiam idonei alimenti defecerit corrumpuntur , interdùm diù quieſcunt , antequàm , ſeſe exerant ; ſicut ſemina multa totâ hyeme in terrâ quieſcunt, donec nimirùm aëris ambientis calore foveantur , & idoneum è terrâ alimentum attrahant : ità & in iis , quæ ſponte provenire dicuntur , vis ſeminalis quieſcit, donec idoneam , ex qua corpus ſibi fabricet , materiam nanciſcatur ; & à calore ambiente excitetur , & foveatur : undè accidit , ut animalia , quæ ſponte naſcuntur , non tempore hyberno, niſi ſub ſimo interdùm , quò frigus non penetrat , ſed vere , æſtate, & autumno generantur , ubi ſcilicet à calore ambientis , quem ſol extitat , materia idonea , ex qua anima latens corpus ſibi fabricare poſſit , ſuppedietur , & ipſa anima ad agendum excitatur,

Etſi in putreſcente materiâ hujuſmodi animalcula fiunt,tamen non ex eâ,quatenùs patris eſt, generâtur,ſed potiùs à meliori ejus parte,quæ à patri ſecernitur. Unde etiâ poſt nervium,

& ejusmodi animalium generationem, putris materia relinquitur, quæ non minùs, quàm antè aërem inquinat. Neque etiam animalcula ejusmodi in materia putrescente genita putridâ aluntur materiâ, sed in alias res vel, ut plantas, & animalia viva delata, alimentum quærunt. Neque etiam & regiones, in quibus nascuntur, & ejusmodi infectorum magna est ubertas, salubriores sunt, sed plerùmque insalubriores.

Siquis quærat, undè insecta sua primordia trahant, dicimus in illo creationis sextiduo creasse Deum omnia animalia qualiacumque perfecta, vel imperfecta, ut habetur *primo Generis v.* 25. *Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo.* Quæ mediante propriò semine suas perennant species, unde quæcumq; animalcula coëunt, & ovo quid simile pariunt, ut per novorum individuorum suffectionem suas perpetuent species, mediante illâ feracî benedictione: *Crescite & multiplicamini.* In ejusmodi animalculis Dei O. M. sapientiam cognoscimus, licet ubique & semper sapientiam, & omnipotentiam manifestârit.

Animalculorum semina omnem humanam superant perspicaciam, nec nostris sunt obnoxia sensibus, quia *omnis nostra cognitio ortum ducit à sensu.* ò quamplurima cognosceremus, si sensus non ità hebetiores haberemus! Cœcutit animus humanus, & tanquàm Nicticoracis oculus caligat ad lumen horum generationis.

Insecta sponte nasci videntur, tamen propriè sponte non nascuntur, sed ex semine, & ejusdem specici animalculis; nàm sicut pisces sua ovula in aquam emittunt, quæ posteà in pisces ejusdem speciei excluduntur: ità & ranæ, & similia animalcula ignobiliora sua semina in aquam conjiciunt, quæ posteà solis calore foventur, & excitantur. E terrâ etiam animalia plurima nascuntur, verùm non purâ, sed limosâ, & lutuosâ. Sic sperma ranarum ineunte vere, hinc indè circa lacus, & stagna reperitur, undè posteà solis caloris beneficio internus spiritus in spermate latens, ranas efformat, easque in vive animalia excludit. Hanc veritatem noscens *Ovid. lib.* 15. *metamorph.* ità cecinit.

Semina limus habet virides generantia ranas
& lib. 1.
Postquàm vetus humor ab igne
Percaluit solis: cœnumq; udaq; paludes
Intumuêre æstu: fœcundaque semina rerum
Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo
Creverunt, faciemque aliquam cepere morando.

Mitum etiam est ranas è terreno pulvere primis activis humecto pluviis nasci, taliter quod terræ attactu aquæ gutta illicò ranam generet. Cæterùm dicant quæso, quis est iste sedulus ranarum genitor, qui extemplò tot ranarum corpora dicto citius organizavit, & omnibus partibus perfectè absolutis vitam, sensum, & motum impertivit? Concedimus utique ranulas primis activis pluviis extra civitates (sed intrà non conspiciuntur, quare non respondent) salientes apparere, at allucinan-

cinantur vulgares philosophi nam hæ ranulæ suis ortæ seminibus præexistebant abditæ inter herbas, vepres, sepes, terræ foveas, lapidumque rimas, deindè guttarum aquæ in terram decidentium timore quasi panico pervulsæ prosiliunt, & statim se abdunt, ac quia anteà non conspiciebantur, tunc temporis vi aquæ, & solis calore ex terræ pulvere dispositò, sponte, & sine parente natas fuisse ineptè imaginantur. Et nos prædictas ranulas manu apprehensas dissecuimus, & in stomacho herbas crudas, muscas, & scarabæ os terræ immistos, non digestos, quos devorârunt, invenimus. In agris post pluvias innumeræ limacum copiæ, quæ anteà non conspiciebantur, apparent. Numquid tunc sponte natæ? Sic etiam post imbres magnam Lumbricorum catervam, & aggeriem conspicimus. Dici numquid potest, tunc sponte exorti?

Horum insectorum occasione agendum putamus de lumbricis, & syronibus, qui in humano corpore generantur. Hæc animalcula sponte, & sine semine nasci vulgarium philosophorum schola etiam contendit, sed nunc talis opinio à recentiorum aulâ recessit, apud quos econtrà illa invaluit sententia, quòd quicquid in hoc orbe sentire, imò vivere videmus, ex ovo emersit, & ipsa insecta, imò plantas, & ipsum humanũ genus ex ovo ad unum univocæ generationis principium reducimus, ut ante nos *Harveius*, & eruditissimus *Franciscus Rhedi*, Esculapius nostri temporis validissimis rationibus, & experimentis demonstravit, quam doctrinam universus orbis literarius amplexus est, ut adeò apud eruditos inclaruit, ut in hac stabiliendâ non immoramur.

Igitur quò ad lumbricorum, & syronum ortum sciendum est ex quotidianâ experientiâ muscas, aliaque animalcula ovulis suis epulas nostras, æquè ac potus conspurcare, eaque brevissimo spatio, per ætatem præcipuè, in carnibus excludi, sed cum nobis etiam mensæ accumbentibus, vel paulò antè, muscæ cibariis circumvolitent, vel ea inque ovula eructent, qualis est panis, vel potus, ipsis ità propè excludendis non obstetricent, illa integra ore excipimus; & cùm ob exilem molis suæ, & teneritudinem, dentium attritionem declinent, intacta deglutimus, & ob exilitatem à ventriculi fermẽto non digeruntur. Ea propter cum ciborum reliquiis in eo concretis in duodenum descendunt, in quo uti in reliquo intestinorum canali exclusa in varias lumbricorum species commutantur; minutiora verò aliqualia ovula supersunt, quæ ob exilitatem, vel immaturitatem tàm in stomacho, quàm in intestinis cum spirituosâ ciborum substantiâ abripiuntur, & se insinuant, partim cum lymphâ permiscentur, & circulant, partim cum sanguine circulationis lege, partim in universas corporis partes devehuntur. Habitus autem corporis passim poris est pervius, ij verò quibusdam in locis patentioribus, & in aliis actioribus: undè fit, ut ex ovulis illis syrones excluſi per poros unà cum sudore, vel habitib. per eos extruduntur, vel quandòque ob pororum angustiam sub cuticulâ serpunt ab uno loco in alium, & talpa-

rum ritu cuniculos agunt, & longos non rarò, quasi succos trahunt, simulque molestissimum pruritum producunt. Irà sub cuticulâ serpunt, ut videri possint, quorsùm migrârint, ubi, si velis in extremitate hujus lineæ albæ, cuspide aciculæ animalculum eruere possis, estque tàm exiguum animalculum, tanta ejus agitatio, & tenuitas, ut ubique sibi viam aperiat, & visum ferè effugiat, colore albicans, cum capitello nigro, & si speculo terso imponatur, lynceo oculo moveri comprehenditur, vel microscopij ope jucundo spectaculo, & accuratè deprehenditur.

Degenerant quandòque hæc animalcula à suis genitoribus, à quibus semina deciderunt, verumtamèn tanta non est eorum degeneratio, ut cum illis quandam analogiam, & similitudinem non conservent, & hoc contingit vel ratione matricis, vel fermenti, vel alimenti. Sic inter crescentia semen tritici, vel hordei in terram incultam injectum in lolium, symbrium in mentham., rapum in raphanum, ocymum in serpillum, vitis alba in nigram &c. Sic ex equâ, & asino mulus, ex aliorum diversæ speciei coitu diversa animalia generantur. Ex viro, & bestiâ, ex bruto, & muliere non homo, sed monstrum irrationale gignitur, quod quandam habet analogiam, ut de satyris, Nymphis &c. prolixè agit *Helmontius, & Haracelsus.*

Sed ad ulcerum verminosorum causam noster redeat sermo, Ex dictis satis, superque liquet in ulceribus præcipuè sordidis vermes nasci, quia in illis, vel unguentis, emplastris, vel petiis muscæ suum desponunt semen, vel ab intrà ad ulcera deducitur, & ope fermentationis talia generantur animalcula ut autopsia demonstrat.

Prognosis.

Verminosa ulcera, si debitâ tractentur medelâ, periculosa non sunt; si verò negligantur, & vermes non tollantur, magis cava, aut gangrænosa fieri possunt.

Curatio.

Verminosorum ulcerum apud Galenicos curatio consistit, ut vermes geniti tollantur, ut ulceris putredo inhibeatur, ne imposterùm generentur: Si ergò patentes sint vermes, volsellâ, vel similibus instrumentis eximantur, si verò tenaciter parti adhæreant, vel profundè lateant, enecant medicamentis, quæ simul putredinem, & humiditatem nimiam tollere, vel inhibere possunt, hoc præstant amara composita ex *aloë, myrrhâ, colocyntide, felle tauri, absynthio, centaurio minori, aristolochiâ &c.* ex quibus varias parant lotiones, ex decocto, ut

℞. *Centaurij min.*
Colocynthidos.
Staphisagriæ ana m.ß.

Coque in aquâ suff. colaturæ adde

aloës, &
myrrhæ ana ʒ.ij.
Mell. Virginei ʒ.ij.
m.

Vel

Vel succum exprimunt, & talia parant medicamenta, ut

℞. *Aloës* ʒ.ij.
myrrh. ʒ.j.
peti Brasiliani ʒ ij ß.
fellis tauri ʒ.ß.
flor. æris ʒ.j.
mell. q. s.
f. linimentum.

Pro verminosis ulceribus curandis nos feliciter adhibemus *unguentum nostrum magistrale* in lue venereâ descriptum, quod summum est medicamen. Vel enecari possunt vermes applicatione *elixiris proprietatis* per infusionem, & digestionem parati. Prodest *oleum buxi*, vel *seminum colocynthidos*, sed optimum, estò vile, remedium erit *olei amurca*, nàm vermium perspirationem impedit, eosque ideò necat. Magnoperè aliqui commendant *spiritum vini theriacalem*, *vel ipsam theriacam in emplastri formâ*, sed expertissimum remedium ad vermes interficiendos, muscatum ovula dissolvenda, & ad sordes tollendas, ubi vermes nidulantur, erit *mercurius* quomodolibet præparatus, ut *unguentum mercuriale*, *mercurius præcipitatus*, *mercurius dulcis*, *vel magnum calcinatum Paracelsi* tàm solitariè, quàm cum aliis medicamentis, sed omnium maximè præstat, si ulcus verminosum *cynnabar.* suffumigetur; nàm mercurius tàm crudus, quàm quomodolibet præparatus vermiculos, pediculos, & ejusmodi insecta cujuscumque magnitudinis, vel figuræ sint, statim enecat, aut fugat. *Peti Succus*, imò ejus *folia sicca* in pulverem redacta, vulgò *tabacum Brasilienſe*, ulcera tàm à vermibus, quàm ab aliis insectis eripit, eaque mundificat. Si ulcus verminosum *aquâ stillatitiâ è capis* abluatur calidè, ad miraculum usque vermes enecat. Idem effluit *succus radicis vitis albæ.* Si vermes à partibus internis in ulcus repant, convenit *Calomelanos Turqueti cum theriacâ internè assumi.*

CAP. XVIII.

De Vlcere cum labiis callosis.

SOlent quandòque ulceris labia ità callo obduci ut ejus Sanatio tamdiù medicamentis reluctetur, donec callus totaliter ablatus fuerit.

Signa.

Ulceris labia callosa ipso aspectu, & tactui innotescunt, decolorata nàmque sunt, dura, & non dolorifica, & si perfectò obducta sunt callo, novaculâ, vel cultro scinduntur absque doloris sensu, & ferè tactûs sensûs in hisce partibus abolitus est.

Causa.

Causa labiorum callosorum in ulcere apud Galenistas est pus, quod ulceris labiis ob suam craſſitiem adhæret, cujus partes tenuiores à calore nativo, vel extraneo resolvuntur,

vuntur, & exsiccantur; crassæ verò obdurescunt, & fit tandèm callus madore privatus, & indolens.

Labia calloſa, quæ ſcirrhoſum referunt tumorem, originem ducunt ab acido, vel auſterius ſuccis in partem ulceratam influentibus, in eiſdem ulceris labiis congeſtis, qui adeò ſæpè conſtipantur, & condenſantur, ut obcalleſcunt. Interdùm eundem producunt effectum ſiccantia nimis calida, vel ambientis aëris frigiditas, ac nitroſitas, vel obſtructio à glutinosâ materiâ, vel excrementa imprudenter diù in parte ulceratâ derelicta, & in ejus ſubſtantiâ exſiccata, vel deligata, aut quæcumque alia cauſa comprimere valens, aut obſtruere carnales, per quos alimentum illis ſuppeditatur; factâ nàmque ſtagnatione, & indè obſtructione, omne ſal volatile evaneſcit in auras, & labia calloſa reddùntur.

Prognoſis.

Ulcus calloſa habens labia non facilè curatur, niſi priùs calloſitas auferatur, attamen in principio, quandò non dùm perfectus eſt callus, non ægrè tollitur, Cœterùm ſi perfectus erit, & abſque doloris ſenſu, difficiliùs curatur. Si livida ſint labia ob poroſitates ſanguine coagulato refertas, magna ſedulitas id calli remotione adhibenda eſt.

Curatio.

Calloſitatem in ulceris labiis curant vulgares emollientibus, ut *mucilaginibus ſeminum malvarum, althææ, vini, fœnugraci, oleo amygdalarum dulcium, liliorum, alborum, emplaſtro de mucilaginibus*, atque ejuſmodi emollientibus, & diſſolventibus, ſed per omnibus ſequens commendant cataplaſma, ut

℞ *Mucilag. ſem. alth. aquâ malv. extract.* ℥ iij.
pingued. anatis,
anſeris,
gallinæ ana ʒ. j.
farinæ ſem. lini. ℥ j.
micæ panis triticei ʒ. ij.
coque in ſufficienti quantitate lactis ad cataplaſmatis conſiſtentiam, ità tamen, ut ultimò pinguedines

Vel tale utuntur unguento:

℞. *Mucilag. ſem. fœnu græci.*
lini ana ʒ. ij.
terebinth. ʒ. j.
ol. amygd. d.
lilior. alb. ana ʒ. iij.
m. f. ung.

Vel embrocationes inſtituunt ex decocto carnis arietinæ, quæ inſignitèr emolliunt.

Si callus completus, & perfectus fuerit, & emollientia contemnit, vel color niger ulceris labia obſidet, cultro à parte ſanâ eum ſeparant, vel ſcarificant, vel cauterizant ad eſcharæ decidentiam, vel corroſivis fortibus tollunt.

Ulcus calloſa habens labia internè, & externè curamus; Internè decocta ſudorifica, in quibus totius curationis cardo conſiſtit, adminiſtranda ſunt: hæc nàmque acidos, auſteros, & vitriolicos obtundunt ſuccos, diluunt, & per ſua emunctoria eliminant, inſuper congeſtos ſuccos deſtruunt, obſtructos reſerant canales. Diæta ſtricta, & etiam ſudorifera imperanda eſt, Cœterùm, ab acidis, & ſal-

& salsis prorsùs abstinendum est, & præcipuè à repellentibus omninò remediis cavendum est, quæ omnia succos coagulant, inspissant, & ad circulationem reddunt ineptos.

Externè callosis labiis, quæ duritiem, & callositatem perfectam non adepta fuêre, convenit *aqua viridis, oleum viridis æris, aqua salis armoniaci n. d.* Si verò callus his obluctetur medicamentis, efficaciora confugimus, hujusmodi sunt *lapis infernalis, vel spiritus salis armoniaci, vel tandèm spiritus Mercurii albus*, qui absque recidiuæ metu omnem absumunt callositatem.

CAP. XIX.

De Vlcere Sinuoso.

QVandoque ulcus angusto præditum est orificio, sed cavitatem satis amplam, profundam, & latentem continet, absque tamen callositate, & duritie, ac pro orificii magnitudine copiosum pus, vel saniem erectì. Hujusmodi ulcus non solùm sinuosum, verùm etiam cavernosum, cuniculosum, & reconditum appellamus. Quidam etiam talpiarium dicunt & quidèm rectè, nàm talpæ more sub carne serpit cuniculos & cauernas, non secùs ac talpa sub terrâ, agit. Differt ulcus sinuosum à fistuloso, quia hoc callosum est, illud verò callositatem internam non habet. Sinuosorum ulcerum differentiæ sumi possunt, Primò, à cavernarum magnitudine, quia sinus vel sunt breves, vel longiores, profundi, altèque penetrantes vel ad carnes, vel ad ossa, vel ad cartilaginem, vel ad nervosas partes. Secundò, à figurâ, quia vel sunt recti, vel flexuosi, vel obliqui. Tertio, à situ, quia vel sursùm, vel deorsum, vel ad latera tendunt. Quartò, à numero, quia unicus est sinus, sivè simplex, vel duplex, vel triplex. Quintò à majori, vel minori acrimoniâ materiæ purulentæ is sinu contentæ. Et tandèm vel orificium in parte superâ, vel inferâ, vel circa partes laterales habent.

Signa.

Sinum in ulcere latitare cognoscimus, cùm ex eo, quod orificium, cujus consolidatio inducta fuit, brevi post tempore aperiatur & materiæ ichorosæ ab illo prodeant; tùm ex eo, quod turunda, quæ statim in angustius orificium introducta fuit, deindè in amplam cavitatem impellitur. Quousque sinus tendat, specillo, vel cereâ candelâ intra sinum immissâ facilè deprehenditur magnitudo, figura, situs, numerus, finis &c. nùm ad partem, supernam, vel infernam, vel ad laterales tendat, nùm ad nervos, vel carnes. &c. Si ad nervos dolor, & motus spasmodicus percipitur, materia est tenuis, ac unctuosa. Si ad os, durities, & aspredo tangitur & materia erit nigra, vel saltim livida, tenuis, & fœtens.

Causa.

Galenistarum causa pro ulcere sinuoso est pus diù in ulcere retentum, ac delitescens, quod virulentam quandam acquirit materiam, &

corrodendo cuniculos agit, partes exedit ſubjectas, putrefacit, & contaminat ac majus ſibi ſpatium comparat.

Sinus Secundum noſtram ſententiam oritur à pure diutiùs in ulcere retento; retinetur autem plus juſto ulceris excrementum, ſi illud non benè mundetur, vel ſi debitè non ligetur, ità ut productum excrementum ab ejus orificio effluere non poſſit, vel ſi poſt diutinam ſuppurationem vomica aperiatur. Pus ex ſalſis, acidis, ſulphureiſque componitur particulis, quæ in ipſo ulcere exaltantur, vel è proximis vaſis, vel â toto ut dicunt vulgares Galeniſtæ per congeſtionem paulatinam, vel per fluxionem, in ulcus effuſæ (preſertim ſi corpus cacochymum, lue venereâ conſpurcatum, hypochondriacum, vel ſcorbuticum ſit), ſubtili materiâ adventante ad partes ulceri circumpoſitas, & laxiores inteſtino motu perpetuò pelluntur, deindè in ulcus, ibique exaltantur, & per fibrarum inteſtitia, ſi ibi diutiùs retineantur, ac per varios anfractus viam ſibi aperiunt, fibras devaſtant, tubulos obvios, minuſque reſiſtentes exedunt, dictarum partium canaliculos erodunt, ſcrobem excavant, cavitatem efformant, & cuniculum agunt, qui hîc, atque illic ſinum efficiunt, qui quò latior, & profundior eſt eò diuturniorem pus in parte remoram contrahit, quod non debitè evacuari poteſt.

Prognoſis.

Vlceris ſinus paruus & in parte carnoſâ exortus, & qui in corpore non valdè cachochymo exiſtit, minus periculoſus cenſetur; qui pus probè coctum fundit, ut album, lævе æquale, minimèque foetidum, coctionem, ſanitatem ac morbi brevitatem certò pollicetur, præcipuè ſi dolor & tumor diſpareant: Secùs verò qui magnus, & nervoſas partes, vel artus occupat, vel ad aliquem ventrem penetrat, malum. Pus ex ſinu profluens valdè tenue, malè coloratum, viride, virulentum, nigrum, aut putridum nihil boni portendit, & præcipuè ſi dolores, febres, aliaque ſymptomata movet, valdè periculoſum eſt. Quibus cachexia, vel virium jactura adnexa eſt, ut plurimùm lethale. Ocyſſimè curandus eſt ſinus, alioquin contumax redditur, callum contrahit, durus efficitur, & in fiſtulam degenerat.

Curatio.

Inſtitutis, præmiſſiſque univerſalibus preſidiis, ſinûs curationem exordiuntur Galeni ſectatores, deindè, ſi orificium ſit magnum, & in parte declivi, ut ſanies per ſe effluere poſſit, apertum ſervant, poſt modùm deterſionem peragunt, ſinum abluendo *mulſâ, vel vino cum aquâ marinâ miſto, aut cui ſal adjectus fuerit, vel terebinthinâ, & farinâ hordei cum melle, aut ſquamâ æris cum vino, & melle.* Sinum his mundatum carne implent, & cicatrizant, proſpiciendo ſimul, ne caro nimis multa generetur, quod faſciis expulſivis peragunt, ori imponunt turundas cannulatas, quas inſpergunt aliquo medicamento abſtergendi & ex-

exsiccandi vim habente & de super *emplastrum Barbarum* in medio perforatum ad effundendam saniem extendunt.

Si verò sinûs orificium fuerit angustum, & pus intùs latens perfectè non educi, neque mundificari, neque medicamenta applicari possint, extemplo versus illam partem, ubi major urget necessitas, secant; sic enim puri viam præbent, & non ægrè admotis medicaminibus, absterso, exsiccatio, & carnis regeneratio subsequitur.

Si sinûs os sit in parte superâ, vel ad laterales vergat partes, ità ut pus perfectè expurgari non possit; tunc ut educatur, optimâ opus est collocatione, & ligaturâ, ut saniem educant, efficere possunt: verùm si per collocationem, & ligaturam educi nequeat, ad turundas cannulatas confugiunt, cæterùm si pars haud situari, neque per collocationem, haud turundas cannulatas, aut ligaturam materiam purulentam educere possunt, tunc, si sectio periculum involuat, immisso specillo, quà pervenit, fundum scalpello aperire magis expedire inquit *Gal. 3. Meth. C. 4.* ut humor superstes eliminetur, & os superum occludunt.

Verùm perperàm in ulcere sinum secant nostri vulgares, dicant secti superstites, claudi attracti, melioribus vitæ functionibus destituti, qui deplorabilem, inopemque trahunt vitam. Siquidèm non potest medicus morbo opportunum adferre præsidium, nisi & affectum ipsum & locum patientem agnoscat, itaque hæc est omnium in curationibus errorum radix: Eapropter professionem conspurcant medicam nostrates phisici, & Chirurgi, ac nihil scire judicamus, quia maximo medicinæ lumine carent, anatome scilicet sine qua in tenebris ambulant, & æger in umbrâ mortis: firmiter asseveramus medicam artem sine anatomicâ vix solidis fundamentis inniti, & hanc sine illâ inutilem esse, undè perpetuò medici titubant, & in mille ostendicula cum multorum exitio impingunt. Si cadaverum anatomiam, sed tantùm ossa & his finitima offert, ex qua nulla morbi inspetio colligi potest: quanto magis de morborum anatomiâ bardè, & inconditè different?

In ulcere sinuoso studendum, ut superfluitates liberum habeant exitum, & eapropter si cavitas deorsùm, vel ad latera tendat, membrum attollendum, & in tali collocandum situ, ut pus à sinûs orificio stillare possit. Debet insuper deligatio expulsiva institui, fascias circum ligando, primò arctè infernæ sinûs parti, & sensim deindè laxiùs, quò propriùs ad orificium accedunt, ejus orificio suppositis etiam petiis, spleniis, & puluillis atquæ turundis, sive pannis duplicatis, & multiplicatis, ut æqualiter pars affecta à fascijs comprimatur, & in cavitate nulla sanies subsistere queat. Sectionem improbamus, tùm ob anatomiæ imperitiam, tùm quia ex eâ crudum emergit vulnus, & ferrum, quod horribile est ægris, oculos non habet, ac proindè quod illi objcitur, scindit. Prætereà sanguinis inflammationem, erysipelas, & alia pejora symptomata arcessere potest, ideòque ad detersiones per siphonem

magis confugiendum ſuademus anatomiæ ignoros. Purgantia medicamenta tanquàm maledicta in ulcere repudiamus; exaltant nàmque non tantùm in ſinu, verùm etiam in toto particulas ſalinas, acidas, ſulphureaſque, quæ anteà dilutæ conſopiebantur, & majorem carnes depaſcendi energiam nanciſcuntur, non enim habemus medicamenta, quæ ſalinas, acidas, vel ſulphureas evacuant.

Curationem itàque perficimus tâm internè, quàm externè remediis alkalibus, & volatilibus, quæ aciditatem, & acrimoniam domant, abſorbent, deprimunt, corrigunt, hujuſmodi ſunt *c. c. Philoſophicè pp. ebur ſine igne paratum, ſtibium diaphoreticum, tinctura viperarum, ocul. cancr.* & id genus alia pluries à nobis repetita. Itèm inter interna decocta vulneraria commendamus, ut.

℞. *Dictami Cretici,*
alchimillæ,
Scordij ana m. j.
vincæ pervincæ.
conſolidæ regalis,
ſanicula ana m. ß.

Ponantur in vaſo vitreo cum aqua decoct. c. c. lib. ij. ß. Coque in igne cinerum, vaſe optimè clauſo, deindè f. colatura cum leni expreſſione. Doſis ℥. iv vel v. in quas injice *ocul. cancr.* ʒ. *j.* ſumatur manè, & ſerò. vel

℞. *c. c. crud. & limati,*
raſura eboris ana ℥. *ij. ß.*
betonicæ.
ſampſuci,
flor. hyperici ana m. j.
radic. ſymphyt. mai. ℥. *ß.*

coque in duplici vaſe cum ſuff. quantitate aquæ, vel vini, ſi vinum bibat eger. Cola abſque expreſſione, & unicuique doſi.

ſpermatis ceti ℨ. *j.*
mumiæ ʒ. *ß. m.*

& exhibe. Continuari debent ad cicatrizationem uſque. Vel prædictis potionibus admiſceri poteſt gutta una, vel altera, & ulteriùs *balſami ſulphuris terebinthinati*, quia non ſolùm acidos ſuccos ſuâ oleoſitate, & ſale volatili expellit, & enervat, verùm etiam ulcus mundificat, & conſolidationem excitat.

Externè illa commendamus medicamenta, quæ ſinûs acidas, acreſque ſordes abſorbendi, abſtergendi, ac afflictæ partis vitalem balſamum reſtaurandi facultatem habent. Hæc intra ſinum tepidè per ſiphonem injciantur, ſequens abſque mordicatione detergit, & ſinûs ichores eluit, ut.

℞. *Decoct. hord. integri lib. ij. mell. roſ. colat.* ʒ. iv.
m.

Fiat injectio intra ſinum per ſiphophonem rectum, atqui ſi craſſa ſanies, & multum ſordida ineſſet, ad majorem deterſionem utimur *unguento Ægyptiaco magiſtrali* de cocto admiſto, additâ ſpiritûs vini portione. Vel uti poſſumus *aquâ calcis vivæ*, quæ magnam abſtergendi vim habet ob alkalia. Vel decocto ſimplicium abſtergentium: Coeterùm præſtat *Aqua Regina Hungariæ*, vel *ſpiritus vini ſimplex* per ſiphunculum injectus; hic nàmque acida omnia, & acuta ſalia cicurat. Verum enim verò præcellit *balſamus ſulphuris*, ſed huic comparari nequit *balſamus proprietatis per infuſionem, & digeſtionem.* Non deſit interim *emplaſtri op-*

po

podeltoch, vel fodicationum applicatio. Ablatij tandèm curationis obstaculis, hoc est sinu mundificato, sarcotica tandèm adhibenda sunt, vel per siphunculum injici potest *balsamus proprietatis*, si cavitas alijs sarcoticis in formâ solidâ obest, & ultimò cicatrizantia adhibemus.

CAP. XX.

De Vlcere fistuloso.

CVm pus ex sinuoso ulcere non prorsùs eliminetur, vel ipsum ulcus negligatur, vel per exsiccantia ejus agglutinatio tentetur, callum contrahit, & tandèm in fistulam degenerat: est itaque fistula ulcus illud, quod arundinis instar sinuosum est, & angustum in parte superiori habet orificium cum profundo foramine.

Signa.

Cognoscitur fistula, quia ulceris orificium, seu foraminulum plerùmque est rotundum, & angustum, substantiam habet candidam, cal osam, & madore privatam, absque vel exiguo dolore. Materia, quæ è fistulâ effluit, nunc est sanioſa, serosa, nunc alba, vel flava, rufa, viridis, livida, atra, aut fæci similis, modò crassa, jàm tenuis, sæpè putrida, & cadaverosa, non nunquàm copiosa, quandoque pauca, interdúm nihil excernitur, & sicca est. Quandòquæ fistula spumosam, vel aquosam excernit materiam, subindè virulentam, & aliquando cum sibilo ad expressionem eructat. An simplex, an in plures deducta sinus sit fistula, ex majori, vel minori effluentis materiæ copiâ conjicere possumus; si simplex tantùm adsit sinus, tanta saniei copia excernitur, quanta in simplici spatio capi potest; si verò plus excernatur, quàm simplici convenit sinui, plures esse sinus conjectandum est. Breviùs, aut altiùs penetrantem, ut & flexuosam, aut rectam ex specilli intrusione desumimus, quia, ubi recta est fistula, specillum in fundum usque liberè ingreditur; si flexuosa, vel unum, aut plures habet sinus, specilli apex ingredi nequit, quare ad explorationem ex flexili magis materiâ stylus requiritur ex plumbo, vel stamno, aut hujus loco candelam ceream substituimus. *Gal. 1. de compos. medic. per gen. c. 7.* setâ porcinâ usus fuit. *Hip.* caule, & *Guido* cum sui temporis chirurgis, petroselini, aut betæ radice ad fistulæ rectæ, vel obliquæ explorationem, sed tantus apparatus ad hanc explorationem necessarius non est, nàm has explorationes tàm perniciosas non admittimus, nec fistulæ foraminulum adeò angustum est, ut setâ porcinâ indigeat, ut Galenus refert. Núm fistula ad carnem, nervum, os &c. pertingat, inquirendum est. Si in solâ hæreat carne fistula, molle est, quod ultimo stylo tangitur, pus læve, æquale, & copiosum excernitur. Si ad nervum desinat, in profunditatis exploratione dolorifica est, pus tenue, virulentum, & pingue, oleo non dissimile, parciùs tamen, extillat, & membrum, cujus nervi est, domicilium in suis functionibus hebetatur.

Si ad os terminatur, durum quid, & renitens & æquale stylo occurrit cum nonnullo dolore, si perioſtium non dùm est corruptum; Si verò os carioſum sit, asperum, & inæquale tangitur, eòque magis, quò caries major, pus nigricans, graveolens, & tenue admodùm effluit. Si ad venam desinat, sanies est fæculenta, & si uena est eroſa, cruenta, & crassior sanies effluit. Si ad arteriam, sanies tenuior, & saliens cum titillatione deprehenditur. Desinit quandòque fistula ad ligamenta, membranas, & non nunquàm ad interna viscera.

Cauſæ.

Putant Galeniſtæ eandem esse ulceris sinuosi cauſam, ac fistulosi, fistulam enim penes callum tantùm à sinuoso ulcere differre certum est. Callum in fistulâ fieri autumant à puris crassitie, & visciditate, quæ orificio potiùs, quàm toti cavitati, & fundo adhæret.

Fistularum cauſam ab ulcere sinuoso deducimus; si enim in ulcere sinuoso pus quod salinis, sulphureisque particulis exaltatis scatet, non abstergatur ad moram stagnat, & crassus, terrestrisque mucus, jàm evaporis subtilibus particulis, quibus erat refertus, comprimitur, coagulaturque ob acidum à fermento reſultans, vel ibi exaltatum, ac cuniculorum parietibus fortiùs adhæret, & ob succi nutritij affluxum perennem, earum orificia, & latera obturat, comprimit, exsiccaturque, & in scirrhoſam duritiem, foraminulo ad fundum usque relicto, occalleſcit.

Prognoſis.

Vulgares fistulas curari non debere asseverant, quia natura eorum Deastra per eas, tanquàm per cloacam, universi corporis colluvies derivatur, quare, si hæc via impediatur, maximum vitæ impendet periculum, ne insolitam, atque deteriorem sibi viam pandant & mortem inferãt apropter perpetuò patulas servandas esse dicunt, & quandòque si ex ipsis, vel alio modo occludãtur, rursùs aperiẽdas præcipũt, quia non solùm vniverſum corpus ab alijs tuetur malis, sed etiam aliorum morborum sunt medela. His, similibus; falsis imaginibus mortis metum minantur. si curentur incolumitatem, si non curentur, spondent. Coeterùm hac versutiâ miseris imponunt ægrotis, & quos ipsi curare nesciunt, ne alij curent, efficiunt. Eapropter fistularum curatio non barbitonsorem, vel balneatorem, non chirurgastrum, vel Galeniſtam requiri, sed chirurgum dextrum, peritum, & benè exercitatum.

Omnes fistulæ Generaliter curatu difficiles judicantur, plus tamen difficultatis aliæ, aliæ minus habent, quædam aliæ planè lethales censentur. Minùs curatu difficiles sunt recentes, quæ carnoſas occupant partes in corpore juveni, robuſto, & faciliorem coeteris spondent curationem; difficiliorem autem minantur, quæ antiquiores, & profundiores sunt, quæ plures habent cavernulas, si languentis corpus debile, vel senile, valetudinarium sit vel pravis scateat succis, curationis difficul-

Unable to display this page

haſtulæ legia melle illita, vel radix ellebori nigri, præcipuè ſi affectus humoris melancholici naturam ſapiat, & hujuſmodi medicamenta per triduum in cavitate detineantur. Potentiora ipſorum exedentia ſunt *chalchantum uſtum*, *puluis cantharidum. Lac eſulæ*, *aqua calcis viuæ &c.* ſed præ omnibus, ſi callus ſit durus, trochiſcos Ioannis Vigonij commendant pro fiſtuloſis ulceribus curandis.

Alij puluerem ex corroſivis conficiunt, & per cannulam in foramen inſufflant. Quidam eoſdem puluerescum mulſâ diſſoluunt, & per ſiphonem in fiſtulæ foramen injiciunt, & id obſervant, ubi fiſtulæ ſunt nimis profundæ, cuniculoſæ, & anfractuoſæ; illuc enim tantùm liquida penetrare poſſunt. Vel aquam fortem probant in tortuoſis, ac labyrinthi modo flexuoſis, quia omnes fiſtulas mortificat, earumque callum exedit; verùm hæc non ſine evidenti vitæ periculo adminiſtrari poteſt ob ſæviſſima accidentia, quæ excitat. Dùm hæc medicamenta applicant, ad vitandam fluxionem, & inflammationem propter dolorem ſemper defenſiva adminiſtrant. Poſt calli eroſionem partem abſtergunt, & illa adminiſtrant præſidia, quæ cavitatem implendi, carnemque regenerandi facultatem habent.

Cœterùm nil efficacius, & expeditius quàm inciſio, vel aduſtio, preſertim ubi fiſtulæ ſunt nimis profundæ. Secant & primò ſpecillum ligneum intrudunt, ſupra quod inciſionem inſtituunt. Scalpello, vitatis vitandis, fiſtulas operiunt, donec ad fundum deveniant. Sequenti die callum, cauſtico vel corroſivo abſumunt, vel uſtulant, & omninò auferunt vel fiſtulas candēti ferro inurunt: Peractâ operatione, *oleo roſaceo cum ovi vitello agitato* dolorem leniunt, quo facto, *butyro recenti, vel alijs unctuoſis cum foliis endiuiæ* eſcharam ſenſim emolliunt ad caſum uſque, eſcharâ ablatâ, ſi pus album, læve, æquale & minimè fœtidum compareat, & ulceri laudabilis redeat color, optimum ominatur eventum, & preſertim ſi dolor, tumor, aliaque ſymptomata feriantur, tunc per ſarcotica optimam carnem in loco calli ſuſtitui ſinunt.

Quòd ſi ob ægroti debiles vires, vel ob loci ſitum, in quo fiſtula hæret, & ex curatione vitæ periculum impendet, inſtitui non poteſt, quia neque ſectionem, neque uſtionem, neque corroſionem petitur locus, *curam* inſtituunt, quam *palliativam* appellant, & vere, ac autumno, bis in anno corpus pravis refertum ſuccis optimè deplent, ità enim credunt magnoperè ad ſanitatem conferre, quin & ætatum mutatione ſponte ſaneſcere. Verùm, vt inquit *Paracelſus* noſter, nunquàm hactenùs auditum eſt hoc ulcerum genus per ſe ſanatum fuiſſe, ſed per medicamenta ſolùm, & optimè conditionata, aliàs verò minimè curari teſtatur.

Noſtra de ulcere fiſtuloſo curatio duplici inſtituitur modo, una interna, altera verò externa; interna per potiones vulnerarias procedit, quæ fiunt ex *ſaniculâ*, *pirolâ*, *vincâ pervincâ*, *alchimillâ*,

ari-

aristolochiâ rotundâ, hederâ terrestri, scordio &c. vel per diaphoretica ex *antimonio, mercurio benzoart. min. ocul. contr. spiritu c.c. sale volatili viper. &c.* Vel per decocta lignorum, radicum, & herborum; hæc namque sanguinem, & succos corrigunt, acidum, salsumque fixum temperant, ad resolutionem disponunt, acres ichores, & superfluitates serosas ad effectum locum fluentes eminant.

Externa curatio topica expostulat, quæ callum absumendi energiam habent, hujus farinæ est *mercurius præcipitatus, incarnatus vel albus, vel magnum calcinatũ Paracelsi*, quibus turundæ vino madidæ, & deindè expressæ immerguntur, & intra fistulas immittuntur; quæ ante XXIV. horas non eximantur cum *emplastri fodificationum* superpositione, postmodùm semper recentes introduntur ad totalem usque calli absumptionem. Vel eodem modo *lapide infernali*, vel per cœteris *trochiscis de mercurio meteorizato, opio, & gummi tragacanthi* paratis utimur. Si plures anfractus habeat fistula, aptiora erunt medicamenta in formâ liquidâ, qui a faciliùs totam scrobem, & anfractuositatem penetrant, & callositatem exedunt, hujusmodi sunt *aqua mercurialis, aqua salis armoniac. n.d. spiritus salis armoniaci, oleum antimonij, vel mercurij.* Amoto callo, *balsamo sulphuris terebinthinati, vel balsamo proprietatis per infusionem*, vel unguentis sarcoticis uti possumus ad novæ carnis suffectionem.

Summoperè in ulcere fistuloso commendantur Thermæ quædam naturales, sic in *Ænariâ balneum Gurgitelli, & fontanæ, in agro Puteolano balnea solis, & lunæ, ac Cantarelli.* In talium aquarum defectu sustituimus decoctum *scordis, agrimonis, florum hyperici &c.* in cujus singulis libris soluta sit *lapidis medicamentosi unica una*; debent tamen tàm naturalium, quàm artificialium thermarum aquę calidæ per siphonem in fistulosum locum injici.

Aliqui chimicastri, omnibus incassùm tentatis, in fistuloſi ulceris curatione ad *aquas stygias* confugiunt, sed semper infelici cum successu; hæc namque aqua, sicut & *oleum vitrioli, vel sulphuris* semper suspecta sunt, præsertim in fistulâ lacrymali, vel aliis in locis ejusdem conditionis, ob motum excursûs in vicinas partes, & plus solidis, & crassioribus hujus metûs expertibus confidimus.

In nostrâ curatione nullam de ferro, & igne mentionem fecimus, nàm nos in eâ sumus sententiâ rarò, vel nunquàm ad ferrum, sive ignem actualem confugiendum fore; facilè enim nervosæ partes, venæ, sive arteriæ lædunturi: tentanda ergò sunt remedia generosa suprà à nobis proposita. Præterquam quòd quandòque loci conditio nec corrosiva, nec ferrum, neque ignem actualem admittit, & tunc ad galenistatum curam palliativam necessariò, tanquàm ad sacrum asylum, recurrendum est.

CAP. XXI.

De Vlcere cum ossis Carie.

INter cœtera accidentia, quæ ulcetris consolidationem remoran-

tur, præsertim est os carioſum ulceri ſubjectum, quo exiſtente, ulcus, quod in carne exiſtit. ut ſaneſcat, impoſſibile est; quin potiùs oſſis caries tollatur. Quod ſi quandòque cicatrice obduci videatur, tempore sat exiguo denuò aperitur. Sicut propriè caries in lignis dicitur, cùm à vermiculo eroduntur, ità peculiari nomine caries ad oſſa pertinere videtur, quia hujuſmodi vitium est oſſibus attributum; attamen etiam impropriè, & analogicè ad carnes exeſas ſe extendit. Est igitur oſſium caries oſſium corroſio à ſuccis acribus, & corroſivis proveniens.

Signa.

Sine ulcere ſordido, aut fiſtulâ rarò obſervatur oſſium caries, prout enim ulcus carnoſas, ac fibroſas, molles partes est, ſic caries duriores, ac oſſeas: Ulcerii igitur cum oſſis carie ſigna partem ex ſe patent, partim verò judicio explorantur. Ex ſe patent, ubi os est denudatum, caries viſu comprehenditur; oſſa enim quæ carie tentantur, livida vel decolorata, vel nigra, vel carioſa, & inæqualia ſpectantur. His referta coloribus apparent, quia & ſphacelata ſunt; nàm os, dùm vivit, ſubrubrum est, quandò mortuum, album, cùm corruptum, lividum, vel nigrum. Caro ulceri circumpoſita est ſpongioſa, mollis, fungoſa, in ſuperficie deprehenditur ſublivida, & pallida, & ſæpè lardi inſtar.

Caries non detecta judicio exploratur, ut ſi diuturnus præceſſerit tumor, aut malignus abſceſſus, aut ulcus dyſipulotum, cacohoëticum, contumax, vel vetuſtius, ut inquit *Hip. aph. 45. ſect. 6. In ulceribus annuis, aut etiam diuturnis abſceſſum cum oſſe communicari eſt neceſſe, & cicatrices cavas fieri.* Caro est mollis, & livida, hujuſmodi nàmque caro oſſis vitiati quodammodò pathognomonicum ſignum est; ſiquidèm ad oſſis cariem cutem, & carnem non contaminari impoſſibile est. Sanies, quam ulcus eructat ſanioſum, tàm est copioſa, quàm ulceris conditio non fert, pinguis, oleoſa, mox fœtida, quandòque flava, ſubviribus, ut plurimùm tenuis, & fluida, nigra, & in eâ fœtens. Si ſanguis effluit, est niger, & coagulatus. Tandèm oſſa vitiata ſpecillo explorantur, quæ aſpera, & inæqualia deprehenduntur, quandòque mollia, & multis prædita cavernulis, ac ſupra turundas, aut emplaſtra macula nigra apparet.

Cauſæ.

Pro ulcere carioſo accuſant vulgares humores acres, craſſos, vel frigidos, ſed frequenter malignos, virulentos, putridos, ac prorsùs corruptos, qui ex alicujus viſceris, & præſertim hepatis vitio producuntur. Verùm hoc eorum dogma univerſalia continet verba, quæ multum dicere videntur, cùm nihil dicant. Præterea non explicant, qua acrimoniâ, malignitate, & virulentiâ humores ſcateant; nec quomodò humores craſſi, & frigori oſſa exedunt, intelligere poſſumus; nec quomodò hi humores quandòque oſſa erodunt, canum inſtar, carne non exesâ, exponunt. Pro hujus affectûs generatione in medium hepar, omnium morborum

rum patronum, afferre sufficit.

Juxta nostram sententiam fit ossium caries in ulceribus ità: In tumoribus diuturnis, ulceribus annis, & cachoëticis quandò obstructa sunt vascula, liquor, sive sit succus alibilis, sive lympha, obstruens ob moram ferramentatur propter particulas salso-acidas, & quo diutiùs remoratur, eò diutiùs fermentatur, & majorem adipiscitur exaltationem, ineptus ad ossium nutritionem redditur, & ob molem, & figuram ad evaporationem inhabilitatur; unde particulæ acidæ, salinæ, & acres, acutæ, angulares suis spiculis periostium, corrodunt, quod ex præviis sæpenumerò doloribus acerbissimis conjicimus; dolores namque à particulis acidis, salinis, acribus provenire nemo est, qui ambigit, ut in venereis grammatibus observamus, sub quibus post diuturnas noctis torturas ossa cariosa fieri necesse est. Postmodùm ipsæmet particulæ ossium poros invadunt, lacerant, perforant, & cariant, quia ultimum exaltationis gradum adeptæ fuêre.

Solet quandòque os tantùm cariari, incolumi existente carne, verùm id intellectu difficile videtur, & omnem vulgarium superat intelligentiam, & tamen autopsia veritatem multoties nos cum multis edocuit, cujus ratio est, quia salsa, acida, actiaque corpuscula ossium poris non conformantur, sicuti carnibus, hoc est tali pacto sunt conformata, ut non adaptentur ossium proorsitatibus, unde eas lacerant, exedunt, cariemque inducunt, & aliis mollibus partibus adaptentur, atque hinc fit, ut nonnunquàm ossa sint, circumjacentibus partibus sanis existentibus, ut in dies in illà pertinaci affectione, quam Barbari medici spinam ventosam appellant, observamus.

Prognosis.

Ulcus, uti os carioſum subest, curationi reluctatur; cicatricem enim non suscipit, & estò quandòque ad eam deveniat, brevi temporis intervallo iterùm aperitur, ideòque difficilis est curationis, nisi os ad lœvorem deducatur, & nihil magis medicos fatigat in curandis ulceribus, quàm ossis caries, & corruptio. Si ulceri cum ossis carie circumducta caro sit livida, malum inquit *Hip. aph. 2. sect. 7. In ægrotante caro livida, malum*; non enim magnam labefactationem, sed etiam insignem ossium corruptionem denotat. Augetur nihilominùs curationis difficultas in corpore cacoëtico, si circa partes nervosas, ut in manibus, & pedibus, vel in junctûris, & magnorum ossium capitibus, vel circa musculosum capita, & tendines, quia plerùmque nervi, ut tendines simul corrumpuntur, vel circa arterias magnas, & venas, fit ossium caries, quoniam ustiones, abrasiones, & fortium medicamentorum applicationes impedit, quæ alioquin indicantur, ut putrida ossis pars à sanâ separari queat. Non leve quoque intectûs discrimen mutilatio portendit, ob prava, quæ excitat accidentia, præsertim cùm abraditur, vel ustulatur, vel temerè à medicastris erodentibus medicamentis exagitatur; horrenda enim erysipelata, ut notat

Hip. sect.6. aph.19. Ex ossis denudatione erysipelas, vehementissimas inflammationes, exuberântes sanguinis profusiones, & exitiales gangrænas observavimus.

Curatio.

In ulcere carioso vulgares primò humores pravi, à quibus malum fovetur, ne generentur, prohibent probâ victûs ratione, quæ non tantùm ex optimis cibariis esse debet, sed etiam admodùm tenuis, qualis à curante chirurgo præscribitur. Deindè humores, qui in corpore redundant, ne ad partem affectam deferantur sanguinis missione, & medicamento purgante avertunt. Postmodùm, quia ulcus carioſum sanari nequit, nisi caries auferatur, carnem, cui os subjicitur, si adsit, *alumine, vel calcantho usto, vel pulvere sabinæ* abscindûnt. Si orificium in carne sit angustum, illud *turundâ ex spongiâ contortâ, vel radice gentianæ* dilatant. Detecti ossis lævigationem moliuntur euphorbio, vel peucedano, quòd si non succedat, ad limæ usum confugiunt. Verùm nunquàm lima os læve, sed semper asperum, & inæquale reddit, præstabit cultro abrasorio uti ad ossis lævigationem.

Si os corruptum fuerit, naturam præstolantur, ut illud propellat, sed longa, & diuturna expectanda est ejus separatio; interdùm enim post quadraginta dies, interdùm sexaginta: quandòque octaginta, & nonaginta juxta ossis majorem, vel minorem duritiem in his ossibus corruptis propellendis laborat. Verùm sunt quædam ossa ità dura, & densa, ut si corrumpantur, non tantum in nonaginta, vel centum non separantur, sed potiùs per totum vitæ curriculum, ut de calcis osse refert *Gal.2. de fract.com.2.t.21.* perdurent, & interim ob moram vitium pars syncera contrahit, si totum separationis opus naturæ committunt. Hinc nonnulli nasutiores vulgares ad ossis excisionem confugiunt, quam scalpro exciſorio, & malleolo assequuntur, eodem ferè modo, quo statuarii statuas efformant, quousque corruptum decisum fuerit, deindè *pulvere myrrhæ, aloës, aristolochiæ &c.* aspergunt. Sed si os corruptum ad medullam usque penetret, à chirurgiâ prorsùs abstinent, siquidèm sæpe observatum fuit detectam medullam putrescere, & circumpositas partes contaminare, atque corrumpere; tunc siccis medicamentis, uti sunt *radix peucedani, iris, opoponax, squama aëris &c.* vel ferro ignito nutrimento privant: inquiunt os nutrimento destitutum decidere, non aliter ac autumno ab arboribus folia cadunt, cùm humido radicali destituuntur. Verùm neque scalpris, neque ferris ignitis, neque alimenti privatione ossis caries removeri, & superari potest.

In ulceris carioſi curatione omnes intendimus nervos, ut pars carioſa, utpotè mortua, separetur à vivâ, cum qua nec coalescere, nec diù permanere potest, quin eandem itidèm inficiat, & ad similem corruptionem sensim disponat, undè malum in dies pejorat: eapropter, ne ampliùs incrementum sumat, extemplò, si corpus sit cacochymum, pi-

pilulis mercurialibus deplemus, postmodùm curationem tàm internam, quàm externam adhibemus.

Interne ea propinamus medicamenta, quæ particulas acidas, salsas, acres, acutas erodentes absorbent, obtundunt, infringunt, corrigunt, in quem finem conducet *decoctum chinæ, ligni visci querni, aliorumque lignorum.* Similiter *sal volatile viper. c. c. succini, fuliginis, eboris, stibium diaphoreticum.* Item *ebur sine igne paratum, c. c. eodem modo præparatum, oculi cancrorum &c.*

Externa curatio est, si os carie affectum sub oculos non veniat, quia carne obductum est, specilli exploratione deprehenditur, tunc caro absumatur *aquâ salis armoniaci, vel mercurio præcipitato albo*, quòd si callosa erit, exedatur levi attactu *spiritus mercurii albi.* Si detecti ossis superficialis sit caries, ejus fiat abrasio ad lævorem vel *caryophyllorum essentiâ, vel oleo succini rectificato, vel balsamo proprietatis, in quo facta fuerit euphorbii, peucedani, radicis bryoniæ, & aristolochiæ rotundæ infusio*, cariem illine, & affectum admiraberis, postmodùm sarcaticis utere.

Ossis corruptio si profundior erit, tunc totum corruptum auferri debet, quia quod emortuum est, neque corrigi, neque emendari, neque in naturæ gratiam redire potest, nàm à privatione ad habitum naturaliter non datur regressus. Nec naturam pro ossis corrupti separatione expectare possumus, quia expectatio periculum minitatur, & nisi ablatio ocyssimè fiat, irreparabilis sequitur mors. Verùm difficultas in carie curandâ est, quia remedia convenientissima multoties satis convenienter applicari non possunt; partes nàmq; ossibus proximæ, tendines, nervi, & similes ab actuali cauterio simul lædantur, & intolerabiles excitantur dolores. Imò augetur malum, quandò sæpiùs illa actualia applicantur cauteria, quæ unicâ vice parùm præstare solent, at sæpiùs iteranda sunt, si effectum producere debeant. Caro itaque superjacens absumatur medicamentis suprà propositis, vel causticò, seu cauterio potentiali. vel dissicetur, quousque os corruptum denudetur, & ne nervi, tendines, musculorum capita, arteriæ, aut venæ majores lædantur, secundum partis longitudinem, & fibrarum ductum, neutiquàm per transversum instituatur; verùm non semper ità commodè fieri potest hæc operatio, quin aliqua harum partium læsio non oboriatur. Ad medicamenta igitur, quæ non tantùm acida, & corrosiva salia cicurant, corrigunt, obtundunt que, verùm etiam, quæ os carioſum lævigant, & corruptum à sano sequestrant, meliùs confugiendum putamus, hujusmodi sunt *oleum caryophyllorum, cinnamomi, succini, ligni guajaci, camphoræ, tartari p. d. spiritus salis armoniaci cum calce confectus, elixir vitæ, balsamus proprietatis per infusionem*, quibus singulatim uti possumus, vel composito modo ità:

℞. *Ol. caryophill.*
succini, &
guajaci ana ʒ*ß. m. vel*
vel
℞. *Ol. camphor. per ovi albu. parat. &*
cinnam. ana ʒ*ß. m.*

Quæ

Quæ tepidè ter, vel quater in die repetenda sunt, & quidem plumaceola his imbuta imponantur. Vel hæc simplicia applicari possunt, ut *myrrha, aloë, aristolochia, cortex panacis, peucedani &c.* Vel ità medicamenta composita concinnamus, & præ aliis nostram emphorbij tinctu ram, ut

℞. *Euphorbij* ʒ. *ij.*
radic. peucedani,
aristolochiæ rotundæ,
bryoniæ ana ʒ. *ß.*
myrrhæ, &
aloës ana ʒ. *ij.*
caryophyllor. ʒ j.
Infunde in aquâ Reginæ Hungariæ ℔ ß. *per quinque vel sex dies, deindè tinctu-ram elice, & ad usum serva.*

Vel

℞. *Balsam. propriet. per infus.* ʒ. *iij.*
iridis florentiæ ʒ. *ij.*
cinnam. ʒ. j. ß.
succ. bryoniæ ʒ. *iij.*
camphoræ ʒ. j.
Stent simul per duos, vel tres dies, deindè decanta, & serva.

His tincturis lintea imbuta carioſis, vel corruptis ossibus bis, vel ter in die imponi possunt. Nonnulli *oleum sulphuris, vel vitrioli* commendant, verùm quia corrosiva sunt, meritò repudiamus. Tandèm de ossis carie fusiùs egimus *De Lue venerea lib.* 3. *c.* 20. *de ossium corrosione, & Tomo* 1. *de Tumoribus cap.* 70. *De Spinâ ventosâ.*

Ubi tandèm ossis carioſa, vel corrupta pars ablata fuerit, ulcus carne implendum, & cicatrizandum.

Cap. XXII.

De Vlcere cum carnis excrescentiâ.

Solet quandòque in ulcere caro luxuriare, & nimis quàm par est, excrescere, quod vitium græcè hypersarcosis appellatur, hoc ubi accidit, ne ulcus cicatrizari possit, impedit.

Signa.

Ulcus cum carnis excrescentiâ signis non indiget, sed visu deprehenditur, sensim nàmque caro quædam sylvestris incrementum sumit, solida non est, sed mollis, laxa, & spongiosa, exulcerationem secùm affert, & spurcum fundit ichorem.

Causæ.

Putant vulgares carnis excrescentiam ulceribus accidere vel ob sanguinis copiam ad partem ulceratam confluentis, vel ob scortica nimis debilia, & minùs quàm par est, exsiccantia adhibita. Cæterùm errant vulgares chirurgi putantes sanguinem corpus nutrire, cùm excarnes plurimo abundent sanguine, & corpulenti minimo; id enim pluribus in locis repudiavimus, cùm sanguis ad vitalitatem tantùm inserviat.

Ulceris hypersarcotici causa est crassa, & viscosa ulceris impuritas, vel ipsa unguentorum crassities, quæ cum succo alimentatio extra solidas fibras agglutinatur, & in luxuriantes degenerat carnes, ceu à tardi

conspurcatione ac arboribus viscus innascitur.

Prognosis.

Ulcerum excrescentiæ dùm averrucantur, si radiculæ remanent, necessariò regerminant. Ichor ex sarcomate excedans tendines ligamenta, & nervos corrumpit, ac totam affectam partem periculo subjicit, & quandòque dictæ excrescentiæ in cancerosam migrant naturam.

Curatio.

Pro ulceris hypersarcotici curatione vulgares primò inediam ægro imponunt ad sanguinis diminutionem, deindè ad medicamenta carnes luxuriantes exedentia se convertunt. Undè si ob sarcoticorum nimis debilium usum caro luxuriare incipiat, detergentia, & exsiccantia usurpant. Hujus farinæ sunt *linimenta sicca, spongia usta aloë, vitriolum, vel alumen ustum, sabinus pulvis, unguentum ægyptiacum, vel apostolorum, aqua calcis vivæ, aqua aluminosa fallop.* Si his a non cedat remediis hypersarcosis, ad incisionem confugiunt. Verùm incisio formidolosa est, nec funditùs adimitur, undè hypersarcoseos impromptu est regerminatio. Vel ad ignem accedunt ad quem rarissimè confugiendum est, nisi summa urgeat necessitas, & prædicta remedia diù, & incassùm fuerint adhibita.

Ulceris hypersarcotici nostra curatio eadem exposcit interna remedia, ac in aliis ulcerum speciebus diximus; quò ad curationem verò externam tantummodò variat, & quidem externa ea conducunt medicamina, quæ carneas extirpant excrescentias. Ad hunc finem expertum pulverem habemus ex alumine usto, & pulvere sabinæ ana, vel vitriolum crudum pulvere tenus, vel hunc pulverem, quem centies experti sumus, ut

℞. *Vitrioli,*
aluminis usti, ut
salis armoniaci ana ʒ. j.

fiat horum pulvis subtilissimus.

Si fortia desideras, uti poteris *mercurio albo, vel rubro, vel magno calcinato Paracelsi.* Si hypersarcosis sit magna, & contumax maximoperè conducet *lapis infernalibus, vel oleum vitrioli, vel sulphuris, vel antimonij,* sed in applicatione maxima adhibenda est dexteritas, ne naturalis tangatur caro. Sed Carnis excrescentias optimè coërcet *spiritus salis armoniaci, vel spiritus mercurij albus,* quas absque ullo recidius timore exterminat. Nonnulli chymicastri ad has excrescentias extirpandas *aquâ fortis* utuntur, sed non est laudabile medicamen, nàm cauti est, & quia spirituosa, multùm se diffundit pruritum excitat intolerabilem, & carnes exedendo inflammationem producit.

CAP. XXIII.

De Ulcere canceroso, lupo, & Noli me tangere.

SUpervenit interdùm ulceribus tumor quidam à latinis cancer, & à græcis carcinoma appellatus, & quandòque cancro ulcus supervenit. Dicitur cancer ob similitudinem, quam

quam cum cancro in aquis degente habet vel dicitur cancer, quòd sensim serpit cancri piscis similitudine. Vel quòd venas circa se habet extensas, ac turgidas, quæ cancri marini pedes exprimunt divaricatos. Vel ob capacitatem, qua rei semel apprehensæ hamulosas chelas, & pedes ità infigit, ut difficilis sit extricatio, & grave effugium. Est cancer tumor lividus, durus, initio parvus, sensim, ac sensim à succo acidiore, & acriore factus adjacentes corrodente, cum dolore partis affectæ molesto.

Cancer alius est occultus, seu non exulceratus, vel ut aliqui malunt, qui sine ulcere radices in abditis corporis partibus occultas habet, ut qui in palato, sinu muliebri &c. latitat. Occultis ab aliis tumoribus multùm differt, nàm isti perfectam nanciscuntur suppurationem, vel sui apertione exonerãtur, digerantur, mundificantur, & perfectè curantur; cancer verò apertus recrudescit, augetur, irritatur, efferascit, & nunquàm curatur. Alius est manifestus, seu exulceratus, & labia, habet prætumida, foris emersa, & maximè dolentia.

Nonnulli lupum, & noli me tangere à cancro sejungunt, verùm hæc ulcera cancri species indicant, estò *Manardus lib. 7. c. 1.* ad phagedænas magis referat. Est itàque lupus ulcus tibias, vel crura utplurimùm obsidens, exulcerato quoque cancro non absimile. Cæterùm in reliquis corporis partibus etsi ejusdem sit pravitatis, lupum absolutè nominari non censemus. Ità hoc ulcus vulgò nominatum fuit, quia corrosivus succus illud causans, propinquas exedit partes, nisi obtundatur ejus corrosio, & haberetur appositione carniũ gallinacearum, vel vitulinarum; eas famelici lupi instar exedit, & absumit, estò hanc opinionem fatuitatem appellet *Iohannes Philippus Ingrassias*, tamen eodem carnium pabulo post multa medicamenta incassùm adhibita, quandã mulierem ab Empirico lupo laborantem sanatam fuisse legimus.

Noli me tangere est, cùm in facie, præsertim supra mentum, circa os, & nasum tumor, vel ulcus cancri speciem referens oritur, lentè initio crescens, quasi parva pustula toto anno manet, quæ aliàs minùs serpit, quàm cancer, undè noli me tangere tantùm unico mense corrodit, quantùm cancer exulceratus unicâ die, Talem nomenclaturam sortitum esse putant, vel quia contagiosum cùm sit, tangentem manum malè afficere potest; vel quòd fricari non debeat, cùm quò plùs manu tangitur; & fricatur, eò deterius redditur; tùm demùm quia exasperatur, & exacuitur potiùs ab applicatis remediis, quàm mitigatur, & in sanas serpit partes.

Signa.

Ulceris cancerosi signa facilè deprehenduntur ex ulceris formâ, quæ inæqualis est, cavernosa, & obstracosa; Ex odore, quem fœtidum, & cadaverosum emittit; Ex excretis, effluit nàmq; materia sordida, fœtida, ichorosa, & interdùm flava; Ex dolore, qui est ferè intolerabilis, & æger non aliter dolorẽ percipit, ac si aciculorum myriade pungatur, nunquàm deest, saltim per intervalla, & noctù exasperari solet; Ex colore, qui fuscus Est; ex aspe-

aspectu, qui horridus, teter, & abominabilis est; ex attactu, qui est durus, & obstinatus, aliquandò etiam mollis; Ex ulceris labiis, quæ sunt crassa, prætumida, erosa, & foris inversa. Venæ etiam circumpositæ turgidæ, varicosæ, ac nigricantes, apparent, & cancri pedes quodammodò repræsentant, quia sanguinis motus ab affectæ partis densitate, & constipatione feriatur. Interdùm venarum, & arteriolarum extremitates absumuntur, & corrodantur, & magna sæpè sanguinis profusio sequitur. Carnes proximæ sæpè ità in mammarum cancro exeduntur, ut absumtis partibus musculosis, in ipsum thoracis specum inspicere possumus. Febris adest lenta, cibi fastidium, & sæpè animi deliquia. In aliquibus tandèm sequitur hydrops, quem ipsa excipit mors.

Causæ.

Tanti mali causam Galeni sectatores ab atrâbile deducunt, & hinc jecur, & lienem calidâ, & siccâ intemperie obsessum accusant; hæc nàmque viscera putant congenerem generare sanguinem calidum, & siccũ (scil. adustum. Cœterùm internum sanguinis ustulatorem non assignant; præterquam quòd implicat in terminis esse humorem, & esse siccum. In omni corporis parte cancrum nasci posse dicunt, in mulierum autem mammis præcipuè, quia earum substantia est laxa, & spongiosa, non primariò, sed secundariò per amicum consensum, ob uteri vitium, & mensium suppressionem laborantis; in virorum scapulis ob hæmorrhoïdum retentionem, in quibus locis venas nigriore sanguine ad cancri animantis pèdum similitudinem ten-

sas observari scribunt. Hujus etiam opinamenti *Paracelsum*, illum medicinæ novatorem fuisse legimus, qui alium cancro non destinavit locum, quàm ex menstrualibus ad pectus, & ex hæmorrhoidibus inter scapulas, & estò quò ad locum *Paracelsus* cum vulgaribus malè consentiat, cùm omnes corporis partes tanto malo sint obnoxiæ, quò ad causam tamen ad scopum collimat, quia ed salia realgarina in locustis depositа recurrit, & revera menstrua, & sanguis hæmorrhoidalis salibus corrosivis abundant.

Pro causis remotis assignant vulgares ea omnia, quæ sanguinem adustum, & melancholicum producere possunt, ità sunt carnes fumo induratæ, allium, porrum, cæpæ, legumina, præcipuè lentium esus, cochleæ, vigiliæ, aër nimis calidus, & siccus &c. Internæ sunt menstruorum, vel hæmorrhoidum suppressiones, & sicca hepatis, vel lienis intemperies, vel imbecillitas. Conjuncta verò causa est sanguis melancholicus adustus, qui postquàm acrior redditus, & contumacior factus, in venis impactus putrescit, & cancrum efficit ulceratum.

Nonnulli vulgares dubitant, an cancer inter calidos, vel frigidos tumores referendus sit, cùm humor melancholicus terræ elemento correspondeat, quæ per ipsos frigida, & sicca est; hujus sententiæ fuit eorum *Galenus* 2. *ad Glave* c. 10. *estò libro de tumoribus* c. 8. 10. 11. *palinodiam canat.*

Verùm nonnulli etiam vulgares humoris melancholici, seu atræbilis insufficientiã considerantes, non enim hic humor tantoperè sævit ut carnes

exedat, hujus humoris in ſuſpicionem venire cœperunt, & ità in diſſidia abierunt, ut quidam magis eorum ignaviam fateri, quàm bardis Galenicis aſſentiri voluerint, hujus morbi ſævitiam cauſæ occultæ aſſignantes.

Quoſdã vulgares, ut ſpecioſo pallio ſuam tegerent ignorantem non puduit pro exulcerati cancri causâ uberem vermiculorum maſſam, præminutie viſum effugiẽtium, & carnes deuorantium aſſignare, & unà ipſis putredinem, ac vermiculorum generationẽ ſubminiſtrantium; undè carnes tàm vermiculis, quàm putredine exeduntur. Merùm hos vermiculos nec cum torſo ſpeculo in carnis canceroſæ exeſę fruſtulo, quod excidendum curavimus, præter viſcidum humorem gelationes non abſimilẽ, nec microſcopij ope perſpicere potuimus.

Pro legitimâ ulceris cãceroſi cauſâ ſupponimus glandulas in humano corpore eſſe veluti cribra, filtra, & ſecernicula, quib. liquores à ſanguinis maſſa ſecernũtur; hic plurimis particulis heterogeneis luxuriant, quæ ab arteriolarum, & venularum poris in vaſcula, quæ glandulas conſtituunt, deponuntur, ſed quia liquor, qui per glandulas ſecernitur, heterogeneus eſt, neceſſe eſt, ut omnes ſingularum particularum pori fint diverſimodè confirmati, liquor glandulas permeans, particulis ſulphureis, ſalinis, alkalicis, & phlegmaticis ſcateat, quòd ſi unicuique particulæ proportionatus non datur porus ad liberum commeatum, nec harum inſenſilis ſuccedat tranſpiratio, ex remorâ obſtructio neceſſariò ſequitur. Cœterùm ſi particulæ acres, acidæ, vitrioliçę per glandulas fluentes impingant, ſtagnent, & ſalinis, ſulphureiſq; conjungantur, pedetentim fermentãtur, acuuntur, exaltantur, & adeò realgarinam nanciſcuntur corroſionem, ut aquam æmulantur ſtygiam, ac proindè tubulos cum carne, & membranis corrodunt, abſumunt, exedunt, exulceraſque.

Antecedens cauſæ ſunt omnes illæ, quæ ſalia, ſulphura &c. in ſãguine inducendi poteſtatem habent, & primò cruditates in abdomine cumulatæ ob fermentorum vitium. Secundò, viſcerum obſtructiones, præcipuè in ipſis glandulis, quæ & à ſanguine viſcide, terreſtri, ſale fixo, ac acido referto oritur, à quo melior lympha à glandulis ſeparati non poteſt, in quibus ſtagnant ſucci, & de die in diem cauſtici redduntur, & continuò deſcindunt, corroduntq; ac aliam planè texturam canceroſam in glandulis efficiunt. Tertiò, diuturna mœſtitia, & ſimilia animi pathemata, vel mẽſtrualis, aut hęmorrhoidalis ſanguinis ſuppreſſio, quoniam ab hiſce multa elevantur miaſmata, quę ſanguinis maſſam conſpurcare valent. Externæ ſunt, vel fortior glandularum confuſio, vel preſſio, undè glandularum tubuli obſtruuntur.

Dolor in cancro exulcerato intolerabilis excitatur à particulis ſalinis, & acidis, quæ acutiſſimæ ſunt. prædictæ nàmque particulæ, dùm fermentantur, fibrillas nervoſas, & tubulos pungunt, contrahunt, convellunt, corrodunt, exedunt, undè neceſſariò continuus, vel ſaltim per intervalla, exquiſitiſſimus dolor à particulis acutis oboritur.

Materia, quæ ex cancro fluit, ità ca-

cadavericum spirat anhelitum, ut non solùm adstantibus, sed etiam ipsi ægroto nauseam pariat, ex qua colligimus cancrum exulceratum à gangrænâ parùm differre, quia idem ferè in utroque observatur fœtor. fœtor hic à sulphure putrefacto, ejusque particulis oleosis, & volatilib. oritur.

Materiæ diversitas ex cancro exulcerato promanans, à diversorum tubulorum discessione, & exesione dependet, quia in nonnullis tenuior, & albidior, in quibusdam crassior observatur succus, imò dissectis vasis sanguiferis, sanguis emanat, qui si cum impetu exilit, ex arteriolis, si absque, ex venulis effluit.

Lenta in cancro febris ab iisdem particulis corrosivis resolutis oritur, & in sanguinis massam delatis, ejusque mysturam vitiantibus.

Animi deliquium provenit ex particularum fermentatione in parte affectâ stagnantium, quarum plures acidæ particulæ ad sanguinis massam deferuntur, quæ eò delatæ ipsum incrassant, coagulantque ac circulationis motum ad tempus impediunt, & animi deliquium inducunt.

Solet quandòque cancer per plures annos sub exigui tuberculi formâ delitescere, quia salinarum, sulphurearumque acutæ particulæ phlegmatis compedibus obvolutæ vinciuntur, feriantur, sopiuntur, & nullum exesionis motum edunt, donec præditæ particulæ à viscosi humoris vinculis, quibus anteà ligabantur, extricentur, & aciculis suis pungere, scindere, & exedere incipiant.

Prognosis.

Ulcus canceroſum vanâ spe vulgares ludit medentes, undè chirurgorum dicitur opprobrium, & ægrotantium dirus carnifex, ac nullus ferè morbus est, qui ægris ingentem incutit metum, quàm cancer exulceratus, nullusque est, qui chirurgos magis fatigat, & pudore afficit, quàm hoc immane portentum, tùm quia sanguis in partibus concretus ægrè ob validas concretiones, & nullo modo discuti potest, tùm quia ultimùm acrimoniæ, & malignitatis gradum nactus est; ideòque vulgò dicitur, leviora contemnit remedia, & à fortioribus exasperatur, & præcipuè ubi altas fixerit radices, nullis remittitur præsidiis. Hanc veritatem comprobavit *Hip. sect. 6. aph.* 38. inquiens: *Quibus occulti cancri adsunt, non curare melius curati enim citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt.* Et hoc idem innuisse videtur *Ovidus*, cum cecinit:

Curando fieri quædam priora videmus
Ulcera, quæ melius non tetigisse fuit.

& ratio est, quia omnes, qui ejusmodi cancros exulceratos curare tentant, magis illos corrosivis irritant. Quòd si quandòque aliqui curati fuère, vel in tuto non fuit, nàm curatio radicitùs subsequuta non fuit, undè malum deindè deplorabile priore peius regerminavit, & mortem intulit. Nos verò mitiorem cancri exulcerati prognosim, quàm vulgares instituimus, præcipuè si exteriores corporis partes occupat, & remediis acre corrosivum obtundentibus tractetur. Chirurgiam

quandoque repudiamus, quia utplurimùm non ſine magno ſanguinis profluvii, & vitæ periculo ſuccedit: attamen cancer in aliquâ corporis cavitate contentus, ut in ano, vulvâ, palato, linguâ &c. difficillimè, curatur, niſi exilis valdè fuerit, & chirurgiâ facilè tolli poſſit.

Curatio.

Cancri ulcerati curatio apud vulgares conſiſtit primò in ſex rerum nonnaturalium vulgò dictarum moderamine, undè aërem eligunt temperatum, victûs rationem, quæ ad humidum, & frigidum vergat commendant, cum eorum abſtinentiâ, quæ atram bilem gignere, vel excalfacere poſſunt. Pro potu acida vitanda jubent. Motus magis, quàm quies conducit, quia atrabilarius humor fluidior redditur. Somnus moderatus magis prodeſt. Alvus ſervetur lubrica, & ſiqua conſueta evacuatio fuerit ſuppreſſa, omni ſtudio promoveatur. Veneris uſus ſit rarus, Mæſtitia, terror, metus, aliaque hujuſmodi animi pathemata magnoperè nocent; ſanguinem nàmque alioſque humani corporis ſuccos coagulant, & ad motum ineptiores reddunt. Lætitia, gaudium, fiducia, ſpes maximè proſunt; hæc enim copioſam ſuccorum diſtributionem per totum corpus promovent.

Deindè purgante medicamento melancholicum deplent humorem, & fæculentum repurgant ſanguinem; inſtituunt tamen purgationem per inferiora, nàm per has partes melancholici ſucci utiliter exturbantur, ut notavit *Hip. ſect. 4. aph. 9. Melancholicos verò plenius per inferiora, eâdem ratione contraria apponentes.* Ad hoc ergò obtinendum primo ſerapiis humores præparant, quos poſtmodùm *ſyr. de fumariâ majori, vel de fumariâ majori helleborato, vel pilulis de lapide lazuli* purgant, & hoc non ſolùm in principio, ſed in morbi decurſu toties, quoties accidentia ſæviunt. Poſt purgationem ea, quæ hepatis fervorem, & totius corporis calorem temperandi energiam habent, propinant. Præterea per diuturnum tempus præſcribunt *ſeri caprini uſum rectè depurati, in quo maceratus ſit epithymus.* Verùm purgantia in cancro nocent, & malum non attingunt; hæret nàmque utpluri mùm partibus ſolidis, & eſtò centies purgabis cancrum non tantùm non curabis, ſed nec tantillùm lenies, imò magis exaſperabis.

Sanguinem è venis ſedis mittunt, vel ſalvatellam tendunt; putant enim ex harum apertione melancholicum ſanguinem educi. Cæterùm canceroſus ex ſanguinis miſſione illud reportabit juvamen, quod ex medicamento purgante, imò aliquid de ipſius vitâ demetur.

Tandèm ad partem affectam varia applicari jubent medicamenta, ſemper exaſperantia vitantes, hujuſmodi ſunt *unguentum populeon cum ſucco ſolani, & plumbo uſto ſimul in mortario plumbeo agitatis*, quibus quandòque addunt *oleum roſarum, ſuccum virgæ aureæ, & petì*, ut præſtantius evadat medicamentum. Vel linimentum concinnant *ex ſucco ſedi majoris, plantaginis, ſolani, pulvere lithargyrii, ceruſſæ, pompholygis*, quibus

quibus ad majorem efficaciam oleum rosarum, & ceram addunt. Hisce non juvantibus, ut semper evenire solet, ad ferrum, & ignem confugiunt, si vires, & ætas consentiant. Sed hanc curationem, quæ ferro, & igne fit, tanquam barbaram, & noxiam repudiamus.

Verùm, quia ulcus canceroſum ex atrâ bile fit, ut notavit *Gal. libello, de atrâbile*, curationis spem adimit, ac proindè malum specioso tegunt pallio, & non curant, ità dictante *Hip. sect. 6. aph.* 38. ad curam palliativam recurrunt, nempè verè, & autumno corpus cancrosum purgant, & quoties morbi sævitia exigit, itèm duos aperiunt fonticulos, ut materiam cumulatam ulcus excitatum sensim ad vulgarium nutum educat.

Pro ulceris canceroſi curatione procatharticæ, evidentesque causæ, siquæ adsunt, removendæ, & sedulò incumbendum est, ne acidi, salinique succi imposterùm generentur. Si cancer sit in extimâ corporis parte, & certissima mors brevi immineat, & in tali parte vel commodâ sectione radicitùs exscindi possit, amputandus est ad vinum usque, semper tamen siniſtro se muniat prognostico chirurgus; expedit nàmque interdùm anceps experiri præsidium, quàm nullum, atqui sectio perperàm instituta in cancro incurabili sæpè recidivam minatur, & quidèm majori cum tumore, & exulceratione, ut pluries observavimus. At si cancer majora vasa sanguifera obsideat, ut immodica sanguinis profusio timeatur, cultro minimè excidendus est, sed potiùs ustione extirpandus, actualem admouendo ignem sanâ tenus parte. Cæterùm caustica non possumus non commendare, inter quæ *oleum arsenici fixum, & correctum, oleum Antimonii, vel lapis infernalis* sub formâ liquidâ excellit, attamen sat laudare non possumus *oleum mercurii album*, quo nos feliciter utimur per iteratam applicationem.

Quòd si cancer sit occultus, hoc est, penitiora obsideat membra, vel illas occupet partes, quæ viciniam, vel consensum cum nobilibus, principalibusque partibus habent, nullatenùs excisionem, vel adustionem admittit, vel si magna sit ægrotantis imbecillitas, vel omnia depasta fuerint, quæ talem non sinant operationem administrari, præstat potùs curatio palliativa, sive fucata vulgò dicta scilicet potiùs palliari quàm curari, & remediis lenioribus externis tractari, non posthabitâ internè sanguinis, succorum correctione, & debitâ diætæ præscriptione. Lenientia, & blanda debent esse topica medicamenta, non tamen efficacia; talia nàmque particulas viscidas commovendo, acutas, & corrosivas quiescentes ad motum suscitarent, undè ulcus corrodendo serperet, & immanis concitaretur dolor.

Purgantia in cancro medicamenta liberrimè non convenire fatemur, quia malum solidas obsidet partes, & estò centies purgaveris, nunquàm cancrum vel curabis, vel lenies, imò id pejus reduces, salinas, acidasq; particulas agitando, & magis exaltando, acutissimas reddes, præter mercurialia, quorum sæpè optimum observavimus effectum. Eodem pariter modo

do ſanguinis miſſio officiet, cùm totus unius conditionis ſit ſanguis ſcilicet acidarum, ſalinarumque particularum ſordie imbutus. Prætereà venas impuro ſanguine turgidas ulceri ſubjacentes nunquàm deplebis.

Exulcerato cancro ea internè conveniunt medicamenta, quæ acidas, ſalinasque particulas exaltatas concentrant, cicurant, abſorbent, & glandularum obſtructiones reſerant, hujuſmodi ſunt *oculi cancrorum fluviatilium, alkali chelarum cancrorum, corallia, margarita, ebur, & c.c ſine igne parata, cryſtallus montana præp.* Item *alkalia fixa, vel volatilia, & diaphoretica omnia*, quæ acidas, ſalinaſq; particulas hebetant, & è corpore eliminãt.

Ad obſtructiones ; & præcipuè ſi cancer ex menſtruorum, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione ortum habeat, chalybeata adhibemus, ut eſt *vinum chalybis, martis dulcedo, pulvis cachexeticus Quercitani, vel noſter ſimplex ex chalybe in crocũ redactio abſq; ſulphure, & aceto, ac ex caſiâ ligneâ ; vitriolum martis, tinctura, Julep. &c.* nec non *aquæ acidulæ chalybeæ, ſeu martiales*; hæc nàmque medicamenta debile acuunt fermentum, craſſos, torpidoſque ſuccos ad debitũ ſuſcitant fluorem, viſcerum impuritates abſtergunt, tubulos permeabiles reddunt, & adſtrictiva, qua pollent facultate, omnium fibrarum laxitatem tollũt, in eaſdem convenientem, naturalemque tonum inducunt, & tandèm ſanguinis, omniumque fluidorum aciditatem infringunt, & depurant.

Ad intolerabilem cancri cruciatũ externè applicari poteſt *camphora in aquâ malvarum, vel ſpermatis ranarum diſſoluta*, vel meliùs abluatur *vini ſpiritu non dephlegmato*; ſpiritus nàmque iſte omnes particulas acutas ſecùm rapit. Interna verò ad doloris ſedationem *opiata omnia, & ſulphura mineralium anodyna fixa* palliativè multùm valent.

Topica exulcerato cancro adhibenda ſunt omnia, quæ acidum acre temperant, ut *emplaſtrum de ranis cũ mercurio, unguentum noſtrum magiſtrale, vel ſaturnus in laminas redactus* palliativè imponatur ; id ſaturni enim laminâ diù geſtatâ, præter eroſionem, in medio albicantem pulverem, ſeu ceruſſam obſervavimus, eodem ferè modo ac Saturnus ab acribus aceti vaporibus in ventre equino in ceruſſam redigitur. Nonnulli, & meliùs, ſaturni laminam mercurio vivo illitam cancro imponunt. Inſuper omnia medicamenta ex ſaturno elicita ulceribus malignis, exedentibus, cancroſis, & ſimilibus ſaturninis, lupo cõveniunt ; hæc nàmq; omnes particulas acutas, acres, & corroſivas, dulces, & innoxias reddunt.

Verùm, ut verum fateamur, genuina caneri cnratio in mercurio conſiſtit in hujus nàmque corpore omnia ſalia acuta, exaltata, & corroſiva liquores acedi, & acres immutantur emoriuntur, & abſque reactione in mercurium à mercurio patiuntur Mechanicam in mercurii dulcis confectione habemus, in qua ſalia ſublimata & ſupra mercurii corpus exaltata, & corroſiva reddita, venenata per novam mercurii vivi additionem omnem corroſionis activitatem amittunt, & in ſuave ac nobile medicamen tranſmutantur. Inſuper ab eadem mercurii dulcis confectione didicimus arſenicum vel realgar,

algar, auripigmentum vel sandaracham quæ inter venena corrosiva haud infimum tenent locum sunt que venenorum maxima per mercurium cicurari, & dulcescere, ità deposita omni venenositate, ut tutò & salubriter tàm intra corpus assumi quàm extra applicari, & multis morbis mederi possint ut

℞. *Arsenici crystallini ex. c. & mercurii vivi ana*

misceantur in mortario lapideo tamdiu donec nullum mercurii granulum appareat. Ponantur in aludele & igne arenæ sublima per sex vel octo horas. scinde vas & arsenicum sacchari instar dulce pluribus morbis applicandum invenies Hinc itaque discamus oportet mercurium omnium corrosivorum strenuissimum esse domitorem.

Multifariam cancro mercurius applicatur, sed præ cæteris non quidem vulgaris, crudus, & indigestus, sed indolens, cujus nos præparationem alibi docuimus, & *Helmontius lib. de Ideis morbosis* notavit. Nonnulli per salivationem ope mercurii peractam cancrum curârunt, ut apud optimæ notæ authores legimus. Cæterùm nos in cancri curatione in paucâ dosi suffumigio utimur, absq; eo quod salivationem promoveat, ex scrupulo uno cinnabaris factitiæ, vel cinnabaris antimonii ℈ ß. vel nativi gr. iij. solo quippè talis pulveris fumo in singulos dies semel continuato ad perfectam usque cicatrizationem ulcera cancerosa duximus, & quoties denuò regerminavit, eodem suffumigio felici cum successu curationem complevimus.

CAP. XXIV.

De Vlcere Dysepuloto, Cacoëthe, Telephio &c.

PRæter ulcera, quæ hucusque nos recensuimus, alia quamplurima per chirurgorum ora, ut dysepulota, cacoëthe, phagedænica, Telephia, chironia &c. vagantur, quę qualia, & quid sint, hoc capite expediemus.

Dysepulota græcè, latinè ægrè sanabilia, & contumacia, & ea sunt ulcera, quę ęgrè sanationem recipiunt, & cicatrice obducuntur, ex eo quia licèt pars affecta influentem non vitiet humorem, ad partem nihilominus exulceratam mordaces humores perpetuò confluunt; ulcera nàmque diuturna necessariò viscera contaminant.

Ulcus cacoëthe, sivè malignum vocatur illud, cum quo copulatur peculiaris exulceratii membri præternaturalis dispositio, humores vitians quantumvis laudabiles in laborantem fluentes.

Chironia, & Telephia malignorum ulcerum species dicuntur, appellationis tamen rationem alii aliam tradunt. Pro Chironio quidam existimant *Chironem Centaurum ab Hercule* ictum immedicabile in pede vulnus accepisse, undè perierit, & hac ratione ulcera immedicabilia chironia dicuntur. Alii ut *Ovidius V. fastorum* tradit: *Herculem à Chirone* hospitio susceptum fuisse, is càm illius arma pertractaret, evenit, ut sagitta quædam Hydrę Lernææ veneno imbu-

imbuta in pedes incideret, quod malum nullâ ope sanari posset, mori tamen non potuit, quòd utroque parente immortali natus: tandem cùm à superis impetrasset, ut immortalitatem sibi morte commutare liceret, in Cœlum translatus est, ubi *sagittarij signum* effecit. Sed hoc Ovidij commento remoto, rei veritas est *Chironem ab Hercule* in pede vulnus pernicioſum, & venenatum accepisse, & *Centaureâ*, quæ indè à posteris chironium dicta est, semetipsum sanâsse, fuit *Chiron primus chirurgiæ, antiquioris medicinæ partis, inventor*, & à manibus, manuumque operatione nomen desumpsit. Dicitur itàque chironium ulcus contumax, & malignum, quod ob contumaciam, medicam vix recipit curam. & Chironem aliquem, putà peritissimum chirurgum respectare videtur, vel quod à Chirone primò curata sit hæc ulceris species.

Telephium ulcus à *Telepho* nominis rationem accepit, qui ab *Achille vulneratus est*, cujus plagæ cùm nullum satis efficax inveneretur remedium, & longo tempore afflictaretur, tandèm oraculo responsum est, fore, ut eâdem hastâ, qua vulneratus erat, sanaretur. Reconciliatus itàque Achilli ab eo impetravit, ut ex hastæ, qua ictus erat rubigine malagma conficeretur, & vulneri suo imponeretur: quo facto, extemplò sanitatem est consequutus, Est itàque Telephium ulcus, quod multum malignitatis præfert, & quod salutarem Achillis manum requirit.

Telephium ulcus idem esse cum chironio arbitramur; hoc enim dicitur tanquàm Chironis ipsius operâ ad sanitatem indigens, illud verò, quod Telephus in tali ulcere diutiùs perseverârit. Perperàm putant aliqui chironium, & Telephium phagedænæ esse species, decipiuntur autem, cùm phagedena in erosione consistat, & chironium, ac Telephium malignum, & contumax sit.

Phadegæna est ulceratus tumor, sive ulcus ambulativum, quod non tantùm affectam carnem maximo cum dolore exedit, depascitur, corrodit, & excavat, verùm etiam quasi dentibus partes adjacentes, & proximas exedendo depopulatur; propria labia in tumorem attollit, ipsumque durum, & veluti callosum, qui faciliter in lupum, vel carcinoma degenerare solet, partemque totam putridis callositatibus, & excrescentiis desœdat. Quò ad nominis rationem attinet, phadegæna græcè immanem comedendi appetitum designat similem ei, qui bolimum græci appellant, sive famem caninam omnia depascentem, hinc est, quod ad depascentia ulcera hæc vox quoque translata est. Distinguitur phagedæna ab herpete, quia licet in circumvicinas serpat partes, cutem nihilominus solam ambulando, & serpendo exulcerat: phagedæna verò unà cum cute, quæ subjecta sunt, depopulatur.

Differt à lupo, quia ulcus hoc celerius carnes exedit, quàm phagedæna. Differt etiam ab aliâ ulcerum depascentium specie, quam græci *Nome* appellant, quod pascere significat; est nàmque. Nome ulcus, quod non solùm cutem, verùm etiam, & carnem erodit, qua ratione differt ab herpete, qui solam est carnem. Distin-

stinguitur Nome, quod in phagedenâ erosio est à malignâ qualitate, & humoris acrimoniâ carnes depascente absque ullâ putredine: in Nome præter carnium erosiones putredo conjuncta est.

Signa.

Horum ulcerum signa facilè ex his, quæ diximus, innotescunt, ut aliis non indigeant signis, addimus tamen, quòd illorum labia sunt livida, tumida, & dolorosa. Cavitas quotidiè crescit, quia continuò circumjacentes carnes absumuntur. Chironium In pede utplurimum nascitur, alia in diversis corporis partibus evenire solent.

Causæ.

Apud Galenistas horum ulcerum causæ sunt humores pravi, acres, biliosi, adusti, & præcipuè melancholici cum aliquâ atræ bilis portione admisti, qui originem ducunt ab aliquo viscere, vel à parte affectâ, putà intemperie calidâ, & siccâ laborante. Verùm causam materialem in hoc ulcerum genere melancholicum succum assignant vulgares, quia pertinacem, & remediis resistentem illum experiuntur: attamen in hujusmodi humorum fabulis passim confunduntur, eosque mutant secundum genii libidinem, & morborum proprietates.

Pro nostrâ sententiâ externæ horum ulcerum causæ esse possunt omnes, quæ generationi salium acidorum, atque lixivialium occasionem præbent, ut est aër præfervidus, cibus, & potus calidi, ira &c. Præterea medicamenta nimis acria ulceribus appositа, & diù continuata. Internæ sunt sanguis lympha cæterique succi talibus imbuta salibus, quæ in partem ulceratam fluunt, ibi exaltantur, & ad ultimum exaltationis gradū evehuntur, & realgarinam nanciscuntur proprietatem. Hinc est, quòd utplurimū hæc ulcera originem sumunt à malignis, erysipelatibus, aut abscessibus, vel vulneribus malè curatis, & præcipuè ob frigidorum topicorum applicationem.

Prognosis.

Omnia hæc ulcera pernicioſa, rebellia, & incurabilia sunt cùm ratione febris, & aliorum symptomatum, quę plerùmque habent conjuncta, tùm quia acidissima, salia, & maligni illi succi, à quibus ortum ducunt, coctionem neutiquàm, ac perfectam admittunt suppurationem, tùm denique quia difficulter sanguis lympha, aliique succi emendantur, & præsertim si ab inveteratis viscerum vitiis dependent: undè depascentia ulcera, nisi rectè & maturè tractētur, non enim nunico obediunt medicamento, in cancrum, vel lupum degenerant, & post calamitosam, & invisam victam, exoptatam mortem causant.

Curatio.

In supradictorum ulcerum curatione vulgares talem victus rationem primo instituunt, ut humoribus

Unable to display this page

to sale volatili gaudentes usurpentur, ut particulæ acidæ, salinæ, acres &c. in corpore peccantes hujus salis beneficio cicurentur, & per urinam, vel sudorem exturbetur, & boni succi quantitas in affectam fluat partē. Pro potu utatur æger *decocto salsæ parilia, vel radicis chinæ, vel sassafras*, & si vinum bibat, sit oligoforum, & eodem decocto dilutum. Deindè magnam excrementorum copiam, quæ in corporibus talibus ulceribus affectis generatur, purgemus oportet per epicrasim. Cæterùm inutilia, ac noxia sunt vulgarium purgantia, quia de communi morborum omniū, nec acidas, salsas, acresque particulas per sedem eliminant, sed potiùs exagitant, exaltántq; Mercurialia in his, aliisque ulceribus, estò non venereis, tùm internè, tùm externè maximè conducunt, & rectè usurpata, sunt veluti altera chirurgi manus, & mercurius dulcis in ulceribus nunquàm nos defraudavit. Postmodū diaphoretica, & sudorifica, quæ sanguinem, succos, & lympham salinis, acidisq; particulis imbutos temperant, per cutem, universale corporis emunctorium, eliminant; non desint diuretica, vel alia negligantur, quæ passim descripsimus, Si qua imi ventris pars, ut hepar, pancreas, glandulæ mesentericæ, obstructa, vel alio modo affecta sint, appropriatis præsidiis illius vitium auferri debet. Si vermes, varices, ossis caries, aut simile curationis impedimentum adsit, medicaminibus propriis capitibus descriptis tollatur.

Tandèm ad topica devenimus medicamenta, verùm hæc nullam mordicationem continere debent hujusmodi sint *ex Saturno parata*, quæ acidum infringunt, & salia obtundunt, nàm tunc cùm mordicant, & vehementer exasperant, ex eorum applicatione ulcera exasperantur, dolores concitantur, & ad multum tempus durant, inflammationes accersentur, febris inducitur, aut si adest, augetur, carnes liquescunt, ulcera dilatantur, majora, & deteriora evadunt, ac sæpè in majora alia mala degenerant, ac propterea cautè procedendum est. Advertendum tamen est, quòd non perpetuò mitiora topica opportuna sunt, siquidem ad ulcera admodùm rebellia, & maligna, velut etiam ad corpora robustiora valentioribus utimur, ad benigniora mitioribus; ad mediocria mediocribus. Hinc liquet, quantum errant nostri chirurgastri, qui uno, eodemque medicamine hujusmodi ulcera curare, & ad cicatricem perducere putant. Neque hæc medicamenta fortiora, & mordicantia esse debent, ne ulcera recrudescant, sordescant, dilatentur, & in pejus ruant. Ast si humoris maligniras in exulcerato membro existentis tanta sit, ut prædicta respuat medicamenta, & continuò circumjacentes exedat partis, ad nostra suffumigia, & alia mercurialia deveniamus oporter, & ad ea, quæ in ulcere canceroso descripsimus, vel si hæc repudiat, ad ferrum, si tamen id permittat jus, ætas, membri præstantia &c. vel ad cauterizationem actualis ignis ope confugimus, juxta *Hip. apb. 6*

sect.

sect. 7. Quoscumque morbos medicamenta non sanant, ferrum sanat: quos ferrum non sanat, ignis sanat: quos verò ignis non sanat, sanari non posse putato: Vel hos incurabiles existimari oportet.

Egimus hucusque illis de ulceribus, quæ sparsim universum corporis habitum conspurcare solent: nũc de illis verba faciemus, quæ propriã obsignant sedem, ac proindè ulcera à supremo capitis vertice ad ipsam pedis plantam, imò extremum ejus digitum continuatâ serie, juxta nostrum institutum trutinare prosequemur, undè.

Cap. XXV.

De Tineâ.

CApillatam capitis partem præsertim puerorum ulcusculasquamosa crustosa & fœtida, ejus cutẽ erodentia conspurcare solent: Affectus hic tinea vocatur, & inter infantium morbos non tantùm, sed etiam paulo adultiorum refertur, & si quando quæ adulti hoc laborent morbo, ejus tamen rudimenta, & initia in ipsâ infantiâ contraxerunt. *Tinea* appellatur, eò quod, tinearum instar in vestibus, capitis cutem arrodat, & corrumpat. Quo nomine hic affectus à Græcis fuerit appellatus, vix constat, certum tamen est ab iis hoc nomine non fuisse appellatum. Nonnulli tum tineâ porriginem, achores, crustam Lacteam, & favum perperàm confundunt, nàm *porrigo seu furfuratio* est scabies furfuracea cutis absque ulceratione, & præsertim capitis. Hinc dicuntur furfurosi, quibus assiduè squamulæ velut furfures pectendo capite decidunt. *Achores* sunt manantia capitis ulcera, quæ fiunt in cute capitis, tenuissimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus sanies effluit glutinosa, notum malũ genus, pueris adultioribus admodùm familiare. *Crusta lactea, seu lactumina*, sunt ulcera crustosa, albicantia, quæ infantibus Lactationis tempore accidunt, & non solùm caput, & faciem occupat, sed quandoquæ universam corporis cutem inquinat. *Favus*, græcè ciria, sunt crustæ manantes subflavi coloris, quæ unguibus scalptæ glutinosam eructant saniem, à frigido aëre gummi instar in crustam ulteriorem concrescentem; humani enim corporis succulentia non secus ac arborum succus glutinosus est, ac pariter in gummeum quid ab aëre indurescit. Hic morbus infantibus admodùm familiaris est ob plurimam eorum humiditatem, & pediculositatem, quæ in constitutione calidâ & humidâ, ut & lumbrici ubertim proveniunt, & suâ infestatione ingentem excitat pruritum, undè scalptio, & malum augetur. Dicitur favus à favo, apum cellulis, & quia humorem mellis instar continet, & cutem foraminosam reddit favi instar, favus dicitur, sed de his fusiùs in morbis puerorum agemus.

Differt tinea ab his capitis ulceribus

ut

ut suprà notavimus, & præsertim à favo, quia hic plurimos alit pediculos, tinea verò nullos, sed omnes interimit, eò quod aciditas in hac est confirmata, & fixa, in illo verò leviter incipiens, & adhuc subdulcis, cujus exemplum etiam in caseo jàm putrescere incipiente habemus, qui eandem ob causam magnam vermium copiam gignit, toto autem caseo in putrilaginem mollem resoluto, nulli ampliùs vermiculi in eo inveniuntur, aciditas enim fixa eos interficit. Verùm hæc de aciditate fixâ ratio non militat, observamus nàmque in acerrimo aceto ope microscopij vermiculos, quo in tineâ quoque observavimus tinearum instar, undè hic affectus nomen adeptus est, istique vermiculi oriuntur ex imperceptibilibus ovulis itidem microscopij ope detectis, & in capillis, observatis, hi capillos corrodunt, & consumunt, eodem ferè modo ac erucæ arborum, fruticumque folia consumere solent.

Arabes pro tineâ *Sahafati* nomen usurpârunt, quod secundum eorum descriptiones ulcusculis venereis multùm convenire asserendum est.

Gregarij medici antiquorum traditionibus innixi, sex species distinctas ponunt, quibus tinea produci potest.

Prima est, quæ *favosa* dicitur, dicuntque ex phlegmate fieri salso, & est quoties ex subtilioribus foraminibus materia erumpit melli simili.

Secunda *ficosa*, in qua quippiam simile ficuum granis continetur, quæque est figuræ sphæricæ cum rubore.

Tertia est, quæ vocatur *ameda*, & est cùm ex tenuissimis foraminibus ichor effluit aquæ instar, in qua caro sit elota,

Quarta est, cùm ulcuscula super planum cutis veluti papillæ mammillarum turgent, ichoremque eructant cruentum.

Quinta, quæ lupinorum & formam, & colorem representat, à qua quidem cortices squamarum candidarum, & aridarum instar decidunt.

Sexta dicitur *furfuracea*, maculas albas, & in furfures abeuntes producens, ex qua furfuracea defluunt corpuscula, interdùm minutissima, aliquandò verò densiora.

Verùm non parùm nos movere debet hęc scrupulosa distinctio, semper enim una, & eadem est tinea, licèt recentior, vel diuturnior, formam nunc paulò aliter, atque aliter mutet.

Signa.

Tinea visu patet, & vulgo nota est; cutem enim capitis, & musculosam ejus substantiam ulcera quædam crustacea, & arida, modò viridia, modò cinerea infestant, è quibus parùm, aut nihil saniei effluit, & quod emanat, fœtidum est. Ità pruritum satis molestum, dolorem mordicantem, & fœtorem hoc malo laborantes patiuntur, ut ferè semper scalpere cogantur. Insuper tinea vermis instar capillorum radices putrefacit, vel erodit, & cutem exedit tàm obstinatè, ut à tenendo, & in-

& inhærendo ; quasi nomen adepta videatur.

Causæ.

Proximam tineæ causam vulgares putant esse humorem salsum, & acrem, sed jàm in melancholiam degenerantem, qui quidem primò ex sanguine materno, quo infans nutritus fuit, vel vitioso matris lacte ortum habuit posteà verò temporis cursu, & morbi diuturnitate; & ægri negligentiâ, ut sæpè fit in pauperibus, in putridum, & pravum degenerat. Hic humor ad capitis cutem pulsus, inibi adhærens, ulcuscula generat, fovet, & conservat; siquidem ob sui imbecillitatem omnia excrementa, omnesque totius corporis superfluitates recipit, ut *cap. 6. lib. de causis morborum notavit Galenus.* Undè pravitatem, pertinaciam, habitualem intemperiem, affectionemque ab eo in capite impressam fovet. Item accidere potest hoc malum, quandò quis nudato capite sub camino steterit, in quo succidiæ lardi fumantur; tales enim inter fumandum crebras guttas, partiim ex superfluâ pinguedine propriâ, partim sale fumi resoluto constantes destillare solent, quæ si in puerorum, vel aliorum capita nuda cadant, tineam producere credunt, sed hoc est anile fabulamentum.

Tinea fit à nutrimento degeneratio in fibris cutis capitis, quod diutornioti morà corrumpitur, & quia omnis corruptio ab acido incipit nutrimenti sal in acidum transit, & ob moram corrosionem adipiscitur, & contagiosum redditur, quod vitium, cùm profundius sit capillorum radicibus, depilationem quoque causat. In uno tantùm à scabie differt tinea, quatenùs scabies in cutis superficie vitium habet, tinea verò in cutis meditullio: est itàque tinea vera lepra particularis, capitis. Degenerat nutrimentum, corrumpitur, & in acido-salsum transmutatur, vel ab externo miasmate, seu fermento, & per contagium facilè in caput alioquin sanum hoc malum transplantatur, inficitque, ut in infantibus observamus, dùm capitis tegumenta, quibus tineâ laborantes usi sunt, capiti suo imposuerunt, vel ob dormitionem in eodem lecto, vel quia eundem pectinem adhibuerunt, imò *Helmontius* tineosorum capillos tineas peperisse notavit; insuper tinea est adeò contagiosa, ut facilè communicetur, & præsertim infantibus sanis, qui commercium habent cum hac labe infectis. Quandòque absque ullo contagio hoc malum infantes corripit, nimirùm si crusta lactea, achores, & favi diù durent, aut tardè nimis, vel perperàm curentur, in tineam transeunt. Vel producitur hoc malum à sanguinis materni pravitate, quæ infans in matris utero nutritus fuit, vel deindè vitioso nutricis lacte. Vel ex sordibus in capite neglectis, vel pravâ vivendi ratione, vel voracitate, à quibus pravi generantur succi, & habitus cacochymus. Hinc hæc affectio pueros, & præsertim pauperculos infestare solet. Addimus huic malo nimiam

capitis

capitis laxitatem, humiditatem, & imbecillitatem, & hac de causâ caput omnia humani corporis excrementa recipit, & quia imbecille, eliminare, vel resolvere nequit per sua emunctoria, capiti ulcera squamosa, & crustacea evenire necesse est.

Prognosis.

Omnis tinea affecta contagiosa est, & curatu valdè difficilis, faciliùs tamen curatur recens, & quæ ex humore flavo, & humida est, quàm sicca, vel pravi coloris: verùm si recens sequitur tractetur, vel ejus curatio negligatur, vires acquirit eundo, sensim frontem, faciem, deindè totum corporis habitum conspurcat, & tandèm in lepram transit. Diuturna difficillimæ est curationis, & quò diuturnior fuerit, eò plus negotij curationi facessit, & ut plurimùm circa collum adines protuberant. Rarò in confirmatâ tineâ capilli renascuntur, præsertim si cutis dura, & quasi testacea evaserit, & ad frictionem non rubeat; tunc enim ophiasim, vel alopeciam post sui curationem relinquit, & facit opprobrium sempiternum. Si cutis mollior sit, pororum vestigia appareant, & post frictionem rubere incipiat, indicium certum est caloris vegeti, & capillos renascituros fore. Si infantes tineâ corripiantur, vix curari possunt, antequàm ad eam perveniant ætatem, quæ medicamenta illa, quæ hoc malum exigit, & ipsas curationum molestias perferre possit.

Curatio.

In tineæ curatione vulgares primò pravorum succorum genesim inhibent, ad quem finem non minorem obtinet locum victûs ratio, quam ex optimis instituunt cibis, & abstinendum putant à cibis salsis, acribus, ut alliis, cæpis, piscis, brassicâ, carne suillâ, aliisque pravum succum gignentibus.

Deinde vitiosos humores in corpore redundantes, nè ad partem affectam transmittantur, primò præparant *syr. de fumar. simpl. infus. ros. rubr. cichor. lupul.* postmodùm humores præparatos educunt *pilulis cocheis, vel de lapide Lazuli*, vel in formâ potûs ex *syr. de fumar. mai. ros. solut. cum confect. Hamech, & trochis. viperinis*, quæ medicamenta cathartica in curationis cursu, ne pravi regenerentur humores, & geniti per alias vias eliminentur, per intervalla repetunt. Interea post totius corporis purgationem ad hepatis fervorem attemperandum, ejusdemque intemperiem corrigendam non parum probant *lactis serum*, in quo ebullierit *epsitimum*, *radicis chinæ decoctum*, *jura alterata*, *conservas refrigerantes*. Post præscriptum victûs regimen, & corporis purgationem, ad sanguinis missionem deveniunt ex cephalicâ ad quantitatem ægrotantis viribus, & ætati correspondentem. Hanc sanguinis, missionem ter, aut quater in anno plenilunij tempore reiterant, quia tunc sanguinem, cæteroſque succos in

corpore perperàm luxuriare credunt.

Quò ad topica ea usurpant medicamenta, quæ ulcuscula detergendi, attemperandi, & exsiccandi facultatem habent, sed primò crustas detrahunt medicamentis emollientibus, *butyro scilicet malvarũ foliis decoctis, ag contusis cum adipe suillo*, quæ emolliunt, & sanieiexitum parant. Si ætas fortiora medicamenta, & curationis molestiam ferre possit ad valida detergentia confugiunt, ut

℞. *Sulph.* ℥.ij.
Sinap. ℥.j.
Staphidis agriæ,
radic. bryoniæ ana ℥.j.
aceti acerrimi ℨ.j.
terebinth. ℥ß.
ping. ursi q.s.
f. linimentum.

Vel recipiunt *nasturtium* terunt, & frigunt cum axungiâ porcinâ, & capiti cataplasmatis instar imponunt, & 24. h. spatio crustam decidere facit, & si hoc cataplasma reiteretur, tineam sanat. Postmodùm ad evacuandam materiam in cute imbutam, à qua ulcuscula conservantur, caput abluunt *decocto lupinorum, radicum althææ, fol. rutæ, flor. anethi cum pauco aceto, vel aquâ aluminosa Falloppij.*

Quibus peractis, nostri chirurgastri capillis novaculâ abradunt, verum abrasi capilli ocyùs excrescunt, & eorum radices infectæ non extirpantur, & hoc fœdum malum nunquàm eliminatur. Vulgares chirurgi in *Incurabilium nosocomio pileolo, vel vesicâ suillâ pice navali inducto* utuntur, quod pluriès repetunt, quem toti capiti seu loco à tineâ obsesso imponunt, & aliquot diebus hærere sinunt, posteà eo detracto, unà capillos evellunt. Deindè capitis corium, quousque rubeat asperiori panno fricant, ut humores vitiosi altius latentes evocentur, & ad externa trahantur; tùm demùm scalpello, vel novaculâ pluribus in locis scarificant, ut vitiosus sanguis per cutem dispersus, educatur. Verùm hanc scarificationem maximoperè damnamus; relinquit enim post se cicatrices, in quibus impossibilis est capillorum regerminatio. His demùm peractis, scarificatas partes, & totam capitis cutem *decocto lapathi, chamomillæ, cucumeris asinini fol. & radic. chelidonij, sem. lini, & fœnugraci in lixivio dulciori parato* abluunt. Post lotionem detergunt, & exsiccant, & sequenti unguento obliniunt, ut

℞. *Pulv. elleb. alb. &*
sulph. vivi ana ℨ.ij.
flor. æris ℨ.ß.
fulig. picis ℨ.iij.
ol. baccar. lauri ℨ.j.ß.
ol. com. ℔.ß.
ceræ citrinæ q.s.
f. Ung. s.a.

Hoc unguento alternis diebus utuntur, donec crustæ removeantur, & cutis sana appareat. Verùm si tinea inveterata sit, & his non cedat præsidiis, ablutiones, fricationes, & scarificationes reiterant, quousque sanata appareat.

Aliqui chirurgastri pro tineæ curatione utuntur *arsenico, auripigmento, mercurio vivo hominis jejuni salivâ extincto*, & medicamentis admisto, vel caput suffumigant *cinnabari*. Cæterùm arsenicum, & auripigmentum venenata sunt, & vitæ nostræ infensa,

ac

ac cum locus affectus cerebro proximus sit, vix usurpanda sunt, ne venenum cerebro communicetur, è quo postea dolores implacabiles, corrosiones, inflammationes exitiales febris acuta & mali moris, vel ipsa mors sequatur. Mercurius quoque tàm sub linimenti, quàm fumi formâ intra caput ingreditur, & suâ qua maximè penetrandi energiâ pollet, in minimas ejus quasque partes affatim se insinuat in ossa non solùm usque sed etiam in cerebrum, & medullas, ac variorum symptomatum vehementiam excitat.

Nonnulli chymicastri huic fœdo malo curando *arsenici oleum* adhibent; inquiunt enim hoc oleum esse omnium ulcerum corrosivorum mors, eorumque malignitatem, & corrosionem extinguere, sed an potiùs ulcerum corrosivorum, quàm ulceratorum mors sit, nescimus. Huic oleo tantum aquæ scabiosę stillatitiæ addunt, utà linguâ ejus sapor tolerati possit, quo tineam quotidiè bis inungunt, per aliquod tempus continuando. Alii *balsamo mercurii, vel oleo antimonii rubro* utuntur *permisto cum oleo vitellorum ovorũ, vel amygdalarum dulciũ, vel oleo sulphuris vel vitrioli aquâ plantaginis diluto*, ac post absterſionem caput abluunt bis in die *balsamo tartari* per quatuor aut quinque dies, & postremò *oleo ex ouorum vitellis* cicatrizant. Verùm hæc medicamenta acida sunt, & potiùs malum augere, quàm curare possunt.

Indicatio tineæ curativa est, ut vitium in cutis profundo corrigatur, eodem ferè modo ac in scabie, attamen differt à tineâ scabies, quia hæc in cutis superficie, illa verò in cutis meditullio initium habet: cœterùm quia multoties vitium illud in capitis cute adeò profundum non est, nàm ut nobis centies tineas curare contingit, iisdem remediis, quæ pro scabiei curatione tradidimus. Si itaque morbus altas non fixerit radices, ea medicamina per os propinamus, quę pro scabiei curatione descripsimus, ac deindè ulcuscula *aquâ sublimati* irroramus, vel sequenti unguento Nicotianæ inungimus ut

℞. *fol. nicotianæ lib. ij,*
ping. porci recentis diligenter lota lib. i.

Hæc herba per noctem in vino rubro maceretur, manè igne lento cum pinguedine buliat ad vini consumtionem, postea coletur, & exprimatur. Huic expresso adde succi nicotianæ depurati lib. ß. resinæ abietis ℥. 4. coquantur ad succi consumtionem, quibus circa finem adde.

radic. arist. rot. subtir. pulv. ℥ij.
cerę novę q. s.
f. ung.

Hoc inunge ter, quater, & ad plurimùm sexies, & per viginti dies curam expecta, quam si obtinebis, gaude, sin minùs ad hæc quæ sequuntur, transeundum est, quæ tineas radicitùs curant cum capillorum renascentiâ.

Capillos omnes à capite novaculâ abrade, deindè leni lixivio calido quicquid furfuraceum, vel purulentum, est, absterge, posteà totum caput sequenti unguento inunge semel in die, usque dùm tinea curata est, quod cursu viginti dierum evenire solet, ut

℞. *Succi chelidoniæ, &*
ol. veteris ana ℥. j. ß.

simul bulliant ad consumptionem tertiæ partis tunc adde

viridis æris ℥. ß.
sulphuris ℥. ij.
cerę ℥ ß.

Simul bulliant parùm, optimè commiscendo

cendo omnia, auferatur vas ab igne & unguento addè ol. juniperi, paulatim agitando illud, dùm frigidum factum sit, & utere. Vel hoc alio uti poterimus, ut.

℞. *ol. ros. &*
junip. ex ligno elicsti ana ʒvj.
sulphuris vivi,
stercoris columbini,
viridis æris ana ʒ ß.
cera q. s.
f. ung.

Si inveterata sit tinea, & altas fixerit radices, faciliter descripta medicamenta omninò illam eradicare non poterunt, quod ex morbi pertinaciâ cognoveris, nec capillorum abrasio quicquàm proderit, cùm eorum radicibus infectio hæreat, tunc ea conveniunt medicamenta, quæ partis nutrimentum in particulas acido salsas degeneratum cicurant, mitigant, & depurant, ne cutem amplius exedant, & malignitate inficiant. Deindè quæ ipsum glutinosum incidunt, & subtiliant, ut tenues evanescat in auras, ac tandèm abstergunt, & sic partem affectam in statum naturalem restituunt, ejusque consolidationem promovent.

Hæc medicamenta duplicis sunt generis, alia interna, alia verò externa. Interna sunt purgantia, & ea propinare possumus, quæ in scabiei curâ descripsimus, attamen cùm contagium in cutis meditullio profundiùs hæreat, ut plurimùm externa sufficere posse existimamus. Inter interna absorbentia connumeramus, ut *sal volatile viperarum c. c. lumbricorum, diaphoretica, ut stibium. sulphur auratum &c.*

Per externa curatio obtinetur illiniendo, vel alio modo medicamèta applicando, quæ quoscumque acores, asperitates exoticas, & corruptiones destruunt, ità est *oleum tartari p. d.* & quæ sulphur continent; undè *oleum tartari p. d. spongiolâ crustis applicatum* nunquàm nos fefellit, *oleo Laurino cum sulphure* multo, curavimus, & *balsamus sulphuris* omnibus palmam prætripit.

Optima sunt hæc medicamenta, sed non ferè semper felicem consequuntur effectum, quia contagij fomes non in cute, vel panniculo carnoso, sed in pericranij meditullio stabulatur, ad quod medicamentorum energia non collimat: alia igitur vestiganda sunt, quæ necessariò suum sortiantur effectum, aliàs esset operam, & oleum perdere.

Habemus nos infallibile, & expertum remedium, quod nunquàm nos fefellit, & multos pueros origine claros ab hoc spurco malo eripuimus, quos non recensemus, ut eorum æstimationem tueamur. Hinc charitas erga tineosos nos suadet, ut hoc nostrum medicamen sine invidiâ communicemus, illinc vulgarium hebetudo, & temeritas, ne margaritas ante hos porcos projiciamus, nobis remoram imponit ut illud silentio involuamus, attamen prævaleat charitas & illud ingenuè communicamus, ut chirurgastri confundantur, & pereant.

Primò itaque tineosus cathartics, quibus in scabie utimur, purgetur & hoc ut domesticorum patientis morem à vulgaribus infitum geramus, potest tamen omitti purgans, cùm malum sit topicum, & topica exigit medicamenta. Deindè sensim evellantur capilli, non tamen vulsellâ, nam potiùs rumpuntur, & eorum radices non eradicantur, sed id fiat instrumento ferreo à nobis excogitato post quorũ evulsionẽ,

co-

eodem instrumento crustæ abradantur, & sequenti linimento penicillo illiniantur, ut.

℞ *ol. buffonum* ʒ. iij.
ceræ citrinæ q. s.
fiat massa unguenti mollis instar, super cal dos cineres.

Oleum Bufonum in nostrâ *Pyrotechniâ lib. 5. cap. 1. art. 3.* descripsimus, ut.

℞. *Bufones.* iij. *vel.* iv.
Purgentur in ollâ, cujus fundum multis foraminibus sit pervium, & in ore suum imponatur operculum per quatuor, vel quinque dies. Inde ollæ novæ vitriatæ, quibus superfunde olei olivarum lib. v. *vel.* vj. *Claude vas, ne quid expiret, bull. in aperto ioue, lento carbonum igne per sex horas. Permitte vas sponte refrigerari, aperi, decanta & ad usus serva.*

Post modùm bis in hebdomadâ caput sequenti decocto abluatur, & pannis exsiccetur, ut.

℞. *Aq. hord. q. s. in qua ebulliant*
scabiosæ,
adianthi,
roris marini,
maluarum,
salviæ,
Lavendulæ ana m. j.
flor. ros. rubr. incomplet. p. j.

Hoc decoctum quoties adhibendum est, recens fiat. Diebus à Lotione vacuis, supradicto linimento caput illiniatur, donec renati capilli ferreo instrumento iteratò evellantur, post quorum avulsionem ad ablutiones, & illinitiones alternatim recurrimus. Ter capillos evellimus radicibus corruptos, sanis remanentibus, & tinea quantumuis inveterata & rebellis his nostris præsidijs non reluctabitur. Verum enim verò, ut veritatem ingenuè fateamur, pro hujus spurci morbi curatione sufficit capillorum evulsio, & quodcumque vulgare topicum ad hunc finem paratum. Verùm si tinea sicca sit, tunc humectantibus tractetur præsidijs, & non ægrè cedet.

Cap. XXVI.

De Aurium dolore.

A Capite ad auditûs organum, tanquàm partem ipsi proximiorem descendimus, & juxta nostram methodum tantùm de aurium ulcere tractare decreveramus, sed quorundam amicorum suasionibus, quibus libenter auscultamus, cohortati sumus, ut de omnibus aurium morbis in Galenistarum gratiam ageremus, qui surdastri, ut etat *Marcus Crassus*, veram non hauriunt sapientiam, & quod pejus, malè audiunt, & nisi resipiscant, muti evadent. Hinc.

Gravissimum, & periculosum malum est *otalgia*, hoc est aurium dolor, qui nisi statim sedetur, graviora excitabit symptomata & ægrum extinguet. Aurium dolor est affectus oculorum dolore gravior, quia oculorum dolor in oculis tantùm persistit, aurium verò facilè cerebro impertitur, undè insomnia, deliria, convulsiones, syncopes, apoplexiæ, & tandèm mors.

Quinque sunt dolorum species, & partim ex partis affectæ naturâ, & partim à causis desumuntur: Gravis, tensivus, stimulans, punctorius, & pulsatilis. Omnes hæ species & qualescumque adhuc inveniri possent, ferè simul in atroci aurium dolore concurrere, ità ut simul & semel dolor atrociter gravãs, pũgés, lancinans, stimulans, & pulsãs excruciet, & id tã excessivâ acerbitate, ut

sæpè æger in magno vitæ discrimine versetur, ut Hip. in præsag. innuit: *Auris dolor, cum febre non intermittente, vehementique, grave periculum minatur, nàm & mentem turbat, & hominem rapit.*

Signa.

Ad aurium dolorem cognoscendum non opus est signis, cum ex ægri relatione pateſcant; causarum verò signa, quæ varia esse solent, tantùm recensere oportet. Primò itaque diligenter inquirere debemus, an aliquid dolorem efficit, de foris auri immissum sit, quod ex ægri relatione, auris inspectione, & exploratione patet, an auri vulnus inflictum sit, vel alia illi violentia illata sit, & id quoque ex ægri relatione manifestum esse potest. Si occasionalis causa fuerit aër frigidior, vel Boreæ flatus, tùm etiam ex ęgri confessione pateſcit. Si oriatur à spiritu flatulento, dolor est vehemens cum tinnitu & strepitu manifesto apud ægrotum, & dolor non est assiduus, sed per intervalla recurrit. Verùm frequentissima doloris causa est inflammatio, cujus signa *Tomo* 1. *de Tumoribus cap.* 42. *De Aurium inflammatione*, proposuimus. Si ex ulvere, fit retentâ sanie. Si ex nervi auditorii vitio, læditur auditus.

Causæ.

Galeni sectatores doloris aurium causam continui solutioni refundunt, ut sunt sanies, sordes, vermes, externa illapsa, ut capilli, ossicula, item medicamenta incongrua, sonitus, vel strepitus vehemens, & horribilis, tonitru, tormenti bellici explosio, & id genus alia, quæ continui solutionem inferunt, & tristem sentationem. Vel calidam vel frigidam causant intemperiem, ut est magnus caloris, frigoris, ventorum, pluviarum &c. appulsus, qui naturalem aurium unitatem solvere possunt. Verùm hæ causæ tantùm remotæ, & occasionales esse possunt, non verò proximæ, & immediatæ, ut fusiùs explosimus in nostrâ *Tractatâ* de capitis dolore.

Vera aurium doloris causa oritur à particulis sulphureis, acidis, salinis, vel à quopiam alio id genus internas aurium fibras nervosas, membranosas, & musculosas distendente, divellente, contrahente, vellicante, vel aliâ materiâ peregrinâ, quæ fibrosas aurium partes divellit, spasmosque dolorificos in iisdem excitant; internæ nàmque aurium partes exquisito gaudent sensu. Quandoque partes externæ dolore tentantur, verùm cùm dolor hic non sit magnus, de eo non agimus, sed de eo qui internum meatum, membranulas, & nervum auditorium obsidet.

Prognosis.

Vehemens aurium dolor in juvenibus valdè periculosus est; septimo nàmque die, vel citiùs moriuntur, quia facilè cerebrum in consensum rapit, & gravissima excitat symptomata, internum scil. erysipelas, febrem acutam, insomnia, delirium, convulsionem, lipothymiam, & mortem. Senes autem in vehementibus aurium doloribus minùs periclitantur, quia frigidum habent corpus, ideòque vehementi inflammatione, febribus acutis, & deliriis non ità facilè corripiuntur; sensus etiam tactus in senibus est obtusior, ideò diutiùs illos ferunt dolores, unde apud illos

illos faciliùs materia aurium dolorem efficiens, in suppurationem abit. Recidivæ tamen periculum subeunt senes, cùm materia dolorem excitans non benè concoqui possit ob frigidam constitutionē. Si vehemens sit aurium dolor, & in penetralibus hæreat, mortem portendit, significat enim auditorium nervum affectum. Aut si morbus curetur, auditùs gravitatem, vel surditatem relinquit.

Curatio.

Galeni procuratores aurium dolorem curant, auferendo causas, à quibus dolor ipse fovetur, quod si virium resolutio immineat propter doloris vehementiam, & tempus non suppetit pro sedantium exhibitione, extemplò humorum colluvie corpus deplent, præmissis internis, deindè externis frictionibus, cucurbitulis, scarificationibus, & enematum injectionibus. Pro frigidâ intemperie in aures instillant *oleum amygdalar. amararum, anetb. chamomel. croci.* Vel *decocti caryophyllor. aromaticor. in vino rubro gutiæ duæ, vel tres* tripidè in aurem instillant, deindè caryophyllo cocto aurem obturant. Vel *capæ excavatæ in medio indunt parum euphorbij, & oleum commune, illamque super prunis ponunt ad olei ebullitionem*, quod tepidè in aurem instillant. Vel in uno, aut pluribus ex prædictis oleis coquere solent *sampsucum, stœcad. rorem marinum. Lavendulam, castoreum, crocum &c.* & in aurem instillant. Vel fotum ex quatuor anodynis applicant.

In calidâ intemperie affectæ partis venam secant, solutâ priùs alvo clysteribus, *lac tepidum* dolenti immittunt auri, cui quandòque *ovi vitellum* immiscent. Vel *oleum amygdal. dulc. aut rosaceum* guttatim instillant. Vel *decocto malv. alth. viol. hord. fœnu grac.* Vel *cataplasmate de micâ panis* locum fovent.

Si auris dolor ex flatibus excitetur, illum discutientibus, & carminantibus sedant, fomento scilicet *furfuris, milii, salis, anisi, vel sacculo flor. chamon. nuc. mosch. caryophyll. macis repleto*, & impositò, vel auri immittunt *Zibethum, moschum, crocum, castoreum &c.*

Si dolor ità perseveret, ut vires prosternantur, ad narcotica confugiunt pro partis sensùs hebetatione, ad quem finem *Philon. Romanum, succum mandragoræ cum castoreo, theriacâ, Mithridatio, & opio* usurpant.

Dolor si gravior, & diuturnior fuerit, vesicatorium in nucâ applicant, cui si reluctetur, Setaceum inter secundam, & tertiam vertebram excitant, vel tandèm fonticulos aperiunt, & demittunt.

Aurium dolor tripliciter aufertur, primò iis, quæ doloris causam tollunt; Secundò anodynis, quæ doloris causam consopiunt, æquabilem reddunt, & leniter rarefaciunt; tertiò Narcoticis, quæ dolorem sedare, & paeare valent, & id non per molestantis causæ ablationem, sed quia doloris sensationem obstupefaciunt, soporem inducendo, à quo ferè omnia mala sedantur. Dolor vehementissimus narcoticum, & mitior anodynum indicat.

Undè si à rebus extraneis intra aurem immissis pendeat tollendæ sunt. Itaque si sint vermes in aure geniti, vel foris ingressi, ad hos enecandos, & extrahendos magnoperè valet *oleum philosopborum* guttatim instillatum, vel *unguentum ex capi axungiâ, & oleo co-*

ryli cum pauco mercurio dulci mistum, ut

℞ *Axungiæ capi* ʒ. ß.
ol. coryli guti. xv.
merc. dulc. gr. IV. *m.*

& in aurium orificio cum gossipio ponatur. Vel *sulphuris fumus* per infundibulum exceptus, deindè enecati auriscalpio extrahendi sunt. Si pulices sunt, qui in aure vagantes, ingentẽ strepitũ aures percipere faciũt, eos feriũt vulgares statim adhæresce re naturaliter indito auribus fasciculo ex pilis caninis, & sic extrahi. Si aqua in aurem illapsa sit, inclinato capite, rursùs effluere sinatur, vel per calamum ipsa exsugatur.

Si à spiritu flatulento dolor sit, cùm flatus materiam præsupponat, à qua elevatur, ea primò expurganda est, postmodùm discutienda *quintâ essentiâ nucis myristicæ, anisorum, corticum aurantiorum, sampsuci, roris marini, bac. iuniperi &c.*

Si doloris causa sit inflammatio, qua ratione curanda est, diximus *Tomo 1. de tumoribus p. n. cap. 42.*

Si ex membranæ perfrigeratione, ab inspiratâ aurâ gelidâ, à ventorum afflatu oriatur dolor, instillentur olea calida, ut *oleum essentiale laurinum, de castoreo destillatum, essentiale pulegij, rorismarini, succini &c.*

Si dolor sit mitior, tollitur anodynis, quæ leniter rarefaciendo, & contracturam leniendo, doloris causam consopiunt, & ità erunt *oleum amygdal. dulc. lilior. albor. cum lacte muliebri*, quæ cum specillo molli lanâ involuto tepidè in aurem immittantur. Utile est *ol. ros. cum rorismarini succo, ut & mucilago sem. psyllij, foenugræci.* Item *folia Nicotiana viridia, vel etiam exsiccata, sed iterùm humectata*, mirificè prosunt. Magnoperè dolorem pacant *quatuor anodyna in hydroleo*, si auris affecta calidè spongiâ foveatur, vel eorum vapor in aurem excipiatur. Sequentem fotum multoties profuisse experti sumus, ut.

℞. *Radic. Lilior.*
alth. cum toto.
fol. malu.
viol. ana m. j.
Sem. cydon.
malu. &.
lini ana ʒ. iij.
flor. ros rubr.
chamomill. &
anethi ana p. ij.
f. decoctio.

qua auris frequenter foveatur. Sed sequens vapor vehementissimum aurium dolorem semper pacavit, ut

℞. *fol.*

℞. *fol. roris marini,*
Sampſuci.
betonicæ ana m. j.
flor. roſ. rubr.
meliloti, &
chamomill. ana p. j.
Sem. Cini, &
fœnugræc. ana p. ß.

fiat decoctio pro vapore excipiendo. *Oleum* etiam *e ligno coryli* acerbiſſimos aurium dolores ſtatim ſedat.

Ubi tandèm aurium dolor eſt acerbiſſimus, quia deliùj, convulſionis, ſyncopes, & mortis imminet periculum, ad narcotica confugiendum eſt, quæ dolorem percipi non faciunt, vitam ſopiendo, quæ eſt immediata cauſa doloris, talia erunt *Laudanum opiatum*, vel vulgaria, ut *Requies Nicolai, Philonium Romanum, Perſicum, pilul. de cynogloſſa &c.* Sequens decoctio narcotica in formâ fotûs, vel vaporis miraculi adinſtar quoſcumque aurium dolores extemplò ſedat, ut

℞. *ſol. lactucæ,*
nymphææ,
ſolani,
hyoſcyami, &
mandragoræ ana m. ß.
capitæ papav. num. iij.
f. decoctio.

qua auris frequenter foveatur, vel vaporetenus in affectâ recipiatur, aure.

Cave, ne intra aurem liquorem inſtilles aliquem, qui opium exceperit, quia licet dolorem ſedes, alia deteriora mala excitabis.

Cap. XXVII.

De Aurium Vlcere.

VT ulcera alijs corporis partibus, ſic quoque auribus vel per abſceſſû, vel per alicujus liquoris acrimoniam evenire poſſunt, quorum curatio peculiaris eſt.

Signa.

Aurium ulcus ex ſanie, vel ſanguine egrediente cognoſcitur, ut accidit in ſuppurată aurium inflammatione, in qua primò ſatis in magnâ copiâ exit, deindè paulatim fluit, donec ſponte ceſſet. Vlceris aurium ſigna ſunt, dolor, ardor, vehemens punctio, quæ tactu exacerbatur, ſaniei fluxus, & interdùm ſanguinis. Si ulcus ſit in nervo auditorio, acerbiſſimus adeſt dolor, vel præceſſit. Vlcus profundum copioſam ſaniem, ſed lentè emittit; undum laudabilem, ſordidum craſſam, virulentum cittinam & tenuem, putridu fœtentem, corroſuum ſanguinem poſt ſaniem eructat; fiſtuloſum ex ſaniei virulentiâ, carnis calloſitate, & duritie, oſſeus tandèm

meatus carioſus cognoſcitur ab antiquitate, ut *ſect. 6. aph. 45. Vlcera qualibet annua, aut etiam diuturniora corruptionem oſſis cauſant.*

Vlcerum auris differentiæ ſumuntur à loco, tempore, qualitate, & quantitate. A loco ſilicet ab ipſâ auris particulâ, quam obſidet, quæ vel externa eſt, & oculis conſpicitur, vel interna, mèbrana ſcilicet vel auris tympanum, nervus ipſe auditorius, interdùm, & oſſeus ille meatus, in quo, ſicut & in alijs, hæc continui ſolutio caries nominatur. A tempore, qua ratione ulcus aliud eſt recens, aliud verò veruſtum. A qualitate, qua ratione aliud eſt mundum, ſanioſum, aut ſordidum; aliud verò putridum, virulentum, & corroſivum. A quantitate tandem, qua ratione aliud eſt in ſuperficie reſidens, aliud vero in profundum ità penetrans, ut in fiſtulam abierit.

Cauſæ.

Galeni aſſeclæ aurium ulcerum cauſas humoribus acribus & mordacibus, ſive in auribus genitis, ſive è cerebro eò effuſis refundunt, qui acrimoniâ ſuâ exulcerant.

Aurium ulcus juxta noſtram ſententiam non ſolùm à ſuppuratâ inflammatione gignitur, verùm etiam pluribus modis contingere poteſt, nimirùm ob continui ſolutionem, aut per acidum, vel ſalſum laticem interiores aurium partes exulcerâtem, cum ab aurium ſordibus ibidèm diutiùs retentis, tùm ob externam injuriam, ut caſus, percuſſio, alliſio, & vulneratio, ad quas ſequitur ulcus. Ex quacumque igitur cauſâ ulcus inducatur, ſemper fit continui ſolutio, qua partes abinuicem diſtrahuntur, & ſeparantur; undè propter vel vitiatam fibrarum texturam, vel earum eroſionem, ejus nutrimentum in ſaniem convertitur, & profluit.

Prognoſis.

In aurium ulceribus ſemper pus, & ſanies inſpicienda eſt, quæ ulceris bonitatem, vel malitiam indicat; pus enim debet eſſe album, læve, & æquale, ità ut una pars non ſit craſſa, altera tenuis, una rubra, altera alba, & non foetens, undè ulceris non maligni, nec pravi ſumitur judicium. Vlcera antiqua, & diuturna ſunt pejora, quia libenter in fiſtulam degenerant. Quandòque ad os petroſum uſque penetrant, in quo oſſis caries deplorabilis inducitur. Si Sanies recens effluat ab auris ulcere, & priùs capitis dolor, ſenſuumque perturbatio præceſſerit, & hæc jam deſinant, bonum; ſignificat enim ulceris curationem paulo poſt ſperandam eſſe. Vlcus humidum, diuturnum, non corrodens, ſi non exſiccetur. Metus eſt, ne carnis excreſcentia excreſcat, quæ auditum obturet. Vlcera in meatu oſſeo difficiliùs ſanãtur quã in meatu cartilagineo, quia canalis oſſeus verſus tympani membranam declivis eſt, & ubi ad planum deſcendit, foſſam efficit notabilem, è qua pus ægrè eximitur; contrà verò meatus cartilagineus verſus concham declivis eſt, & pus facilè effluit. Aurium ulcera, quæ ad Cranij os pertingunt, ſeu & profundæ fiſtulæ nunquam ſanantur, ſæpè ejuſmodi profunda, & putrida ulcera continuitate quadam ad cerebrum uſque deſcendunt, quæ tertiâ die occidere ſolent.

Cu-

Curatio.

Antequàm ad topica in aurium ulcere deveniant vulgares ex *Gal.* sententiâ 4. *de compos. med. sec. loc.* solemnes instituunt evacuationes per phlebotomiam, & purgans medicamentum ægrotantis naturæ, & temperamento appropriatum, quæ toties per curationis decursum reiterant, quoties opportunum videbitur. Deindè ad leniter abstergentia, & exsiccantia confugiunt, & primò mitiora, postmodùm validiora usurpant.

Abstergentia mitiora sunt, *succus absynthij, apij, marrubij, betæ, agrimoniæ, centaurij minoris cum melle decoctum hordei, & lupinorum. Vel*

℞. *Mell. opt. &*
vini alb. antiqui ana ℥ iij.

Bulliant ad despumationem, & destillentur in aurem, post modùm aurem obtura gossypio eodem liquore imbuto. Vel.

℞. *Succ. betæ* ℥. j.
marrubij ℥. ß.
mell. opt. ʒ. vj.
coque par. deinde adde
Syr. de absynth. ʒ. ij. m.

& in aurem instilla. Validiùs abstergit *succus cyclaminis cum melle, vel aquâ mellis, in qua priùs ebullierit radix hellebori albi additis myrrhâ, sarcocollâ, gentianâ, & modico succo betæ.* Vel.

℞. *Succi cyclaminis* ℥. j.
myrrhæ ʒ. j.
Croci ℈.
thuris ℈. j.
viridis æris ℈. ß.
vini antiqui ʒ. j. ß.

Bulliant ad vini consumtionem, & liquot bis, vel ter in die instilletur in aurem.

Abstersò ulcere, ex siccatibus utuntur, ut

℞. *Aristoloch. rotundæ,*
Cortic. granator.
gallarum. &
nuc. cupress. ana ℥. ß.
Coquantur in partibus paribus
vini, &
aquæ ferratæ ad lib. ß.
Colaturæ adde
Succ. plantag.
polygoni ana ℥. j.
mell. ros. ℥. ij. *m.*

& in aurem instilla. Potentissimâ exsiccandi vi potitur *alumen ustum cum vino mistum*, si in aurem instilletur.

Abstersò, & ex siccato ulcere, ad medicamenta, quæ cicatricem inducunt, accedunt, *decoquendo in vino pompholigem, tutiam, cerussam.* Vel suffitum parando ex *masticbe. thure, myrrha, ladano, gummi juniperi, sarcocollâ, galbano, & similibus*, ut

℞. *Gummi juniperi* ʒ. ß.
thuris, &
myrrhæ ana ʒ. j.
Sarcocollæ,
Ladani ana ℈. j.
m. f. pulv.

vel cum terebinthinâ f. pastilli, & per infundibulum in aurem immittunt.

Si ulcus his non cesserit medicamentis, quia vetustum, & diuturnum, corpus repurgant, & diætam ex ligno guajaco & salsâ parillâ præscribunt, non omissis errhinis, masticatorijs, aliisque remediis, quibus fluxionem avertere credunt. Postmodùm ulceris exsiccationi fortibus incumbunt remediis & iterùm præscripto utuntur remedio ex *succo cyclaminis, myrrhâ viridi æris* Vel sequens commendant ex *Haly*, quo *Valescus de Tarantâ* gloriatur se Presbiterum ab octo annis aurium ulcere

laborantem ſanaſſe.

℞. *Mell.* ʒ. x.
aceti ʒ. viij.
coque ad ignem, & deſpuma, deindè adde.
viridis æris ʒ. j.

Hoc remedium manè & ſerò in aurem infundatur, vel cum turundâ auri imponatur. Vel.

℞. *Aloës,*
thuris,
myrrh. ana ʒ. ij.
miſyos ʒ. j.
fiat maſſa cum aceto, qua ſoluta cum aceto, aut roſaceo utere.

Si ulcus fiſtuloſum perpetuâ fluat ſanie, commendant, ut per clyſterem auricularem injiciatur *fel tauri cum urinâ pueri, vel vinum, in quo decoctum ſit thus & aut helleborus albus, & mel.*

Si ulcus in auribus carnis excreſcentias habeat, ſequens, quo citra dolorem carnem reprimere, & cicatricem obducere exiſtimant, medicamentum preſcribunt, ut

℞. *Alum. ſciſſil. &*
miſyos uſti ana ʒ. ij.
aruginis,
terræ lemniæ,
gummi Arabici ana ʒ. j.
Tritis his, cum aceto acerrimo f. paſtilli, qui uſûs tempore cum vino, vel aquâ ſolvantur.

Aurium ulcera quandoque ſponte ſanantur poſt puris fluxum ſedatum, ſed ut plurimùm medicæ manûs auxilium expetunt. Purgetur igitur corpus, & auris eluatur *vino, in quo myrrha, & aloë infuſæ fuerint cum tantillo mellis roſati.* Deindè in aurem inſtilletur *urina pueri deſtillata; vel balſamus proprietatis, vel balſamus artificialis*, quibus neceſſariò omnia aurium ulcera cedunt. Vel *Balſami ſulphuris terebinthinati guttula una, vel altera* ulceri aliquandò inſtillata, pauco dierum ſpatio ejus curationem feliciſſimè abſoluit. Interim particulæ acidæ ſalinæ, & ſulphureæ obtundendæ, & eliminandæ ſunt decocto ſimplicium cephalicorum, ut *ſampſuci, betonicæ, hederæ terreſtris, roris marini, ſtœchadi &c.* Nec deſint interdùm mundificantia, quibus diaphoretica conjungimus, ut *ſp. c. c. ſtibium diaphoreticum, ſal roris marini, ſal volat. ſuccinii in ſyr. de betonica, vel roſ. incomplet.* Si ſanatio in longum protrahitur, per os præbeantur potiones vulnerariæ cephalicæ, vel ſudorifica decocta ex *ſalſa parilla, ligno guajaco, viſc. queri. ſampſuc. c. c. &c.* parata in quâ carduiſanëti, vaſe clauſo.

Cap. XXVIII.

De Exeuntibus p. n. ab aurium cavitatibus.

Multa p. n. quandòque ex auribus excernuntur & primò, poſt aurium inflammationem, rupto abſceſſu, pus, aut ſanies emanat. Secundò, idem accidit in aurium ulceribus. Tertiò, nullâ precedente ſuppuratâ inflammatione, ulcere, & externâ injuriâ, accidit a quoſum humorem, aut ſaniei aliquid ſimile ex aurium cavitatibus effluere, id vel continuò, vel per intervalla, cum odore tetro, non tàm ægroto, quàm adſtantibus nauſeabili. Quartò, ſanguis interdùm ex auribus effluit, & non tantùm evenit in capitis vulneribus, percuſſione; caſu ab alto, & ſimilibus externis injurijs, in quibus auribus venæ rumpi, vel lacerari poſſunt, ſed

sed etiam crisis modo. Quintò, Vermes aliquandò in sordidis aurium ulceribus gigni, atque indè prodire observavimus. Sextò tandèm, excernitur per aures auriscalpij ope viscidum quoddam naturale excrementum amaricans, Cerumen dictum, quod indies vapore tenus in minimâ portiunculâ materialiter internis aurium parietibus apponitur.

Signa.

Horum affectuum signa ex excretis manifestantur.

Causæ.

Pro aquosi & sanioſi fluxûs causâ Vulgares cerebrum nimium humidum, impurum, & superfluis redundans humoribus stabiliunt, sed quandò tantâ effluit copiâ etiam icinas partes ejusmodi sordidam illuviem subministrare, & ad aures derivare credunt, ut plurimũ pueris contingere solet, *ita Hip. sect 3. aph.* 24. asserit: *Nupr nati infantes habent aures humidas.* Quorum cerebrum superfluâ, mucosâ, & catarrhosâ humiditate non solùm per vias ordinarias huic usui à naturâ destinatas, nares scilicet & palatum, sed etiàm per aures, tanquàm ductus minus idoneos, oculos, & totam capitis superficiem expurgatur, ut in capitis achoribus, & ulceribus patet.

Falsum deprehendimus vulgarium opinamentum de aquoso, & sanioso aurium fluxu, cùm nulla sit via è cerebro, nisi ossis petrosi foramen nervo auditorio paratum, neque salvâ tympani membranulâ, ex aure effluere posset, si humor in interiorem auris cavitatem primò effunderetur.

Aquosi, vel sanioſi aurium fluxûs carsam nos dicimus, esse laticem, vel aurium nutrimentum degeneratum ob aliquod continentium vitium. Hic aquosus, vel sanioſus fluxus citra auditûs læsionem ab aure procedit, quia in interno ejus meatu, & circumadjacentibus partibus generatur. Potest quandòque hic fluxus, si in diuturnitatem abeat, vel intra prædictam cavitatem cohibeatur, tympani membranulam perrodere.

Prognosis.

Aquosus, vel sanioſus aurium fluxus tàm in abscessibus, & ulceribus, quàm quovismodo, minimè cohibendus est; nàm importunè suppressus ob consensum, epilepsiam, aut alium gravem cerebri affectum parit, sed fluat sinamus, donec pars optimè abstersa sit. Hujus materiæ fluxus nonnullos à pluribus præservat symptomatibus, cephalæa, apoplexiâ, epilepsiâ &c. quibus levantur sub fluxûs hujus continuatione, uti in infantibus subindè observamus, qui per hujusmodi aurium fluxus plùs minùs sordidos à pluribus malis, tàm externis, quàm internis, levati sunt. Sanies recens effluens albi coloris, quam præcessit capitis dolor, & sensuum perturbatio, quæ etiam cum erumpente sanie mox quiescunt, boni indicij est, & brevis sanationis signum. Non diù fluere sinatur, nàm in consuetudinem, & diuturnitatem abit, ac proindè membranulas perrodit, auditum pessumdat, atque in fistulam, vel cariem transit nunquàm sanabilem, præcipuè si effluens sanies mali sit coloris, & fœtidi odoris.

Curatio.

Sanguinem ex aure profluentem propter externam injuriam ſtatim ſiſtunt vulgares venæ ſectione in contrariâ parte præmiſſâ, & cucurbitulis ſcapulis affixis cum ſcarificatione. Deindè adſtringentia, & roborantia frigida in aurem inſtillant, qualia ſunt *ſuccus plantaginis, virgæ paſtoris, polygor. Decoctum rubi, roſ. rubr. malor. punic. acaciæ, hyppociſtidis, ſumach & ſimilia in vino & aceto, vel aquâ ferratâ.*

Aquoſum, vel purulentum fluxum curant ſuperfluos in cerebro humores educendo blandis, & frequenter repetitis purgantibus cephalicis, tùm etiam derivantibus per veſicatoria poſteriori cervicis parti admota, cauſticum occipiti inuſtum, fonticulos, cucurbitulas, quibus credunt humores in cerebro redundantes citari, ut perſonaliter compareant ſub pœna &c. Poſtmodùm diætâ ſudorificâ ſuperfluam abſumunt humiditatem. Aurium meatum hoc medicamento detergunt, & exſiccant, ut

℞. *Succi agrimoniæ, & abſynth. ana* ℥. iv.
vini albi, &
mellis roſ. ana ℥ ß.

Bulliant parùm, & in aurem inſtillentur, ſordibus priùs abſterſis, deindè aures goſſypio obturentur eodem liquore imbuto. Vel.

℞. *Vin. alb.*
ſuccor. agrimoniæ, &
centaur. min. ana ℥. j.

Bulliant ſimul & in aurem inſtillentur.

Quomodò purulentus aurium fluxus ex ſuppuratâ inflammatione, & ulceribus curetur, & vermes ex auribus educantur, ſuprà dictum eſt. Si verò ſanguis ex aure fluat ob externam injuriam, & modicus ſit, ejus fluxus non ſtatim cohibendus, quia intùs retentus inflammationem efficeret. Si immodicus, aut diuturnus ſit, ſiſtendus eſt *ſucco urticæ, aquâ ſpermatis ranarum*, ſed præſtat *aqua arterialis* in aurem inſtillata.

Aquoſus, vel ſanioſus aurium fluxus in pueris non ſupprimatur, quia intempeſtivè ſuppreſſus mortem inferre ſolet, ſed malum ætati creſcenti relinquendum eſt; ſolet nàmque ætatis progreſſu, & corpore jàm ſicciore reddito, ſponte, ceſſare. Si verò ad pubertatis annos protrahatur, tunc fluxus ſiſtendus, & priùs neceſſàriæ ſunt capitis purgationes vel medicamentis communibus, vel pilulis. Dentur præterea potiones ſudorificæ ex *guajaco, ſalſa parillâ ligno viſci querceti, limaturâ c.c. ſcabioſâ, auriculâ muris, betonicâ &c.*

Interim aurium meatus cum partibus circumjacentibus detergatur quotidiè manè jejuno ventriculo *urinâ pueri deſtillatâ, guttis aliquot*; relinquatur immiſſa urina aliquandiù, deindè, inclinato capite, emittatur. Ad exſiccationem verò maximè valet *balſamus artificialis, proprietatis, vel ſulphuris terebinthinati ad guttas aliquot.*

Cap. XXIX.

De Aurium Sonitu.

Eſt aurium Sonitus depravatæ auditionis ſymptoma. Auris nullum intra ſe ſonum habere debet, ut omnes ſo-

nos extrinsecùs advenientes percipere valeat: sicut oculus omnis coloris expers esse debet, ut omnes objectorum colores optimè percipiat, quòd si aliquandò aliquo præternaturali colore afficiatur, ut in ictero, tunc visio depravari necesse est. Aurium sonitus est sensus depravati auditûs intra ægri aures excitatus, cùm foris omnia sileant, & ità percipitur sonus, ut is externus audiri credatur, estò nullus edatur, vel isti alius admistus putetur. Est ita molestus aurium auditus, ut externum, alijs audibilem sonum, vel planè non, vel admodùm difficulter percipere faciat, cùm ab illo spurio sono intra aures stridente repercutiatur.

Hunc morbum varijs nominibus medentes appellavêre, aliqui aurium tinnitum, alij sibilum, pauci strepitum, plerique verò sonitum dixere, & meritò, nàm onus nomen generale est & notissimum est sonum adæquatum esse auditûs objectum, ideòque tinnitum, sibilum, strepitum sonus cõprehendit.

Isti varij aurium sonitus ortum habent à vaporum multitudine, vel paucitate, crassitie, vel tenuitate motu celeri, vel lento. Undè si vapor multus sit, & celeriter moveatur, sensorio exhibebit similitudinem aquæ rapido cursu cum fragore fluentis, vel tympani, vel id genus instrumentorum musicorum, vel venti reboantis, vel id genus similia. Quòd si vapor paucus sit, crassus & celeriter moveatur: arboris confractæ, vel domûs cadentis, subitæque ruinæ speciem repræsentant. Si multus sit, tenuis & celeriter moveatur: sibilum referre solet & torrentis cujusdã lenioris imaginem. Si paucus sit, tenuis & celeriter moveatur: tinnitũ excitat modo nolarum, vel tintinnabulorũ. Si multus sit, crassus & lentè moveatur: murmura quædam excitare solet. Si paucus sit, crassus & lentè moveatur: susurrum repræsentat. Si multus sit, tenuis & lentè moveatur: sibilum remissiorem refert. Et tandèm cùm gradus innumeri dari possint crassitici & tenuitatis, multitudinis & paucitatis, motûs celeris, vel tardi, pro eorum variatione, infiniti propemodùm sonorum modi in auribus produci poterunt: prout magis, vel minùs ad hanc, vel illam accedere videbuntur.

Signa.

Hujus affectûs signa ex ægrotantis relatione patescunt; verũ hæc signa penes ægrotantis relationem sicca videntur vulgaribus juxta eorum causas assignandas, ideòque ex prægressis causis aliisque circumstantiis quandam conjecturam desumunt. Si malum pedetentim cœperit, & per quædam intervalla recurrat, tùm etiam si cibi flatibus procreandis præcesserunt & sonus clarior sit, à flatuoso spiritu malum fieri nemo ambigit. Affectus hic dupliciter contingere potest, vel per essentiam, vel per consensum; per essentiam fit in ipsis auribus, & essentiale vitium assiduus testatur sonitus, sine ullâ intermissione molestans: potest tamen per intervalla in ipsis auribus etiam contingere, si causa per intervalla coaceruetur, & deindè resoluatur, & sic vicissim. Per cõsẽsũ fit ab aliis partibus, si aliqua pars peculiari laboret affectu, & tunc subitò invadẽs, per intervalla recurrit: potest nihilominùs assiduò infestare, si assiduũ effluvium auribus pars affecta submini-stret. Quãdò fit à cerebro adest capitis dolor & gravitas, & ut plurimũ noxa aliis simul cõmunicatur sẽsibus. Ab alia-

arũ partium, vel totius consensu, id sui cognoscitur signis, & malũ post inanitionem, vel repletionem, post motũ, vel quietẽ post vehementẽ calorem, vel frigus quiescit, rursùmque concitatur. Si à crassis, lentisque humoribus fiat, non illicò aggreditur, sed pedetentim crescit, & sonus magis obtusus, fluctuatis, & gravitatis sensus percipitur. Si à vaporibus crassis, vel tenuibus, paucis, vel copiosis fiat, cognoscitur ex sonorum differentijs, quæ in auribus percipiuntur. Si ex aurium obstructione sonitus dependeat in febribus, aut harum; aliorumque morborum crisi, provenit à causis illos morbos excitantibus. Si ab imbecillitate, facilè ex his, quæ imbecillitatem induxerunt, cognoscetur. Si ab abscessu, ex inflammationis signis facilè percipitur.

Causæ.

Pro aurium sonitus causâ vulgares statuunt vapores, aut spiritus flatulentos inter membranam foramini auditorio obtensam, à nervo auditorio ortam, vel in ipsâ aure genitos, vel in autem ab alijs partibus transmissos, ut à toto in febribus, in paroxysmorum principio, & instante crisi per hæmorrhagiam. A peculiari parte elevati flatus ad aures transmittuntur, ut à cerebro, ventriculo, ut in vomitu, melancholiâ hypochondriacâ, ab hepate, liene, mesenterio, utero, ut in suffocatione hysterica, & ab alijs partibus. Elevantur prædicti vapores, & flatus ex frigidis, & pituitosis humoribus, à debili calore excitati & in aures deferuntur per venas, arterias, & quintam nervorum conjugationem. Isti vapores & flatus ad aures elevati exitum quærunt, & præ loci angustiâ non invenientes ad ossa, tympani membranam, expansumque nervum allisi, præternaturali commotione congenitum aërem exagitant, & sonitûs causâ existunt.

Non mirum, si aurium sonitum ad vapores, & flatus referunt vulgares, cùm non sit morbus, qui à flatibus suam ferè non agnoscat genesim, ità capitis dolores, vertigines, asthmata, pleuritides nothæ, convulsiones, crampus, satyriasis, tympanites, epilepsiæ, syncopes, cordis palpitationes, uteri exorbitationes &c. extra controversiam sua debent initia flatibus, atque vaporibus cæteroque morbos ad fluxiones referunt, ut diximus in nostræ *Trutinæ lib. 1. cap. 7. de catarrho.* Sunt itàque flatus & fluxiones, tanquàm duæ firmissimæ columnæ, quibus tota vulgarium medicina superstruitur, ad quos tanquàm ad sacram ignorantiæ anchoram perpetuò confugiunt. Omnium ferè morborum naturam, & causas flatibus, & vaporibus infernè sursùm scandentibus, & supernè deorsùm decumbentibus dicant. *Hipocrates* ille senex ità omnes ferè morbo flatibus consecravit, ut peculiarem de flatibus conscripserit libellum. Et *medicin Monarcha, Paracelsus* non fuit à ventorum turbine immunis, itaque tormina quadrifariam partitur, juxta quatuor consuetos ventorum cardines; quorum septentrionem in lumbis, austrum in umbilico, orientem in dextris, occidentem in sinistris, tanquàm fidelis Æolus collocavit: putavit *Paracelsus* nos omnium morbos, ac defectus sentire debere, quòd singuli sumus totius universi extractum.

Galenus quoque externum ventum, sive aëris flatum porosam perforare pel-

pellem, ut & carnoſam membranam, ſimul & muſculos ſubter eam, & per arterias ad cordis refrigerium, ejuſque fulgines explodendas ferri falſò putavit. Imò ejus ſectatores credunt ventum contractum multas ægritudines progignere poſſe: ideoque ſæpiùs meâ cum verecundiâ eos alloquentes audivi: *Multùm ſerò contraxit ventum, unde partes malè ſe habent*, & hanc cauſam multis in morbis aſſignari his auribus hauſi. Inſuper ægrotis, & præcipuè hypochondriacis imperant, ne in ſtricti orificij vaſis bibant, aliàs ſe flatibus infarcirent; errant, quia externi venti non intrant regiones inſolitas.

Nullibi flatus reperitur, & præterquàm in ſtomacho, & inteſtinis, quia in præfatis locis ſuam agnoſcit geneſim ab acido, quod alibi non reperitur. Omnis flatus ſuſcitatur à cibis non dùm digeſtis vel à ſpirituoſa ciborum ſubſtantiâ, vel à ciborum reliquijs, vel ab alimento inteſtinorum ſpermatico degenerante: Eſt igitur quadruplex flatus in nobis internus, & quintus externus, tympanias, qui extra inteſtina clauditur. Nullus itàque flatus eſt aër, aut ventus, cùm ventus, ſive aër non ſit de concretorum compoſitione. Eſt flatus in nobis Gas ſylveſtre inter digeſtiones excitatum è cibis, potibus & excrementis. In ſtomacho dicitur ructus & ſtomachi impotentiâ excitatur, in inteſtinis peditus, qui fit è cibis in ſtercoream prope indolem degeneratis.

Hinc fabuloſùm judicamus cibos quos vulgares flatulentos appellant, cùm nullatenùs dentur cibi, qui in ſe flatus conſervent, ſed tantùm ubique errore digeſtivæ, cibis vitiatis in ſe, vel vitiato fermento inter digerendum ſuſcitantur, ideòque debilis digeſtio plures ſuſcitat flatus quos fortior non admittit.

Falſum deprehendimus vapores, ſeu flatus per arterias, venas, nervos ſurſùm deorſumque deferri, cùm citiſſimè aliàs per ructum è ſtomacho, per peditum ab inteſtinis explodi poſſent. Nec ſtomachus follis eſt, ut invitis canalibus, ſibi conceptos vapores noxios in arcâ, vitæ deferre debeat. Imò pancę venæ arteriæ, & nervi ſunt in ſtomacho, nec peregrinum eſt, poteſt aliò transferre per dictos ductus. Quorſùm enim allicerent, & reciperent, quod præter naturæ eſt inſtitutum? Quomodò vapores, & flatus inſuſſlaret ſuos ſtomachus in vaſa anguſtiſſima cruore repleta, quæ non valent trahendo?

Non in utero internè ſuſcitari flatus dicimus, quia uterus materiâ deſtituitur flatulentâ, nec ejus digeſtio eſt, creando flatus, nec externè in uterum intrat aër, non enim vacuum patitur, ſuâ membranâ totus concidit madidâ, ideòque ſuâ ſponte aëri aditus præcluditur ſpiranti, niſi vi per inſtrumentum aliquod is injiciatur.

Non negamus ab inferis partibus capitis dolores, vertigines, ſurditates, epilepſias, cæteraque id genus mala ortum habere: non tamen per vapores ad caput delatos; etenim per œſophagum aſcenderent & nil, niſi inſipidam aquam ſtillatitiam darent. Multùm intereſt vapor à flatu & aëre.

Dantur duo flatus in nobis, unus planè heteroclitus tàm in inteſtinis, quàm toto corporis habitu detentus, atque natus, etenim ex fermento venenoſo, & ſtercoreo extrinſeco, alter verò flatus oritur in ultimâ digeſtione partium ſimilarium à ſexta digeſtione. Itàque ſi ulti-

ultima digestio intra partes aurium constitutivas vitietur à fermento inter digerendum flatus producitur, qui sonitum juxta quantitatem, qualitatem, & motum excitat ; non quòd ab inferis superna petat, vel à superis in inferiora descendat. Hujus affectûs occasionalis causa esse potest vehemens capitis percussio, sonus vehementior, aurium ulcera, debilitas &c.

Alij arbitrantur auditûs debilitatem ob caloris naturalis inopiam aurium sonitum efficere posse, ut patet in senibus, & convalescentibus. Verùm horum opinio improbabilis est ; auditûs enim debilitas ob caloris naturalis inopiam non potest esse causa actionis depravatæ, sed tantùm imminutæ. Quòd verò in senibus & convalescentibus interdùm aures tinniunt, hoc non provenit ex debilitate auditûs, sed ex vitiatâ talium partium digestione sextâ intra aures hærente, cujus productum resolui nequit à debilitate, undè in convalescentibus postquàm perfectè convaluerunt de infirmitatibus suis, non ampliùs ab aurium sonitu molestantur, quia partes ad perfecta redeunt munia.

Aliqui putant sensum auditûs exquisitiorem aurium sonitum efficere posse, quia objecta licet moderata illum efficiunt ; undè qui exquisitiori fruuntur sensu, ad minimum cujuslibet objecti motum expergiscuntur. Concedimus sensum exquisitiorem, illumque pendere putamus à sensorio perfectissimè dispositio, imò quodammodò plusquàm perfecto, & simul valdè tenero. Verùm sensum exquisitiorem per se actionem depravatam producere posse negamus ; imò quò sensus est exquisitior, eò minùs errare debet : debet igitur esse præter naturalis sensus, ut præter naturalem producat effectum. Quòd ad cujuslibet objecti motum excitantur, hoc provenit, quia sensorium est valdè tenerum, & facilè molestiâ afficitur, cùm recedat ab exactâ mediocritate. Hinc talium hominum somnum experimur valdè levem, ac continuò ferè interruptum, quia itidèm existit valdè molestus.

Prognosis.

Aurium sonitus recens facilè curatur, inveteratus, & chronicus difficilè & eò magis si ab affectione hypochondriacâ, vel lue venereâ originem traxerit ; In senibus verò medelam non recipit. Diuturnus aurium sonitus h. e. si biennium, vel longiùs duravit rarò curationem recipit, sed plerùmque in surditatem degenerare solet. A capitis ictu curationem respuit.

Curatio.

Variant aurium sonitûs curationem vulgares, non tantùm juxta causarum diversitatem, verùm etiam si ex alicujus partis consensu oriatur, primò parti affectæ curationem dirigunt. Qui ab aure primariò affectâ exoritur, peculiarem requirit curationem : præmissis igitur iteratò cephalicis purgationibus, magnoperè extremorum frictiones, sternutamenta, masticatoria, & frequentes capitis pectinationes commendant, nec non capitis lotiones cum *decocto absynthij, betonicæ, lavendulæ, roris marini, sampsuci &c.* Nec lenes omittunt clysteres, quasi intestinorum sordes aurium sonitum excitarent.

Si

Unable to display this page

Unable to display this page

quàs audivêre voces, exprimere sciunt: Neque sicut vita, ità sermo à parentibus in liberos transfunditur, sed temporis progressu auditu, imitatione, & usu discitur, ad quam rem auditus est necessarius. Voces articulatæ non significant naturaliter, sed sunt institutæ ex liberâ hominum voluntate, & beneplacito ad quidpiam significandum, ut fusiùs in logicis, ac proindè ut homo sermonem proferat, non est à naturâ, sed ab auditu, & imitatione discit. Cæteris animalibus vocem naturaliter significantem natura dedit, ut canibus latratum, leonibus rugitum &c. hæ sunt voces naturaliter significantes, & inarticulatæ, ut & hominum gemitus, suspiria &c. quæ sunt pathemata naturalia. Cæterùm multùm interest inter vocem, & locutionem, quia vox à naturâ data est, locutionem tamen à naturâ, quæ homini propria est, homo habere non potest, sed ex imitatione saltem addiscere ut humanæ vitę politia, & societas servetur; est enim homo animal politicum, & sociabile, qualia cœtera animantia non sunt: nullum igitur idioma nativum est. Hinc falsa est illa vulgaris opinio asseverans: *Si nemo coram infantibus recens natis vocem ederet, ut adultâ ætate natura, quæ nunquam deficit in necessarijs, teneatur sermonem eis tribuere, nec alio idiomate loquerentur, nisi illo, quod Adam habebat.* Errat stolidum vulgus, nàm primi parentis sermo non fuit à naturâ, sed ad placitum, quia ipse fuit primus instituens, ut habetur *Geneſi cap. 2. num. 19. & 20. formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli adduxit, ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia Cœli, & terræ.* Præterquam quòd hanc quæstionem philosophi, & medici meliùs exagitare solent: *An articulatam vocem proferendi, seu loquendi potentia sit homini naturalis, an verò saltem ab imitatione, dùm quisque sermonem, quem alium loqui primo audivit, & ipse discit, & loquitur.* Non defuerunt aliqui in eâ sententiâ, qui infantem sibi relictum, tandem sponte locuturum affirmârunt. Verùm notissima est historia de *Rege Maguth*, is triginta infantibus recens natis in locum solitarium inclusis, nutricibus eorum hoc negotij dederit, caverent, ne vocula ulla ad eorum aures perveniret, ut experiretur, quoniam idiomate aliquandò essent usuri, atque adeò ejus nationis religione amplecteretur, cujus infantes linguam proferrent. Sed cognovit tandèm Rex ipse vanissimum fuisse laborem, siquidem ipsorum nullus distinctè locutus fuit: firmum igitur restat, quod qui loquentem neminem audivit, nec ipse loqui potest, sed eum quisque sermonem loquitur, quem alios loquentes audivit & nulla idiomatis species homini connascitur.

Cur à nativitate surdi etiam muti sunt, alij aliam adducunt rationem scilicet maximam sympathiam, & consensum auditûs & loquelæ organorum; lingua enim cùm præter alios nervos, quibus ad sensum indiguit, etiam à nervo illo quinti paris in aurem tendente, surculum acceperit: Si hic nervus auribus & linguæ communis vitiosam habeat constitutionem, accidit, ut non solùm surdi tales fiant, sed etiam muti, & in unam sufficienter, & quantum ad

vocem articulatam opus est, movere non possunt, & si sensum & aliquem motum ob reliquos nervos integrum habent. Rationem adducunt, quia à nativitate surdi, si loquelæ organa non haberent vitiata, aliquam vocem ex naturæ instinctu articulatam ederent; quemadmodùm Cætera animantia etiam si à nativitate ab alijs ejusdem speciei separentur, connaturalem proferunt. At surdi à naturâ nullam vocem edunt articulatam, sed tantùm confusum sonum, qui partium loquelæ inservientium manifestam arguunt læsionem.

Verùm horum opinionem falsam his deprehendimus rationibus: Primò, si consensus iste nervi quintæ conjugationis hujus rei esset causa, necessariò sequeretur etiam post ortum, & in adultâ ætate idem accidere posse, nimirùm si post ortum nervus auditorius vel obstruatur, vel crassior fiat, ut indè auditus vel solùm diminuatur, vel prorsùs aboleatur, tùm enim necesse erit, ut locutio eodem modo vel diminuatur, vel aboleatur, quod tamen non accidit, ut experientia testatur auditum & loquelam varias læsiones seorsim, & privatim suscipere, & auditum lædi posse, saluâ Loquelâ, & contrâ. Secundò, multi difficulter à nativitate audientes inveniuntur, qui expeditè loquuntur, & contrà. Tertiò non semper surditatis causa est in origine quinti paris nervorum, à quo oritur nervus auditorius, & qui mittitur ad laryngem sed quandoque surditas à nativitate oritur ab alijs causis; læso enim quolibet interno aurium instrumento, surditas oboritur, si nimirùm à primâ generatione in malleolo, incude, stapede, in utrâque aure vitium sit. Tùm enim auditus & consequenter loquela lædi potest, nullo vitio in nervo quintæ conjugationis auri, & laryngi communi existente. Quod idem accidere potest, si meatus auditorius obstruatur, aut tympanum vitietur aut aër implantatus sese non rectè habeat. Ex dictis patet surdos à nativitate non fieri mutos ob consensum nervi quintæ conjugationis, qui auri & laryngi est communis, restat igitur surditatis vitium à privatis læsionibus in aurium organis provenire.

Signa.

Gravis auditus & surditas per se patent, causarum verò signa sigillatim distinguere difficillimum est, conjecturâ tamen in hunc modum distingui possunt. Si surditas à nervo auditorio, & ejus interno meatu contingat, præcesserunt affectus, vel adsunt in cerebro, ut capitis dolor, gravitas, apoplexia, epilepsia, lethargus &c. & alij etiam sensus læsi sunt. Si in solo nervo auditorio sit vitium, reliqui sensus erunt integri præcessit tamen necessariò aliquis cerebi affectus, qui nervum auditorium degenere succo obstructum esse restatur. Si obstructio sit in interno auris meatu, oculis conspicitur, & instrumentis explorari potest. Si aliquod extrinsecùs in aurem immissum sit, egrotantis relatione patebit. Tympani laxitas ex humectantibus causis cognoscitur, exsiccatio ex exsiccantibus. Si ex implantati aëris crassitie proveniat, ex incrassantibus facilè deprehenditur; distruptio ex dirumpentibus, & erodentibus. Verùm adeò exactè non semper cognosci potest, quænam auris pars insurditate laboret, cùm facilè hæ conjecturæ, & aliæ quemlibet medi-

cum

cùm decipere possint.

Causa.

Surditatis causa nunc hæret in externâ auris cavitate, nunc internâ, nunc in tympani membranâ, nunc in aëre implantato, nunc in nervo, nunc in spiritu animali.

Causa hærens in externâ auris cavitate, tuberculo, abscessiui, saniei, aliisque rebus tùm intrinsecùs, tùm extrinsecus aures obturantibus debetur. Advertendum tamen est, meatûs exterioris obturationem absolutam surditatem non posse induere, sed tantùm gravem auditum, quia quandoquidem per os etiam ad aures soni deferri possunt; etenim meatus patens est ab auris cavitate ad palatum, per quem soni facilè ingrediuntur, & ad aures sese insinuant, qui meatus etiam aurium expurgationi dicatus est. Et sonum per os patens excipi multa ostendunt experimenta, videmus enim multos surdastros, ut meliùs loquentes audiant, aperto ore sermones eorum excipere. Et si utrâque aure diligenter obturatâ, musica instrumenta baculo contingas, quem dentibus apprehenderis, exquisitiùs audiuntur. Et vix noctu alicujus procul advenientis strepitum captamus, at è longinquo magis audimus, si baculi alterum extremum terræ affigamus, alterum verò dentibus apprehendamus. Verum id melius assequemur, si aurem terræ admoveamus qui mos lupis inditus est à naturâ. Imò utrâque aure fortiter & diligenter obturatâ, si per tubulum cuique capitis parti procul ab aure admotum verba pronuncientur, clarè, & distinctè audientur, quod experimentum magis probat, quàm nos probare intendimus.

In internâ auris cavitate gravem auditum, vel surditatem efficiunt degeneres succi & secundum *Hip.* quandoque bilioſi sunt, ut *sect. 4. aph. 28. Quibus bilioſa sunt dejectiones, hæ superveniente surditate, cessant: & quibus surditas adest supervenientibus bilioſis dejectionibus, cessat.* Existimabat enim Hip. surditatem fieri excrementis bilioſis retentis, & ad caput recurrentibus, talemque surditatem cessare, alvo turbatâ, & bile per inferiora dejectâ, dummodò hectica non fuerit surditas, sed repentè in febribus facta, quod tamen falsum est. Interdum sanguis surditatem efficit, cùm futuram crisin per narium hæmorrhagiam significat, ut idem innuit *sect. 4. aph. 60. Quibus in febribus aures obsurduerunt: sanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata soluit morbum.*

Tympani membranula graviorem auditum efficere potest, si ab externo aëre frigiditatem contrahat, quia *frigidum nervis & membranis inimicum est*; Vel si narcoticorum usu obstupescat, vel crassior reddatur, quæ causa in senibus frequens esse solet, ut enim oculorum tunicæ in senibus crassescunt & obscuriores redduntur: ità quoque procul dubio ætatis progressu hæc membranula aliquam suscipit mutationem, & hac de causâ habetur *sect. 3. aph. 31. Gravis auditus est senibus familiaris.* Eadem quoque nonnunquàm rumpitur externâ violentiâ & surditatem efficit, ut ab auri calpio, aliove instrumento violenter intruso, apostemate rupto, casu, percussione &c. Hoc idem efficere

possunt immanes fragores repentini, quales majora tormenta bellica, tonitrua &c. facilè aëris commotione illam lædere possunt, continuique solutionem inferre quemadmodùm etiam displosa tormenta bellica propinquas concutiendo, fenestras dissilire faciunt, ab ejusmodi enim violentiâ interdum fiunt sanguinis grumi, nec non abscessus, sordesque relinquunt, aurium foramina obstruentes. Quandoque tympani membrana ab aëris humiditate relaxatur, & quam plurimi surdastri in austrinâ constitutione graviorem habent auditum, ut habetur *sect. 3. aph. 17. Auditus hebetatur ab austrinâ constitutione.* Vel nimis tenditur, exsiccaturque post morbos acutos, vigilias, aut jejunia. Ità etiam si ossicula illa tria, quæ huic adiacent membranæ, loco dimoveantur ictu vehementi, sonitu, vel humoris alicujus affluxu, auditûs gravitas, vel surditas subsequitur.

Aër implantatus, seu congenitus gravem efficit auditum, si crassus, humidus, vel impurus reddatur, qualis in austrinâ constitutione, vel in regionibus uliginosis, uti in Belgio solemne est, ac proindè gravis auditus olim vocabatur: *Auris Batava*: Quapropter sicut visûs organum lucidum esse debet, ut objecto respondeat: ità auditûs organum aëreum omnem impuritatem excludens. Flantibus austris, ventis, vel regionibus uliginosis existentibus, aër crassus, turbidus & caliginosus redditur, non modò in aëris regione verum etiam in internâ auris cavitate, qui implantato aëri sese permiscet & debiles repercutit sonos, undè aurium tinnitum excitat, qui auditûs gravitatis, & surditatis prænuncius est. Id evenit non aliter ac fumus in tali aëris constitutione ab igne focorum ascendens in caminorum fastigijs ab externo, spisso & humido aëre repercutitur, ità ut talis fumi repercussio sit certum pluviosæ tempestatis signum, indicetque aëris spatia vapore aquoso jàm esse repleta & alios vapores, ut est fumus, in se recipere non posse. Item vapores crassi à malâ vivendi ratione, & diætæ erroribus cerebro communicati, si interiorem auris cavitatem per foramen, quod nervus auditorius transit, se insinuant, hoc malum efficere valent.

Nervus auditorius surditatem efficere potest, si exsiccetur, aut obstruatur ejus medulla ab humore intra ipsius membranas contento, vel comprimatur à quovis tumore vicino. Si malè sit conformatus, vel rectè auri non inseratur & hoc modo surdi ab infantiâ fiùt.

A spiritibus auditûs læsio oritur, tùm cùm à morbis vel depopulâtur, vel non transmittuntur, vel cùm immobiles redduntur ad tempus, ut in apoplexiâ, caro, catalepsi &c.

Prognosis.

Surditas miserandum malum est, aures enim sunt veluti mentis porta per quam menti ea immittuntur, quæ doctrinâ & institutione ad vitam politicam & sociabilem transigendam necessaria sunt: misterum itàque eum hominem esse necesse est, qui audiendi facultate destituitur, cùm hoc adminiculo ad vitam incolumen tuendam careat. Cæterûm miseriores sùt, qui surdi & cæci sùt, ac tandè qui surdi, Cæci & muti sùt.

Gravis auditûs & surditatis prognosis ità se habet: auditûs gravitas est malum non contemnendum, si brevi nó discutiatur, temporis cuniculo sensim in-

increbescens plerùmque tandèm in omnimodam transit surditatem.

Surditas nativa curationem non admittit, sic & quæ diuturno tempore contracta fuit, insanabilis omninò censetur, estò multa extent exempla quorundam curatorum, qui per multos annos surdi fuerint; id enim rarò contingit, multoque plures sunt, quibus frustrà adhibentur remedia. Surditas ex obstructione in meatu externo faciliùs curatur, difficiliùs in meatu interno, & auditorio. Tympani membrana rupta, vel erosa, vel cicatricem superstitem nacta, aut officula luxata immedicabilem reddunt surditatem. Surditas, quæ modò crescit, & modò decrescit, facilius curatur, fit enim ab humore tenui, & exiguo, qui interdùm minuitur, vel à flatulento spiritu. Surditas, quæ per aurium idiopathiam excitatur, facilius curatur, quàm quæ per sympathiam. Surditas in febribus contingens, cum eâ plerùmque solui solet, ut *sect.* 4. *aph.* 28. *surditas in febribus solvitur biliosâ dejectione.* Sed quandòque mortis prænuncia est, significat enim audiendi vim per morbi vehementiam extinctam esse, & pravi humoris copiam cerebrum, & aures occupare, ut eâdem *sect. aph.* 49. *Auditus deficiens in febribus continuis signum lethiferum*, & *sect.* 8. *aph.* 16. *in acutis febribus non audiens est morti proximus.*

Curatio.

Curatio pro causarum diversitate varianda est, semper tamen præmittenda sunt universalia S. corpus purgantia, & caput mundificantia, quæ ubi necessari, sunt per intervalla repetenda sunt, in surditate autem purgantia frequentiora, & fortiora sint, quàm in gravi auditu, deindè topica auribus applicanda sunt.

Surditas originalis conformationis vitio, audiendi instrumenti defectu, aut aliquâ aliâ vitiosâ figurâ incurabilis est, cùm illud, quod natura semel ademit, à medico nullo pacto reparari possit, est ejus sanatio soli Deo reservata. Adventitia non rarò curationem recipit.

Quæ aliquo cerebri, vel aliarum partium defectu originem trahit, non aliam requirit curationem, quam quæ dictis destinatur affectibus, & à propriis capitibus desumenda est. Quę à tuberculo, sanie, aliisque tùm intrinsecùs, tùm extrinsecùs observantibus dependet; attamen si auditùs gravitas, vel surditas sit ab aurium ulcere, ejus curatio instituenda est, ut de ulcere aurium diximus, atque hic abstinendum est ab oleis, nàm oleum est ulceribus inimicum, & præcipuè ulceribus aurium.

Si degeneres succi in internâ auris cavitate gravem auditum, vel surditatem efficiant absque insigni aliquâ instrumenti auditûs læsione, evacuatis per alvum, vel per nares effusis, vel insensibiliter discussis succis, malum sponte cessat.

Si tympani membranula ratione frigoris gravem pariat auditum, per appositа debellativa perficienda est curatio, & efficacissima erunt olea ex penu chymico, qualia sunt *roris marini, sampsuci, lavendulæ, caryophyllorum &c.* quæ nunquàm ob nimiam vehementiam sola non sunt usurpanda. Si à tympani membranulæ rupturâ, vel corrosione surditas pendeat, curationem non recipit, ut & gravis auditus

à prædictæ membranulæ craſſitie, ut ſenibus accidit. Si à membranæ ſiccitate oriatur affectus victu humectante, ſomno longiori, & capitis humectatione utendum eſt, & in aurem humectantia immittantur, ut *oleum amygdalarum dulcium*, & ſimilia.

Si tympani membrana ſit relaxata in nimiâ aëris humiditate, vel congenitus aër craſſitiem, & humiditatem adeptus ſit, & gravis auditûs in causâ ſit, vitetur auſtrinus aër, victus exſiccans inſtituatur, & præ omnibus aliis medicamentis maſticatoria conveniunt propter meatum, qui ab internâ aure ad palatum defertur, & aurium excrementa deponit. Si morbus contumax ſit, & in longitudinem abeat, diæta ſudorifica hîc maximè locum habet.

Hujus curationis ſumma erit, ut diæta medicamentis, & cauſarum varietati reſpondeat, vitando cibos, qui craſſum generant alimentum, & vaporoſum, in primis allium, ſinapi cæpas &c. quæ auditui nocent. Aër ſit purus, æger auſtrinos vitet ventos, & ab iis muniat aures. Primùm inſtituatur univerſalis evacuatio, & ſi affectus pertinax ſit, diaphoretica pluries recenſita proſunt, ut diximus. Vulgarium cauteria, & veſicatoria maximè nocent. Sternutatoria hîc non uſque adeò tuta ſunt cùm incertum ſit, quò humorum motus ex vehementi illa agitatione concitatus vergere poſſit. Vulgarium frictiones inutiles ſunt, & mortuum potiùs, quàm ſurdum excitarent.

Peculiariter poſt corporis depletionem multùm valet de manè *Tritholi ſudatorium in Puteolano* & de ſerò *ſulphuris fumus per infundibulum in aurem exceptus in foro Vulcani. In Inſulâ Pithecuſa valet ſudatorium ſancti Angeli; vel balneum Vimitelli, vel furnelli.* Noſtrates vulgares maximoperè commendant *Sudatorium Aniani*, dictum balneum ſiccum ad hunc, & alios affectus, verùm ejus exhalatio eſt etherogenea, & propter Mephitis viciniam majora damna, quàm commoda in capite, & thorace recepta producit, & nos multos in animi deliquium & ſyncopen incidiſſe obſervavimus.

Interim topica applicentur, & in aurem inſtillentur, talia ſunt *oleum amygdalarum amararum*, *anguillæ pinguedo*, *axungia talpæ*, *pinguedo ſerpentis*, *aqua è ligno fraxini deſtillata*, *aqua origani ex ſiccâ plantâ cum vino deſtillata*. Efficaciſſima ſunt olea arte chymicâ deſtillata, *rutæ*, *caſtorei*, *roris marini*, *ſampſuci*, *ſalviæ*, *baccarum lauri*, *caryophyllorum*, *cinnamomi*, *philoſophorum*. Maximoperè commendamus *balſamum ſulphuris ſpiritu vini extractum*, *fel animalium*, *ut leporis*, *capræ*, *perdicis*, *vel cervi*, *ſi cum olei ſuccini æquali parte miſceatur*, & in aurem immittatur, ſed præſtat *eſſentia fellis per vini ſpiritum extracta*, qua curatos eſſe multos aiunt, qui planè ſurdi fuerint, attamen mirabiliter operatur *eſſentia fellis humani ſpiritu vini extracta*.

Multùm prodeſſe poterit ſuccus ex cæpâ expreſſus, vini ſpiritu imbutâ, & ſub cineribus coctâ. Item præ omnibus ſequens experimentum, ut

℞. *Cæpam magnam rubram*
in medio excavatam, cujus
cavitatem reple
ol. rutæ, addendo
pulv. cyperi,
bacc. lauri.

baca

bacc. lauri,
anisorum,
cumini ana ʒ. j.
castorei pulu. ʒ. ß.

Bulliant omnia super prunas ardentes, postea exprimantur, & serventur in phialâ, de quo stillentur guttæ aliquot in aures manè, & vesperi, claudendo eas gossypio moschato. Expertissimum quoque medicamen est *liquor destillatus ex melle, & formicis.*

A nonnullis laudatur *panis ordinarius ex clanobi extractus, & inferiori crusta ablatâ, qui in spiritum vini immergatur*, & calidè quantùm æger ferre poterit, ad aurem applicetur. Alij extollunt *spiritum vini, in quo elleborus albus fuerit infusus*, & in aurem instillatus.

Tandèm sequens expertum medicamen tutò in aurem instillari potest.

℞. *Senecionem serpentis,*
ovor. formicar. ana ʒ. ij.
contunde opt. affunde
ol. sampsuci lib. ß.

Inde aludeli, & per mensem chymicum stent in ventre equino, & habebis oleum penetrans, quod cum gossypio manè, & vesperi in aurem instilla.

Cap. XXXI.

De Narium Vlcere, & Ozænâ.

PUtârunt tàm veteres, quàm recentiores nares esse cerebri emunctoria, & per eas veluti per canalem excrementa fluere; nihilominus habent nares sua peculiaria excrementa, quæ pro cerebri excrementis venditent medentes. Ab his excrementis non patiuntur nares, dùm ea foràs exturbantur, quia propria, & victa sunt, ceu non patitur oculus à lacrymis, ab urinâ vesicâ, à fœcibus intestina, à salivâ os &c. quia horum excrementorum sunt propria emunctotia. Possunt quandoque ab his excrementis pati nares, siquid exoticum, & præter naturam associetur, ex quo oritur ulcus, ozœna, carcinomâ &c.

Ulceratio incipient in naribus nullum aliud speciale habet nomen, nisi ulcus recens, & simplex, quod frequenter occurrit; ac tamen si ejus curatio negligatur, temporis progressu ex affluentibus sordibus, & causæ malitiâ incrementum sumit, & in ulcus sordidum, putridum, vetustum, & graveolens degenerat, quod ozæna vocatur.

Signa.

Ulcus recens, & simplex nullum, aut exiguum excitat dolorem, & nares ichore madent, dum attinguntur, vel irritantur; alioqui siccâ & nigrâ obducitur crustulâ, quæ nisi vi excutiatur, arescere solet, sponteque sanatur. Verùm si violentiùs tangatur, vel detrahatur, aliquid sanguinis exsudat & emunctionis impetu non ratò exploditur, & nova crusta subnascitur spissior, quæ dùm diutius hæret, perpetuò sub eâ aliquid exeditur, & majus efficitur ulcus, quod si negligatur, tandèm in dies depravatur, donec in ozænam degeneret.

Ozæna dolorem ulcere majorem infligit, illius crusta sordidior, humidior est, & graveolentiam exhalans, tetrumque reddit odorem, ut æger non tantùm sibi graveolens, sed etiam adstantibus tetri odoris expiratione molestus, & abominabilis sit.

Causæ.

Ulcerum recentium & simplicium causam internam putant vulgares esse humorum fluxionem in nares, vel à cerebro, vel à partibus inferioribus : hujusmodi humores sunt bilis, vel pituita salsa, id patet in catarrhosis fluxionibus, quod nonnunquàm narium cutis eroditur, & ulcera excitantur.

Ozænæ causam esse humores acres, putridos & malignos ; causam verò antecedentem esse cerebri intemperiē ejusmodi humores coacervantē aut intēperiē in aliquibus partibus inferioribus, vel in toto, quæ capiti communicatur ; vel occultam viscerum malignitatem, ut in lue venereâ.

Fluxio, catarrhus, viscerum intemperies, causa occulta, putredo, malignitas &c. quam vulgares in medicinam intruserunt, quemlibet agasonem fecit medicum. Errant vulgares in ulcerum narium & ozænæ assignandâ causâ: non à cerebro per descensum, neque à partibus pendent inferioribus per ascensum, quia cerebrum, inferioresque partes, per quas transeunt, primùm exulcerarent, deindè narium partes.

Sunt nares emunctoria & sua peculiaria habent excrementa, in quibus quandòque particulæ acidosalinæ delitescunt, & alimentitium sequuntur succum ad partium nutritionem usque & levi datâ occasione patescunt, cùm excrementa in narium cavitate separantur, si desiccentur, simplicem exedendi energiam nanciscuntur, pruritum excitant, sensim excoriant, & simplex efficiunt ulcus. Quod si hæ particulæ exaltentur, sensim in acutas, corrosivas & fetidas degenerant, ac potissimum ulcus sordidum, crustosum, putridum, vetustum, & graveolens generatur, quod ozæna vocatur. Fit quandoque ex tuberculo in naribus orto, & suppurato, vel ex causis externis scilicet à vulnere, vel contusione in puris generationem transeunte.

Prognosis.

Quælibet narium ulcera plerùmque curatu difficilia sunt, & cacoēthe, cùm ad deteriorationem proclivia sint, ideòque perpetuò pro suspectis habenda sunt ob prava symptomata, quæ excitare possunt, quia ut plurimum læditur respiratio, cùm ulceris crusta nares obstruat, vel si in sarcoma, vel polypum degeneret : quandòque narium fœdâ depressione deformat : interdùm vox vitiatur, quia malum palato communicatur, sub quo, tanquàm sub testudine, vox reflectit : Quandòque narium hæmorrhagia annectitur, narium venis ab ulcere erosis. Verùm si simplicia, recentia, superficialia, munda & externa sint, facillimè curantur.

Vetusta, putrida, crustosa, interna, profunda & fistulosa difficillimè sanantur. Si diutius durent, paulatim longius serpunt & effodiunt narium pinnas, earumuè interstitium, vel tenella nasi ossa, præsertim cartilaginem exedunt ; quandòque putrefactivâ exesione palatum perforant, & ad cerebrum usque serpunt, ossa primum, quia densitate suâ, magis resistunt, exedunt, deindè carnem, quia rara & foraminata.

Curatio.

Vulgares in narium ulceribus eas-dem indicationes, quibus alia ulcera

curant

curant, obſervant; ideòque victûs rationem preſcribunt, quæ humorum acrimoniam temperat, & eorum geneſim inhibet. Mox ſi ſuperflui redundent humores, corpus convenienti depleunt pharmaco, phlebotomiâ & cucurbitulis cum ſcarificatione. Si fluxio in nares ſit valdè contumax, eam derivant veſicatorijs, cauterijs, poſterioribus capitis partibus admotis. Caput ipſum, fluxionis fontem, exſiccant, roborantque. Deindè ulcus detergunt, exſiccant & conſolidant.

Caput ad cutem uſque deradunt, & frequenter fricant *oleo myrtino, puluere corall. ſantalor. & aceto* ad majorem penetrationem; mox ſequens concinnant cataplaſma abraſo capiti imponendum, ut

℞. *Limacum num.* viij.
contundantur, & admiſceantur
pulu. roſ. rubr. ſiccar.
Santalorum, &
balauſtior. ana ʒ. j.
myrrhæ,
mannæ thuris, &
maſtiches ana ʒ. ij.
gummi ſandarach. ʒ. j.

Conquaſſentur cum album. ovorum num. ij & f. ſ. a. cataplaſma linteo obducendum, quod capiti applicetur, deferaturque per novem dies continuos, non aliter ac ſi caput tineâ laboret.

His præmiſſis, ad topica deveniunt, ac primum ſi ulcus cruſtoſum ſit, cruſtam auferunt, eam emolliendo fotu, vel vapore *aquæ tepidæ, butyro recenti, anſeris, vel gallinæ adipe loto priùs aliquoties aquâ roſarum, oleo amygdalarum dulcium*, & ſimilibus. Cruſta emollita non eſt vi excutienda, ne ulcus irritetur & fluxio concitetur, ſed ejus caſus ſpontaneus eſt expectandus, nare emungendo, vel cum digiti extremitate detrahendo, vel per ſternutationem exterminando.

Cruſtâ ſemotâ, quæ ulcus adſtringunt, & exſiccant, uſurpant; eluunt ulcus *aquâ ſaccharatâ* ad demulcendos humores acres, aut *vino albo, in quo mel incoctum; ſit vel aquâ hordei cum melle roſaceo*, deindè illiniunt *unguento de tutiâ, albo Rhaſis &c.*

Ozoena validiora expoſtulat remedia, quàm ulcus, ideòque ad errhina confugiunt, ut

℞. *Hord. integri p.* j.
agrimoniæ,
abſynth.
Centaur. min. ana m. j.
roſ. rubr. &
balauſt. p. ß.
cortic. granat. &
nucum cupreſſ. ana ʒ. ß.

Coquantur in aquâ ferratâ, & in colaturâ diſſolue
mellis roſ. ʒ. iij.

& frequenter naribus, attrahatur. Poſt ulceris deterſionem ſequens decoctum uſurpandum cenſent ad ulceris exſiccationem & conſolidationem.

℞. *Radic. biſtortæ, &*
ariſtoloc. rotund. ana ʒ. ß.
myrrhæ, &
aloës ana ʒ. ij ß.
ſummit. ſabinæ m. ß.
alum. crud. ʒ. j.

Coque in aquâ communi. Deindè ſequenti illiniunt unguento.

℞. *Aloës,*
myrrhæ ana ʒ. ß.
gallar. ϑ. j.
Lithargyrij,
ceruſſæ ana ʒ. j. ß.
plumbi uſti, & loti ϑ. ij.
cum ol. roſ. q. ſ.

f. Vngue-tum.

Si hæc non sufficiant, ulcus *aquâ plantaginis, in qua sublimatum dissolutum fuerit* bis, ter, quatervè in die abluunt, vel *unguento Aegyptiaco in aquâ hordei dissoluto.*

Tandèm ulcere detersо, ad exsiccantia deveniunt, pro quibus *Rondoletius* laudat *candelas ex cerâ rubrâ paratas*, si talis candelæ fuligo in cubiculo angusto, benè clausa, naribus excipiatur, quia potenter ulcus exsiccat: verum exsiccat, & comburit, potiùs utilissimum erit id oleo ceræ illinire, quàm suffumigare. Vel idem valdè decantat efficacissimum *suffumigium ex auripigmento, & cinnabari*, quibus addit aliqua odorata ex quibus fuligo excitatur, ut est *myrrha, thus mastiche, benoinum &c.* & ulcus siccatur. Cæterum insalubre suffumigium est, imò lethale tantùm ob auripigmenti admistionem; est enim auripigmentum arsenicum citrinum, seu flavum, & leprosum continet virus.

Si ulcus sit corrosivum, ne profundiùs serpat, usurpant *acetum salitū vel vinū salitū* credimus potiùs ad majorem corrosionem, quàm ne profundiùs depascatur. Vel *decoctum ligni guaiaci, in quo dissolutū sit parum unguenti Aegyptiaci*: sed tale unguentum ob viride æs, & acerrimum acetum vehementem habet acrimoniam, ulceribus hostilem; præcipuè ubi adest ossis exesio, illud nigredine inficit. Optimæ notæ chirurgi hujus unguenti usum veterinarijs relinquerunt.

Recens & simplex narium ulcus facillimè curatur, nullis præsidijs præmissis. Si crusta obducatur, *oleo ex ovorum vitellis* removeatur, deindè hoc utere *unguento albo ex succis refrigerantibus.*

℞. *Succ. sambuc.*
solani,
plantaginis
herbæ alleluja,
& viol. ana lib. ß.
cerussæ lib. j.
ol. viol. lib. iij.
ceræ albæ lib. j
Lithargyr. aur. lib. ß.
f. ung. s. a.

Quòd si ichore madet, & pigrè in unionem abeat ex quodam succi alimentitij torpore, tūc ℞. *Croci Martis*, & ulcus bis in die eo aspergatur, & infra duos dies ulcus consolidatum erit. Vel hoc nostro utere unguento, quod brevi omnem absoluit curationem:

℞. *ol. ros. lib.* j ß.
ceræ virginea ℥. iij.
cerussæ,
lithargyr. aurei,
plumbi usti, & loti ana ℥. ij.
tutiæ præp. ℥. ß.
croci Martis ℥. iij.
Sach. Saturni, &
camphoræ ana ℥. j.
f. ung. s. a.

Vel

℞. *Aloës in aq. plantag. lotæ* ℥. ij.
myrrhæ ℥. ij.
Sarcocollæ,
ireos ana ℥. j.
cerussæ,
antimonij crudi,
tutiæ,
minij ana ℥. j. ß.
ol. hyperic. &
ros. ana ℥. ij.
mell. ros. simpl. ℥. j.
succ. dragonteæ,
& piloselle ana ℥. ij.

Bulliant succi in oleo ad ipsorum consumptionem, deinde adde mel ros. & demùm

cer-

atera in subtilissimum pulverem redacta, addendo.

benoini ʒ. j.
moscb. gr. v.
& f. ung. f. a.

Quàm efficax sit hoc unguentum in narium ulceribus, ex effectu cognosces. Multùm valet in ulceribus narium *infusio lapidis medicamentosi.*

Ozœna difficillimæ est sanationis, ideòque efficacissima exposcit medicamina, undè præmisso purgante convenienti, succus nutritius ab impuritatibus & particulis acido salinis exaltatis est mitigandus & ad naturalem crasin est redigendus medicamentis diaphoreticis, easque hebetantibus. Omnia, quæ acrimoniam, & acutiem à parte affectâ tollunt, & corrigunt, conveniunt, ut sunt absorbentia, præprimis *cancrorum oculos* sæpius & per vices assumptos, commendamus. Interdum potiones vulnerarias adhibemus, quibus *stibium diaphoreticum* addimus.

Quò ad topica efficacissimum est hoc *nostrum unguentum magistrale*, ut.

℞. *Litharg. aur.* ʒ. viij.
cerussæ ʒ. iij.
tutiæ præp. ʒ. ß.
plumbi usti & loti ʒ. j.
merc. sublimati dulcis, & antimonij crudi ana ʒ. ß.
cinnabaris ʒ. ij
ceræ lib. ß.
ol. ros. lib. j. ß.
f. ung. f. a.

Credibile non est unguentum hoc quantum valeat non tantùm in ozœnis, verùm etiam in omnibus ulceribus etiam recentibus, & præsertim Venereis, putridis, malignis, vetustis, & exedentibus. Mundificat, carnem bonam producit, consolidat, putrefieri, ac corrumpi non sinit, nec malam carnem excrescere, & tandem sanat unâ hebdomadâ magis quàm aliud integro mense.

Præstans est *aluminis aqua ex arenâ sine spiritibus destillata, & aqua plantaginis, in qua aliquid de mercurio dulci dissolutum fuerit*: sed præstantior est *aqua nostra Venerea*, ut

℞. *Viridis æris* ʒ. j
aquæ font. lib. iij.

Stent simul in calore digestionis, donec aqua cyaneum sit nacta colorem, in decantatâ, & filtratâ aquâ dissolue mercurij meteorizati grana aliquot. Hac aquâ nos etiam familiariter utimur in persanandis pastulis, cariebus, ulceribus, & in gonorrhæa per siphunculum. Multùm præstat sequens, medicamentũ, ut

℞. *Aquæ sampsuci.*
plantaginis ana ʒ. j. ß.
mell. ros. ʒ. vj.
spiritûs vini rectificati ʒ. iij.
quibus aliquandò addi possunt.
merc. meteorizati gr. ij.

Præstantissima est *aqua viridis Johannis Harimanni*, quæ non tantum ozœnas, verum omnia fœtida ulcera palati, faucium, columellę, gingivarum, linguæ &c. cujus compositio est.

℞. *Mell. ros.* ʒ. ij.
sulph. vivi,
alum. crud.
æruginis æris ana ʒ. j.
albi græci,
comar. sabinæ ana ʒ. ß.
sambuci ʒ. j.
fol. hyperic.
roris marini,
rutæ,
plantaginis,
salviæ,
pulegij ana m. ß.

Hæc coque in vini & aquæ lib. ij ad consumptionem digiti transversi unius. Aerugo æris non simul coquatur, sed in fine addatur, & relinquatur, donec refrixerit, posteà colatur, & servetur ad usum.

Nonnulli commendant fumum ex candela rubra, quam ceram hispanicam vocant, quia cera rubra in sua compositione cinnabarim admittit, præstat tamen sequens suffumigium.

℞. *Thuris,*
gummi animi ana ʒ. *ij.*
cinnabaris ʒ. *j.*
m. f. pulvis.
& formentur sex schedulæ pro suffumigio carbonibus injiciendæ.

Cap. XXXII.

De Coryzâ.

PRæter ulcera & aliud malum patiuntur nares, humoris scilicet excrementitij fluxum, qui à græcis coryza vocatur, à Latinis gravedo, quia in anteriori capitis parte circa frontem quidam gravitatis sensus molestus percipitur. Est catarrhi species cuilibet nota; vix enim ullus, qui eam multoties non sit expertus, reperitur. Est obstructio ossis ethmoidis à narium excremento.

Signa.

Affectus iste per se patet, nàm plurimum excrementum per nares cum strepitu excernitur, nunc liquidum, nunc spissum, & quandòque nihil Nares opplentur, caput gravatur, respiratio ità difficilior redditur, ut æger non nisi hiante ore respirare possit, undè odoratûs abolitio succedit, vox fit rauca, & non sonora & clara, ut anteà, quia larynx, & guttur eodem afficiuntur excremento, & hinc gustatûs læsio.

Causæ.

Fluxionem à cerebro in nares depluentem] pro coryzę causâ assignant vulgares; fieri enim destillationem ab humoribus crudis in anterioribus cerebri debilitati ventriculis, contentis dijudicant. Hæc destillatio, seu fluxio fit vel à causa calida qui pituitam in cerebro collectam fundere, & liquare potest, vel à frigida, qui cerebrum refrigerat & spongiæ instar humorem in illo contentum comprimit, & ad nares oblegat excernendum. Tùm etiam cerebri refrigeratione fit novus pituitæ preventus & illum caloris penuria malè concoquit, undè plurima excrementorum supellex, quæ à facultate expultrice per patentes ductus excluditur. Non confutamus coryzæ causam à Galenicis allatam, quia *Trutinæ Medicæ lib.* 1. *cap.* 7. *de catarrho*, ad nauseam usque eorum nænias explodimus.

Coryzæ occasionalis causa est aura frigida vespertina, borreæ flatus, repentina caloris in frigus mutatio &c. calor enim poros aperit, quos, si extemplò frigus insequatur (frigus nàmque ex particulis acutis, acidis, nitrosis acribus in aëre volitantibus constat) constringit, atque ità spongiosum os ethmoides, prægresso calore, maximè apertum est, insequente subitaneo frigore, obstruitur, undè læsæ partis functiones, & digestiones statim vitiantur; interim narium insitus spiritus peregrinũ sentiens hos-

hostem, lacessitur, in suis actionibus perturbatur, suumque relinquit munus ac partis alimentum, aliàs vividum, fit degener, & initio magnâ laticis quantitate; aquæ salso-acidæ instar ad fordes elevêdas provocat, & per nares exstillat, quam ægrè ferentes, solent indè cum adiacentibus phlogosi rubere, & tumefieri. Quod sit latex in coryzæ principio, patet, nàm mox â biduo alvus siccior, & urina redditur parcior. Deindè topicum interturbat alimentum, & degener sub muci formâ profundit, non aliter ac festuca in oculo continuas protitat lacrymas, angina indesinentem, & mucidam salivam spumat; Dysenteria proprium intestini nutrimentum mucosum cum sanguine exturbat; vesica continuum deturpati alimenti plorat mucum, præsente calculo, qui cessat, illo absente.

Coryza odoratum suspendit, & gustatum lædit, quia peregrinus hostis non solum circa odoratûs organum, sive ossi spongioso insidet, verùm etiam in vicinum cerebrum labes propagatur, undè nervi gustatûs contagii fiũt participes. Quandòque sicca tussicula cum asperæ arteriæ prurigine infestat. Interdùm raucedinem facit, & non ratò tintillationem in larynge proritat, quia labes in has partes propagatur. Laudatur spissior, tenacior, fluidiorque mucus, quia excrementa crassescere, bonum; indicat enim custodem ad suum redire munus.

Prognosis.

Coryza est affectus levissimus, & tutissimus, & citò curatur, si recens fuerit, & à causâ concitatus externâ, sed solummodò, si latex fuerit nimio salso acido saturatus, exulcerare solet, & ulceribus, ac ozœnis viam sternit. Est quandòque coryza contagiosa, & miasmata ex partibus affectis exhalantia, vel per aërem attracta, vel per lintea, aut pocula communicata fermenti instar similem labem aliis inferre solent. Per aliquot dies caput aggravat, si in consensum trahatur, odoratum suspendit, non nihil loquelæ impedimento est, gustatum lædit, & intra paucos dies cessat, quod ex flavo, viscido & inspissato excremento judicatur. Coryzam in omnibus circa pulmonem morbis, & antecessisse, & succedere malum. *Oriuntur gravedines vere*, ut inquit *Hip. aph.* 20. *sect.* 3. *Item hyeme post æstatem siccam. & aquilonarem, autumnum verò pluviosum sect.* 3. *aph.* 13. *In senibus coryza malum. Raucedines, & gravedines in valdè senibus coctionem non admittunt sect.* 2 *aph.* 40.

Curatio.

In coryzæ curatione vulgares cerebrum respiciunt, ejusque intemperiem calidam, vel frigidam corrigentes, humores crudos evacuantes, ut in catharrho, revulsiones, & derivationes adhibent, & præter hæc caput roborant, expultricem sedant facultatem, ne humores crudi ad nares transmittantur, & deindè materiam nares obstruentem educunt vapore *decocti sampsuci* naribus excepto, vel ejusdem sampsuci aquâ. Vel *acetum in ferream laminam candentem infusum*, vapore tenus exceptum, ad id conferre credunt, & id efficaciùs si *in aceto rosæ rubræ priùs infundantur*. Ad id etiam valet *acetum, in quo infusum sit castoreum*, naribus attrahere. Vel olfaciendæ præbeantur *calamintha, serpillum, semen nigellæ aceto maceratum, item castoreum*. Vel adhibent er-

thina, quæ cerebrum, & nares purganti optimum tamen errhinum esset ellebo-rus, quia reverà caput purgat. Verùm hæc vulgaria medicamenta patent lip-pis, atque tonsoribus, & potiùs nocent, quàm juvant; solvunt enim à cerebro, & naribus, undè malum adaugent, & fovent, quapropter si his remediis, quis coryzâ non laborans, uteretur, utique coryzâ corriperetur.

Coryza est ità morbus leviſſimus, ut à quovis negligatur, cùm ferè semper per se abire soleat, citòque curetur, à causâ tamen externâ concitatus: verùm si à causâ internâ, ut ulcere, sarcomate, polypo, carcinomate &c. concitatur, his sublatis, sponte cessat.

Si pertinax, & rebellis persi-stat coryza, tunc lymphæ exuberantiam *resinâ jalap.* per sedem eliminamus, vel nimias serositates absumimus per cutis poros diaphoreticis, ut *stibio, cornu cervi sine igne, mistura simplici, aquâ bardanæ, vel salibus volatilibus, ut cardui sancti, roris marini, scabiosæ &c.* vel eas per urinæ vias exturbamus. Quibus medicamentis internis externa copu-lamus suffumigia, ex quibus præcœte-ris sequens nobis magis arridet quod citò tutò, & jucundè, aliquoties unico die usurpatum, & sensim exceptum coryzam percurat. Talis est *succini pulvis*, qui prunis inspersus, ore patulo, & na-ribus excipitur, & ne quid fumi pereat, obtecto capite, ab ægro studiosè est excipiendus. Si magis composita des-cribere volumus ad pompam augen-dam, *succino addimus mastichen, thus, benzoinum, & styracem* ex quibus fu-mus excitatur, & modo quo suprà exci-pitur. Expertum etiam habemus ejus-dem *succini oleum* digiti auricularis in-terventu intra nares immissum, illud intra overtentis, aut *oleum essentiale sum-suci.* Item *balsamus apoplecticus* nari-bus illitus. Magnoperè etiam valet *gummi animæ* pro suffitu super carbo-nes, aut *ejus oleum.* Similiter *tabacum aliquot olei anisi guttis conspersum*, com-muni more sumptum. Hæc impressio-nem tollunt, & efficaciter obstructio-nem solvunt, ac discutiunt. Opiata non-nulli commendant, verùm magnâ sedu-litate adhibenda sunt, ne nimis incras-sando, fœtorem, vel aliud incommodum pariant, ut sæpè à nobis compertum est. Præsentaneum est præ omnibus spiritus salis armoniaci cum calce elicitus.

CAPUT XXXIII.

De Narium Hæmorrhagiâ.

SOlet quandòque natura sanguinem vitiosum per nares effundere, & mul-tos curare languores, verùm multoties lacessita optimum, Laudabilemque san-guinem impetuosè ità profundit, ut vitę thesauro exhausto, patientem non obi-re, sed abire quotidiana nos doceat ex-perientia.

Affectus hic hæmorrhagia dicitur græcè, ab *æma*, & *rheo*, quasi dicas san-guinis fluxum, præsertim liberalem, & copiosum, à quacumque parte fluat, cujus variæ sunt species, qui ex sedis va-sis fluit, dicitur hæmorrhoidum fluxus; ex utero singulis mensibus provenit, mensium fluxus nominatur; qui post partum è mulieribus labitur, lochiorum fluxus appellatur. Sunt & aliæ cruentæ ex quibuscumque partibus excretiones, de quibus suo loco agemus. Usus ta-men obtinuit, ut nunc non addito par-tis nomine, pro hæmorrhagiâ sanguinis fluxum è naribus tantùm erumpentem specialiter intelligamus.

Est

Est itàque hæmorrhagia immodicus sanguinis per nares fluxus. Pars affecta in hæmorrhagiâ sunt nares vel per essentiâ, vel per consensũ, et ut in hæmorrhagiâ regia afficiuntur vasa sanguinea, ex quibus autumamus arterias magis in culpâ esse, quàm venas, sinumque tertium crassæ meningis per longitudinem falcis ad os cribrosum excurrentis in hæmorrhagiis aperiri. Vel utplurimùm tamen propagines rami arterialis à carotide internâ aperiuntur, rumpuntur, vulnerantur, eroduntur.

Signa.

Narium hæmorrhagia signis non indiget, cùm ad sensum, vel ex solâ relatione immodica sanguinis copia conspiciatur. Distinguendæ autem sunt illius causæ hoc modo: Si per anastomosim fit, narium sanguis copiosè fluit, si per diæresim, sanguis adhuc majori copiâ, & impetu fluit, præcessitque contusio, aut alia violenta causa externa; si per diapedesim, sanguis fluit paucus, tenuis, atque serosus.

Sunt & alia signa observanda; si enim hæmorrhagia critica est, ægrum levat, quia cum ipsa prior morbus, ejusque symptomata evanescunt; si enim symptomatica, æger eam difficulter sustinet, & cum pulsu languidiori vires sensim attenuantur.

Si sanguis immediatè è narium venis fluat, nullus percipitur capitis dolor, & facilè per adstringentia naribus applicata sistitur; si verò à cerebri venis fluat, in aliquâ determinatâ capitis parte percipitur dolor, & per adstringentia medicamenta naribus imposita non sedatur fluxus.

Solet quandòque ab aliis etiam partibus sanguis fluere, ut hepate, utero, harum partium signa dolores, & tensiones indicabunt.

Tandèm, si sanguis ab arteriâ fluat, egreditur calidus, floridus, subtilis, cum spumâ, & impetu; è venâ verò crassior, & nigrior cum pauco impetu egreditur.

Si hæmorrhagia à sanguinis copiâ oriatur, adest faciei rubor, venarum tensio, tùm etiam victus largior, & rubens apparet; Si cacochymia contingit, quasi corruptus, & pravâ conspurcatus qualitate apparet, faciei color depauperatus.

Diversas habet hæmorrhagia differentias, cùm alia sit à naturæ motu, & dicitur critica, alia à causâ morbificâ, & dicitur symptomatica; criticam natura moderatur, ea quæ sibi noxia, & molesta sunt, exturbans, ut in febribus acutis in quibus natura causam morbificam per has vias expellere conatur. Hæc etiam fit sine febre, naturâ sese superfluo sanguine exonerante, ut multoties videmus multos in floridâ ætate periodicam pati hæmorrhagiam. Symptomatica etiam fit à naturâ, quæ turbata, confusa, & irritata procedit in suis operationibus, & perperam operatur, ut in morbis chronicis evenire solet.

Causa.

Hæmorrhagiæ causa est continui solutio facta in narium venis, & hæc solutio ad scholasticorum mentem tribus modis fit, quibus generaliter vasa sanguifera solvi possunt, & sanguis effundi, quorum primus est anastomosis, sive apertio, secundus diapedesis, sive rarefactio; tertius rhisis, sive ruptio.

Anastomosis provenit à sanguinis

calore, & effervescentiâ venarum orificia aperiente, & illum promptiorem efficiente. Diapedesis fit à venarum tunicâ magis attenuata, & à sanguinis tenuitate, & subtilitate per poros transeuntis, veluti per sudorem, non aliter ac hydroargentum subtilissimas suas guttulas per corium spargere solet, sed de hoc modo valdè dubitamus, quomodò scilicet sanguis sub sanguinis formâ è vase aliquo transsudare possit Rhisis ab externâ violentiâ coll sione scilicet ictu, vel contusione accidit venas erumpente, vel etiam à sanguinis superfluitate vasa disrumpente.

Pro horum modorum causis putarunt vulgares, & quidèm in anastomosi pro interna esse sanguinis copiam impetuosè ad venerum orificia ruentis, ejusdem caliditatem, & acrimoniam, facultatem expultricem irritentem, retentricis debilitatem, venarum mollitiem & tenuitatem; pro externa, quæ sanguinem multiplicare valent, victum pleniorem, crapulam, compotationem vini meracioris, fortiumque potulentorum, intermissionem venæ sectionis, hæmorrhoidum suppressionem, à Venere abstinentiam, medicamenta venarum oscula nimis reserantia &c. In diapedesi interne vasorum raritatem, & relaxationem, & quæ sanguinem attenuare possunt accusant; externè exercitia nimia, iracundiam, æstum, veneris œstrum, longiorem sub sole moram, balnea &c. In diæresi inte rnè culpant sanguinis acrimoniam & mordacitatem vasa corrodentem, eorundem distensionem à sanguine copioso ri, & ebullíente; externè acria quævis, motum vehementem, pondus grave, magnum clamorem, contusionem, incisionem punctuam, ruptuam.

Hæmorrhagia oritur vel à sanguinis, vel vasorum, aut simul utriusque horum vitio. Sanguis quandiù intra sua conceptabula coërcetur, omnia in pace posita sunt, si verò ab aliqua causa conturbatur, & in varios se adigit motus, ut intra suos parietes coërceri nequeat, sed eorundem ostiola distendendo aperit, vel rarefacit, vel rumpit, & quà datâ portâ ruit, ac ut uno dicamus verbo, omnes modi à scholasticis assignati sunt meræ tunicarum, sive arteriarum, sive venarum solutiones. Sanguis hæmorrhagiam causat quantitatis, vel qualitatis peccato; quantitate peccat, quandò sanguis in corpore copiam nimis augent alimenta euchyma, vina generosa, excretiones menstruorum, vel hæmorrhoidum suppressæ, quæ ita sanguinem intra sua mœnia cumulant, ut coërceri non possit & necessariò foràs erumpere debeat. Qualitate delinquit sanguis, cùm acrior, tenuior existit, vel salinis, acidis, lixiviosis, sulphureisque scatet corpusculis. Huc pertinet validus corporis motus, alimenta calidiora, ac aromatibus condita, sicut quoque spiritus vini abusus & coetera calidiora, & acriora quæ consimilem sanguini imprimant characterem. Item excandescentia, quæ citatiorem in sanguine motum excitat, undè visi sunt quidam, ità excanduisse, ut non tantùm facie spirârint ignem sed & sanguinem ex oculis & naribus, emiserint.

Ad hæmorrhagiam etiam vasorum vitia conjurant, vel enim ipsa vasa fibras nimis debiles, laxas, vel teneras ità habent, ut facilè sanguini transitum præbeant, estò impetuosè non feratur; aut à causa distendente, & rumpente aperiantur; aut poris, ostiolisve

ni

nimis dilatatis, aut apertis constat, quibus sanguis, nullo obstante impedimento, facilè elabatur.

Hæmorrhagia est affectus junioris ætatis, ut habetur *sect. 3. aph. 27. Hæmorrhagia narium est affectus familiaris pubescentibus.* Hęc enim ætas sanguine spirituoso, & tumultuoso abundat, ac proindè facili de causâ ejus effervescentiam sæpissimè experitur, non aliter ac novum vinum non adhuc perfectè defæcatum, quod ob spirituositatem & turbiditatem seipsum ad fervorem concitat, ut suas deponat fæces, quas sursùm, deorsumque tanto propellit conatu, ut magna optimi vini pars cum fæcibus sursùm ad orificij vasis foramen unà feratur, & effluat: idem probabile est in juvenculo sanguine fieri, ut ad amovendam à se fæculentiam feruidè se commoveat, & præ fervore sursum bulliat, ejusque pars ad summum humani vasis orificium, nimirum nares superfluat, ac dictam constituat hæmorrhagiam, in qua sanguis per nares exiliens vel à venis, & arterijs imâ, aut supremam cerebri sedem permeantibus effunditur, vel à vasis, à palato ad nares descendentibus, quę sunt venarum hæmorrhoidalium instar in ano, & utero.

Prognosis.

Duplex est hæmorrhagia, una imminens, altera præsens, verùm majori existimationi erit medico imminentem præsagire, quàm præsentem sistere; ideòque imminentis præsagia sedulò recensere oportet. Imminentis hæmorrhagiæ prognosis, præsertim criticæ cugitur ab actionibus læsis, excrementis, & qualitatibus mutatis. Futuram hæmorrhagiam præsagiunt insomnia, & rerum rubrarum imagines; capitis & cervicis dolor subindè ortus; temporum gravitas, & magna pulsatio in illorum arterijs; auriũ tinnitus, vel sonitus; oculorum hebetudo, vel splendores, Marmarygines oculis obversantes; faciei, & oculorum rubor, lucis aversio; lacrymæ, involuntariæ; pruritus aurium, nasi rubor; sanguinis stilla die indice apparens v. g. quartâ, vel decimâ, ostendit futuram hæmorrhagiam die judicatorio, nempè septimâ, vel decimâ quartà, quia diebus judicatorijs natura humores ad eas partes transferre incipit, difficilis respiratio, & tandem hypochondriorum tensio sine dolore.

Præsentis hæmorrhagiæ prognosis ità se habet: Hæmorrhagia mediocris, & per rara adveniens intervalla salutaris est; natura enim rectè operans superfluo pondere se exonerat: at si crebræ, largiores, & vehementes sanguinis profusiones fuerint, pessimæ, omne enim sanguinis profluvium immodicũ est periculo plenum, viam præparans ad mortem, in primis si extrema frigeant, si facies appareat pallida, viridis, vel livida, vel animi deliquia, syncopen, vel cachexiam & hydropen omninò incurabilem excitat, ità ut exempla non sint curatorum ab hydrope, qui narium hæmorrhagiam sequutus sit, in quem etiam conijcit, si per plura spatia ejusmodi fluxio per nares diù fatiget, ac si confertim & continuatim fiat.

Hæmorrhagia in morbi principio, mala, quia symptomatica est, fit enim à naturâ ante tempus ad excretionem irritatâ à materiæ morbificæ malitiâ Paucæ sanguinis stillæ in morbis per nares effluentes, infaustum prædicunt

Unable to display this page

munt, sed ad debitam sanguinis quantitatem fluere permittunt; Solet enim quandòque licèt critica, modum excedere, siquidem sanguinis multitudine gravata natura ad illius expulsionem excitatur, & modum tenere non potest, & vehementem facit evacuationem, undè virium jacturam, & mortem timere oportet, tunc illam cohibent. Sed quis debitum modum in omnibus statuere potest?

Symptomaticâ hæmorrhagiâ cohibèt celerioribus præsidijs, in anastomosi vasa recluſa obturant, in diæresi uniunt, in diapedesi densant, sanguinem ad nares confluentem revellunt, ab iisdem, & vicinis partibus repellunt, humores acres, & tenuiores sanguini permistos evacuant, & corrigunt, eorum genesim prohibent, hepatis, & venarum retentricem roborant facultatem.

Primò sanguinis missionem, quæ inter revulsoria remedia principem possidet locum, maturè antequàm vires debiles evaserint, celebrant. Hic Barbari suam exercent carnificinam, hic barbatorum sanguificina triumphat & ægrotus tanquàm ad lanienam ductus, satellitio constipatus, per fidos carnifices, nimirum tonsores, incisis venis sanguinariorum inexplebilem explet furim. Incidunt venam mediam, aut internam brachij è directo partis, qua sanguis profluit, dextri scilicet si è nare dextra, vel sinistri, si è sinistra, utriusque dùm è nare utraque sanguis emanarit Si caput magis sanguine abundare videnti cephalicam aperiunt. In magna plethora prius tali venam incidunt, præsertim ubi ex suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus acciderit. Attamen si unica phlebotomia hæmorrhagia non cohibita sit, illam reiterant ad mali usque declinationem.

Verùm incompescibili jurgio controvertitur inter vulgares, an phlebotomia fieri debeat angusto, an amplo foramine, & sanguis exigua quantitate sæpius repetita detrahendus sit, adeò ut in phalangas distincti invicem digladiantur. Aliqui censent foramen debere esse angustum, ut subtilis sanguinis pars effluat, maneatque crassior, minus ad fluendum idonea; & sanguis moderatè educendus ad ʒ. j. vel ij. atque iteratò posthatæ spatium, ut major fiat revulsio, viresque simul non devastentur. Alij ampliori foramine, & exiguâ quantitate sæpiùs repetitâ sanguinem detrahendum, & revulsionem melius fieri censent: nàm ut contrarius motus sanguini concilietur, vehementior agitandus est motus, siquidem motus vehementior debiliorem rapit; ideò quo ampliori foramine, & magis confertim sanguis effluit per sectam venam, eò promptiùs è partibus fluentem adducit sanguinem.

Non possumus non respondere ad hanc vulgarium controversiam, licet utraque sententia à verâ medendi methodo aberreat, tamen verisimilior videtur, quæ ampliori utitur foramine, ex allatis rationibus & tanquàm improbabilem rejicimus illam, quæ angustum struit foramen: ex angusto enim foramine subtilis sanguis i. spirituosus effluit, remanente reliquo sanguine spiritibus effœto, undè lipothymiæ, syncopes, virium jacturæ emergunt ob magnam spirituum deperditionem.

Vindicandam censemus naturam à tantâ vulgariâ sanguificinâ, licet prædicèt multòs infirmos è faucibus orci ereptos, cùm potiùs per accidens id eve-

nerit, quàm aliquâ demonſtratione; ſunt enim probabiles conjecturæ, quæ pro illâ afferuntur. Non eſt hæc recta via ad ſalutem, neque optimæ notæ medicus hoc incerti præſidij genere uti debet, quia periculum facere per hominum mortes, eſto quandòque juviſſe obſervaverit, tamen multoties interimiſſe expertus eſt. Itàque recedat à medicorum aulâ hoc incertum remedium, quod cum ambiguitate, & pernicie tentatur; in ambiguis enim & præſertim perniciosis tutior ſententia amplectenda eſt, undè præſtat ſanguinem, qui eſt vitæ theſaurus, conſervare, quàm illum veluti aquam profundere: *Clamat enim occiſorum ſanguis ante thronum Dei: Vindica Domine ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt.*

Quod de revulſione & derivatione dicunt vulgares in hæmorrhagiâ phlebotomiâ ſanguinem ad læſam partem accurrentem poſſe ſiſti, & retrahi, merum figmentum eſſe ſanguinis circulatio oſtendit ex quacumque enim parte ſanguinem mittas, æquè totum corpus ſanguine depletur. Putârunt credulí vulgares in humano corpore ſanguinem intra venas, & arterias ſtagnare, ac poſſe aliquandò à læſis partibus in auxilium retrahi. Sanguinis igitur miſſio ſolam aufert plethoram, non cacochymiam: verùm vix adduci poſſumus, ut credamus naturam, quæ nunquàm deficit in neceſſariis, in ſuperfluis abundare, ut tantam ſanguinis copiam produci patiatur, quantam venæ capere non poſſint.

Poſt phlebotomias alia adhibent revulſoria præſidia, ut cucurbitulas cum ſcarificatione in ſcapulis, & cervice, quibus fluentem è naribus ſanguinem retrahere imaginantur. Attamen non eſt tutùm remedium poſſunt enim ſanguinem ab inferioribus partibus ad ſuperiores attrahere, & novo affluxui occaſionē præbere. Hirudines poſt aures, extremorum frictiones, eorundem ligaturas dolorificas, lotiones quoque ex aquâ fervente. Cucurbitulam ſatis magnam ſine ſcarificatione hypochondrio applicandam jubent, dextro, ſi é dexterâ nare ſanguis fluat, ſiniſtro, ſi é nare ſiniſtrâ effluat, utrique, ſi ex utrâque ſanguis effluat, Verùm cucurbitularum applicatio hypochondriorum regioni eſt medicamenti genus maximo periculo adjunctum; ſanguis enim tunc effervescens ad hepar & lienem magnâ copiâ attrahi poteſt & in his partibus inflammationem efficere, cujus inflammationis hiſtoriam narrat de quodam aulico *Fabricius Hildanus obſ. 47. cent. 2.*

Hujus occaſione cujuſdam medici vulgaris recordamur, qui in narium hæmorrhagiâ cucurbitulas ſupra utramque mammam cuidam juveni applicuit, ſanguis quidém extemplò ſubſtetit, ſed ità maxima raucedo ſubſequuta fuit, ut vix miſer audiri potuerit, quem ad mortem uſque comitata fuit.

Si narium hæmorrhagiæ ſola plethora ſit cauſa, ſola ſanguinis revulſio ſufficit, nec purgatione opus eſt, ubi verò vitioſi alij ſucci ſanguini ſunt admiſti, purgans medicamentum, quod compreſſivum vocant, inſtituunt, quia non nihil adſtringunt, & humorum revulſio ad inferiora fit: tale concinnant, ſi præcipuè bilis redundet, *ex tamarindis, myrobolanis citrinis, vel chebulis, ſyrupo ex multi-*

plici rosarum infusione, & lyrhabarbaro torrefacto. Verùm vulgarium pace, purgans medicamentum nullum jus intra venas habet, cùm illuc non pateat aditus.

His omnibus administratis, si sanguis adhuc fluat, ad alia deveniunt medicamenta, quæ tam intrò, quàm foris imponuntur; undè primò exhibent syrupos refrigerantes, *ut de succo acetosæ, de Nymphæâ, cichorio, portulacâ &c. cum aquis plantaginis, lactucæ, portulacæ &c.* Vel opiata, *ut Philonium Romanum, Persicum, requies Nicolai,* putant enim opiata esse frigida, & sanguinem incrassare; non exhibenda tamen sunt ægro debili, quia periculum est, ne calor ab opiatis extinguatur.

Foris topica applicant refrigerantia, capiti nempè, fronti, temporibus, collo, hepati, testibus, manibus, brachijs, pedibus, & tandèm toti corpori.

Caput aquâ frigidâ perfundunt; verùm sanguis per refrigerantia intropulsus, venas, quæ alto sunt, replebit, & sanguinis fluxus augebitur, vel sanguis retentus convulsionem, apoplexiam, parotidem, dyspnœam, aut alium quempiam gravem affectum excitare poterit.

Fronti & temporibus fotum *ex aquâ valdè frigidâ, vel ex succo plantaginis, bursæ pastoris, solani &c. addito aceto* ad penetrationem, applicant cum linteis, quæ dùm calescere incipiunt, frequenter mutant. Vel iteratò frontem *spongiâ aceto frigido madidâ* fovent.

Collo linteum ex aquâ frigidâ madidum circumdant; verùm in hoc metus est, ne apoplexia, vel syncope accersatur, præclusis vijs inter cor, & cerebrum.

Faciem aquâ gelidâ conspurcant, quia non solùm sanguinem fluentem repellit, verùm etiam eundem ad interiora retrahit. Sed aqua frigida satis in magnâ copiâ in faciem conijci debet ex improviso, nempè ad duos, vel tres cyathos per brevia intervalla projectos. Verum tamen hoc remedium aquæ frigidæ syncopen excitare potest, vel saltim lipothymiam & ægrum de medio tollere. Neque optimum remedium est ad hæmorrhagiæ fluxum cohibendum syncopen excitare, cùm non desint alia remediorũ genera efficaciora & tutiora.

Hepar *cerato santalino, vel unguento rosarum* inungunt, quia hepar calidum sanguinem sursùm mittit.

Testes circumligant aquâ frigidâ panno madido *ex aquâ plantaginis, portulacæ, bursæ pastoris, pulvere rosarum, & trochiscis de camphorâ.* Verum nullus consensus est inter testes, & nares; si ex barbâ sanguis flueret, utique hoc remedij genus concederemus, cùm inter barbam & testes magnus intercedat consensus, ut videre est in cunuchis, qui quia testibus carent, carent quoque barbâ.

Manus, brachia & quoque pedes refrigerare valdè utile esse diiudicant, ac proindè in aquam frigidam immergunt. Vel aquâ frigidâ volas, & plantas è carpi regione lavant, ubi arteriæ pulsant. Vel silices, ferrum, aut alia frigida manibus tractanda imperant, aut pedibus laminas plumbeas, vel lapideas substernunt.

Tandèm, si omnibus his refrigerantibus sanguinis fluxus non compescatur, quia maximo in fervore versatur, quidem vulgares totum corpus in-

in balneum frigidum demittunt. Verùm hæc remedia sunt ex aquâ frigidâ.

Nihil proficientibus refrigerantibus, ad adstringentia recurrunt, uti sunt *myrtus, piloſella, conſolida major, bolus armenus, terrâ ſigillata coralia, acacia, hypociſtis, cortices granatorum, ſanguis draconis, lapis hæmatites &c.* ex quibus pulveres concinnant intra nares insufflandos, vel aceto, & ovi albumine subagitant, fronti, & temporibus admovent, vel supra linteamen extendunt, & collo, ubi venæ jugulares descendunt, circumdant.

Vel utuntur *syrupis cycoriorum, myrtino, de ribibus, roſis ſiccis, de agreſtâ trochiſcis de terrâ ſigillatâ, de ſpodio, de carabe, myxa cydoniorum*, & ex suprà dictis pulveribus varia electuaria & opiata parant.

Instillant in aurem acetum, quæ nari fluenti proxima est; sic enim venam, per quam sanguis fluit, adstringi potest.

Fabam, aut numisma argenteum radici narium inter cilia admotum, & fasciâ arctè alligatum, ut fortiter partem comprimat, eundem fluxum cohibere credunt.

Non desunt vulgaribus medicamenta specifica, quæ à proprietate occulta sanguinem fluentem cohibent. Ità est *urticæ ſuccus*, quem semel, atque iterùm ad ʒ. iv. propinant, tùm per nares attractus, tùm fronti & temporibus admovent totam utticam contusam. *Stercus porcinum* inter præstantissima specifica recensent, si calens fronti, & temporibus admoveatur, vel olfaciendum detur, vel siccus in nares immittatur. Maximoperè etiam ad sydera extollunt *ſtercus aſininum* eodem modo usurpatum, ut de porcino dictum est; imò conficiunt *ſyrupium de ſtercore aſinino*. Narrat *Rodericus à Caſtro lib. 1. de morbis mulierum cap. 5.* Medicum quendam septuagenarium hæmorrhagiæ maximè ob noxivum, stercus asininum modicè exsiccatum in capsulâ semper gestare solitum, cui medicamento nullum aliud simile se reperisse referebat, præsertim si succo urticæ commistum, si siccum, aut recens per se naribus exhiberetur.

Multi vulgares hæmorrhagiæ occurrunt verbis aliquibus superstitiosis, quæ recensere non licet; sed hæc aëria & inutilia sunt experta, ut potè in aëre verborum fundata.

Si narium hæmorrhagia sit critica, aut consueta, & modum servet, non impedienda, nisi copia vires prosternat. Nunquàm autem statim in principio sistatur, & multò tardiùs in ijs, qui in ætate sunt juvenili, & constitutione corporis sanguineâ, & quibus hæmorrhoides, aut menses substituerunt; multi enim ex intempestivâ suppressione in graves, aut chronicos morbos inciderunt. Morbosæ, seu symptomaticæ mox in principio succurrendum, & quo longiori tempore fluxus duravit, eò citiùs occurrendum est, ne vires prosternantur.

Succurrimus narium hæmorrhagijs tùm internis tùm externis medicamentis. Interna sunt, quæ sanguinis acrimoniam, ejusque particulas salinas, & sulphureas absorbent, ac præcipitant

quæ

quæ sanguinis impetum, & turgescentiam mitigant, pacantque, quę particulas actiores dissolutas hebetant, & compingunt, & tandèm quę vasa angustant,

Sanguinis acrimoniam obtundunt in primis *crocus Martis cum succo cydoniorum aquâ bursæ pastoris, vel ejus succo*; sed præstat extractum *croci Martis* sequens, si ejus grana quatuor cum aqua plantaginis exhibeantur:

℞ *limaturæ Martis* ʒ. j.
affundantur lentè, & successivè
aquæ fontis ʒ. iv. *ad viij.*

Digerantur per noctem in cineribus, vel arenâ ad totalem usque solutionem. Hinc per alembicum aqua fortis abstrahitur ad siccitatem, pulveri restanti affundatur vini spiritus vulgaris ad duorum digitorum eminentiam, & appositio alembico cœco, digere in arenâ, donec rubescat, tunc vini spiritum abstrahe, & alium affunde, & secundum artem ità procede, donec corrosiva salia aquæ fortis totaliter abstracta sint. Tunc novum vini spiritum affunde, digere, & tinctum decanta, idque repete donec nil amplius de tincturâ extrahatur omnes effusiones, seu decantationes commisce, & per Balneum, vel cineres adoleiratem usque destilla.

Utilis est *syrupus sal magisterium, & tinctura coralliorum, essentia rosarum rubrarum, tinctura lapidis hæmatitis, magisterium margaritarum, oculi cancrorum, ebur sine igne præparatum, & quamplurima antiscorbutica*, quæ sanguinis acrimoniam corrigunt, demulcent, & adimunt.

Sanguinis motum, & impetum refrenant *laudanum opiatum, ejusque tinctura, sperniolæ compositum*; præcipuè efficacissimum est ad quamvis hæmorrhagiam sistendam si in aqua bursæ pastoris, ad grana tria, vel quatuor exhibeatur, præsentaneum verò fit medicamentum, si aliquid *laudani opiati addatur, & cum syrupo papaveris rhœados, vel urticæ succo* exhibeatur.

Externa ea medicamenta conveniunt, quæ austeritate sua vasa sanguifera coartant, & angustiant, *ut vitriolum, vel ejus sal, vel pulvis sympaticus*, quo lintea sanguine madefacta inspergi debent. Magnoperè juvat *colchotar, vel terra examinata vitrioli, vel ipsum vitriolum rubificatum* intra nares immissum, vel gestatum. Vel sequens pulvis pluries à nobis expertus, ut

℞. *Cortic. granator.*
aluminis, &
vitrioli ana ʒ. ß.
f. omnium pulvis subtilissimus.

& tabaci instar naribus indatur. Vel *alumen*, quod laccâ pictorum pro incarnato colore larvetur. Item *fuligo animi succini instar splendida* pulverisata. *Lepus in martio capitis exsiccatus & in pulverem redactus*, ac in nasum immissus.

Sed advertendum est, quòd fluxu sedato per escarotica medicamenta, vel glutinantia &c. eschara non est removenda, neque sanguis coagulatus. Si adsit, ob novæ hæmorrhagiæ periculum.

Sanguinem coagulant *aqua spermatis ranarum*. *si in eâ addatur pauca camphoræ quantitas, & sacchari Saturni*, & linteamina madefiant, ac collo, ubi venæ jugulares descendunt, circumdentur. Imò *aquâ spermatis ranarum* lavare faciem, & nares commodum est. *Laminam, vel numisma a genteum aliquo opiato inunctum*, ac sequenti unguento fronti applicari jubemus

℞. *Croci Martis subtiliter pulverisati, optimèque reverberati,*
& croci Veneris ana ʒ. ij.

cum ol. veſci pomor. f. linimentum. Laudanum, vel opium intra nares immiſſum mirificè hæmorrhagiam ſiſtit.

Si ſanguis ex arterijs fluat, quia ſpiritibus turget, difficulter reprimitur; generoſa, & plura remedia ars medica excogitavit, & ſicut hominem ſervare didicit, ità & ſanguinem, inter alia nullum aliud præſtantiſſimum remedium in totâ republicâ medica inveniri poteſt, quàm *aqua arterialis*, ad quamlibet hæmorrhagiam deploratam ſiſtendam, deſcripta in noſtrâ *Pyrotechniâ ſophica lib. 4. cap. 1. art. 1. & Tomo 1. de Tumoribus cap. 14.*

Cauſæ hæmorrhagiæ deindè, ſi aderit, reſpiciendum eſt, qua propter ſi ſanguis aquoſus nimiùm fuerit, emendandus, remedijs appropriatis, ſcilicet *pilulis de cynogloſſâ.* Si mordax, mordacitas compeſcenda, & cauſa principalis removenda. Examinandum quoque diligenter erit, quæ mordacitas, ſalinanè, an vitriolata ſit.

A natibus rectè ad os deſcendimus ut more noſtro ejus languores examinemus, & eorum unicuique medicam opem præſtemus.

CAPUT XXXIV.

De Aphthis, & oris Vlceribus.

APhthę ſunt oris ulcera levia, ſuperficialia, & ſerpentia, quæ puerulis lac ſugentibus ſunt familiaria, ac proindè lactucimen ab aliquibus appellantur. Sunt exulcerationes quæ hinc indè in ſummâ oris ſuperficie ſerpunt, & in qualibet ejus parte, ut in palato, gingivis, linguæ latitudine, & ejus profunditate, ſeu radice. Sunt quandòque puerulis adeò periculoſa, ut penitùs eorum tenellam excedant carnem, præcipuè ſi malignitatem ſapiant.

Præter aphthas ſunt alia oris ulcera, quæ per adultorum ora non tantùm ſuperficie tenus in palatum, gingivas, linguæ latera, & ejus radicem ſerpunt, verùm etiam aliquo temporis intervallo profundiùs ſeſe demittunt, & harum partium carnes exedunt, & hæc ſimpliciter oris ulcera appellantur, qualia ſunt ea, quæ in lue venereâ, & quandoque in malignis febribus contingere ſolent.

Signa.

Aphthæ per ſe viſui patent, in puerorum enim ore ulcuſcula quædam conſpiciuntur levia, & ſuperficialia: in adultorum verò ulcera profunda, & adeſa, nunc albo, nunc cineritio, nunc nigro colore prædita.

Cauſæ.

Galenus in com. aph. 24. ſect. 3. in ætatibus autem talia contingunt parvis & nuper natis puerulis, oris ulcera, (quæ aphthæ vocantur) *vomitus &c.* aphtharum cauſam in puerulis lactentibus docet eſſe lac nimis ſeroſum, acri ſuâ abſterſione ſummas, eaſque molles admodùm partes exulcerans. Vel eſſe lac hauſtum in puerulorum ventriculis corruptum, undè acres, putridique vapores ſurſùm ad os attolluntur, ità aſſerit *9. de compoſ. med. ſec. loc. cap. ult.*

Verùm magiſtri Galeni pace, & diſci-

pulo-

pulorum nos scimus lac tribus constare substantijs, caseosa, quæ optimè corpus nutrit, & vitiosorum humorum acrimoniam temperat; serosâ, quæ ulcera abstergit, & mundificat; & butyrosâ, quæ dolores lenit: dùm res ità se habet, quoties in sero adest acredo, quæ molles exulcerat partes, à caseosâ temperari debet, & sic pars inimica castigari. Præterea in lacte serosa acredo exulcerans esset de aquarum solventium indole, licèt in gradu remisso, esseturque virus corrosivum, quod in puerulorum stomachis ob resultantem fermentationis aciditatem exaltaretur, stomachumque exulceraret.

Falsum est etiam, quod inquit *Gal.* ex corrupto lacte putridos, acresque vapores ad os attolli à stomacho, exulcerationemque producere; nàm si verum hoc esset continuò eorum sapor, & primariò æsophagus, deindè os exulceraretur: Sed superius ventriculi orificium exactè clauditur à cibo, & tantùm ad cibi, vel potûs importunitatem panditur. Sed demus, quòd quandòque corruptum lac acidum eructet, sequeretur, quòd melancholici, qui acidum eructant, continuò exulcerato ore laborarent, quod falsum deprehendimus. In super vapores acidi ascendere non possunt; calor enim ad acidum vaporem elevãdũ debet esse intensus, scilicet quarti gradûs, qui in animalibus nõ reperitur, alias nõ viverent. Deberent itàque ad totius, vel alicujus partis consensum recurrere, ut par esset fiendi modus in pueruli, ac adultis.

Vlcerum causam in adultis statuunt cum antesignano Galeno vulgares esse primariò pravos humores in ore collectos, quos natura forâs exturbat. Vel secundariò per totius consensum, ut in febribus acutis, & præsertim malignis, ubi pravi, corruptique humores ad os elevantur, & ulcera sæva generantur, quæ cum faucibus asperam arteriam, & gulam occupant. Vel ob alicujus partis consensum, ut à capite, cùm capitis pravi humores in os per fluxionis viam depluunt, ceu sunt bilioſi, & pituitoſi. Vel à ventriculo, ut in puerulorũ aphthis à corruptò lacte. Vel à pulmone, vel hepate calidiori intemperie laborante, à quo non tantùm oris provenire creduntur vulgares, verùm etiam omnes corporis exulcerationes. Vel à liene ab utero &c. cùm hujusmodi partes, corruptorum humorum colluvie scateant, undè halitus sursùm mittuntur quibus primariò pustulæ excitantur, & ob assiduum affluxum illuc transmissum in ulcera desinunt, foventurque ac proindè in dies maligniora reduntur.

Assignant vulgares pro ulcerum causâ pravos humores in ore collectos, sed quinam sint isti, & cujus conditionis pravi humores, nesciunt. Præterea isti humores vel antequàm ad os colligantur sunt pravi, vel in ore fiunt tales; si primum, pravitatem partibus, per quas transeunt, communicare deberent; si secundum, quomodò in ore pravitatem nanciscantur assignare tenentur: Verùm ut plurimùm, & ferè semper per aliarum partium consensum hæc ulcera fiunt, vel à capite per fluxionem, & forsan per destillationem per descensum, ut chimici loquuntur, sed de his fabellis fusiùs cap. de ca-

carrho diximus in *Trutina*. Vel ab aliis partibus inferioribus, ut à ventriculo, pulmone, hepate, liene, utero &c. per ascensum, putant enim à pravis humoribus in his partibus scatentibus halitus sursùm ascendere, (miramur equidèm has partes non exulcerari,) & impolluto calle ad os transmitti à providâ naturâ, tanquàm ad emunctorium, Verùm ab ore difflarent, vel in ructus evanescerent. Præterea ductus assignare debent, non verò cœcos, aliàs in ignorantiæ foveam cadunt, per quos isti alitus ad os deferuntur. Demus sub halitûs, seu vaporis larvâ ab inferioribus partibus ad os evehi, non possunt in guttas concrescere, cùm os capitellum non referat quod si concrescerent repercussi, in insipidum, crystallinumque liquorem facesserent, qui unâ cum salivâ exturbaretur. Nec isti halitus salsedinem, acrimoniamvè sapiunt, nàm ad salsum, acidumque elevandum halitum calor debet esse intensus, non tantùm nostro major, verùm quarti gradûs ignem sibi vendicat. Prudentiùs egissent vulgares, si non tantùm oris ulcera, verùm aphthas uni hepati, tanquàm ignorantiæ asylo tribuissent, quia per ipsos apud stolidam plæbeculam rumor increbuit non esse malum in humano corpore, quod non faciat hepar.

Venæ aphtharum causæ sunt, partim nutricis, vel matris lac nimis acidum, salsumvè redditum ab eorum aciditate, vel salsedine, quę comeduntur, aut bibũtur, aut alio modo assumuntur, partim molliſſima internarũ parti ũoris constitutio, quæ ob suctionẽ non ęgrè excoriatur, & excoriatio semel facta difficulter agglutinatur, cùm assidua suctio eam denuò abradat.

Notandum est hîc obiter, quòd plurima sunt mala, quæ cum lacte infantulis ingruunt. Primò, dùm in grumos transit, frequentes excitat vomitiones, singultus, tormina, vermes, febres, diarrhæas, epilepsias, quandòque convulsiones, multasque necis inopinas continet occasiones. Sunt hæc incommoda inevitabilia, & lactis peccata materialia, quæ infantulus à primo nativitatis die piare incipit: quasi mater, vel nutrix, ceu sæva noverca insidias, necisque comminationes struat suo filio, pocula inficiendo. Secundò, sunt alia lactis crimina S. Venerea lues, lepra, pestes, febresque contagiosæ, quæ cum lacte non apertè, sed furtivo quodam modo se insinuant, inficiuntque. Itèm cum lacte character morbosus epilepsiæ, maniæ, stupiditatis, phthisis, podagræ &c. deplorabilis in vitam inuritur, non aliter ac hæreditario parentum vitio obtingeret qui sub dierum maturitate prodit. Dùm miselli infantuli lac pro sustentandâ vitâ mendicant, cum lacte morbos, morborumque occasiones consequuntur, quos in se ipsos transplantant, & indelibiliter in vitam duraturos incorporant. Tertiò, defectus non solum morales cum lacte introaspirant, qui ad ultimum vitæ terminum perseverant, verùm etiam ira, audacia, timor, pudor, lætitia, tristitia, invidia, odium, & cœtera animi pathemata à matribus, vel nutricibus mendicantur, & per lac propagantur. Quartò, lac in horas varias subit impressiones examini perturbationibus, diversasque induit deformitates,

Unable to display this page

& infantulus sit debilis, mortem portendunt inevitabilem. Si livorem, nigredinem, & veluti crustam contraxerint, pessimæ sunt, & reparabilis mors, præ foribus cubat.

Adultorum oris ulcera, si sint simplicia, mitia, & ex lue Venereâ, sanationi non valdè reluctantur; attamen *fauces exulceratæ cum febre difficiles sunt 3. prog. & alibi: Vbi febricitanti fauces exulcerantur, si aliundè quoque ex gravioribus signis aliquid affuerit, periculum denunciandum est.* Exedentia, & maligna periculosa sunt, undè ulcera nigra lethalia sunt, & præcipuè in linguâ, faucibus &c. per febres acutas, & pestilentes mortem brevi secuturam significant.

Curatio.

Curant vulgares infantulorum aphthas, idoneam victûs rationem præscribendo, quæ refrigerat, & siccat; verùm refrigeratio ulceribus est mordax, & quia ulcus exsiccatione indiget per ipsos, nunquàm sanaretur ob assiduam, superfluamque oris humiditatem. Causam tollunt antecedentem, si malum lactis vitio contractum fuerit, vel ejusdem nutricis lac corrigunt laudabili cibo, & potu.

Deindè infantium humores ad partem depluentes phlebotomiâ revellunt, quæ eorum acrimoniam temperat, & totum refrigerat corpus. Phlebotomiæ succedunt cucurbitulæ scarificatæ; hirudines pone aures, & quandòque ano, vel sub mento affixæ, tandèmque vesicatorium posteriori ad motum cervici. Verùm *Gal. 11. meth. cap. 13. & lib. de curand. rat. per venæ sect.* ante decimumquartum annum venam secare vetat, quia infantes corpus habent molle, tenerum, & patens, quod suâ sponte digeritur, & diffluit, ac proindè infantes ità debiles sunt, ut vix venæ sectionem ferre possint. Sed hoc crudele hominum genus innocentes dilaniat infantes, cùm matres in uberibus contorquere deberet. Sanguinem innocentium effundunt, & sanguine cunas perfundunt: Verùm *sub altare Dei audivi voces occisorum dicentium: Quare non defendis sanguinem nostrum? Et acceperunt divinum responsum: adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.*

Post sanguinis effusionem, & infantium carnificinam, peccanti humori, & ætati congruum purgans præscribunt medicamentum, sed in purgante vires validas, aut saltem mediocres esse necesse est, quales in infantibus non reperiuntur.

Intereà nutrici edulia præscribunt refrigerantia, qualia sunt cydonia, pyra, mespila, sorba, corna, lactuca portulaca &c. quæ si infans mandere non possit, ut mensa, vel semimansa à nutrice infanti exhibeantur, imponunt, & per os circumvoluta ulcuscula contingant. Sed hæc potiùs nutricis & infantis alvum adstringunt, quàm aliquid juvaminis aphthæ reportant.

Si hæc non prosint ad oris medicamenta, græcè stomatica dicta recurrunt, quæ ab initio mitiora administrant, ut sunt *aqua plantaginis, ros. viol. cum syr. de ros. sicc. granat.*

de moris pro oris illinitu. Vel ad decocta confugiunt *ex foliis rubi, centinodiæ, santal. rubr. cum syr. de agrestâ, portulacâ, diamor. vel diamm.* pro oris collutione.

Si inflammatio cum aphthis fuerit, utuntur decocto, vel succo *solani, portulacæ & sedi majoris* cum prædictis syrupis. Si lividæ, aut fuscæ fuerint, fortiora adhibent medicamenta pro illinitu, ut sunt *anisum tritum cum melle*, aut *puluis ex floribus chamæmeli, meliloti, fœnugræci cum melle ros. mistus*, aut hæc eadem cum vino coquunt, adjectis *syr. myrtill. aut diamoro.* Vel

℞. *Aq. plantag.* ʒ. ß.
mell. ros. ʒ. ij.
diamori ʒ. iij.
alum. gr. vj

Adultorum ulcera curant vulgares iisdem remedijs, quibus aphthas, sed paulò fortioribus pro corporum naturâ, & priusquàm ad localia deveniant, venam in cubito cephalicam secant, vel sanguinem mittunt è venis sub mento, vel labiorum extremitatibus, vel pro materiæ proximæ depletione in oris partibus venam aperiunt raninam, & si pravi in toto redundent humores, hos appropriato exturbant pharmaco, non omissis tamen cucurbitulis scarificatis in collo, vel scapulis, vel vesicatorio posteriori cervici admoto.

His peractis, ad topica, & stomatica deveniunt medicamenta, quæ in principio ex moderatè ad stringentibus & exsiccantibus conficiunt, ut *ex ros. foliis, myrti, rubi, cortic. granatorum, quibus in aquâ adstringente, vel vino austero decoctis* pro oris collutione utuntur, addito *syr. de moris* ʒ. *ros. sicc. vel diamoro, succ. granat.* fortiora parant *ex succis, vel aquis lactucæ, plantag. solani portulacæ &c. cum pauco aceto* pro oris collutione. Temporis progressu fortiora adstringentia discutientibus miscent, ut sunt *nux cupress. folia olivæ, mespilorum sicca, myrrha &c.*

Sordida ulcera *cum aquâ saccharatâ, aut syr. acetoso* abluunt, vel *decocto hoc dei cũ melle rosato*; Vel *lacte caprino, in quo ignita calx extincta sit*, os colluunt. Alij *Aegyptiaco* utuntur *unguento in aqua plantaginis cum pauco aceto, & melle dissoluto*; Verùm hæc medicamenta erodentia adjunctum habent periculum, ne in fauces illabantur, & sic majus malum, quàm oris ulcera parere possunt.

In ulceribus ex lue Venerea putridam carnem totam præscindendam, & eâ parte *præcipitati pulverem admovendum cum gossypio in aquâ plantaginis priùs infuso* jubent, attamen in productum sæviunt.

Aphthas nos ità curamus: Primùm nutricis habẽda est ratio, si sint ex vitioso nutricis lacte, vel alia sustituatur, vel idem si salsum, acidumuè deprehendatur, ijs quæ ejus salsedinem, aciditatemuè tollunt, corrigatur. Cibus sit melioris nutritionis, vitentur acida & salsa, omissis aromatibus. Si infans malè digerat lac, parciùs lactetur, & bona in ipso digestio promoveatur.

Interim os *saturejæ decocto in vino facto* colluatur, sed præstantissimum remedium est *Veronicæ decoctum, præsertim si quid mellis rosati* admisceatur. Si sint inflammatæ, os collui potest *decocto fœnugreci, meliloti & chamæmel. in aquâ sedi majoris, cui addatur quid anodyni mineralis*; Vel *aquâ spermatis ranarum, in qua contusi fuerint cancri*

fun-

fixiatiles; Vel gargarismate *ex lacte* mitigetur inflammatio, aut quia infantuli, ut plurimùm sunt lactentes, nec gargarizare possunt, gargarismatum usus est superfluus, nec servire poterit pro adultis: itàque demulceatur *emulsionibus cum aquâ solani paratis, quibus admisceatur mucilago seminum cydoniorum.*

Si dolor superveniat, & pertinax perseveret, qui ex infantium ploratu, ejulatu, & continuis vigilijs cognoscitur, succurrendum est ei, ne corporis consumptio, vel summum vitæ periculum sequatur: extremum optimumque remedium erit, ad *narcotica*, quæ dolorem sedant, confugere, eorum tamen dosim commensurari debemus juxta infantium ætatem, & vires.

Si supra dictis remedijs aphthæ non cedant, abluantur *decocto hordei, & melle rosaceo, vel decocto satureiæ sive veronicæ, cui addatur aliquid spiritûs vitrioli, vel olei sulphuris per campanam, vel spiritûs vitrioli Philosophici*, & leviter tangantur, & sic non resistent.

Si ex lue venereâ ortum duxerint, *aquâ viridi dilutâ cum aquâ persicariæ* tangantur: Verùm vel recidiuare, vel in aliam veneream efflorescentiam transire solent, nisi lues radicitùs tollatur.

Adultorum ulcera, si recentia, & simplicia sint, facillimè cedunt medicamentis, quæ proposuimus in aphtharum curatione, vel ea leniter tangendo *spiritu, vel oleo vitrioli cum, melle diluto, ut gustus spiritus, vel olei vitrioli acidior adhuc percipiatur*, & brevi tempore sanescunt. Vel *mellis rosati tinctyrâ, vel lapidis salutis aquâ, vel aquâ aluminis* tangantur. In spiritûs, vel olei vitrioli defectu, *spiritus sulphuris per campanam, vel spiritus vitrioli philosophicus* substitui potest.

Si contumacia, rebellia, & inveterato sint, aliter tractari debent: curatio itaque instituatur, corpus idoneis deplendo medicamentis, si cacochymia fatiget, & per aliquod tempus vulneraria propinentur medicamenta, institutâ priùs optimâ victûs ratione, vitatis acidis, salsis, & aromatibus; propinatis his, quæ acida obtundunt, & salsa diluunt. Interim supra descriptis medicamentis fortioribus redditis tangantur, & non resistent, quòd si his reluctentur, quia putrida, callosa, & maligna, expertum remedium erit, ea pluries *aquâ saphireâ, vel melle rosato sali armoniaco immisto* tangere. Cave, ne *aquâ stygiâ* ea tanges, (ut aliquorum vulgarium mos est) quę vires in metallis eluserit, nàm non per hoc venenicorrosivi indolem deposuit. Si serpentia sint *lixivij ex facibus regulo* attactu sistuntur.

Oris ulcera ex lue venereâ leniter tacta *aquâ metallorum, vel mercurialis* brevi sanescunt: verùm gargarisma *ex decocto persicariæ, & cum mercurio dulci* ex pertum est apud nos remedium. Interdum tàm maligna evadunt, ut quodcumque optimum spernant medicamentum, præsertim si profunda sint, tunc *aquâ viridi* cum gossypio, vel penicello madefaciendo, & cavitates tangendo, funditus exulcerationem mundificat, & mirificè sanat, quòd si hæc parùm profecerit, *ad suffumigium* topicum, tanquàm ad sacram anchoram, confugere necesse est, ut de lue venereâ diximus.

CAPUT XXXV.

De Gingivarum exulceratione, & erosione.

TRutinatis in genere oris ulceribus præcedenti capite, nunc in specie ejus ulcera & primò gingivarum perspiciamus oportet Sicut in epulide, & parulide gingivæ luxuriãt, & intumescũt, ut dentes obtegant, ceu *primo Tomo de Tumoribus cap. 36.* diximus; ità quandòque diminutur, & absumuntur, quia exulcerantur, putrescunt, & exeduntur, ut dentium radices conspiciantur nudæ, laxentur, atque vacillent.

Signa.

Hujus affectûs signa ita manifesta, & notissima sunt, ut oculus sit observator; gingivæ enim laxæ, & flaccidæ inspiciuntur, sicut etiam lividæ & ad quemlibet attactum sanguinem & tenuem & atrum, vel fœtidum pus eructant, temporis verò progressu exeduntur, earumque caro ità absumitur, ut dentium radices denudatæ remaneant.

Causæ.

Pro hujus affectûs causâ vulgares cerebrum, ventriculum, hepar, lienem, intestina, aliasque inferiores culpant partes, quæ intemperie laborantes, vapores in cerebrum imbecillitate affectum mittunt, & cerebrum in subjectas, & debiles se exonerat gingivas: idcòque gingivarum exulcerationes & exesiones ad catarrhales referunt fluxiones.

Sunt istæ vulgarium putatitiæ fluxiones veluti Sisyphi saxum, de quo fabulantur poëtæ, ut saxum ingens in montis verticem pervoluere cogatur, quod cùm ad culmen benè extulerit, repentè deorsum relabitur.

Nostra sententia est gingivas erodi, exulcerari, & putrefieri à particulis acido-salinis, vel cum proprio gingivarum nutrimento, vel cum sanguinis massâ, vel latice eò delatis, & exaltatis. Sic exulcerantur, eroduntur, & putrefiunt sæpè gingivæ à salibus acidis exaltatis in sanguineâ massâ &c. præexistentibus, in scorbuticis, vel intempestivo mercurij usu in salivatione, dùm salia illa venerea corrosiva mercurius secùm rapit. Hæc gingivarum erosio, exulceratio, & putrefactio in plagis maritimis septentrionalibus est familiaris, & imprimis maris Baltici accolis, quia aër est refertus halitibus salsuginosis.

Prognosis.

Si hujus affectûs curátio negligátur, vel non acceleretur, interdùm in verum totius corporis scorbutum transit, ratiùs autem hisce in nostris regionibus, sed plurimis in ore manet, & nihil ampliùs mali infert, præter crebram gingivarum sanguinolentiam, saniem, corruptelam, fœtentissimum oris anhelitum, & tandèm dentium lapsum. Quapropter plurimùm nocet inter bibendum (ut plurimorum mos est) totam combibonum societatem in uno, eodemque cyatho bibere, cum hujusmodi gingivas exulceratis & erosis, quia talis gingivarum sanguinolentia, corruptio, & sanies in compotatione à potu eluitur, à qua cessando, aliquid putridi circa cya-

thi margines remanet, & quid in ejus fundum refluit, quod postmodùm in sanos transplantatur.

Curatio.

Curationem dirigunt vulgares ad causam antecedentem, humores vitiosos per venæ sectionem, & purgans medicamentum evacuando, calidos per apozemata, julepos, jusculà medicata, & hujus farinæ alia, tempore. Eorum fluxionem per cucurbitulas, & caute ria admota pactibus avertendo. Verùm idiotismo peccant vulgares, si credunt hujusmodi medicamentis gingivas exulceratas, & erosas curari posse. Quis vulgarium unquàm scabiem curavit sanguine deplendo venas, fictitios exhauriendo humores ad totius corporis consumptionem, & coeteras exercendo carnificinas, nisi scabiosi pellem appropriato obliniverint unguento? Quomodò ergò gingivarum exulcerationes, & corrosiones his vanidis curabunt medicamentis?

Quaderè non solùm his utuntur medelis, verùm postmodùm ad topica deveniunt, quæ pro affectûs magnitudine variant; undè exulcerationi, & erosioni ea admovent medicamenta, quæ adstringendi, & exsiccandi facultate prædita sunt, *ut gallæ immaturæ, glandium calices, balanst. ros. rubr. cupressi nuces, summitates rubi idæi, pulvis corall. rubr. crud. sal ustum, masticbe, sang. drac. myrrha, alumen &c.* ex quibus pro collutione secundum diversos formulas diversa cum ferrariorum aquâ, vel vino parantur decocta, vel opiata cum melle.

Si ulcus, & erosio, profundum, aut sordidum fuerit, pro illinitione ouibaliamum parant ità:

℞. *Myrrh. electi. &*
sacch. candi ana p. ß.
Pulverisatis ovialbumen ad duritiem coctum, & per medium sectum impleatur, postea filo probè alligetur & in cella vinaria suspendatur, vas vitreum suppenendo, instillabit balsamus, quo læpiùs illiniantur gingivæ. Si prædictis remedijs ex parte administratis affectus obstinatus persistat, vel cauterium ex ferro candente adhibent, munitis partibus circumiacentibus, quod tamdiù in parte exulceratâ, & putridâ detinent, donec humiditas sit consumpta, & locus evictus, quibus peractis, prioribus eundem colluunt, aut melle illiniunt ad crustarum usque decisionem, vel ad dentium avulsionem, ut ulcus citò curetur, deveniunt, alioquin insanabile apud ipsos habetur.

Vana Galeni doctrina de ulcerum sanatione videtur, quam adstringentibus, & exsiccantibus totam collocat, ac in producti ablatione reponit, & adhuc illibatæ hæ næniæ, tanquàm axiomata per chirurgorum vulgarium, imò veterinariorum ora circumferuntur: *Vlcus, ut ulcus exsiccatione indiget!* Si exsiccantia cunctis satisfacerent ulceribus, facilis esset quorumcumque sanatio, & creta, combusta ossa, & sicca filamenta indicationem complerent. Incassùm laborat, qui juxta Galeni præscriptum ulcus emungit.

Ulcerum, & erosionum gingivarum vera indicatio est particulas acido-salinas absorbere, & obtundere, ne ulteriùs corrumpant, & eas à nutrimento, sanguine, vel latice eliminare, & hinc gingivas consolidare. Si cacochymiâ corpus redundârit, purgans exhibea-

hibeatur medicamentum; deindè, quæ salia diluunt & acida absorbent, propinentur, postmodùm vulnerariæ potiones, quæ specifica simplicia ad scorbutum receperint, si scorbuti suspicio adsit, ut sunt *cochlearia, nasturtium aquaticum, armoracia, becabunga, aquilegia, virga aurea, scordium, trifolium scorzonera &c* & ad plures propinentur dies.

Interim gingivæ pluries tangantur in die *aqua lapidis medicamento fi. vel aloë ex vino, & melle illita, vel tinctura mellis rosati*, quæ ità paratur.

℞. *Aq. plantag. lib. ß.*
mell. ros. simp. ℥. ij. ß.
sp. sulph. aut vitrioli
ad gratum acorem m.

Vel *decocto salvia, addito momento vitrioli de Cypro*, vel *decocto flor. rosar. aquilegiæ, bistortæ, & malvæ.*

Huic malo peculiariter *aquilegia* mederi videtur, & efficax est sequens linimentum hoc modo paratum.

℞. *Pulu fol. aquileg.*
salviæ,
menthæ crispæ,
nuc. moseh. &
myrrhæ ana ℥. ß.
alum usti ℥. j.
mell. purissi. q. s.

Mel leni carbonum igne incalescat, & despumetur. Despumato, & calenti pulveres inspergantur, ut f. linimentum, quo gingivæ quotidiè illiniantur. Non credibile est quantum in hoc affectu curando hoc linimentum valeat.

Si gingivæ putridæ sint, & foetentissimam spirent animam, fortiora expostulant, tunc sequenti nostro medicamento pluries à nobis experto tangi possunt.

℞. *Aceti ros. ℥. iv.*
mell. opt. ℥. j.
virid æris ʒ. j.
salis armoniaci ϑ. ß.
sang. drac. ʒ ij.
alum. ϑ. j.
pulu. sabinæ ʒ. ß.

Stent in loco calido per XII. horas, deindè bulliant parùm & post refrigerationem decanta, & utere tangendo. Efficacissimam quoque experti sumus *aquam viridem*, quam *cap. 30. de Ozænis* descripsimus. Vel elegans remedium est *mel rosaceum cum spiritu salis ad gratum acorem impregnatum.*

Interim os colluatur sequenti collutione.

℞. *Radic. tormentill.*
flor. hyperic.
fol. salviæ.
roris marini,
& summit rubi Idæi ana m. j.

Coque incisa in vini lib. ij. ß. vase optimè clauso, nequid expiret, post refrigerationem fiat colatura pro otis collutione. In scorbuto autem os colluatur *infuso nasturtij aquatici. & cochlearia in vino.*

Post gingivarum mundificationem, pro cicatrizatione opiata sequens cum petijs lineis super gingivas applicetur.

℞. *Sang. drac. &*
myrrh. ana ʒ. ij.
sarcocoll. ℥. j.
bol. armen. ℥. j. ß.
aloës ϑ. ij.
radic. aristoloch. rotund. &
flor. hyperic. ana ʒ. ß.
pulverisa, m. cum melle
despumato, & f. opiata.

Pro hoc, & alijs gingivarum affectibus, imò pro dentibus, & gingivis præservandis à varijs affectibus præ

ſtantiſſimâ eſt ſequens *Ettmulleri* miſtura, ut

℞. Aquæ plantag.
ſedi minor. ana ℥. *ij.*
ſalis armoniaci,
ſalis tart. ʒ. ß.
vel ad ana ʒ. j. *m. filtra.*

CAP. XXXVI.

De Dentium Dolore.

SUnt gingivæ, de quarum exulceratione, & eroſione ſupra egimus, illæ portiones duriuſculæ carnæ, quæ dentes, valli inſtar, cingunt, eoſque in ſuis alueolis ſtabiliunt; eapropter cùm res ità ſit, hæ gingivæ hoc in ſecundo noſtro Tomo chirurgico de dentium morbis agere nos invitant & primò de dentium dolore.

Dentium dolor primâ facie levis videtur, attamen non ratò cum alijs gravioribus ſymptomatibus, quæ corpus affligunt, comparandus eſt; eſt nàmque immane tormentum, & miſerabile ſupplicij genus, adeò vulgariſſimum, ut pauci reperiantur, qui eum non experiantur: aliqui enim aliquantulùm mitiùs eo vexantur, alij longè acerbius, & tandèm quoſdàm tàm immanis occupat dolor, ut præ immanitate & impatientiâ ejulantes ſibi ipſis violentas inferant manus.

Quiſnam in dentium dolore ſit locus affectus, ex ipſâ nomenclaturâ ariolatus fuit *magiſter Gal. ſ. de compoſ. med. ſec. loc.* ubi dentes in propriâ ſubſtantiâ ſentire aſſerit: Verùm parcite Galeni manes, nàm qui oppoſitus eſt denti evulſo attrictionis penuriâ ſuam ſuperat ſeriem, & limâ atteritur abſque doloris ſenſu, quia planè ſenſu ſunt deſtituti, ut alia oſſa, nec membranis nec nervis præditi ſunt, ac inſenſiles omninò ſunt, ideòque non dolent; neque ab igne, neque à ferro.

Dolor falſò dentibus adſcribitur, ſed tribuendus eſt membranis tenuiſſimis exquiſitè ſentientibus præſepiola eorum inveſtientibus, & nervulis mollibus ex quinto pari, qui per dictas membranas radicibus alligantur, vel cavitatem ingrediuntur, ubi diſperguntur, & parvulis propaginibus cum ſubſtantiâ quadam mucoſâ in dente medio repertâ, miſcentur.

Signa.

Ad dentium dolorem cognoſcendum non opus eſt ſignis, cùm abægro medicus certior fiat, tantùm cognoſcere debemus, an dolor ſit in gingivâ, pro quo gingiva inſpicienda eſt, utrum inflammatio, tumor corroſio, ſeu putrefactio in eâ appareat. Si nihil horum adſit, doloris cauſa vel in membranis, vel in nervulo, vel in dentis cavitate erit. In membranis quidèm dolor non eſt ità profundus, ſed ſecundum latitudinem extenditur, & quædam doloris mutatio animadvertitur. In nervulo ſi dolor ſit, profundior & vehementior eſt. In cavitate verò ſi in mucoſâ ſubſtantiâ in dente medio repertâ, obtuſuſerit, ſed diuturnus.

Si dens eſt cariоſus, & à verme intùs obſeſſus, dolor eſt interpolatus ad ipſius vermis motum, exiguis deſinens, & rediens intervallis, & ipſius vermis motus in parte quadam percipitur.

A ſpiritu flatuoſo cognoſcitur ex illius atrocitate & divulſionis ſenſu, qui in

parte

parte percipitur vel qui exiguo cessat spatio, ac facilè discutientibus curatur remediis.

Vulgares, quorum medicina est ex calore, & frigore aggregatum, doloris signa ex calore, & frigore assignant: Si à calore dolor oritur, præcesserunt caloris causæ, multo est intensior, caloris sensus in parte percipitur, à frigidis curatur remediis, & à validis intenditur; Si verò à frigore oritur dolor, signa prædictis contraria apparere solent. Verùm in hoc allucinantur vulgares, & videntur ex caudâ vulpem, & ex ungue leonem cognoscere. Non benè inferunt dentium dolorem à calidis intendi, & à frigidis sisti: igitur à calore. A frigidis exacerbari, & à calidis curari: igitur à frigore. Non inquàm, irà dicant; possunt enim calor, & frigus per accidens excitare dolorem, spiritus S. salinos, vel acidos impetuosè movendo, & illos faciendo penetrare, ideòque ratione motûs, quem acquirunt, intensissimos excitant dolores, & tunc à calore esse putentur, cùm frigida, vel gelida dolores sistant, motum illis auferendo, partes densando, & penetrationem intercludendo. Cùm calida dolores sistunt, à frigore creduntur, quia aliquandò calor, præsertim cùm mitis est, poros aperit, & exhalare facit, & tunc dolorem vel sedat, vel aufert, quod facit etiam aliquandò validus calor.

Causæ.

Gregarii medici dentium dolorem vel à quadam simplici intemperie, vel à catarrho à capite defluo fieri imaginantur, & quandòque à partibus promanare inferioribus, qui in maxillarum, & alveorum dentium membranas, vel in nervulum dentis radici insertum, vel in ipsam dentis substantiam confluit.

Verùm decipiuntur vulgares à fluxione ad dolentem dentem depluente, quam ægri sentiunt, & eò magis ab assiduâ salivatione, quæ in dentium dolore ferè perpetuò esse solet. Insuper falsum est in propriâ substantiâ dentes humorum affluxum, ac distentionem recipere, posse, cùm sint corpora solidissima, & durissima, ac lapidibus vix cedant, & secundum *Helmontii* sententiam dentis materiâ non est merè ossea, sed inter os, & petram media, seu neutra.

Alii vulgares cum caloris, & frigoris doctrina doloris proximam causam in continui solutione statuunt, quam calor, & frigus parit, ità frequenter accidere solet, cùm jusculâ nimium fervidâ, & alia cibariâ calida quotidiè ingerantur; mox his potum superaddendo frigidissimum, his contrariis fatiscant: Non secùs ac silex, aliusvè durus lapis, sive vulgaris, vel gemma, vel vitrum, vel crystallus candens, in frigidam projectus aquam, hisce contrariis non potest non dehiscere, & in minimas non dissilire particulas. Sed de caloris, & frigoris næviis fusiùs de capitis dolore egimus. Præterquam quòd inter hujusmodi contraria non est per comparatio, longè enim distat à candore fervor, nec dens à fervido jusculo, imò difficilè igne actuali calcinari potest, ut lapis per aliquot horas in candore detentus.

Vera dentium doloris causa sunt particulæ salinæ, & acidæ cuspidatæ, & angulares vellicantes, divellentes, contrahentes, distendentes, vel pungentes membranas tenuissimas dentium alveolum

Unable to display this page

generatur, dolor recurrit, & quoties resoluitur, sedatur ; quòd si in aliquo dente sedem fixerit, tunc à substantiâ vix difflabili oritur, & ibi sævire non desinit, & hinc crebra odontalgia, donec caries, cavitas, putredo &c. quas etiam gingiva ità pluris recrementi ferax sollicitat, donec aëri detur accessus; tunc in isto dente dolor cessare solet, sed temporis tractu in alium transit dentem in quo novum dolorem, cariem &c. excitat & hac de causâ multi redduntur edentuli.

Quandòque dentem non attingit, sed gingivas, in tumorem attollit, (& dentis evulsione dolor non remittitur) qui transpiratione resoluitur, & interdùm gingivas inflammat, earumque tumor suppurationem, exulcerationem, & quandòque (quod pejus est) maxillæ cariem inducere solet.

Si tumor in malis oboriatur, doloris dentium resolutionem portendit: rationem assignant vulgares, quia naturæ robore, vel medicamenti virtute transfertur fluxio ad partes exteriores, & non ampliùs ad internam dentis cavitatem decumbit. Verùm errant, dùm, à cerebro, vel à dissitis partibus defluxionis decubitum mendicant : Sentiunt ægri humoris deflui decubitum, quia latex per nervos, arterias, venas & ipsum corporis habitum ad laccssitam defertur partem, ut exoticum cicuriet hostem, & indolentem excitat tumorem, si non sit qualitate molestus.

Dentium ità que dolor simpliciter morbus lethalis non est, non tamen est parvi faciendus, ne mors indè sequatur, multi enim ob doloris vehementiam mori maluerũt, quàm diutiùs torqueri, & nostrates mulieres parere malunt, quàm dentium dolore corripi, imò sæpè ægros ad insaniam adduxit. Si membranulæ, ceu magis nervuli circa radices, ubi inseruntur, à vermibus, vel à salinis, acidisuè particulis stagnantibus torqueantur, facilè spiritus animales, & totum corpus in consensum trahi possunt, & ob doloris immanitatem, vigilias, inquietitudinem, aliaque accidentia, vires insigniter deficere possunt, imò non ægrè convulsiones oboriri. Ubi odontalgia cum stridore, & febre ardente, seu maligna maritatur, mortem portendit.

Curatio.

Curant vulgares dentium dolorem ità : si ab humoribus calidis ortum ducat, cephalicam secant è brachio ejusdem lateris, revulsionis gratiâ, si materia è capite defluat ; vel basilicam, aut saphenam, si ab inferioribus ascendat partibus, tundunt; aut cucurbitulas in scapulis scarificant. Venas sub linguâ derivationis causâ incidunt. Nonnulli venam pone aurem apetiunt. Quidam aures scarificant. Si dolor à frigidis excitetur humoribus, venæ sectionem minùs convenire fatentur, fluxionis tamen ratione etiam usurpant quia inter revellentia remedia locum tenere existimant : Verùm tunc minori copiâ sanguinem detrahunt, nisi plethoriæ signa appareant, ratione cujus etiam si materia sit pituitosa, liberalè venæ sectionem instituunt juxta *Galeni* præceptum qui *in magnis morbis & vehementissimis doloribus promptissimum remedium esse largam sanguinis missionem asserat.*

Cœterùm errat *Galenus*, nàm magnus

gnus dolor remedii magnitudinem indicat, non autem venæ sectionem; ac proindè magnum remedium illud existimatur, quod magnum curat morbum, non quod sit unum ex universalibus præsidiis putatitiis, ut est purgans medicamentum, & venæ sectio apud vulgares. Sit cujuscumque conditionis remedium, sufficit, ut magnum curet morbum, ut est potus aquæ frigidæ in febre ardente. Nec revulsionis, aut derivationis gratiâ desunt frictiones, extremorum ligaturæ, crurum lotiones, vesicatoria brachiis, cervici, vel post aures applicata. Imo in carpo, ejus manus, quæ est è conspectu, & latere doloris, flammulam, vel ranunculum imponunt.

Si alii à sanguine peccant humores, purgans exhibent medicamentum humori peccanti accommodatum, in formâ potionis, si peccans humor fuerit calidus; si verò frigidus in formâ pilularum secundum doloris, vel peccantis naturæ exigentiam.

His peractis, si materia adhuc fluat, adstringentibus inhibenda est; si à capite fluat, fronti, & temporibus *emplastrum ex gummi elemi, de masticbe, myrrhâ, vel contra rupturam* applicant; si à partibus inferioribus sursùm scandat, quæ ventriculi os adstringunt, & roborant, adhibent. Verùm hæc adstringentia, & repellentia (posito, quod verum sit, quod vulgaris sententia asseverat) non sine ægri periculo adhibentur, præcipuè si fluxio copiosior esset, posset enim intrò ad fauces irruere, & ægrum suffocare. Cessante fluxione, discutientibus quibus adstringentia admiscent, utuntur.

Medicamenta topica in duas dividunt classes, vel pro fluxione calidâ, vel frigidâ. In calidâ pro oris colluâ tione varia adhibent decocta *fol. myrti, ros rubr. radic. exylapath. filicis, tormentillæ urticæ &c.* Vel *sedi, plantag. lactuc. sem. papav. alb. hyosciyami &c. Bulliant in sufficienti aceti quantitate ad tertiæ partis consumptionem.* Cœterùm acetum per ebullitionem ob phlegmatis evaporationem fit acerrimum, & nihil differt ab aceto destillato. Putant vulgares acetum frigidum, & vinum calidum, & tamen acetum est vini soboles per secundam fermentationem: Id falsùm deprehendimus, solvit enim corallia, & uniones, quod si frigidum esset, utique non eveniret. Vitandum itaque est acetum, tanquàm hostilis gladius in dentium dolore à causâ acida, & præcipuè si gingivæ sint simul affectæ, quia per se dentibus nocet, dolorem adauget, eosque, si corrosi sint, magis corrodit. Vel prædicta decocta in vino parant ad tertiæ partis consumptionem, sed perperàm, nàm volatilis vini spiritus abit in auras, & insipidum phlegma nullius energiæ compos remanet. Multùm prodesse existimant aquæ frigidæ in ore retentionem.

In dolore dentium ex frigida fluxione diversas oris calidas collutiones parant *ex origano, menthastro, hyssopo, ligno guajaco, rore marino, salviâ, betonicâ, sampsuco, radice pyrethri, sem. nigellæ, flor stœcad. Arab. &c.* ex quibus variatum decoctionum formulas concinnant. Vel *ex caryophyll. cinnam. pipere, pyrethro, zingibere, nuce mosch. &c. decocta parant in vino guarneto* pro calidâ oris collutione. Vel allium sub *cineribus coctum* denti dolenti imponunt.

Si dolor ità immanis sit, ut his præ-

sidiis

dijs ãdhibitis non cesserit, ad narcotica deveniunt post universalia præsidia quæ dolorẽ sedant, & fluxionẽ cohibent, ut est *theriaca recens, aut Mithridatium Philonium Romanum, requies Nicolai &c.*

His omnibus incassùm adhibitis, dentem evelli suadent, & primò gingivam à dente scalpello separant, deindè tenaculâ, vel rostro corvino, vel pelicano dentem eruunt, & tandèm, expresso à gingivâ sanguine, vino rubro, vel poscâ sanguinis fluxum sistunt. Verùm quia nonnulli hanc chirurgiam exhortent, tunc corrumpentibus, & dentes mobiles reddentibus utuntur, ut dentes manu extrahi possint. Hujus farinæ est *pyrethrum in aceto maceratum per 40. dies aut tithymali succus*, verùm dentes sani, ac gingivæ cerâ obductâ præmuniantur, & tantùm dens malè affectus illiniatur, & infra horæ spatium digitis eximi poterit. Eodem ferè modo applicari potest *gummi hederæ, vel oleæ*, & dens brevi spatio in partes dissilit.

Dentium curatio pro causarum diversitate institui debet, undè si dolor ab acido ortum ducit, quæ acidum obtundunt; si à salso, quæ salsam diluunt, administrari debent; si à vermibus, quæ vermes enecant; & si à spiritu flatulento, discutientibus remedijs facilè curatur.

Purgatio, & phlebotomia in dentiũ doloribus administrari non debẽt, quia nihil prosunt, imò maximè obsũt. Coeteri, quos exercent cruciatus vulgares, quibus miseri torquentur ægroti, sunt peccatorum pœnæ; *Deus enim, delinquentes in conspectu suo tradit in medicorum manus.*

Convenientia odontalgica erunt liquores, quibus dolentes tanguntur dentes, vel in ore detenti, qui dolorem demulcendi, humoremque dolorificum ad se attripiendi energiam habent. Verùm quia quandoque magnus laticis affluxus ad lacessitam decumbit partem, ut exoticum cicuriet hostem, adhibenda sunt, quæ laticem per assiduam exturbant salivationem, & hoc modo multoties eum laticis exturbatione doloris causam eliminavimus: hujusmodi est *nicotiana fumus ore exceptus, vel angelicæ radix in ore detenta vel pyrethri*, quam vulgus *radicem sanctæ Apolloniæ* appellat. Quòd si hæc medicamina respuantur ob caliditatem ingratumque saporem, & præcipuè nicotianæ fumus ejusvè masticatio ob prava symptomata, quia non omnibus est usus optimum succedaneum erit *mastichen in ore versari*, vel eam dentibus premere.

Multùm conferre possunt decocta, quibus dentium collutiones fiunt, ut

℞. *Vini alb. generosi* ℥. v.
radic. hyosyam. alb. ʒ. ij ß.

Bulliant clauso vase, & colaturâ calidè os abluatur. Vel fiat oris collutio *ex decocto radicis hyoscyami, & ejusdem seminis, ac sem. lactucæ, & papaveris albi ex vino cum opij* ϑ. ß. Aut *decoque hyoscyami radicem cum herbâ persicariæ in aceto*, & calidè collue, & efficacissimè dentium dolores sistuntur; in hyoscyamo enim, receptaculum, seu siliquæ seminis dentis maxillaris figuram habent: ideòque *radix, ejus oleum, semen seu liquor expressus* insigne est odontalgicum. *Decoctum eomarum sabinæ* calidum per aliquod temporis spatium in ore detentum dentium dolorem demulcet causam extrahit, & si fortè in dentis cavo vermiculi cœlentur, illi simul exttahuntur, & exterminantur

Si hoc quandòque non juverit, ad *lapidem prunellæ in rotulas fusum* confugiendum est, quarum una in ore ad dolentem dentem retenta multam extrahit ex ore salivam, cum qua doloris causa plerùmque eliminatur.

A quacumque causâ oriatur dentium dolor, sequentibus odontalgicis non tantùm demulcetur, verùm etiam tollitur; ità est *radix lapathi acuti in taleolas secta, & exsiccata*, & denti dolenti imposita: Verùm vere ante germinationem colligi debet. Magnæ efficaciæ erit *oleum buxi*, tàm per destillationem à retortâ, quam per descensum, sed pluris facimus *oleum ligni Heraclini, sive ligni corylini*. Idem præstat *oleum camphoræ, & cinnamomi*, in quo gossypii fustulum intinctum denti admoveatur, verùm si dens carioſus fuerit, illius cavo inseritur.

Si dentium dolor sit vehementissimus, narcotica expostulat, ità est *camphoræ spiritus*, in quo applicando, cavendum est, ne gingivæ à menstruo erodantur; undè aliqui utuntur *camphorâ ipsâ in mortario solutâ cum vino, vel vini spiritu*, sed vinum quandòque suspectum est ob aciditatem, quæ semper in eo experitur; ideóque in odontalgicis medicamentis majoris suspectionis erit acetum, quandò dolor ab acido ortum ducit. Interdum recurrendum est ad vulgaria opiata, quæ, ut citiùs penetrent, dissolvi poterunt cum *aquâ salviæ, roris marini &c.* cum quibus etiam solvitur quandòque *opium cum croco mistum*. Solvunt interdùm dentium dolorem suffumigia ex opiatis, ut *ex seminibus hyoscyami*. Prosunt etiam suffumigia *ex succino, vel ejus oleo*, vel applicatur specificum *gummi animæ* cum gossypio. Aliquandò admovetur *oleum caryophyllorum, juniperi, roris marini, nucis moschatæ, guaiaci, spicæ &c.* quæ miscentur etiam cum camphorâ, & opio, ut

℞. *ol. caryophyll. gutt. ij.*
camphoræ parum.

misce in mortario, & cum gossypio denti impone. Vel

℞. *camphoræ ℈. ß.*
opii gr. iv.
Spiritûs vini ℥. ij.
aquæ salviæ ℥. vj.

misce, & calidè detineatur in ore. Efficacissima erit *tinctura laudani opiati*. Vel indatur denti, si carioſus, vel perforatus fuerit, *pilula de laudano opiato, vel de cynoglossâ*.

Respiciendum est etiam quàm maximè ad causas, nàm aciditas dentem inficiens, tollitur *oleo caryophyllorum, pertulaca &c.* & sic in aliis procedendum appropriatis remediis. Interdùm ex dolore inflammatio vicinarum partium procedit, & tunc medici vulgares putant doloris causam esse calidam, & cavendum est in hoc casu à medicamentis, quæ nimium calorem excitare valent.

Si dens dolens sit carioſus, ejus dolorem demulcet sequens electuarium, ut

℞. *Radic. bistortæ, & pyrethri ana q. v.*
alum. usti parum

contunde invicèm, & cum suff. mellis quantitate fiat electuarium, cujus quantitatem pisi cavo denti immitte. Sedat dolorem, laticem extrahit, & vermiculas enecat.

Pro certissimo experimento habemus contra dentium dolorem *Ranæ terrestris tibias optimè à carnibus mundatas*, quibus si dolens tangatur dens, om-

nis

nis abigitur dolor. Item *dens ex maxillâ mortui* evulsus, & cum radice suâ dētē dolētē tāgēs, dolorē tollit, & dentē glacie frigidiorem reddit, qui temporis tractu vel frustulatim cadit, vel ad pristinam abit temperiem.

Si à vermibus dolor excitetur, hos enecat *sabinæ*, *absynth. tanaceti*, *vel prun. sylvest. cum radice angelicæ*, *& semine zedoariæ decoctum* pro gargarismate. Alii commendant *fumum halicacabi*. Quidam *fumum seminis hyoscyami* per infundibulū ad dētē dolētē exceptum unicè prædicant. Item omnia amara, ut sunt *myrrha*, *aloë*, *colocynthis centauria minor &c.* Ad vermiculos fallendos, & eliciendos quandòque *dulcia* prosunt, sic mel denti carioso impositum vermes allicit.

Dentium dolor primis mensibus gravidis quandòque molestus esse solet. Oritur iste dolor à spiritu salso, vel acido ex sanguinis redundantiâ, non verò ob menstruorum retentionem, cùm gravidæ menstruis non tententur, irruente in nervulos, vel membranas, à quo contrahuntur, & ex contractione dolor. Dentium dolor in nonnullis est certissimum graviditatis signum. Cessant hi dolores ut plurimùm temporis progressu, ut cessare solent alia gestationis symptomata, quæ in conceptionis principio molesta esse consuevernnt. Sedatur dentium dolor in gestantibus remediis suprà notatis; Si verò gravior sit eodem modo succurrendum est, ut suprà notavimus.

Si omnibus hisce remediis dentium dolor non cedit, vel post aliquod temporis intervallum recurrere consuevit, quia dens valdè exesus, vel carioSus fuerit, optimum, & infallibile remedium erit, cum ferro extrahere, quo extracto, statim omnis valgarium fluxio evanescit, & dolor non ampliùs reversurus remittitur.

CAP. XXXVII.

De Dentium Stupore.

DEntium stupor, græcis hæmodia, est molestia, qua dentes tactus sensu vitiantur, & ità stupentes evadunt, ut non nisi magnâ cum molestiâ cibum commasticare queant.

Signa.

Malum hoc ità dentes occupat, ut non solum mandentes ex eo intolerabiliter dolcant, verum etiam nec cibum mollem mandere possunt, imò nec digitis suis æger attingere præ dolore vix sustineat. Quapropter perperàm dentium stupor appellatur, qui est sensûs abolitio, sed potiùs ad dolorem pertinere videtur. Vndè rectè *Capivaccius* hæmodiam dolorem dentibus propriam esse asserit.

Causa.

Galenici in dentium stupore intemperiem frigidam nervos antedictos infestare autumant, quam frigida etiam externa occurrentia adaugere credunt. Horum nonnulli velint nolint, etiam ilia crepent, ad saporem acidum confugiunt, verùm dentium temperiem immutantem, ad quem etiam austera referunt.

Stuporis dentium causam ab acidis, & austeris provenire asseverâmus; hæc nàmque non modo ex particulis acutis,

sed etiam hamatis constant, quæ ità fibras, & nervulos nimium, constringunt, & rigidos reddunt, ut spiritus simul ligentur, nec ob fibrarum, & nervulorum rigiditatem liberè moventur. Vndè fibræ, & nervuli nimis tensi ad quemcumque leviorem contactum molestè moventur, ut vi quadam flectantur, quam molestiam spiritus advertentes, communi sensorio offerunt cum quadam ineptitudinis ad motum ideâ, & stuporis perceptionem excitant. Hujusmodi particulis abundant fructus valdè acidi, acerbi, & austeri, ut pruna sylvestria, omphacium, cornum, amarenæ, mala limonia, citria, aurantia, cotonea, ribes, & alia poma immatura, & acerba. Item potus vini acidiusculi, aceti, spiritus vitrioli, sulphuris &c. ad quorum comestionem, aut haustum facilè subsequitur hæmodía. Similiter saccharata hunc peregrinum acorem producere solent, quia occultum in se habent acorem. Id etiam evenit ab humoribus acidis vomitu rejectis, quod multis affectione hypochondriacâ, vel scorbuticâ laborantibus acidisse observavimus, qui tàm acida vomitu rejecerunt, ut dentes stupidi iis ità indè evaserint, ut per integrum diem vix aliquid comedere potuerint. Sic & affectus iste, quod mirum, ab imaginatione sæpè oboritur, quando alium res acidas, & acerbas masticantem videmus, aut tetricum, & asperum sonum audimus; nàm imaginatio furtivo modo movet in corpore humores. & eos præcipuè, qui cum re, quam imaginamur, aliquam habent analogiam. *Hieronymus Fracastorius* tamen *de sympath. & antipath. cap.* 14. ad auditûs organum affectum causam refert, inquiens: *Similiter & si acutus valdè sit sonus, & stridulus, applicatio vim patitur, quasi in angulo facta, tùm membrana auditus quasi ictu offenditur, undè contrahitur repentè, ac cum eâ simul & nervuli quidam usque ad radices dentium, in quem locum subitò incidens novus aër horrorem quendam circa dentes facit.*

Prognosis.

Dentium stupor estò molestus sit, non semper difficulter curatur; sæpè namque nullis adhibitis remediis absque ullo dentium damno cessat.

Curatio.

Curant vulgares dentium stuporem quibusdam remediis specificis per experientiam observatis, ut *portulacâ viridi masticatâ*, cujus succus lentore suo dentibus adhærens, aciditatem è dentibus extrahit. *Rhasis amygdalas amaras, & ceram masticatam* commendat, quia unctuositate suâ illam congelationem remittere credit. Alii *radices glycyrrhizæ, aut pineas, avellanas, juglandes* extollunt, quibus aciditatem obtundere imaginantur. Nonnulli *caseum recentem, aut vetustiorem, vel calidum ovi vitellum* laudant. Plerisque *panem è furno calidè extractum masticandum* exhibent, vel oris collutionem cum *vino calido* præcipiunt. Verùm si dentium stupore laborans masticaverit panem è furno calidè extractum, calidum ovi vitellum, caseum recentem, vel vetustiorem, poterit utique hos deglutire, & optimum vini cyathum superbibere, & ire dormitum, & sic manè à dentium stupore immunis erit. *Ioannes*

Hart

Harimannus in dentium ſtupore jubet, ut ſtupidi dentes *ſale fricentur*, *vel maſticetur pannus Laneus*, *vel piloſus pileus*: Verùm errant vulgares, nàm ſtupidi dentes non tantùm cibum mollem mandere non poſſunt, verùm etiam nec tangi, undè ſi ſuprà enarrata maſticare poſſent, utique nullâ moleſtiâ cœtera alimenta contererent. Prætereà his nulla virtus ineſt acidum diſſoluendi, infringendi vel corrigendi.

Hæmodiam curant remedia, quæ particulas acutas, & hamatas non ſolùm hebetant, ſed quæ emolliunt, & fluxiores reddunt fibras nervoſas, & eas blandè commovendo reficiunt, ne ulteriùs rigeſcant. Hæc curatio non modò producti eliminationem reſpicit, verùm etiam cauſæ, quæ ſi interna ſit, auferatur remedijs millies à nobis decantatis. Producti curationem perficit *decoctum ſalvia*, *ſampſuci*, *bacarum lauri*, *vel eſſentia ſalviæ*, *roris marini*, *tinctura juniperi*, *vel balſamus Peruvianus* cum goſſypio denti affecto applicatus. Omnium optimum eſt *urina hominis calidè dentibus adhibita*, *vel ſal armoniacum in aquâ portulacæ ſolutum*, & applicatum. Vel omnium remediorum optimum eſt, ſi ſtupidi dentes *alkalibus* fricentur, in quorum defectu os *lixivio* colluatur, vel *vini ſpiritu*, *vel oleo tartari per deliquium*, ſi tangantur.

CAPUT XXXVIII.

De fœdo dentium colore, & Sorditie.

DEntes candidos, & nitidos natura effórmavit, quid enim pulchrius eſſe poteſt os albis dentibus præditum ſpectare? Profectò videtur naturæ ærarium, in quo prodentibus tot margaritæ ſpectantur, & tamen quos natura dealbavit, incuria nigricavit! Quid abominabilius eſt dentes nigros, vel lividos, vel fuſcos, vel fœtentem mucilaginem, tartareumque tophum habentes aſpicere? Equidèm dentes ità ſordidi hominem dedecorant, & adſtantibus nauſeam pariunt. Quiſque dentes candidos & eburneos habere poteſt, cùm ex incuriâ tantùm hic proveniat affectus, ſi debito mundentur modo, & in ſuo conſerventur tenore.

Signa.

Signa ad ſimplicem oris hiatum ſunt ità manifeſta, ut ea deſcribere non oporteat.

Cauſæ.

Vulgares dentium fœditatem, & ſorditiem humoribus vitioſis, in illorum ſuperficie hærentibus refundunt, quod ſi verum hoc eſſet, tantùm cachexiâ laborantes hoc afficerentur malo; & vaporibus ſurſùm exhalantibus, quod etiam à veritate alienum cognoſcimus, nàm vapores ſurſùm exhalantes in ſimplicem ſe condenſant aquam; crebro dulcium eduliorum uſui, & hoc malum ſolùm nobilibus, & magnatibus eſſet familiare: Verùm id credimus anile eſſe inventum ad arcendos pueros à dulcium eduliorum uſu; fructuum nigrorum, ut ceraſorum, myrtillorum, mororum &c. maſticationi, quaſi potus & ſaliva talem nigredinem ſuperficialem diluere non valerent. Prætereà qui tales nigros nunquàm deguſtarunt fructus, cur tali laborant effectu?

Crapulæ nonnulli refundunt, quod maximè canibus, & ovibus, cùm voraciſſima, & omnivora ſint animantia, hoc contingeret malum. Multi frequenti lacticiniorum uſui & præcipuè, caſeo putrido, alij cibis nimiùm calidis & alijs ſexcentis anilibus fabulamentis. Qui incuriæ, & mundificationis dentium neglectui tribuunt, de medicamẽto agunt præſervativo, non verò de hujus morbi cauſâ.

Non negaverimus tamen ab argenti vivi ſuffumigio, & inunctione, in lue Venereâ, dentium fœditatem provenire, ſicut etiam à mercurio coſmetico, vel ſublimato in aquâ ciſternæ ſoluto, cum limonum ſucco, ovi albumine cucurbitæ ſeminibus, & camphorâ, quibus Neapolitanæ mulierculæ pro dealbandâ facie utuntur, plerùmque dentes fædo imbui colore, quia poris ſe inſinuat, & temporis tractu dentes inficit, quomodò id accidat, ex infrà dicendis eruitur.

Poſt quàm tartarus, ductore *Paracelſo*, in medicinam fuit ingreſſus, non defuêre medentes, qui morborum myriades tartaro adſcripſerunt, & tartaro quoque fœdum dentium colorem, & ſordes tribuêre; ac proindè voluit Paracelſus ciborum tartarum tanquàm propinquiorem in dentalem lapidem tranſire, potûs verò tartarum in renum & veſicæ calculos: putabat enim nil cibalis tartari ad renes, & veſicam pertingere, & reverâ tartareum lapidem dentibus obnaſci cernimus, tartaro correſpondentem, nihilominùs in cibo reperiri negamus, &

Primò, febricitans, qui triduo, vel quatriduo nihil edit, aut maſticat, in dentibus lapideſcentem contrahit mucilaginem, imò copioſiorem, quàm ſi benevalens comederet; conſtat itàque mucilaginem lapideſcentem circa dentium radices, quà extra gingivam ſe offert, non eſſe ciborum tartarum.

Secundò, qui nihil edit, & bibit, niſi per infundibulum ob oris, palati, linguæ, faucium &c. defectum, nihil maſticat, neque alimentum dentes attingit, & tamen quotidiè dentes incruſtantur, non aliàs quàm comedens, & bibens.

Tertiò, ſiquis in ſingulis comeſtionibus os, & dentes exquiſitè abluat, fricet, abſtergatque manè tamen novum lapideſcentem, olidumque lentorem circa dentes reperiet, qui ex cibo remanſiſſe nequit.

Quartò, ſi tartarus ciborum eſſet ſoboles toties eſſet diverſus, quoties cibi diverſi.

Quintò, qui ſimplici pane, & aquâ jejunant, non aliter ac qui panem, carnes, caſeum &c. comedunt, æquè in eodem olido conveniunt lentore. Conſtat igitur vanum eſſe Paracelſi de tartaro circa dentes commentum, cùm alimenta tartati ſint inſontia, ut fuſiùs probet *Van-Helmont*.

Pro noſtrâ ſententiâ cum ſuprà citato dicimus, quòd lingua tunicâ amicitur tenui & poroſâ, ut ſapores penetrent, ejuſque ſubſtantia eſt mollis laxa, rara, & ſpongioſa ad imbibendos ſapores aliquo madore vectos. Hæ poroſitates inter madendum madore replentur, non tamen tartaro, ſed ſolidâ ciborum ſubſtantiâ. Imò ſi abradatur iſta ſordes à linguâ, non acquirit dentalis lapidis duritiem, licet areſcat; fœtet tamen, ſed non pro dentalis lapidis odore cadaveroſo. Si mox poſt partum lingua abradatur, vel duriori fricetur linteo, manè minus mucilaginis iterùm abra-

des,

des, sed non minus olidæ. Hæc linguæ saburra non minùs ex solidis cibis, quàm ex salivâ & totius corporis recremento oritur, quod dentibus per successivam incrustationem obducitur. Hinc si dentis cavo detineatur cibus per noctem, hoc recremento imbibitus utique foetidiorem anhelitum expirabit, ac abrasa mucilago. Sic quoque inter gingivas, & maxillam ut ut à cœnâ os abluëris singulo mane alba quædam mucilago coacervatur, quæ deindè linteo abstersa, & exsiccata, proptio olet fœtore. Hæc mucilago dentibus in primo ortu alba adhæret, quæ pedetentim flavescit, & deindè in duritiem accrescit in dētibus, à quorum gingivis lutea incipit, & in dente non rarò nigris manifesta maculis, imò nigrum, & carioſum efficiet dentem.

(Verùm aliqui contra nostram sententiam ità instare possent: Iste tartarus omnium dentibus æqualiter absque ullâ exceptione adnasci deberet, eo quod in omnibus omnia suprà enarrata æqualiter concurrant; nihilominùs plures ab isto lapide immunes habent dentes, & præ omnibus Æthiopes.

Respondemus, quòd Æthiopes, quorum gingivæ in acutam desinunt cuspidem non facilè lapidem efficiunt; contrà verò quibus gingivæ tument cruentæ, in obtusum desinunt, & malè dentibus associantur, ijs frequens coacervatur ejusmodi lapis.

Prognosis.

Sicut albi dentes non tantùm venustati, verùm etiam propriæ conferunt valetudini, ita nigri, & sordidi olidam eructant animam, & sæpè in corruptionem, cariem, casum, & in gravia degenerant vitia, quia perpetuò inter mādendum detritu fætidum quid, & abominabile emittūt, quod cum cibo & salivâ in stomachum descendit, & nihil boni ibi moliri potest. Præterea in febricitantibus vehementem significat febrem in dentibus lentor, ut habetur *aph. 55. sect. 4. quibus per febres circa dentes lentor quidam obnascitur, ijs vehementiores sunt febres.*

Curatio.

Nostri vulgares hujus affectûs cutationem aggrediuntur à causâ antecedenti, quaderè si pravi humores in ventriculo redundantes huic malo ansam dedetint, eos purgantibus auferunt si intemperies, eam corrigendam existimant, & interim optimam victûs rationem præscribunt. Sed sicut in causâ inveniendâ cœcutiunt, ità quoque in applicandis remedijs allucinantur. Est malum topicum, & non à toto, vel ab intemperie impertitum.

Quò ad topica, pro dentium vitioso colore emendando, & sorditie tollendâ usitatissima habent dentifricia, quæ in diversas concinnant formulas ex sequentibus, ut *ossibus sepiæ, rasurâ eboris, à labastro, pumice ignito, c. c. usto, corall. margarit. præp. ocul. caner. Lapide spongiæ, testis ovorum, cochl. ustis, silicibus combustis, arenâ albâ, sale tosto, tartaro calcinato, alumine usto*, & his similibus, ex quibus pollinem efformant, & ne pulveris dentificij ingredientia cognoscantur, addunt *cinnam. flor. ros. mosch. &c.* etiam in pulverem redacta ad suavem conciliandum anhelitum.

Nonnulli ad dentes dealbandos, & abstergendos tanquàm arcanum, commen-

mendant *carbones*; *& cineres stipitum roris marini*, quibus alij pro certissimo experimento præferunt *nicotianæ cinerem*.

Optima quidèm nobis videntur hæc vulgarium dentifricia ad dentes dealbandos, sordesque tollendas, quia omnia ex albis, vel ustis tostis, calcinatis, & igne exaltatis constant, sed non respondent dicta promissis; imò magis obsunt, quàm prosunt, quia malum hoc semper tumentes, cruentæ, malè dentibus associatæ, erosæ, & exulceratæ gingivę fugerunt, quæ in dentifricijs non possunt non excoriari, cruentari, & magis à dentibus dissociari, undè posteà ob alimenti degenerationem uberior fœtentis mucilaginis, nigredinis, tartareique tophi census emanat. Innumera ferè proponuntur à vulgaribus medicamenta ad dentes dealbandos & sordities abigendas, sed nullius, vel parvæ efficaciæ, quia rancidæ medicinæ sunt soboles, & tantùm tonsoribus digna ut quisque experiri potest.

Nos paucioribus erimus contenti è chymico depromptis penu, quæ in' instanti fœdos dentium colores auferunt, illos ab omni liberant sordicie, & carie præservant. Talia sunt *vitrioli oleum*, *vel spiritus*, *vel oleum sulphuris per campanam*, attamen aquâ fontanâ diluuntur, in quibus bacillus, in cujus cuspide obuolutum sit gossypium, immergendus est, & dentes, fricandi, ac deindè linteo detergendi. In magnâ dentium sordicie purus spiritus, purumque oleum usurpari poterit, si verò stuporem contraxerint, supra enarratis cap. de dentium stupore auferes. Solent quandòque adeò magno dentalis lapidis proventu obduci dentes in quibusdam, ut nulla eorum distinctio ampliùs appareat, sed unius tantùm ossis speciem præseferant, tunc his minimè cedunt, ideòque prius scalpris, vel alijs instrumentis ferreis, aut potiùs argento paratis dentalis removendus, & abradendus est, deindè facilè dealbantur. Si fœdus color, & sordities superficialis sit præstans erit limonum, vel citri succus; omnibus tamen palmam præripit *salis spiritus aquâ communi temperatus*, quia præter dentium dealbationem, quam in momento efficit, eos à carie, & gingivas à putrefactione præservat ob ballamicam energiam.

Nonnulli *aquam fortem communi aquâ temperatam* commendant cum penicillo denti appositam, sed nullatenùs est usurpanda, quia est corrosiva cum venenatâ indole & gingivas corrodit, & causticat; maximæ tamen efficaciæ *est aqua aluminis*.

Sunt nonnulli, qui pro præservatione singulis diebus unâ, vel alterâ olei vitrioli guttulâ gingivas, & dentes leviter fricari commendant: sed perperàm quia certum est conservari dentes, & subtiliari similiter, ac tandèm effringi, ut multoties observavimus. Itàque nos pro præservatione dentes semel dealbatos, & à sordibus mundatos non iterùm attingi imperamus, sed nè imposterùm fœdum contrahant colorem, à cibis, & sordibus mundandi sunt, non autem cultri acumine, ne lædantur, sed dentiscalpijs flexibilibus, & post cibum os aquâ abluatur, & dentes indice fricentur, deindè mappulâ abstergantur. Verùm hæc cura est nimis morosa, sufficiet in faciei ablutione, quolibet manè os colluere, dentes indice fricari & linteo abstergere.

Cap.

Cap. XXXIX.

De Dentium mobilitate, & Casu.

VAcillant dentes, cùm suis non firmiter adhærent alveolis, sed hùc, illucque moventur, & digitis ab uno in alium locum moveri, ac contorqueri possunt ut facilè eos eximere possis, quod malum non infrequenter incisorijs accidit, quia unà nituntur radice. Quandòque excidunt, sed rariùs; interdùm per aliquot dies solummodò vacillant, & postmodùm pristinam suam recuperant firmitatem, nec ampliùs moventur, sed firmiter suis adhærent alueolis, quemadmodùm clavi in ligno.

Signa.

Signa; ex his, quæ diximus', facilè eruuntur, nàm non firmiter adhærent dentes, sed ità moventur, ut non tantùm digitis eximi, verùm etiam linguâ è gingivis eliminari posse videantur.

Causæ.

In assignandâ mobilitatis dentium causâ non discrepant vulgares à recentioribus, recensent nàmque gingivarum laxitatem, aut erosionem ab humoribus quantitate peccantibus inductam, ut ità dentes non satis arctè & firmiter à gingivis amplectantur.

Duplex est causa, quæ dētes reddit mobiles, una interna, altera verò externa; interna est nimia prava humiditas, sive liquor lymphaticus, & salivalis in gingivas, dentium radices & nervos effusus, undè postmodùm mollescunt, relaxantur, flaccescunt, corroduntur, & excidunt. Ità videre est in cinnabaris fumo, hydrargiri inunctione, qui pthialismum semper excitant, & dentes quandoque ità supra modum relaxant, & corrodunt in quibusdam, ut omninò excidant, & in malè prēparatis medicamentis mercurialibus introassumptis, quæ quandòque salivationem inducunt, dentesque mobiles reddunt, at nunquàm cum dentium detrimento, quia eductis per pthialismum pravis humoribus, dentes refirmantur. In scorbuto contingit dentium mobilitas à gingivis laxis, tumidis, & corruptis. In lue venerea vacillant, quia gingivæ ab exaltato salis nutrimento diminuuntur absumuntur, & dentes gingivâ denudantur. In fumis mineralium venenatis frequentissimè aurifabris, argentarijs, & merallorum fusoribus dentium mobilitas accidit. Vacillant in copiosiori alimento, cùm gingivæ magis expandantur, ut in pueritiâ, & juventute contingit, in quibus dentes minores non respondent dilatatis alueolis. Vacillant quoque in alimenti defectu, in quo dentium alueoli ampliores redduntur, & præsertim si prava coacervetur humiditas, ut in senibus, & convalescentibus videre est. Primores dentes omnibus pueris ante septennium vacillant, sed non omnes simul, verùm unus post alium & omnes præter maxillares istam patiuntur mobilitatem, tandèmque sponte excidunt, quia succrescente alio, è foueâ alimento privantur, & propulsantur. Hic nos non agimus de hac naturali mobilitate, sed de morbosâ à causis suprà enarratis proveniente. Externa denique causa

est violenta dentium contusio, vel allisio.

Prognosis.

Dentes vacillantes, per aliquod tempus refirmantur, at si diù vacillent, solent tandèm penitùs excidere, ideòque non paruifaciendi, denotant nàmque magnam gingivarum putrefactionem, cui si opportuno tempore non consulatur, eorum casus expectandus est, nec alij in elapsorum locum succrescunt, præterquàm in pueritiâ. Hinc nõ modò pulchritudinem imminuit, sed loquelæ & masticationi obest.

Curatio.

In dentium mobilitate curant vulgares, ut dentes in suis alueolis firmentur, ac proindè humores peccantes evacuant vel catharticis, vel salivantibus, & postmodùm gingivas nimis laxas corroborant, & adstringunt gargarismate *ex decocto fol. mespilor. plantag. myrtib. sorb. salviæ, prunellæ facto in vino rubro.* Vel eas adstringunt *decocto cupular. gland. flor. balaustior. ros. fol. quercus in vino rubro stictica facto, additâ aluminis portione.* Vel linimento *ex sang. drac. acaciâ, corall. prunis sylvestribus immaturis, radice tormentill. & alumine usto, melle rosaceo exceptis.* His & alijs ejusdem conditionis medicamentis gingivas adstringere, dentes arctiùs firmari & retineri credunt.

Dentium mobilitatis curatio pro causarum diversitate diversa instituitur; quapropter si à scorbuto ortum duxerit, curatio ad scorbutum dirigenda est; vitiosi humores expurgandi sunt admistis semper herbis anti-scorbuticis, quales sunt *Nasturtij aquatici, cochlearia, becabungæ folia, armoriacæ radices &c.* & adhibentur, quæ de gingivarum exulceratione, & erosione suo capite proposuimus, sed præ cæteris sequens prodest, ut

℞. *Tinctur. gum. lacc.* ʒ. ß.
flor. aquileg. ʒ. j.
spiritus cochlearia ʒ. *ij. m.*
hoc os, gingivas & dentes colluito.

Si in lue Venereâ à fumis, inunctionibus, & alijs medicamentis mercurialibus vacillent dentes, tunc os colluendum est *aqua Anti-Venereâ n. d. vel decocto ligni sancti, salsæ parillæ parato cum vino, masticbe,* & quidem alio fortiter adstringente à nobis infrà proponendo.

Si ab alimenti defectu, ut in senibus, nullum adhiberi potest remedium, inconvalescentibus verò facilis est reparatio.

Si dentium mobilitas à nimiâ humiditate oriatur, curatio perficienda est exsiccantibus, & adstringentibus; attamen vitanda sunt, quæ dentes denigrant, ut sunt *granatorum cortices, balaustia, gallæ, vitriolum &c.* Ad humiditatem verò educendam maximoperè valent salivantia *ex masticbe, radice pyrethri, angelica, Zinziberis, fumo nicotiana &c.* Vel quæ lymphæ superfluitatem exturbant, vel medicamenta diaphoretica satis cognita, postmodùm salinæ particulæ gingivis, & dentibus hostiles corrigantur, vel diluantur. Adstringunt, exsiccantque sequentia decocta pluries experta, si sæpiùs quotidiè eluantur dentes, quia rursùm figuntur.

℞. *Glandium* ʒ. j.
gallarum ʒ. ß.

alum.

alum. usti.
succ. acacia ana ʒ. ß.
fol. ros rubr. m. ß.
Coque in vini rubei lib. ij. clauso opt. vase & cola.

Sequens nostra aqua est expertissimo ad dentes mobiles, & carne nudatos, ut immobiles reddat in suis alueolis, & carne vestiat & nunquàm ægros tali affectu laborantes felici defraudavit eventu, & potest fieri tàm per decoctionem, sed in minori dosi, quàm per destillationem, ut

℞. *Fol. salviæ,*
roris marini,
sorb.
oleæ,
myrtill.
piloselli.
flor. ros. rubr. incompletar. &
balaust. ana m. j.
radic. bistort. ʒ. ß.
symphyt. mai. ʒ. j.
nuc. cupress. num. xvj.
santal. rubr. &
cortic. citri ana ʒ. ß.
macis, &
myrrhæ ana ʒ. j. ß.
sang. drac.
gummi Arabic.
mastich. &
tragacanth. ana ʒ. ij. ß.
sarcocoll. ʒ j.
alum. usti ʒ. ij. ß.
pyrethri ʒ. ij.

contundenda contundantur, & incidenda incidantur, quibus superfunde vini nigri lib. x. stent in calore digestionis, & per cucurbitam vitream, cui recipiens adaptetur, destillentur s. a.

Vel sequens decoctum miræ efficaciæ à nobis expertum pro dentiũ collutione adhiberi potest, quos firmissimos reddit.

℞. *Aristoloch. rotunda.*
trissaginis,
stellariæ ana m. ß.
lentisci.
hypocistidis ana ʒ. ij
cupular. gland. ʒ. ß.
acaciæ, &
sang. drac. ana ʒ j. ß.
radic. angelicæ ʒ. ij.
nuc. cupress. num. iv.
mastich. ʒ. j.
alum. usti ʒ. ij.

Infundantur in vini nigri austeri lib. vj stent in loco calido per biduũ, deinde bulliant lento igne, clauso vase, quo refrigerato, cola. & utere *vel destilla s. a. &* utere.

Johannes Baptista de la Porta sequentem aquam pro dentium mobilitate ex tollit:

℞. *Herbar. salviæ,*
urticæ,
roris marini,
tormentillæ,
nuc. jugland. benè lotar.
& contusar. ana m. iij.
flor. salviæ,
roris marini,
ros. rubr.
fol. prunell.
plantag.
summit. rubi,
marrubij ana m. ij
sem. myrtill. lib. j.
hypocistidis ʒ. iij.
coriand. præp.
cortic. citri ana ʒ. ij.
cinnam. ʒ. iij.
nuc. cupress. num. x.
boli armen. &
mastich. ana ʒ. ij.

Incisa, & contusa infundantur in suff. quantitate vini nigri austeri per triduum

deindè fortiter exprimantur. Expressum indatur cucurbitæ vitreæ, destilletur lento igne. In destillato ebulliant, clauso vase, alum. ℥ij. cola, & ad usum serva.

Qui mobiles habent dentes, non multùm garriant, nec digitos, vel linguam ad dentes impellant, nec frigidum admittant aërem, nec res matticent duras, sed pulticulam, vippam, jusculà, ova sorbilia, vel alios hujusmodi sumant cibos, in quibus non forti opus est masticatione.

Si ità vacillent, ut firmari nequeant, ne fiant edentuli, ad firmam ementiendam structuram per aureum filum fiat allegatio; attamen cautè instituenda est, ne inflammatio sequatur.

Dentium casus restituitur ex semine in alveolo latente, alveoli implentur, & ità defectus reparatur; quamdiù semina intra gingivas latent, novi post priorum casum facilè renascuntur, & hac de causâ in occidua ætate renasci solent, sed hoc ratissimè contingit. Ad dentium itàque casum reparandum edentuli insititios dentes ex ebore, vel dente hippopotami fabricatos in illorũ locũ substituunt non tantùm in venustatis gratiam, sed & in articulatæ locutionis, quia edentuli quasdam literas pronunciare nequeunt v.g. T. & R. ubi lingua ampliata prioribus dentibus initi debet.

CAP. XL.

De Difficili Infantium dentitione.

DEntium germina in utero generantur post maxillarum generationem, in quibus imperfectè latent, (rarum est enim infantem nasci dentatum) ne sugens papillam lædat; undè in abortu, vel in infantulo recèns nato dentes exigui erui possunt. Erumpunt extra gingivas circa mensem septimum, vel seriùs, & quidèm primo incisorii, quos aliquo temporis curriculo sequuntur canini, & tandèm maxillares. Eorum eruptio est naturæ opus, quæ illos propellit, & eo tempore, quo erumpunt in infantibus, ex illâ gingivarum continui solutione plures affectiones præternaturales tenellos affligunt, infantes; hi enim primò magnum in gingivis sentiunt pruritum, deindè quasi aculeo gingivæ, dùm ab aculeatis illis perforantur ossibus, punguntur, undè vehementissimus dolor, tormina, diarrhœæ ex viridi flaventes, terrores, insomnia, vigiliæ, gingivarum inflammationes, febres excitantur, & ex divulsione, & contractione convulsiones, quas imperiti vulgares pro epilepsiâ accipiunt ob oris spumam, & indefinentem salivationem. Id maximè accidit, cùm canini erumpunt dentes, qui vulgò ocularii nominantur, undè vulgatò dici solet proverbio: *Parentes de liberis gaudere non posse, donec dentes ab oculis editi sint.*

Circa septimum annum alia fit dentitio, quia alveoli crescunt, & ampliantur, ac lactis dentes tùm temporis molliores vacillant, & excidunt, ac alii grandiores, firmiores, & duriores prodeunt in utràque maxillâ decem, quatuor incisorii, duo canini, & quatuor molares, sed cum tùm gingivæ anteà perforatæ sint, id sine dolore accidit.

Signa

Signa.

Infantuli non dùm sermone dolorem indicare possunt, quia dentibus carent, qui ad vocis modulationem necessarii sunt: attamen cognoscitur dentitio, Primò, ex tempore, quo dentes erumpere solent, quod est circa septimi mensis initium, vel serius. Secundò infantuli assiduò digitos in os inferunt, undè magna salivæ supellex fluit. Tertiò, matres, vel nutrices papillas fortius stringi, morderi, & calefieri, quàm anteà percipiunt. Quartò, ubi dentes erumpunt, gingiva tumet, & albicat. Quintò tandem, plures affectiones præternaturales accidunt, dolor, vigiliæ, tormina, alvi profluvium, & convulsiones.

Causæ.

Difficilis dentitio à gingivarum densitate, & crassitie provenit, at in dentitione symptomata ab aliis causis ortum habent, undè.

Pruritus oritur, quia primâ invasione fibrillæ nerveæ à dentibus gingivas perforantibus vellicantur. Dolor pendet à continui gingivarum solutione, qua membranæ nerueæ non tantum distenduntur, sed lacerantur, & continui solutio fit, & quò spina est acutior, eò acutiorem causat dolorem; sic quò dentes sunt acutiores, eò dolores immaniores obortiuntur: quapropter canini dentes, ut acutiores, omnium symptomatum præ reliquis atrociorum sunt auctores. Affligenti dolori atrociorem addunt dolorem salina humorum spicula, dùm circa radices tenerioribus, & sensibilibus fibrillis præditas infiguntur, & ob inæqualitatem ipsis molestum inferunt sensum. Inflammatio oritur à gingivarum perruptione, haud rarò enim sanguifera conceptabula ibidem satis copiosa simul dilacerantur, sanguis effluit extra sua vasa, exitum non inveniens, in earum spaciolis remoram contrahit, vitium capit, grumescit, & tuberat. Vel quia membranulæ & fibrillæ distenduntur, undè spasmus in nervis producitur, nervi contracti arterias socias comprimunt, convellunt, crispant, & sanguinis motus fetiatur, & inflammationem excitat, particulis deindè roscidis & balsamicis evolantibus, suppuratur, undè abscessus, & alia oriuntur mala. Salivatio pendet à dolore spirituum motione, acrimoniâ & fluxilitate lymphæ, quia ex dolore glandularum vasa, & præcipuè salivalium, & membranæ illas cingentes vellicari, & crispari solent, & simul uberior salivæ proventus in os effunditur, spirituum commotio facilè efficere potest, ut uberior seri copia ad glandulas emandetur; lymphæ denique acrimonia, & fluxilitas uberiorem salivæ supellectilem movent, ut videre est in scorbuticis, & hypochondriacis, quorum latex salinis abundat particulis, hi molestissimo crebriùs vexantur ptialismo. Saliva fauces alluit, & ad ventriculum tendit, non enim infantes spuendi usum habere possunt: si hæc blandior, & in statu naturali sit, sine noxâ defluit, at si uberiùs spicula salina habeat, tunc faucium irritationes, rosiones, & sicca tussis excitatur. Si ad ventriculum deferatur, tunc illum spasmodicè afficit, vomitus frequentes, tùm lactis corrupti, tum aliorum humorum, quos in sinu fouet, & alia multa mala

concitat. Si ad intestina saliva salinis spiculis imbuta derivetur, & ibi humorum stagnantium saburram inveniet, & hos fundit, & intestinorum fibras lacessit, irritat, & vellicat, ac diarrhoea succedit.

Prognosis.

Dentitio infantibus morbus est congener, ac proindè per se minùs periculosa est. Non tamen omni vacat periculo ob symptomata, quæ ingruunt, quapropter non pauci, febre, & convulsione superveniente, quia tenella invadunt corpora, hos calamitatum scopulos effugere non possunt, undè acerbo succumbunt funeri: & eò major imminet pernicies, si difficiliùs & longiori tempore dentes erumpunt, & præsertim si sint canini, pejus se habent, & gravius laborant, quia acutiores & magnum infantulis negotium facessunt, ac proindè parentes de vitâ longâ sperare non possunt, & præcipuè si symptomata de die in diem augeantur, imò nova, prioribus ablatis, accedant, naturæ robur imminuitur, debilitatur, & sic tandèm infantum tenella corpuscula huic oneri ferendo imparia redduntur, & morbus hic in mortem terminari solet. Qui crebrò aluum habent laxam in dentium eruptione, minus convulsione capiuntur, quàm qui adstrictam ut *aph.* 25. *sect.* 3. testatur *Hip. in progressu verò cùm jàm dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulsiones, alui profluvia: & maximè cùm caninos edunt dentes: & ijs præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.* Qui in dentitione acutâ corripiuntur febre, rarò convulsione tentantur, quia febris convulsionis materiam absumit. Qui gravi premuntur somno, facilè in convulsionem labuntur. Hyeme & vere infantuli facilè dentes emittunt, minùsque molestiam sentiunt ob nativi caloris robur, si tamen cætera consentiant, & ab externis aëris injurijs muniantur; æstate etiam absque molestiâ dentiunt ob gingivarum laxitudinem, si symptomata non urgeant.

Curatio.

Cùm difficilis dentitio à gingivarum densitate, & crassitudine ortum habeat, sedulò danda est opera, ut rarescant, & laxentur gingivæ, remotis obstaculis, & symptomatibus sedatis, quantocitiùs & faciliùs dentes erumpere possint. In primis verò incumbendum est, ut aluus sit libera, quòd si obstructa per *mannam, vel syr. de Cichor. Nicolai cum rhabarbaro* relaxetur. Interim rarefiant, laxentur, & molliantur gingivæ pinguibus, oleosis, & mucilaginosis: obliniantur ergò *melle cum butyro recenti permisto, vel cerebro leporino, aut erudo, aut elixo cum toto corpore*, eodem modo adhibentur *avium, & pullorum cerebella.* Vel gingivæ inungantur *gallina, aut anatis pinguedine recenti.*

Si dolor vehementior sit *solani succus cum oleo ros.* calefiat, & illiniantur, aut foveantur gingivæ *decocto malvarum, althæa, fœnugræci, chamæmeli, in quo dissolutum sit*

buty-

butyrum recens vel gallinæ pinguedo. Vel imponatur *emplastrum ex theriacâ recenti.* Vel fiat emulsio *ex semine lactucæ, papaveris albi & lini cum aquâ violarum,* & illiniantur. Vel foveantur *mucilagine seminum cydoniorum, althææ, malvarum cum aquâ lactucæ.* Si inflammatio adsit, addatur *aqua spermatis ranarum.* Hæc omnia suprà dicta calida applicentur, ne gingivas adstringant. Interim infantulo masticanda præbeatur *candela ex cerâ virgineâ,* quia gingivas laxat, & pruritum demulcet.

Ad hunc etiam finem nostræ mulierculæ varia appendent duriora, quorum agmen ducit *dens lupi, crystallus, jaspis canali argenteo inclusus chalybs septies, & ultrà candefactus, & in lacte caprino, vel muliebri extinctus,* aliaque ex ebore amuleta, sive ex aliâ materiâ lævitate simul conspicuâ parata, quæ de collo pendent, infantes arripiunt, in os intrudunt, gingivis interponunt & commandunt. Verùm his, & similibus magis duriorem reddunt gingivam, & dentium alueolos potiùs occludunt, quàm aperiunt. Maximè periapta, & amuleta improbamus ut sunt *dens hominis, dens equi primùm natus, pellis lupi, dens viperæ masculæ, lana agnina, jaspis viridis,* & tanquàm fabulosa reijcimus, non viribus, sed persuasionibus, & imaginatione hæc juvare credimus.

Nonnulli *axungiam* inungunt *leporinam* in gingivarum locis, ubi dentes erumpere debent, ità leviùs mollificatas jam gingivas, dentium cuspides sub eis latentes perterebrant, & erumpunt.

Si omnibus his modis nec prodire videantur, & necessitas urget.

℞. *Sanguinem è cristâ gallinacei recentem, & digito semèl tantùm, vel ad summum bis gingivas inunge* & sine difficultate, aliisque accidentibus tandèm prodeunt.

Quòd si non tantùm difficilis, verùm desperata sit dentitio, in hoc casu ad ferrum confugimus, & gingivæ, eâ parte, ubi protuberant, scalpello incidendæ, vel pollice sunt fortiter premendæ, ut feliciùs dentes prorumpere possint.

Symptomata, quæ pertinaciùs difficilem dentitionem comitantur, ut febris, convulsiones, vigiliæ, vomitus, diarrhoea, ptialismus, tussis sicca faucium exulcerationes, aphthæ &c. curantur, ut in suis capitibus.

Dùm infantuli dentiunt, nutrix, vel mater bonam diætam observare debet, victusque sit temperatus, si febris adsit, vel immineat declinet ad frigidum & humidum, quia vel imminuitur, vel præcavetur. Vitentur interim acida, & salsa.

Cap. XLI.

De Tonsillarum, & Vuulæ Vlceribus.

INtra oris specum continentur tonsillæ, vuula; sunt tonsillæ duę Glandulæ utrimque ad linguæ radicem paulò supra laryngem positæ, vulgò dicuntur amygdalæ (estò nullam cum amygdalis habeant similitudinem) communi oris tunicâ vestitæ & arterijs, venisque exilibus à caroticis, & jugularibus donatæ. Laxam, & spongiosam habent substantiam, ac sinus continent varios, colligunt salivosum liquorem ad linguæ, & oris humectationem, quem in oris capacitatem eructant, tùm per

per minima lymphatica, seu salivalia vascula tùm per exilia crassioris membranæ oris foramina, præcipuè cùm os, & lingua movetur, quod quilibet in seipso experiri potest. Ac proindè quandò alimenta in ore masticantur, partim sponte, partim per masticata alimenta, ex hisce glandulis expressus liquor multò copiosior in os confluit, ut tùm ad fermentaceam præparationem admisceatur, ut aliquorum est sententia, tùm deglutionem faciliorem efficiat. In quiete verò, cùm os non movetur, etiam hujus liquoris in os effusio plerùmque quiescit, ut notum est in dormientibus, quibus ob hujus liquoris defectum, os, & fauces exsiccantur, si patulo ore dormiant.

Vuula est caruncula rubicunda, fungosa, longiuscula, superiùs aliquantulùm lata, inferiùs obtusè acuta à palati medio, juxta narium meatus in os inter tonsillos vuæ instar procedens.

Hæ tonsillæ & vuula, licet partes exiguæ in nostro corpore, non solùm intumescunt, inflammantur, & in suppurationem abeunt, ut *primo Tomo cap.* 40. & 41. fusiùs diximus, sed quandòque citra inflammationem exulcerantur, & exeduntur, quod familiarissimum est in lue venereâ.

Signa.

Tonsillarum ulcera visui patent, & eadem habent signa, ut in aliarum partium ulceribus. Si maligna sunt, partim alba, & maculis similia, partim colore cineritio, aut crustis similia, quæ ferro inuruntur.

Vuulæ exulceratio ante oculos posita est, nàm laxa, & flaccida apparet, albo mucore obducta, quandòque cineritio cum ardore, & sorditie, graveolentem spirante anhelitum. Si tandèm atrophiâ corripiatur, fit velut lorum, & penitus insanabilis est.

Causæ.

Tonsillarum, & vuulæ ulcera secundum veteres Galenicos fiunt ab humoribus biliosis, pituitosis, feruidis, putridis & erodentibus à capite in tonsillas & vuulum depluentibus; vel à vaporibus ijsdem præditis qualitatibus, & cum aëre per inspirationē absorptis cum cibis aut medicamentis erodentibus, exulcerantibus, aut vehementer exasperantibus, à quibus omnibus ejusmodi in partibus hisce continui solutiones contingere valeant. Verum vulgares in horum affectuum causam assignādo fallaciam commmittunt non causæ ut causam.

Ulcera tonsillorum, & vuulæ oriuntur à particulis salinis in lymphâ, aut sanguine hospitantibus, & in tonsillas & vulam irruentibus, ex obstructione diuturniore exaltatis, earumque fibras dissolventibus. Sive fiunt ex abscessu, & pure post inflammationem subsequente. Vel fiunt à fermento venereo, ut fusius de dictâ lue diximus. Hæ particulæ salinæ, & corrosivæ ad tantam sæpè exaltationis gradum deveniunt, ut non solum tonsillas, & vuulam, tanquàm partes molles, in totum auferunt, sed etiam duras, & osseas erodant, ut multoties in palati ulceribus observavimus.

Prognosis.

Tonsillarum ulcera securiora censentur, quæ sunt munda, exigua, quæ non

non profundantur, nec inflammantur, nec dolorem, & febrem habent adjunctam, maligna verò, quæ lata, profunda, & quodam concreto humore albo, aut nigro sordida sunt. Exigua quandòque & rara oriuntur ulcuscula, quibus supervenientia alia in unum ulcus latum coalescunt. Si ulcera depascendo serpant, gurgulionem, linguam, palatum, & gingivas exedunt, ac dentium præsepiola occupant, dentes labefactantur, nigrescunt, vacillant, & tandem decidunt, unde ægri inediâ, & fœtore consumpti moriuntur. Quòd si ulcera in pulmonem per tracheam serpant, quia pulmo, & cor neque odoris fœditatem, neque ulcera, neque ichorem sustinent, obortâ tussi, spirandique difficultate, eodem die strangulant.

Vuulæ ulcera aspernanda non sunt, facili enim negotio exeditur, & deficit, undè quibus tota vuula adesa est, potus ex ore in nares regurgitat; in super rarò clarè & articulatè loquuntur, & quod pejus, periculum à phthisi imminet, cum particula jàm deficiat, quæ aëris frigidioris inspirati impetum frangere solita est, ne in pulmones subitò irruat, eosque lædat.

Curatio.

Tonsillarum ulcera curant vulgares, venam incidendo, corpus deplendo, & diversiones celebrando. Deindè medicamentis utuntur adstringentibus & exsiccantibus, quæ externis etiam applicant ulceribus, & eò magis exsiccantia in tonsillarum ulceribus esse debent, quia talia ulcera à salivâ perpetuò humidiora fiunt, undè medicamentorum vis infringitur. Ad hanc indicationem gargarismos adhibent triviales, ut.

℞. *Aqu. mulsæ lib. j.*
diamori ʒ. j. ß. m.

Vel ℞. *Aqu. plantag. lib. j. ß.*
syr. de moris ʒ. ij
mell. ros. ʒ. j.
alum. sciss. ϑ. j
aceti ros. par. m.

Sed nescimus, an hæc magis exsiccare, quàm humectare valeanti. Alij pro illinitione *succum ex malo punico dulci cum cortice contuso exprimunt, cujus partes sex cum unâ mellis parte miscent, & ad mellis spissitudinem coquunt.* Ulceribus malignis adhibent linimentum *ex cineribus centaurij minoris, & pulvere stercoris canini cum melle ad spissitudinem miscendo.*

Columellæ ulcera hac collutione curant.

℞. *flor. ros. rubr.*
fol. quercûs, &
olivar. ana p. j.
cortic. granator. ʒ. iij.
alum. usti ʒ. ß.
æruginis ϑ. j.
coque in aqua plantag. lib. j. ß.
& in colat. diss. mell. ros. simpl. ʒ. ij.
syr. de moris ʒ. j. m.

Si ulcera sint ex lue venereâ, & miti hoc utuntur linimento, quo ulcera tangunt, ut.

℞. *Ung. Ægyptiaci ʒ. ß.*
alum. usti ʒ. ß.
mell. ros. onc. j. ß. m.

Sed parùm feliciter in hoc linimento utuntur unguento Aegyptiaco, propter viridedæs, quod ejus compositionem ingreditur; potiùs enim corrodendo, quàm separando suas absoluit operationes. In super Aegyptiacum partem affectam nigredine imbuit, quod omninò vitandum est. Si verò contumacia fuerint aquâ forti dilutâ, vel aquâ,

in qua mercurius ſublimatus decoctus fuerit, utuntur. Verum aqua fortis, licet diluta, venenatam non reſpuit qualitatem, ideòque ſi per ſe metalla exedit, diluta, & in gradu remiſſo carnes abſumere, & corrodere valebit, & eò magis vuulam, quæ molli, & ſpongioſâ dotata eſt ſubſtantiâ. Sublimatus verò in aquâ decoctus non deſinit dilutè continere vim corroſivam, venenatam & cauſticam, ideòque non tantum vuulam, & proximas partes eò magis venenatè exulcerabit, verum etiam ſi fortè in aſperam arteriam, vel œſophagum gutta aliqua delabetur, in magnâ noxâ, & vitæ diſcrimine verſatur ægrotus. Inſuper ſanguinem inflammat, undè ſputationes cruentæ, aliaque ſymptomata graviſſima, & ipſa tandèm patientis deſtructio.

Tonſillarum ulcera nos curamus medicamentis, quæ ſalia acuta in lympha ſtagnantia diluunt, eliminantque, hujuſmodi ſunt ſudorifica, vel diuretica pluries decantata, quæ obſtructiones in parte referant, & tandem topicis, quæ abſtergunt, reſoluunt, & conſolidant, in quem finem ſequentia gargariſmata conducunt, ut.

℞. *Malu. hortenſis m.* j.
flor. roſ. rubr. ·
prunellæ,
veronicæ,
ſalviæ ana m. ß.
radic polyp. querc. ʒ. ij.
Coque in aquæ puræ lib. iv. *aceti vini* ʒ.vj. *uſque ad tranſuerſi pollicis caſum, poſteà colentur & colatura leniter exprimatur.*

Mundificat, & conſolidat ulcera interna, ſi præſertim cum reliquis plantaginis folia adijciantur.

Si ſordida ſint ulcera, ea mundificat, & conſolidat *infuſio lapidis medicamentoſi*, vel ſequens gargariſmus *ex hordei emulſione cum melle roſaceo, & pauco ſpiritûs vitrioli*, ne acrimoniâ ſuâ partes haſce, aliaſque circumiacentes plùs lædat, ſed acrimoniam in ulceribus exiſtentem mitiget, ulceraque emundet, delinet, & exſiccet. Verùm præ cœteris ad fortiores mundificationes maximè valet *Aqua viridis Hartmanni* calefacta qua penicillo bis in die tangantur, & hac aquâ in his ulceribus familiariter utimur.

Si hæc ulcera à lue venereâ ortum ducant, cognoſcuntur venerea, ſi in longum protrahantur tempus, & vulgaribus adhibitis medicamentis, non cedant, tunc locum affectum *aquâ viridis* tangat & poſtmodùm gargariſmo elue, & cedunt, quòd ſi non eveniat, ad partis *ſuffumigium ex cinnabari, & thure* cum tabaci fiſtulâ, tanquàm ad ſacram anchoram confuge, nec ægrotum ulcerum ſanatione defraudabis, ut experientia millies nos edocuit; imò tantùm ſuffumigio multos tanquàm inſanabiles, & deplorato Barbati poſt varios cruciatus deſeruêre, priſtinæ reſtituimus ſanitati.

Vuulæ ulcera ſi ſint ſimplicia, facilè curantur gargariſmate *ex decocto peti, & perſicari*, vel ſequenti, ut

℞. *ſummit Veronicæ*,
vincæ pervincæ, &
ſatureiæ ana m. j.
f. decoct. in cujus colaturâ lib. j. *ß. mell. roſ ſimpl.* ʒ. ij. *&*
diamori ʒ. j. *m.*

Si ſint contumacia, utere *infuſione lapidis ſalutis*, tangendo cum penicillo: verùm maximoperè prodeſt *tinctura mellis confecta ex aquâ plantaginis, melle roſato ſimplici, & ſpiritu vitrioli ad*

gra-

Unable to display this page

Hoc linguæ vitium in singulis literis esse potest, nam si J. crassè quis pronunciârit, dicitur *Iotacismum*, si L. *Landacismum*, si M. plus æquo *Metacismum* faciet. Quaderè cum dentes ad formandam vocem conferant, infantes non loquuntur, antequàm os dentibus plenum habeant, & præcipuè incisorij ad quasdam exprimendas literas conferunt. Huic edentuli quasdam literas pronunciare nequeunt reg. T. & R. ubi lingua prioribus ampliata dentibus inniti debet. Hinc vitio facilè succurri potest, si arte insitivos procurent dentes aureo filo vinciendos, ut expeditè has literas pronunciare valeant. Sed de vitiis oris, & linguæ, quæ loquelam vitiare possunt, fusiùs egimus in *nostrâ Grammaticâ speculativâ, capite de Barbarismo.*

Signa.

In hoc morbo cognoscendo non opus est signa recensere, sed sat est balburie affectum loqui ut cognoscatur affectus.

Causa.

Balbutiem fieri credunt Galenistæ à linguâ breviori, vel ab ejus imbecillitate ob intemperiem humidam, aut etiam siccam, frigus, iram, aut calorem, vel a freno, aut membranulâ subiacente linguam nimis adstringente, & ejus liberum motum impediente.

Balbuties pendet à nimiâ spirituum agitatione, qui inordinatè musculorum tubulos ingrediuntur, vel ab eorundem paucâ quantitate, ut non sufficiant ad linguæ motum perficiendum, vel ab inconcinnâ musculorum, & linguæ conformatione, vel ex horum musculorum obstructione, qui viscido infarciuntur humore, à quo diminutus fit motus, quia linguæ musculi ità gravantur & opprimuntur, ut distendi non facilè possint. Hinc spiritus motoris transitus ad linguæ musculos impeditur, & linguæ motus non expeditè fit, undè difficilis pronunciatio, & non expedita oritur loquela. Vel à nimiâ copiosæ humiditatis præsentiâ, à qua musculi relaxantur & cuilibet vocis expressioni minus sufficiunt. Id clarè patet in aliquibus pueris, qui balbi sunt, literamque R. J. L. M. vel S. pronunciare nequeunt, verùm temporis & ætatis progressu humorum illa excessiva visciditas, vel nimia humiditas absumitur, & nullum ampliùs impedimentum in talium literarum pronunciatione imposterùm sentiunt, in quibus verò non absumitur, per totum vitæ spatium balbi remanent. Oritur quandòque à freno sub lingua non dissecto, quod impedit, ne lingua liberè volui & moveri possit. Vel nimia in loquendo festinatio dentium defectus, labiorum mutilatio, palati exesio, lingua justo longior, aut brevior, crassior, indecenter formata & pluribus alijs modis depravatur loquela ut fusius *capite de Barbarismo* eginus.

Prognosis.

Balbuties nullum vitæ discrimen minatur, attamen ab apoplexiâ, vel caro relicta rarò & difficulter cutatur, & ex confirmatâ paralysi omnes obmutescunt; dùm tota lingua resoluitur, gravis impendet apoplexiæ metus. Balbi, & celeri linguâ præditi melancholici sunt, item morbis humidis obnoxij sunt,

sunt, ac præcipuè alui profluvio corripiuntur, ut innuit *Hip. aph.* 32: *sect. 6. Balbi ab alui profluvio diuturno maximè capiuntur.* Nativa linguæ vitia ex magnitudine, conformatione, vulnere, nervorum ruptura insanabilia existimantur, verum à phlegmate, vel nimiâ humiditate, solet quandoque temporis progressu in pueris, absumto phlegmate, vel humiditate, auferri; si verò diuturnâ consuetudine inveterata fuerit balbuties, prorsus curationem non recipit. Si tandem à linguæ vinculo non secto pendeat, facilè chirurgiâ curatur.

Hoc morbi genus sermonis puritati multùm obstat, ut ne ingenia à bonis retrahantur cœptis, admonitos & exhortatos volumus adolescentes hoc vitium oratoris splendori nunquàm, vel quicquàm detraxisse, nec gloriæ impedimentum fuisse. Hoc vitij genere *Aristotelem* laborasse accepimus, nec quia balbus fuit, sui nominis fama claudicavit, aliosque relinquimus illustres scriptores memoriæ posterum traditos. Equidèm nullum est vitium, quàm hoc magis excusabile, in quo nihil ipsi peccavimus, sed potiùs naturam, uti novercam, accusare debemus.

Curatio.

Ex malâ conformatione balbutiem, aliasque loquendi difficultates insanabiles esse diximus, attamen hoc unicum, sed ideale exemplar *Demosthenis*, industremque medelam proponemus, qui ad vitia oratorem deturpantia præterenda in se unum omnia natus videbatur, nàmque primam literam ejus artis, cui totus obstinate animum addixerat, cùm dicere non posset, ore infertis calculis, expeditè proferre didicit: humerum, quem sæpiùs inter dicendum attollebat, gladio supernè appenso, ut ejus metu injecto, ne pungeretur, demisit. Actionem omnem ante speculum, tanquàm magistrum, composuit, & etiam histionem. Pectoris, & laterum angustias, sicut & vocis exilitatem, & acerbitatem dilatavit, & ad sonoritatem perduxit. Per aspera, & adversa loca uno spiritu plures versus recitare assuescens, sic tonare, non orare, locumque proverbio fecit: *Latera Demosthenis.* Patientia duravit aures prope flumina obluctantium aquarum fragoribus obstrepentia declamans, ut in actionibus turbarum fremitu non interrumperetur. Hæc omnia, aliaque apud *Plutarchum*, *Lucianum*, alioque in ejus vitâ multo temporis spatio peregit, & ne aliqua occasio ad egrediendum impelleret, capite semiabraso, & barbâ sedomi detinuit, eò tandem evectus est, ut ipsemet *Cicero* fateatur majorem partem Demosthenis abesse cùm legimus, tantum ei dedit actio, ut illud *Aeschynis apud Plutarchum* in apopht. demonstrat, quem relinquimus. Ad summam industria naturam vicit Demosthenes. *Præstatus* (*ait Val. Max. lib. 8. cap. 7.*) *cum rerum naturâ, & quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando. Itàque alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est.* Nil tamen arduum, quod sedula industria vincere nequeat.

Balbutiem difficilis esse curationis vulgares Galenici fatentur; linguæ enim brevitatem naturalem, arte prolongare, longitudinem breviare, & crassitiem subtiliare nesciunt, attamen imbecillitatem ab intemperie humidâ ortam corrigere conantur exsiccantibus, à fri-

gidâ calefacientibus.

Noſtra curatio eſt, quòd ſi vitium à nativitate, & organi vitio ſit, ferè incurabilis eſt. Si pendeat à nimiâ ſpirituum agitatione, remedijs nimiùm motum ſedantibus, & eundem æqualem ijs conciliantibus curatur, talia ſunt *ſpiritus roſarum, aqua theriacalis cum ſpiritu vini, elixir vitæ, tinctura juniperi, aqua lavendulæ, vel liliorum convallium &c.* quibus lingua ſæpiùs fricetur. Si ſpirituum paupertie lingua moveri nequeat, curatur, ut paralyſis, & tùm interna, tùm externa conducunt, quæ in noſtrâ *Trutinâ libr. 1. cap. 3. de Paralyſi* deſcripſimus, ut robur fibris carneis, muſculis, & nervis concilietur. Specificè hic commendamus *oleum aniſi* in linguæ apicem inſtillatum itèm *balſamum, vel oleum caryophyllorum.* Si à nimio phlegmate, vel humiditate ſpirituum tranſitum impediente oriatur, hujus phlegmatis eductione tollitur, undè os ſæpiſſimè *ſpiritu ardenti ex ſucco ceraſorum nigrorum extracto* lavetur, hic enim ſpiritus ardens ſummoperè linguæ muſculos phlegma infarciens, adeò reſoluit, & linguam roborat, ut ſpiritibus pateat aditus.

Si ſubſtrata linguæ membrana, ſive frenum impediat, præcipuè in recens natis, ut ſugere non poſſint & in adultioribus, ut loquela impediatur, aut depravetur, vel diglutitio prohibeatur, quia lingua curta, & adſtricta, undè non liberè volui, atque moveri poteſt, tunc affectus iſte Chirurgiam expoſcit. Noſtrates imperitæ obſtetriculæ unguem pollicis dextri longum, & in cultri apicem conformatum gerunt, quo ſtatim ac infantes orti ſunt, indifferenter eis frenum præſcindunt, quam operationem improbant vulgares chirurgi putantes ungues veneno eſſe infectos, & venenatam inducere exciſionem: cæterùm multùm diſtat venenatum eſſe, & noxium, non equidem negamus ungues aliundè infici, & quibuſdam ſordibus coinquinari, & tunc per accidens & non per ſe noxios eſſe concedimus, ſed innoxios, ut reliquas partes exiſtimamus. Hæc operatio nullatenus unguibus fieri debet, hi namque facilè vicinas, & innocuas dilaniant partes, ac planè diſrumpunt, undè dolor inflammatio, aliaque graviſſima oboriuntur mala, imò infantuli lactis ſuctione tàm neceſſariâ, propter accidentia, quæ ſubſequuntur, & vitâ privantur, cùm ex melle vix unus infans naſcatur tali ligamento, & poſtmodùm balbutiat, ac tali indigeat chirurgiâ. Solent quoque obſtetriculæ hanc ſectionem nummi acie inſtituere, quam profectò repudiamus, cùm eadem importet accidentia, & perſæpè ſine neceſſitate agunt, & in operando errant. Quòd ſi quandoque frenulum ſit malè conſtitutum, ſectionem, aut divulſionem inſtituimus (aliàs nunquàm) non unguibus, non nummi acie, non vulgari tonſorum phlebotomo, forficis apice, elevatâ linguâ, ligamentum nerveum tantùm incidimus, vitando ſemper, ne carnem attingamus. Si primâ vice totaliter non abſcindatur eadem operatio reiteretur, inciſo ligamento, blandè inciſionis pars ſæpiſſimè madefiat melle roſaceo vel ſimplici, & ſic agglutinatio impeditur, & conſolidatio ſuccedit.

Advertendum tamen volumus, ut in operatione cautè procedatur, ac chirurgo in anatome perito committatur, ne per imprudentiam, venæ, aut arteriæ vicinæ, ductus ſalivales ſub linguâ,

guâ, parteſque adſitæ, aut nervuli lædantur; ſic enim ſanguinis fluxus, vel ptyaliſmus aſſiduus ſuccedit, & ſi vicini, linguæque ſubſtrati nervi incidantur, repentina linguæ convulſio ſupervenit, ut *Riolanus* obſervavit. Hinc fraternâ charitate obſtetrices expertes, & chirurgos imperitos admonemus, ne temerè ad hanc operationem ſe accingant.

Cap. XLIII.

De Aſperæ arteriæ, & Oeſophagi ulceribus.

TRutinatis ulceribus, quæ oris ſpecum infeſtant, nunc reliqua aſperam arteriam & œſophagum invadentia noſtro ordine examinare ſtudemus. Eſt aſperæ arteriæ uſus in inſpiratione, ut per eam, tanquàm fiſtulam, aër à pulmonibus recipiatur; œſophagi verò eſt, ut per eum, tanquàm per infundibulum, cibus & potus in ventriculum deferatur, & quidem faciliùs liquida, quàm ſolida deglutiuntur, quæ actio peragitur œſophagi fibris, & præcipuè muſculis. *Galenus* hanc naturalibus actionibus ineptè refundit, verùm cum deglutitio ex arbitrio pendeat, (deglutimus enim quandò volumus & lubet) & peragitur inſtrumentis motui voluntario inſervientibus, nempè muſculis, meritò actionibus animalibus refundenda videtur.

Harum partium tanti eſt actio, & præcipuè aſperæ arteriæ, ſine qua nec tantillùm vitam degere poſſumus, nec tamen ſuos non patitur manes: meritò igitur noſtro examini eam committimus, ut ab his vindicetur injurijs.

Signa.

Aperæ arteriæ ulcera, ſi oculorum aſpectui non pateſcant, ex cauſis prægreſſis, vel præſentibus, catarrhis ſcilicet ſalſis, medicamentis acribus, vel lue Venereâ, ut ex ijs, quæ ulcera conſequuntur, dolore ſcilicet tuſſi, ſanguinis ſputo, & quidèm in principio, puro, hinc purulento, aut materiæ purulentæ, ſordidæ, & fœtentis cum tuſſi rejectione colligi poſſunt, & tandèm ne aſpera arteria pro pulmone accipiatur, dolor locum oſtendet affectum.

Oeſophagi ſigna non difficulter ex ſanie circa hunc locum emanâte, & ſimul ex læſâ deglutionis functione cognoſcuntur, & præcipuè dùm acria, auſtera, ſalſa, & acida deglutiuntur.

Cauſæ.

Pro aſperæ arteriæ ulcere Galenici ſolitas fluxionum nænias, humores ſcilicet acres, erodentes, & potiſſimùm pituitam ſalſam à cerebro in aſperam arteriam depluentes aſſignant, vel materiam acrem, & purulentam ex inflammationibus, vel exulcerationibus partium thoracis in hanc partem tranſmiſſam; vel purulenta, aut medicamenta acria, & exulcerantia in hanc cavitatem delata.

Fit ſecundum Galeni procuratores œſophagi ulcus vel poſt vulnus, & res acutas illapſas eique infixas, vel poſt tumorem: vel ab humoribus acribus vomitu, rejectis, vel è cerebro in œſophagum depluentibus, vel à vaporibus acribus in febribus ardentibus; vel à rebus externis erodentibus aſſumptis, ut aqua forti, mercurio ſublimato arſenico,

nico, & similibus, quæ æsophagum exulcerant.

Asperæ arteriæ ulcera à succis corrosivis hanc partem tùm foris, tùm intus diuturnè stagnantibus, ejusdem fibrillas, aut tubulos exulcerantibus oriuntur, qui vel ex lymphâ in glandulis ab acido corruptâ, vel ex materiâ purulentâ corrosivâ ab exulceratis pulmonibus in hanc partem transuetâ progrediuntur, ut in phthisi obuenire solet.

Oesophagi ulcera producunt particulæ salinæ, & acidæ fibras longitudinales, & circulares rumpentes, Lacerantes, & corrodētes, & eadē labe succū nutritium inficientes, ut non nutriat, sed magis exedat, & penitùs exulceret. Quandòque à corrosivis intrò assumptis, vel vomitu rejectis hæc ulcera originem habere possunt. Verùm à causis externis, ut aqua stygiâ, mercurio meteorizato, arsenico, realgare &c. Vel ex re exasperante assumptâ, & interdùm à catarrhis, & humoribus acidis, & salinis particulis imbutis vomitu rejectis excoriatio fit attamen excoriatio, & ulcus nonnihil inter se differunt, est enim excoriatio summæ saltim partis erosio, ulcus verò ad interiora penetrat: utrorumque sæpè eadem est causa, quæ nunc minus, nunc magis lædit, & indè nunc excoriationē, nunc etiam ulcus inducit.

Prognosis.

Ulcera asperæ arteriæ periculo non vacant, præsertim. Si internam occupent membranam, ad quæ ob partium situm, & naturam, omnis generis medicamenta, satis aptè applicari nequeunt; quæ enim in formâ liquidâ intûs assumuntur, vel ad pulmones transeunt, & molestissimam excitant tussim, undè malum exasperatur; vel in stomachum descendunt, & suo frustantur fine. insuper hæc pars irrequieta manet, cùm ob aërem hauriendum, & emittendum continuò moveatur, non facilis succedit consolidatio. Sanabilia sunt, si ulcus in principio sit, & saltem externam asperæ arteriæ occupet superficiem; si verò ulcus penetraverit, & ipsas asperæ arteriæ eroserit cartilagines, tunc tale ulcus, vel planè insanabile est, vel omninò difficulter curatur.

Ulcera œsophagi periculosa sunt, constat nàmque ex fibris tenuissimis longitudinalibus, & circularibus, quibus læsis, necessariò deglutitio cessat ob partis angustiam, & hac cessante, homo alimentis destitutus moriatur oportet. In super œsophagi, ut partis membranosæ, ulcera difficulter coalescunt, & medicamenta convenientia non satis diù in ulcere morantur, sed in ventriculum descendunt.

Curati.

Asperæ arterię ulcera curant vulgares, si ab humoribus salsis, & acribus oriantur, detergentibus, & potissimùm *lac* celebrant, cujus solius usu nutritur æger, humorum pravorum generatio inhibetur, genitorum acrimonia temperatur, sordes deterguntur, & carnis amissæ generatio promovetur: Verùm lac debito modo præparari, & eas habere debet conditiones, quas *Gal.* 4. *meth. med. cap.* 12. recenset. Si verò sordida sint, & majori indigeant detersione, tunc fortibus utuntur detergentibus, postmodùm siccantibus, & tandèm sarcoticis. Detergunt *mulsâ cum decocto hordei, & melle rosato*, vel sequens usurpant decoctam compositum, ut,

℞. *Hord. m. ij,*
liquiritiæ rasæ ℥. ß.
fol. apij, &
hederæ terrestr. ana m. j.
flor. ros. rubr. p. ij
jujubar.
passular. &
caricar. ana ℥. ß.
Bulliant in aquæ comm. lib. iij ad consumptum tertiæ partis. In colaturâ dissolve.
mell. ros. ℥. j. ß.
elect. diapenid. ℥. ß.

Assumatur aliquoties in die quędam portio in ore detinenda, & insensim deglutiatur, ut in asperam arteriam descendat, vel gargarizatio instituatur, ut per epiglottidem in tracheam labatur. Verùm probabile non est aliquid in asperam arteriam penetrare, quod tussi perpetuâ antequàm penetret, non ejiciatur, ut præsertim observamus, dùm bibimus, si casu aliquo quid humoris defluit: falsum est igitur quod asseruit Hip. totum id, quod bibitur, sive maximam illius partem in asperam arteriam, & deindè in pulmones penetrare. Neque exemplum in sectione vivâ observatum quicquàm probat, nàm dùm excarneficatum moritur animal, doloris vi multa aguntur præter omnem illius animalis naturam. Post hæc exsiccant, & glutinant *bolus armenus, myrrha, thus, radix aristolochiæ rotundæ pulverisata, & cum melle in formam eclegmatis redacta,* quod sensim deglutiendam præcipiunt, ut portio quædam ad partem exulceratam perveniat.

Ad ulceris œsophagi curationem purgationem præmittunt vulgares, ne pravi generentur humores, & geniti ad partem affectam deferantur, & ulcus inflamment, aut acrimoniâ suâ exedant, & sævum efficiant. Si inflammatio ulceri conjuncta sit, quæ curationi obstet, tùm sanguinem mittunt, deindè *hordei cremorem* propinant qui refrigerat, detergit, & dolorem lenit, vel *decoctum sebesten, aut mucilaginem seminum cydoniorum, aut emulsionem papaveris albi cum aquâ rosarum factam cum pauco sacchari ad dulcedinem, vel syr. de papavere, vel lac caprinum chalybeatum.* Si ulcus sit sordidum, illud detergunt *aquâ mulsâ, vel decocto hordei cum melle rosato, vel decocto herbarum prasij, calaminthæ, thymi, & caudæ equinæ cum melle rosato permisto.* Vlcere detersо, ad exsiccantia, adstringentia & sarcotica accedunt, ut sunt collutiones *ex decocto prasij & caudæ equinæ,* quibus addunt *pulverem ex trochiscis de carabe, terrâ sigillatâ,* & ut meliùs adhæreant, addunt *syr. de rosis siccis, vel myrtinum, conservam ros. rubr. vel gummi Arabicum, tragacanth. bolum armenum &c.* Hæc medicamenta deglutienda exhibeantur.

Pro ulceris asperæ arteriæ curatione secundum nostram sententiam danda est opera, ut parti tàm necessariæ, quàm periculosè laboranti, quantùm possibile est, & nullâ interpositâ morulâ, succurratur; propinentur proindè internè varia diaphoretica, quæ particulas salinas, & acidas corrosivas absorbent, temperant, & per sua emunctoria eliminant, ut sunt *c. c. sine igne paratum, stibium diaphoreticum, oculi cancrorum, terra sigillata, bolus armenus,* quæ sumantur *in aquâ bardanæ.* Ad ulcus mundandum optimus erit *syr. de hederâ terrestri cum balsamo sulphuris anisato, vel balsamus proprietæ*

tis cum syr: de prassio. Optimæ sunt *potiones vulnerariæ* ad partis consolidationem, *de alchimillâ, scabiosâ, stellaria, floribus hyperici, scordij cum syr. de symphyto, additis aliquot guttis balsami Peruviani.*

In ulceris œsophagi curatione conveniens vivendi ratio adhibenda est, undè exulceratus gulam magnas fugiat offas, & à solidorum ciborum deglutione caveat, & cibi sint liquidi, subdulces, & deglutitu faciles, nocent acida, aliaque coagulantia, & humores magis inspissantia, ut & nimis salina & acria. Medicamenta sint diaphoretica, quibus particulæ acutæ, salinæ, & acidæ obtundantur, immutentur, & destruantur. Maximoperè conducunt balsamica, & vulneraria, ut in asperæ arteriæ ulceris curatione diximus. Præter hæc spirituosa conveniunt, ut *spiritus vini cum pauco spiritûs terebinthinæ, vel balsamus proprietatis cum syr. de symphyto, vel syr. de scordio cum balsamo Peruviano, debitè depurato, ad paucas guttulas.*

Si à lue Venereâ ortum ducat gulæ ulcus, mercurialia maximè conducunt, ut diximus, si ab arsenico, mercurio sublimato &c. ut de Venenis corrosivis alibi diximus, procedatur.

Cap. XLIV.

De Labiorum Rhagadibus, & Vlceribus.

Data sunt homini labia ad claudendum os, ut per nares solummodò, nisi aliter necessitas exigat, fiat respiratio, ac ne si illud perpetuò, ubi semel propter cibum, vel potum assumendum, vel respirationem, aperite necesse est, hians, ac dilatatum maneret, omnis generis corpuscula, muscas, paleas, pulverem admittat, atque etiam dentes, gingivæ, partesque interiores frigore externisque injurijs lædantur. Insuper ad vocem, & loquelam formandam sunt necessaria, præsertim ad efferendas literas labiales dictas, quia ad earum formationem labia maximè sunt necessaria. Præterea ad edendi, & bibendi commoditatem, & assumtionem inserviunt, neque sine his potus commodè assumi potest. Item utilia sunt ad cibum in ore continendum, ijs qui molaribus dentibus destituti, incisorijs tantùm masticare coguntur. Conferunt etiam labia ad salivam ex ore ejiciendam, ut & in ore retinendam, ne illa continuò ex ore profluieret, & insignem pareret turpitudinem. Utilia sunt quoque ad sonos variandos tibicinibus, item infantibus ad sugendum. Tandèm per se ad ornatum multùm conferunt; monstruosus enim prorsùs esset homo, si detruncatis labijs irati canis rictum ostenderet. Si verò labia lenia, rubicunda, magnitudine moderata, os debito modo claudentia obtineat homo, non tantùm insignis inde gratia, sed ornamentum ipsi conciliatur. Præterea labia rubicunda præclarum ingenij acumen, morum candorem, & optimam vitæ constitutionem denotant; contrà labiorum pallor, omnium virtutum defectum. Labia decenter exilia, hominem sapientem, sed iracundum augurantur. Labia nimis crassa, & extrà inversa animi simplicitatem, ad credendum facilitatem & crassam Minervam præsagiunt. Verùm si labrum superius sit magnum, crassum & duplo sæpè majus, vel elevatum, ut gingivæ

givæ appareant, invidum, blateronem, & garrulum designat, & præter hæc non tantùm deformitas oritur, verùm etiam vox & sermo aliquantulùm vitiatur, aëriisque efflatio quadantenus impeditur. Quidam hæreditario jure labium inferius habent nimis crassum, & quasi ad mentum usque pendulum, hi helviones, ganeones, & crassæ Minervæ homines sunt. Cœterùm hęc vana physionomorum auguria sæpiùs ad veritatis scopum minùs collimant, undè fit, ut virtute præditi existant, qui omnibus vitijs dediti creduntur ex aspectu, & vitiosi, qui omnibus virtutibus præditi censentur.

Varia sunt labiorum vitia, sed nos in præsentiarum non tractamus de labiorum auctâ magnitudine, cùm sint vitia naturalia, de quibus naturam, tanquàm novercam, accusare debemus, nec arte, vel vi naturæ corrigi possunt. Si præter naturam intumescant, ut fit ab apum, vesparum, & muscarum venenatarum ictibus, tùm pars icta fovenda est *decocto malvarum, vel althææ, vel lacte, vel decocto hyoscyami, vel sonchi succo, vel etiam theriacâ* illinienda pro veneni conditione. Si post venena hausta intumescant, tùm curatio ad venenum dirigenda est. Si alia sint labiorum vitia, ex propriis capitibus generalibus desumenda est curatio, nos tantùm hîc de duobus, nempè de Rhagadibus, & ulceribus tractare intendimus.

Labia non tantùm musculis, nervis, venis, & arterijs constant, sed etiam ex carne indigestâ, & fungosâ, quorum cutis adeò musculis miscetur, ut cutis musculosa videatur, cæterùm secundùm nostram sententiam labia ex innumeris constant glandulis. Labiorum cutis tantâ tenuitate, tantâ subtilitate, & teneritate prædita est, & adeò musculis connexa est, ut non nisi laceratis labijs, cutem secernere possimus. Ac proindè cùm labiorum cutis sit tàm tenera, subtilis, & mollis, non ægrè à causis externis, ventis, frigore, & ab internis succis, ac vaporibus vitiatur, finditur, & scinditur, ut quandoque etiam sanguinem fundat. Finditur labium tàm inferius, quàm superius in medio, ubi duæ musculorum extremitates desinunt. Græci hoc vitium Rhagades, Latini labiorum scissuras, & fissuras appellant. Est malum commune, & non tantùm labijs, sed etiam cuti, mammarum papillis, ano, utero, manuum volis, & plantis pedum competit.

Signa.

Labiorum rhagades sub oculos cadunt, & lippis, atque tonsoribus notæ sunt namque ulcuscula sicca, callosa, rimosa & oblonga, in labiorum medio, ac si homo ridet, præter doloris sensum aliquid sanguinis ex eis prorumpit. Causæ externæ ægri relatione patescunt, quæ si abfuerint, causarum internarum id in judicium est. Quandoque cum, & quandòque sine pruritu, ardore, & duritie sunt. Interdùm superficiales, interdùm profundæ videntur.

Ulcera labiorum oculis patent, tantùm causæ signis vestigandæ sunt. Si per crisin contingunt, febris adest tertiana, acuta, vel maligna, & febris habetur solutio, si symptomatica, febris intenditur, pejorat, & lethalis evadit. Si à luc venereâ, suis cognoscitur signis, ut de lue diximus. Si febris & luis

venereæ signa adsunt, è latente in corpore cacochymiâ provenire certum est, suntque crustosa, & sæpè manantia.

Causæ.

Causam proximam prolabiorum rhagadibus existimant Galenici esse continuat solutionem in membranâ labia vestiente, remotiorem verò nimiam siccitatem membranam illam debito fortiùs distendentem, & tandem rumpentem. Siccitatem inducentes causæ externæ sunt frigus, & calor, ut aëris constitutio sicca, & frigida, qualis in Martio, & flante Boreâ contingit, item diuturna in solis radijs commoratio, & vehementi aëris algore. Internæ sunt vapores calidi, & sicci (hos vapores siccos nunquàm observare potuimus:) per œsophagum, vel asperam arteriam, ex partibus infernis ascendentes, vel humores à capite ad labia destillantes. Vapores isti calidi, & sicci nunc ex stomacho, nunc intestinis, nunc pulmonibus, nunc hepate, & venis, nunc ex corde ascendunt, imò ex utero, unde vulgares fœminis salaciosis rhagades esse familiares ob uteri siccitatem deducunt. Cæterùm hi vapores calidi & sicci à partibus hisce infernis ascendentes per nares & os diffluentur, antequàm labiorum tunicis se insinuarent.

Labiorum ulcera secundum vulgares ortum habent ab humoribus acribus, eisque vel pituitosis, vel biliosis, vel serosis, vel atrabilarijs à partibus superis, vel infernis & præsertim ab hepate, omnium ulcerum scaturigine, ad superas hasce transmissis.

Rhagades labiorum oriuntur ab acidis, salsisque particulis rigentibus, à sanguine, vel lymphâ, vel succo alimentitio secretis, & in labia transmissis, quæ eorum tunicam ità rigidam reddunt, ut non satis commodè flecti, & distendi possit, & ad levem quamvis tensionem fac è secundum rugarum rectitudinem dehiscat. Sic experimur, flante Boreâ, rigidiores, & terrestres particulas in aëre volitantes omne humidum consumi, & scissuras fieri, vel tempore hyberno ab aëris acido easdem oboriri, uti tempore æstivo à calore, & siccitate has particulas commovente, vel à calore interno ustulante omne humidum consumi: ità in febribus à particulis acribus per motum ad labia delatis, humidum absumi, & tunicam humiditate destitutam, & ob siccitatem rigidam, ad leviorem omnem tensionem secundum rugarum rectitudinem distendi, & distrumpi.

Ulcera labiorum constituunt particulæ salinæ, acres, acidæ, & aliæ heterogeneæ glandulas obstruentes, & cùm hisce particulis nulla via patula detur, nisi subtilissimis, & violentissimis, quæ remoram contrahunt, in labiorum superficie sedem figunt stagnatione, exaltantur, & cutem cum carne exedunt, & devastant.

Prognosis.

Labiorum rhagades non sunt parvipendendæ, nam turpitudinem inducunt, distensionem, dolorem, & sanguinem excitant; at si in longum tempus protrahantur, in ulcera crustosa, callosa, & ægrè sanabilia abeunt. Ab ortu contractæ difficulter curantur, reliquæ non ità ægrè sanantur, nisi ad

Cu-

canceroſam naturam accedant.

Ulcera, vel veſiculæ labiorum, quæ febribus accidunt, bonam ſpem prænunciant, naturæ enim coctionem prævalere oſtendunt, & febris vel perfectam ſolutionem, vel imminutionem ſignificant, & per ſe facilè ſanantur, ſi cum coctionis ſignis appareant; ſi verò cum viribus debilibus, & alijs pravis ſignis os & labia exulcerentur, lethale. Quæ à Lue Venereâ proveniunt, difficillimè curantur, attamen à quacumque dependeant cauſâ, ſi negligantur, & diù durent, in ulcera excedentia, & canceroſa degenerant.

Curatio.

Vulgares Galenici nimiam ſuccitatem, qua cutis nimis tenſa redditur humectantibus corrigunt, & ſolutam refarciunt unitatem. Cauſas, à quibus rhagades dependent, ſiquæ ſunt, tollunt. Si vitioſi humores adſunt, illos evacuant. Si vapores in cauſâ ſint, hos auferunt, & hepati, utero, vel etiam toti corpori, undè illi proveniunt, ſuccurrunt. Si à frigore externo rhagades ortum ducant pinguibus, & humectantibus labia illiniunt, ut *oleo amygdalarum dulcium, nucum, oleæ, roſarum. vel adipe capi, gallinæ, ſevo hircino, vel hædino, mucilagine ſeminum cydoniorum, pſyllij tragacanthæ, gummi ceraſorum &c. aquâ roſarum extractâ.* Item *Vnguento pomato vulgari, butyro recenti inſulſo.* A cauſa calidâ & ſiccâ rhagadibus lintea tenera *ſucco ſedi majoris, & ſolani* madida imponunt. In profundioribus *unguentum de ceruſſâ, vel lithargyrio adhibent.*

In labiorum ulceribus vulgares corpus à pravis ſuccis liberant, deindè humorum acrimoniam corrigunt, & mitigant, tandem *decocto ariſtolochiæ, agrimoniæ, & abſynthij cum quadam aluminis portione, in quo mel roſatum diſſolvunt.* ulcera abluunt, hinc linimento *ex lithargyrio* inungunt, & ad plenariam conſolidationem *unguento Apoſtolorum, vel emplaſtro griſeo* perducunt.

Rhagadum curationem nos ità inſtituimus: Si à lue venereâ ortum ducant, ſequenti medicamento ſanescunt, ut.

℞. *Mucilag. ſem. cydonior.* ℥. ß.
ſacch. Saturni gr. lv.
camphoræ gr. iij.
merc. dulcis ∋ j.
m f. linimentum.

Vel tangantur *ſpiritu Mercurij dulcis.* Si rebelles & obſtinatæ perſeverent, tunc æger Aquam Anti-venereâ noſtræ deſcript. ſumat, & abſque topicis medicamentis ſponte ſanantur, ut fuſiùs *De lue Venereâ lib. 3. cap.* 16. diximus.

Ad labiorum rhagades à particulis acido ſalſis, vel frigore calore, & ſiccitate contractas curandas conveniunt mucilaginoſa, blanda, & demulcentia ramoſa, particulas acido ſalſas inviſcantia, hebetantia, & corrigentia. Si malum fuerit diuturnum, corpus *extracto jalappæ cum mercurio dulci* purgetur. Topicè applicamus varia medicamenta, quæ particularum rigiditatem demulceat, & ſiccitatem leniunt. hujuſmodi ſunt *mucilagines ſeminum cydoniorum, pſyllij, vel ſevum hircinum, axungia anſeris, taxi. Johannes Hartmannus* in labiorum fiſſuris curandis commendat pinguedinem, quæ ex cochlearibus ligneis ad coquendum in culinâ uſitatis, ſi aliquantulum igni admoventur, & torrentur, extillat.

Multùm conducit *vini spiritus*, *in quo folia malvarum, & florum sambuci macerata fuerint, vel decoctum florum camomillæ in lacte.* Optimum erit *oleum ceræ, vel ex ovorum vitellis.* Usitatissimum est *unguentum Pomatum*, quòd sic paratur:

℞. *Styracis calamitæ,*
benzoi electi. ana ʒ. x.
cinnam. electi,
caryophyllor. ana ʒ. vj.
radic. ireos florent. ℥. *j.*
nuc. moscb. ʒ. iij.
macis ʒ. *j.*
flor. lavendulæ,
spicæ ana p. ij.
pomor. aurantior. recent.
citri recent. ana num. ij.
odoriferorum num. XXIV.
aquæ ros. opt. ℥. XVI.
vini alb. opt. ℥. IV.
ung. ros. alb. lib. iij.
sevi castrati lib. j.
ceræ alb. ℥. IV.
f. lege artis Unguentum,

Quod non solùm utiliter ad labiorum rhagades, sed etiam ad cuti decorem conciliandum adhibetur. Si profundiores, & majores sint rhagades, sequens unguentum probati existimatur usûs.

℞. *Lithargyr.*
thuris,
Zinzib. alb. ana ʒ. *j.*
ceræ mollis ana q. s.
ut f. unguentum.

Labiorum ulcera, quæ in febribus accidunt, per se facilè sanantur. Quæ à lue Venereâ originem ducunt, luis sublatione sanescunt.

Si sine febre, & lue oriantur ulcera, æger salsa, acida, acria, aromatica, & sermonem multum vitet, & eorum cutatio ab aliarûm partium ulcerûm curatione nihil differt. Si malum est ex ipso ulcere, nihil purgantia prosunt. Dùm à particulis salinis, acidis & acribus stagnantibus, & glandulas obstruentibus genesim ducunt, corrigentia, & absorbentia conveniunt, quibus semper aliquid mercurij dulcis addatur, deindè, quæ tubulos obstructos reserant, præcipuè diaphoretica, lignorum decocta, & potiones vulnerariæ pluries descripta præ alijs conducunt.

Fortiùs ea adhibentur medicamina, quæ acidum absorbent, salsumque diluunt, ac proindè maximum meret emplastrum Saturni cum croco Martis impositum, item omnia medicamina Saturno maritata, aut etiam vini spiritus camphoratus, in quo sal Saturni dissolutum fuerit. In his ulceribus maximè conducit Mercurius dulcis unguentis optimæ notæ commistus. Quendam nos observavimus ulceribus in labijs diù laborantem, quem omnibus vulgaribus medicamentis incassùm adhibitis, tandèm *vitrioli Cyprij infusio* curavit. Optima erit *lapidis medicamentosi infusio*, ut & *aqua viridis.* Si sordida sint, plerique *mel rosatum, vel aluminis infusionem* extollunt. Tandèm consolidat *emplastrum oppodeltoch, vel fodicationum, vel benedictum nostrum.* Hæc medicamenta commodissimè somni tempore applicantur, ità enim rectiùs retinentur.

Cap. XLV.

De Mammillarum, & Papillarum Vlceribus.

AB ore rectà descendimus ad mulierum mammas, dulcedinis, & deli-

deliciarum portum, sed iste portus binos continet scopulos, quibus humanæ mentis navis allidituꝛ & naufragatur; conciliant quidèm mammæ elegantes mulieribus decorem & venustatem, infantibus vivificum præbent nectar, sed earum venustas viros ad amorem invitat, & invictos vincit, sicut *Gal. lib. 4. de Hip. & Plat. decretis cap. 6.* ex *Euripide de Menelao* scribit, quòd cùm stricto ense Helenam quasi eam occisurus irrueret, ubi mammas viderit, stupore adeò ob ejus pulchritudinem, correptus sit, ut ne tenere ensem amplius potuerit, sed abjecerit, imò eam osculatus sit.

Vbi papillas ejus aspexti, statim
Tibi coruscus gladius è manu excidit,
Et proditricis osculum excepsti canis.

Sed per quæ delinquunt mulieres, per hęc eadẽ plectuntur. Heu quot funestis internis, & externis casibus, quot vitæ discriminibus plectuntur, quæ tùm ipsi cœlebi, tùm conjugato, & gravido, circa sua gestationis incerta, dubiavè eventu, tempora præprimis partum ipsum obtingunt! In mammis à tumore, inflammatione, abscessu, fistulâ, œdemate, scirrho, emphysemate, cancro, magnitudine indecorâ, foveâ, ulcere, rhagade, & morbo pilari torquentur mulieres, nec in his tantùm partibus, sed etiam in utero, qui cum mammis consensum habet.

Mammæ geminæ sunt, partim ut idonei alimenti proventus geminæ proli sufficeret, partim ut unâ morbo, aliovè casu impediâ suctionis functionem sufficienter altera subministraret.

Sitæ sunt in mediâ pectoris arce supra masculum pectoralem humerum adducentem, non in abdomine, ut brutis, ad commodam lactationem: cùm infans non statim brutorum more ambulare queat, sed in genitricis ulnis detentus, mammis admoveatur. Collocatæ sunt ad supremam pectoris regionem, ut puer cordatus, & prudens evadat, & intellectum è matris corde sugat, ut *Rabbi Abba* Appella ineptè inquit; tùm ne puer matris, aut nutricis pudenda videre cogatur; tùm ne brutorum more in loco sordido sugeret.

Magnitudo variat, in viris exigua est, quia glandulis ferè carent, pinguedo tamen subjecta in obesis mammas attollit. In nuper natis puellulis vestigium adest pectori impressum & apertum, deindè paulatim extuberat & in virginibus parvulis vix præter papillas aliquid apparet, donec sensim in malorum magnitudinem & figuram crescant: & quandò ad duos protuberant digitos, menstrua fluere incipiunt tunc sororiari puellarum mammæ dicuntur, quia primùm intumescunt, quòd non singulæ, sed sicut geminæ sororesimul nascuntur. In vetulis flaccescunt, atque etiam præter papillas nihil ferè apparet pinguedine & glandulis absumtis. Intermediâ ætate aliis magis, aliis minùs tumentes sunt, prout mulieres non gravidæ, vel gravidæ, & lactantes; his n. tumentioribus opus est, quàm illis. In variis Indiæ regionibus, ut in Regno Senegæ, & in insulâ Arnabonis mammæ ad imum usque ventrem protendantur, & elevatæ in terga reflectuntur. In Meroë, quæ Ægypti insula est, fœminæ mammas infantibus pares habent, ut refert *Pomponius Mela*, undè *Iuvenalis satyrâ 13. canit.*

Quis

Quis tumidum guttur miratur in Albibus? aut quis
In Meroë crasso majorem infante mammellam?

Cœterûm præstat mediocritas, quia magnæ mammæ inflammationibus, cancro & alijs languoribus sunt obnoxiæ.

Figura subrotunda est, Semiglobum quasi referunt. In nonnullis propter nimiam molem pendent, & substantia mollis, maximèque albicans.

Componuntur mammæ ex multis glanduloſis corporibus, magnitudine diversis, varijsque tubulis, ac ductibus inter se coëuntibus, multâque affusâ pinguedine junctis, & compactis, quæ simul membranâ carnosâ succinguntur, ac subjectis musculis annectuntur. Glandularum una magna in medio sita est, quam reliquæ minores circumstant: etiam vasorum lacteorum plexus infinitis glandulis interjiciuntur quibus mediantibus non solùm lacteus succus ad omnes defertur, verùm etiam minores suum lac in magnam glandulam effundunt. Præterea in ipsis glandulis pori sunt ampli, & copiosi, in quibus tanquàm in cellulis, lac usque ad suctionis tempus asservatur, nisi fortè ob nimiam copiam, aut tenuitatem ex ijs sponte citiùs effluat.

Magnæ glandulæ superstat Papilla, quæ corpusculum est teres, ac fungosum, tenui cute amictum, multisque foraminulis pervium. In hanc glandulam lactei ductus terminantur, per ejusque foraminula lac, tanquàm per tubulum in os infantis suctione, vel pressione infunditur. Est exquisiti sensûs, atque in eâ ex levi, gratâ contrectatione voluptas percipitur. Insuper ex contactu, & suctione flaccescere, erigique potest instar glandis penis, undè matres, nutricesque libentiùs cum voluptatis quodam sensu infantibus mammam præbent. Circulum habet circumjectum, quem Areolam nuncupant, in virginibus pallidam, in prægnantibus & lactantibus fuscam, in vetulis nigram.

Venas duplices habent mammæ, unam axillarem per exteriora mammarum distributam, & ab axillari ramo derivatam, alteram mammariam vocitatam à ramo subclavio venæ cavæ declinantem, ac per interiora dispersam. Has totidem comitantur arteriæ consimili ratione à ramo subclavio arteriæ magnæ, nec non axillari deductæ ad vehendum sanguinem vitali calore turgidum. Nervos habent à quarto ramo medullæ spinalis, qui ad papillam copiosiores delati, acutiorem ei sensum tribuunt. Habent etiam ductus lymphaticos.

Agimus tantùm in hoc capite de mammarum ulceribus, & morbo pilari, ac papillarum fissuris, reliqui verò affectus, qui ipsis accidunt, ex proprijs capitibus sunt desumendi.

Signa.

Ulcera mammarum, cùm visui pateant, non opus est ea signis describere, ubi verò plures in mammis fissuræ unam foveam faciunt, tunc mammarum fovea dicitur, & est major, latior & profundior, cui dolor sæpè copulatur.

Causæ.

Mammarum foveam, disruptis pluribus fissuris à serosis acribus humoribus

bus inductis, & in unam majorem unitis exoriri dicunt vulgares; ulcera verò ab humoribus actibus, & erodentibus, ut in alijs partibus, fieri fatentur.

Eadem est mammarum foveæ, & ulceris causa, nempè particulæ acidosalinæ, vel in ipso lacte, vel in succo partis alimentitio, vel in sanguine, vel in lymphâ, raram, sensibilem, glandulosam, & spongiosam mammarum substantiam depascentes, & corrodentes, à quibus partium profundarum, & cutanearum textura, & continuitas postmodùm dissoluitur. Vel à tumoribus disruptis, à contusione, vel vulcere male curato.

Prognosis.

Foveæ & mammarum ulcera difficillimæ sunt curationis, substantiam nàmque habent flaccidam, & si irritantur, non ægrè in ulcera cancerosa degenerant.

Curatio.

In foveâ, & ulcere vulgares, ritè curandis universales instituunt evacuationes, undè vitiosorum humorum evacuationem apprimè necessariam censent cum sanguinis detractione, & mensium proritatione præcipuè si menstrui sanguinis suppressio hos affectus ab utero ad mammas per consensum foveat. His præmissis, eâ methodo, qua in aliarum partium ulceribus, procedunt; eapropter humores leniunt acres, *ulcus* mundificant, abstergunt, & tandèm consolidant medicamentis illis tonsoribus notis, quæ centies repu-

diavimus. His omnibus intentionibus emplastro triapharmaco satisfacere imaginantur.

In mammarum foveâ, & ulcere, si fœmina sit puerpera, vel lactans, antequàm lac absumatur, vel sanguinis motus ad mammas sistatur, non facilè & satis feliciter curari possunt. Deindè si affectæ sint pendulę, ne humorum fiat affluxus, fasciâ apta de collo suspendendæ sunt, postmodùm brachium ejus lateris, ne humorum concitetur affluxus, non movendum.

In horum affectuum curatione venæ sectiones & purgationes repetitas reijcimus, ejus nàmque cardo in eo cõsistit, ut particularũ acido-salinatũ fiat correctio, quæ nec purgantibus, nec venæ sectione obtineri potest: alia ità que vestganda sunt remedia, hujusmodi erunt salia volatilia, quæ illas corrigunt, sudorifica diù in usum vocata, quæ vel insensibiliter, vel sensibiliter transporant, vel potiones vulnerariæ, nec non diuretica blandiora in usum vocitentur. Intereâ exulceratæ parti maximoperè proderit, si sordida fuerint, *unguentum Ægyptiacum magistrale in spiritu vini solutum, vel unguentum nostrum magistrale deindè unguentum album ex succis refrigerantibus, vel emplastrum Diasaturni cum croco Martis* pro ulceris exsiccatione, verùm vitentur emplastra solida, quia partem inflammant, & transpirationem impediunt. Pro pauperculis unguenta communia, ut *de tutiâ, hydrargyrio, plumbo &c.* in usum vocati possunt. Nostrates pauperculæ mulieres cum fructu solis *foliis tussilaginis* utuntur. Si dolorificum sit ulcus, circumcircà *oleo ex ovorum vitellis, vel papaveris per*

expressionem illiniatur, vel ipsum *lapidis medicamentosi infusione* cum petijs lineis curetur. De papillarum ulceribus idem sit judicium, eademque curatio.

CAP. XLVI.

De Morbo Pilari.

QUidam medici inter mammarum affectus referunt malum pilare, quod græci *Trichiam* appellant, sic dictum à pilo, qui in mulierum mammis post partum invenitur, & cum lacte excernitur, neque veteres medici de hoc ambigunt, & sæpè hoc malum, sed non verum pilum in lactantibus observavimus, cujus quoque *Aristoteles lib. 7. de hist. animal. cap. 11* mentionem facit, statuit nàmque si pilus poculo haustus sit dolorem moveri in mammis, qui non sedatur, donec pilus vel expressus exeat sponte, vel eum lacte exsugatur.

Hanc ineptam Aristotelis sententiam *Hieronymus Cardanus, & Thomas à veigâ* sequuntur, & ineptè credunt pilum lactationis tempore ad mammas pervenire posse vel epotum, vel cum cibo sumtum, quia attractrix virtus in mulieribus tunc valida urget, vel ob sanguinis ad mammas confluxum, & partis laxitatem, vel cum chylo celerioti fluxu agitatum ad mammarum tubulos, & ipsum tandem lactis receptaculum delatum, ex quo cum lacte per papillarum cuniculum quendam ejectum, qui ex eodem prominet aliquâ parte, ut digitis, vel volsellâ se facilè præbet extrahendum.

Nec nos majora, & devia movent exempla; refert enim *Lancius lib. 2. epist. 40.* de juvenculâ quadam in Principis cujusdam Germani gynæceo, quæ cùm sese ad speculum adornaret, detentis ore aliquot acubus, quibus peplũ affigeret, ab amasio à tergo clãculũ accedente intra scapulas percussâ, acus deglutivit, quas post biennium, illæsis ureteribus, eminxit. Item *Alexander Benedictus* narrat de puellâ venetâ, quæ acum deglutiverat, eamque post biennium eminxit, calculo incrustatam. *Antonius Benevenius* refert, quod mulier Hetrusca, acum cupream deglutiverat, quam triennio indè, juxta umbilicum sana excreverat. Narrat *Helmontius de injectis materialibus §. 7. viluordia anno 1636. Rusticus mihi notus volens saginare vaccam, illi quotidiè poculum dedit, cui incoxerat olera cum furfuribus. Tandèm emaciatur in dies magis, cœpitque dextero crure claudicare: Cæsâ vaccâ, inventus est brevis culter uxoris suæ, in capulum buxeum retortus, inter costas, & homoplàtam abditus: rustica enim concidendo rapa, cultrum inter olera reliquerat, eumque vacca bibendo deglutiverat.* Hæc, & alia exempla an vera sint, fides sit penes suos authores. Unum tantùm scimus nos deglutitos nummos, lapides, metallorum fragmenta, clavos, & id genus alia per anum excreta fuisse.

Has aniles fabellas credat judæus appella, quod nos non ità facile Aristoteli, ejusque procuratoribus per epistolam assentimur, sed cum cordatis viris, *Vesalio, Mercuriali, Servetο*, & recentioribus aliter sentimus; non enim per totangi portus tenuesque anfractus ab ore ad mammas pilum duci

posse

posse arbitramur, etiam si mammę illum fortè, cùm in ipsarum venis consisteret, amplexuræ essent, Certum est pilos in tot coctionibus immutatos permanere, cùm compactioris sint substantiæ, verùm hoc potiùs nos monet, ut pili facilè ciborum reliquijs adhæreant, cur non cum fæcibus per intestina, tanquàm per liberius potiùs ostium, quàm per tot exilissimos meatus, totque anfractus ad mammas usque deriventur; Dicimus itaque hos pilos in mammis generari. Quid autem sint, sub judice lis est; *Mercurialis* namque sanguinis fibras esse putat, cæterùm sanguinis fibræ à sanguine non separantur sed totus ad mammas affluit. Alij probabiliter statuunt in mammis hos pilos generari, ut in alijs corporis partibus pili generantur, & ex ijs excernuntur, quemadmodùm in renibus, urinarijsque meatibus, & per urinam excretos fuisse testantur fide dignæ obseruationes, & hos nos multoties autopsia demonstravit, sed nec horum genesim adducunt. Puerile namque est cogitare pilum haustum ventriculum, meseraicas, jecur, secundum eorum sententiam, per transire, & ad mammarum cauernas per mille anfractus peruenire.

Signa.

Pro morbo pilari in mammâ adest tubedo, ingens dolor, rigor, febris capitis dolor, & totius corporis laxitudo, & alia symptomata, quæ pilus ibi generatus excitat, dum exitum quærit.

Causæ.

Pili causa in mammis est natura lasciviens in succo alimentitio, quem assimilare deberet, & non solùm non assimilat, sed facultatis assimilatricis errore in hoc aliquid juxta exilium partium situm transmutat, videtur pilus, sed reverà non est talis, videtur pilus, sed reverà quid pilo analogum. Hoc idem, & alia plura in abscessibus frigidis, atheromate, steatomate, & melliceride obseruantur, tunc cùm solida continent corpora, ut ungues, pilos, lapides, spinas, variorum insectorum figuras &c. Hæc etiam quandòque mammis accidunt, & interdùm p. n. generantur pili. Lapides scribit *Levinus Lemnius* in mammis genitos se obseruasse. Narrat *Bald. Rossæus miscell. epist.* 10. se nouisse mulierem, quæ cùm grauissimis uberum doloribus exagitaretur, ei dolor non priùs desierit, quàm apertis uomicis utrinque vermes prosilierint. Sunt mammæ exquisitissimi sensûs, undè facilè à rebus p. n. in ipsis genitis læduntur: hinc dolor, ex quo partis contractio oboritur, & in glandulis obstructio, ex hac, lactis stagnatio, demùm aciditas, hinc sanguis in vasis capillaribus stagnat, & tot, quot in signis enumeravimus symptomata, emergunt. Undè evenit quandòque, ut inflammationi, & lactis coagulationi mammarum trachia succedat.

Prognosis.

In mammarum trachiâ libenter extracto, vel exsucto pilo, evanescunt symptomata, quòd si in longum protrahatur tempus, pili eliminatio, in abscessum degenerare solet.

Curatio.

Hujus morbi curatio in pili eliminatione consistit, undè si sponte non exeat, lac sugendum præbeatur infanti, vel leviter exprimatur, vel si expapillâ promineat, digitis, vel forcipulâ extrahatur; quòd si reluctetur, exteriùs mamma *cancrorum fluviatilium*, *vel marinorum succo* illiniatur. Intereà chirurgos admonitos esse volumus, ut à frigidis, & repellentibus, quæ ceu venena vitanda sunt, se abstineant; estò enim humorum affluxum, & suppurationem impediant, succos tamen stagnantes magis incrassant, & resolutioni reddunt inhabiles, ac glanduloſum mammæ corpus corruptioni facilè obnoxium reddunt. Eapropter interiùs, & exteriùs varia diaphoretica adhibeantur, quæ obstructiones referent, & aciditatem emendent.

Cap. XLVII.

De Papillarum fissuris.

Mulierum gravidarum, aut puerperarum, præcipuè lactantium papillæ, non secus ac oris labia, anus, uterus, volæ manuum, & plantæ pedum, interdùm finduntur, rimulas, fissuras, seu scissuras, quas rhagades vocant græci, contrahunt; quia tenerrimâ obductæ sunt tunicâ: acerbos patiuntur dolores, maximè dum lac sugit infans, ubi aliàs eædem papillæ sanæ existentes potius ab infantis suctione titillationem, ac veneream sentiunt voluptatem, ob inter mammas, & uterum consensum. Aliæ fovçâ, hoc est, rimâ maximâ in papillâ molestantur.

Signa.

Hi affectus nullo alio indigent indicio, præter inspectionem; sunt enim ulcuscula rimosa, & quandòque maxima veluti fovea in papillæ foraminulis, valdè molesta, & dolorifica & maximè inter sugendum, & ob dolorem acerbissimum sustinere non possunt lactantes, ut mammæ sugantur; ex quibus quandòque sanguis, & quandòque ichor, seu corrupta Lympha stillat.

Causa.

Oritur hic affectus à nimiâ cuticulæ teneritate papillas amiciente, quæ ob fortiorem infantis suctionem dissilit, vel cùm à gingivis, aut à dentibus papillæ mordentur. Sæpè excoriantur, ab infantium in ore aphthis, alijsque ulceribus malè affecto; vel à lactis effusi particulis sponte, & continuò affluentibus, in papillis adhærentibus, non rectè absersis, & acescentibus; vel non minùs à salsâ lactis acrimoniâ, quam ipsas etiam mammas, & partes vicinas, ad quas pertingit, excoriante; vel à particularum salinarum, vel acidarum in cutaneis papillarũ poris existẽtiũ dominio, à quibus papillarũ tunica in fissuras diffinditur, vel ex lymphæ benignioris, & oleosæ defectu, papillarum teneritatem, vel rigiditatem non inungentis, & emollientis. Hùc referimus causas externas, ut sunt aër in calore excedens, aut nimis frigidus, & actis, qualis in Martio, & à constitutione Aquiloniâ dominatur, quia rùm temporis aër multum acidi nitrosi

in-

in se continet, undè in his, qui teneriori cuticulâ præditi sunt, fissuras in labijs, & manibus excitare solet.

Producitur fovea à fibrarum disruptione inter fissuras existentium, à fortiori adhuc acrimoniâ acido-salini in fissuris collecti productâ, quæ fit à lymphæ benignioris, & oleosæ defectu, tùm glandulas, tùm fibras humectantis, & illinientis, ne tàm facilè à quadam externâ injuriâ disrumpantur.

Prognosis.

Papillarum fissuræ, & foveæ non solùm molestæ sunt, & acerbissimo dolore conjunctæ, sed si diutiùs durant, difficulter sanantur, quia ob infantium suctionem, nulla, aut exigua papillis datur quies, & in prava transeunt ulcera, ob acre ibidem adhærens, undè sæpè tota corroditur, & absumitur papilla, & mulieres ad lactationem planè redduntur ineptæ.

Curatio.

In minimis his affectibus ità diæta observanda est, ne saltim auream excedat mediocritatem, aliter medicus, & medicamenta incassum laborabunt. Aërem frigidum, & aquilonium vitet ægra, nec tali aëri papillas exponat.

Putant vulgares hos affectus ab humorum bilioforum acrimoniâ, vel siccitate à quibus cutis distumpitur, & eroditur, progigni; ideòque bilis acrimoniam obtundentibus, eos curari credunt, ac proindè linimentis *ex semine psyllij & cydoniorum* utuntur, quibus *tutiam, cerussam, oleum rosatum, aut liliorum, vel butyrum recens, vel anatis axungiam* admiscent. Lactantibus, antequàm infantis ori papillas inserant, imponunt, ut *aquâ rosarum* abluatur. Si dolorem in ipsâ suctione lactantes sentiant, papillis calicem stamneum, vel argenteum, superiori parte perforatum, mammę respondens, papillâ uberis vaccę recèns mactatę tectum apponunt, & infanti papillam illam vaccinam sugendam præbent; sic enim infans suget, & labijs papillam fissam, & dolentem non attinget, & lac suget. Ad præcautionem ultimis tribus gestationis mensibus, ne papillę findantur, nonnulli capulas aut pileos è cerâ paratos, abjetis resinâ plenos, thoraci alligatos excogitârunt, quos papillis superimponunt, ne decidant, ubi resina absumta est, novam infundunt.

Ad papillarum fissuras & foveas curandas necessaria sunt medicamenta, quæ particulas acido-salinas in papillis collectas, vel aliundè suppeditatas emendant, hebetant, & diluunt, qualia sunt diaphoretica, *ut antimonium diaphoreticum, benzoardicum minerale, diaphoreticum in peracutis &c.* vel remedia porosa, & volatilia sæpiùs exhibita. In parte conducunt *terra exanimata vitrioli, spiritus vini camphoratus, cremor calcis vivæ, cremor lactis, mucilagines*, quas in labiorum rhagadibus retulimus. Fibras siccas & rigidiores emolliunt, leniuntque *mucilagines extractæ cum aquâ spermatis ranarum addito momento sacchari Saturni, & tutiæ præparatæ.* Excellens, & omni Laude dignum remedium est *butyrum elicitum ex cacao in cocolatis opificio.* Optimum medicamentum est *oleum ovorum, lumbricorum, vel unguentum aureum cum guttulis aliquot olei destillati ligni Rhodij.* Vel sequens linimentum.

℞. *ol. amygdal. dulc. q. s. in quo frige radices cilij, in taleolas dissectas, amotis radicibus, extra ignem agita oleum candelâ ex cerâ albâ, donec fiat linimentum.* Vel conveniunt *axungia & pinguedines* in labiorum fissuris descriptæ.

Ad dolentes papillarum fissuras vel à fortiori infantium suctu, vel à lactis aciditate, vel à lactentium aphthis applicetur *oleum hyperici, vel rosatum, in quo radices pimpinellæ fuerint infusæ.*

In foveâ, vel papillarum exulceratione laudamus *oleum ceræ, vel balsamum proprietatis per infusionem, vel balsamum Peruvianum, vel oleum myrrhæ*, cujus descriptio talio est.

℞. *Ovum unum, vel plura indurata mediâ elixatione, quæ à corticibus munda, ac in duas partes æquales divide, aufer vitellum & vacuum imple myrrhâ electâ in pollicem redactâ, filo circumligatum ovum elaude, pone in loco humido inter duas patinas. Ovum aperi, & liquorem ad hunc usum invenies.* Si papilla sanguinem stillet *infusione lapidis medicamentosi, vel terrâ exanimatâ vitrioli* utere. Adverte tamen, quòd in horum medicaminum applicatione semper *pileolus plumbeus* in apice, foraminibus pluribus pervius super papillam imponendus est.

A mammis ad uterum descendimus ut amantium mos est, tanquàm ad humanæ generationis officinam: Hæc tantilla pars præ omnibus alijs viros allicit, & dementat, ac mulieres in varios adigit cruciatus, verùm in hoc naturam culpare debemus, quæ invitat & trahit: cæterùm per naturam, qua peccavit mulier multis ærumnis obnoxia facta est, & præter cruentam deturpationem ob patratum scelus, & communes cum viris languores, sexcentarum ærumnarum, & innumerabilium penè morborum propriorum jugum sufferre cogitur, quibus muliebrium tribuitur cognomen, ea propter uterus est omnium totius corporis pravorum humorum sentina, imò cloaca, undè jure merito miseriæ abyssus, calamitatum chaos, morborum morbus, & lerna malorum dici potest. Ob commercium, quod cum nobiliotibus, & principaliotibus habet, cor, cerebrum, nervos, diaphragma, ventriculum, intestina, dorsi medullam, vesicam &c. in languores trahit hinc mulieres facilè epilepsiâ, animi deliquio, cordis palpitatione, suffocatione, asthmate, inapperentiâ, nauseâ, vomitu, colico, vel dorsi dolore afflictitantur. Quantum Creatori debemus, qui nos non fecit fœminas, & à tot carnificum cohorte eripuit, attamen nos ingrati nec etiam tantum munus acceptum animo volutamus! In præsentiarum non agimus de morbis mulierum, nàm de his posthàc ex professo tractabimus, nunc ulcera, quæ sinum respiciunt muliebrem, examinabimus.

CAPUT XLVIII.

De Cervicis Uteri Ulceribus & Rhagadibus.

NOnnulli hanc partem exulceratam, quam trutinandam aggredimur, uteri cervicẽ impropriè appellãt, rectè appellatur uteri ostiũ, quia virile mẽbrũ per hoc ingreditur, & egreditur; ac rectiùs à quibusdam uteri vagina

gina vocatur, quoniam virile membrum in se recondit, ut vagina gladium, aut cultrum excipit. Est hęc vagina mollis, laxa, rugis orbicularibus inæqualis, (ut major titillationis ab attritu percipiatur voluptas) substantiam habet nervosam, ut dilatari possit, sed aliquantulùm spongiosam, & fungosam, (hæc in libidinis œstro aliquantulùm turgescit, ut virile membrum strictiùs comprehendat) longitudinis digiti longioris est, & latitudinis circiter intestini recti: quæ longitudo, & laxitas variant pro ætatis ratione, nec non prout fœmina magis, vel minùs libidine fervet. Sic quoque variant rugæ in virginibus, nec non in mulieribus, quæ rariori utuntur venere, nec in eam feruidè proclives sunt, quàm in ijs quæ nunquàm peperierunt, multo crebriores, ac densiores sunt, quàm in ijs quæ sæpiùs peperierunt, nec non in meretricibus frequenti utentibus coitu, ut potè in quibus sensim ferè obliterantur. Non tantùm hìc nos de uteri vaginæ ulceribus agimus, verùm etiam de ejus partium ulceribus, quæ sub oculos cadunt, ut sunt labia, nymphæ, carunculæ myrtiformes, & clitoris. Est clitoris glandiforme corpusculum illud in superiori pudoris muliebris sinu situm, & à Nymphis custoditum, sub qua foramen est pro emittendo lotio. Ab *Avicennâ* virga mulieris appellatur, & quia est vuluæ non relaxatæ instar, ob hanc emulationem columella ab *Hip.* nuncupatur. A nonnullis membro virili correspondere perperàm creditur, nàm potiùs cum virilis virgæ glanda convenit, in qua tantummodò voluptatis sensus ex coitu percipitur, & non in reliquâ parte oblongâ, sed longitudo tantùm interuit ad feminis in uterum porrectionem, ità quoque clitoris procul dubio glandis muliebris munere fungitur. Hæc pars exquisitissimum habet sensum, & in actu venereo iucundissimam præbet titillationem, undè in hac delectationis mulierum præcipua sedes est, dùm coitu utuntur, atque hinc amoris dulcedo, Veneris œstrum, libidinis sedes, & irritamentum dicitur; eapropter nulla pars in coitu majori delectationis sensu afficitur, ac mulieres fricatrices in Venerem magis quàm illa exagitat.

Clitoridis magnitudo communiter exigua est, sub nymphis, ferè latens, deindè leviter prominet, in aliquibus mulieribus præsertim libidinosis, quæ Venerem voluptuosè exercuerunt, manifestè cernitur, in alijs in majorem longitudinem ad formam penis virilis excreviisse observatum est. *Platerus* clitoridem monstruosam in quadam muliere collum anserinum crassitie, & longitudine æquasse vidit. Excrescit in illis fœminis, quæ continuò & frequenter hanc partem contractent, & fricant, qua ratione penis muliebris nominatur, ità ut hujusmodi mulieres illâ parte nonnunquàm abusæ fuerint, & cum alijs sui sexûs cojerint, sic *Pemplius* scribit de quadam *Helenâ*, quæ hac parte multas exercebat fœminas, & virgines vitiabat, quia in coitu penis virilis instar turget, & quandò erigitur, ad libidinem stimulat, undè evenit, ut penis virilis loco clitoride aliquandò abutantur mulieres nonnullæ, & mutuò coëant, quas confricatrices vocant, eapropter hæc pars virorum contemptus dicitur. Hujus libidinis inventrix Scribitur *Poetarus* quædam, qua usa etiam sit *Sappho*

poë-

poëtria, sed de his *Paulum Apostolum ad Romanos* loqui censemus 1. 26. *Nàm fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, qui est contra naturam.*

Signa.

Cervicis uteri ulcera cognoscuntur ex dolore, & continuâ eo in loco mordicatione, quæ sensim augetur, & intenditur, ac præcipuè si tangantur, vel abstergentium aliquid immittatur, & præ omnibus concubitus horum ulcerum est index. Deindè visui etiam patent, adhibito, matricis speculo. Tandèm cognoscuntur ex paris affluxu, quod interdùm odore caret, interdùm flavum est, viride, fœtidum, prout ulcus modò mite, modò sordidum est, cujus portio quandòque mensibus fluentibus, cum sanguine fluit, si ulcus magnum sit. Trahuntur etiam sæpè aliæ partes in consensum ut si ulcus vesicæ orificium simul afficiat, urinæ ardor, & frequens supervenit mictio, caput, lumbi, aliæque partes in consensum trahuntur, undè vel dolent, vel malè afficiuntur, etiam febris accidit lenta crebris horroribus.

Ex causis signa facilè innotescunt, quę sunt vel externæ & evidentes, ut medicamentum erodens partus difficilis, concubitus violentus, vel impurus, quę ex ægræ relatione percipiuntur. Si hæ causæ absint, ab internis malum natales suos habuisse necesse est. Si fuerit secundina corrupta, lochia retenta, fluor uterinus, gonorrhoea, vel alius humorum affluxus, facilè innotescunt.

Rhagades cervicis uteri non ęgrè innotescunt, nàm ulcuscula sunt rimosa, & oblonga, ijs simillima, quæ hyberno tempore in labijs, manibus, & pedibus è frigore oriri solent. Recentes latent, temporis tamen cursu, vel in coitu sese produnt, quia tùm dolor prorigino sus aliquis excitatur, & cruoris aliquid effunditur. Quòd si res ità se habeat, & de malo adhuc suspicio aliqua angat, uteri cervice reseratâ, & inspectâ, malum sub oculos cadit.

Causæ.

Ulcera cervicis uteri, ut dicunt vulgares, fiunt vel à causis internis, ut ex diuturno humorum bilioso rum, aut sero sorum acrium affluxu, ut in fluore uterino diù perseverante, aut ex malignis humoribus cum sanguine menstruo in hanc partem, quasi corporis muliebris sentinam confluentibus, qui per hunc locum evacuantur, præsertim in lue Venereâ, & malignâ gonorrhœâ, aut ex semine corrupto, aut secundinis corruptis, lochijs item diù post partum retentis & corruptis; ex inflammatione in abscessum versâ, dùm materia purulenta acrior reddita partem erodit affectam, sicque abscessus rumpitur, & pus effunditur, ac in ulcus abit, vel ex excrementis in uteri plicis retentis, & ibi putrefactis. Vel à causis externis evidentibus, ut sunt medicamenta acria, & erodentia imprudentes applicata, partus difficilis, violentur coitus &c. Tandèm sunt vulneratio casus, percussio, ut in alijs locis, quæ si non rectè tractentur, ulcera excitare possunt.

Secundum vulgarium sententiam cervicis uteri rhagades internè inducuntur ab humorum acrium, præsertim lentorum, & viscidorum affluxu, qui

hisce

hisce adhærent partibus, ejusque rugas secundum rectitudinem exulcerant. Addunt etiam ingentem uteri siccitatem, qua rhagades ut plurimùm fiunt. Cæterùm hæc pars nunquàm sicca observatur, cùm uterus sit universale & totius mulierum corporis emunctorium, & veluti colluviarium, quod perenniter profluit. Vel fiunt à medicamentis acribus, vel à coitu violento, vel à partu laborioso, ubi fœtus grandior fuerit, ut rugas aliquas in uteri vaginâ disrumpi necesse sit, quæ unitatis solutio ob continuum excrementorum affluxum sordida evadit, & hujusmodi ulcuscula excitantur.

Vlcera in uteri vaginâ à particulis acido-salsis membranarum fibras solventibus oriuntur, sive hæ in sanguine menstruo, in fluore albo, aut lochijs, sive cum semine virili à lue Venereâ conspurcato communicentur. Vel tunc fiunt ulcera, cùm vasa sanguifera erosa sanguinem fundunt, & per moram inter rugas putrescit, ac in pus commutatur. Vel producuntur çùm sanguis, aliusvè succus obstructione in suis conceptabulis retinetur, in quibus stagnatione acorem concipit, vasa erodit, & patefactâ viâ in suppositam defluit partem, ibi temporis tractu corrumpitur, in pus degenerat, & ulcus excitat. Vel inflammationes in abscessum degeneratæ tale ulcus excitare possunt. Externæ causæ sunt partus difficilis, orta violenta harum partium tubulorum, ac canalium exulceratio ab obstetrice imperitâ; ad hanc referimus violentum concubitum, vel medicamenta erodentia imprudentiùs applicata.

Oriuntur rhagades internè à particulis acido-salinis in uteri vaginas excurrentibus, & ulcuscula secundum plicas excitantibus. Externè à coitu violento, penis grossitudine, vel à frictione petulanti, vel à fœtu majori vi extracto, undè nimiùm distensæ non facilè cedunt, sed impulsui resistunt, donec vehementioti & frequentiùs repetito diffringantur.

Prognosis.

Vaginæ uteri ulcera spernenda non sunt licet exigua, & quandòque curatu difficillima, cùm in parte exquisito prædita sensu sint, ac varijs excrementis recipiendis idonea, undè fibrillæ omnes ab acribus particulis ità discinduntur, ut quælibet levis excoriatio magnam exigat Medici solertiam, & nisi rectè tractentur, in gravia degenerant ulcera. Hæc pars cum multis alijs consensum habet, undè varij morbi, & symptomata per contensum excitari possunt. Si hæc ulcera non fuerint magna, & fuerint recentia, faciliùs curantur, si nullum accidens conjunctum habeant. Si verò fuerint magna, antiqua, & sordida, vel luem Veneream comitem habeant, difficulter curationem recipiunt. Si fuerint sinuosa, & depascentia insanabilia judicamus. Quæ sub oculos cadunt, faciliùs curationem admittunt, quàm quæ in profundo latent.

Rhagades maximè molestæ sunt, privant nàmque mulieres Veneris dulcedine ob dolorem, qui in coitu excitatur. Recentes faciliùs curantur, quæ callosa facta sunt ulcera, ut plurimùm curatu difficillima sunt, & præsertim ea, quæ luem sequuntur Veneream.

Curatio.

Cervicis uteri ulcera curare solent vulgares illis indicationibus, quibus aliarum partium ulcera. Primò itàque opportuno medicamento acres humores, undè uteri vaginæ ulcera ortum habent, purgant, & decentem vivendi rationem, ut talium humorum genesis inhibeatur, instituunt. Si prædicti humores à toto dependeant, universales, si à parte aliquâ, topicas celebrant evacuationes repetitas, nec sanguinis missiones omittunt, præcipuè si menstrua defecerunt. Si intemperies adsit, juxta ejus conditionem eam corrigunt. Si à lue Venereâ contractum sit ulcus, malignitatem expugnant Veneream, deindè curationem, ut in alijs ulcerum generibus, communem instituunt.

Si dolor urgeat, illum sedant, ne molestiam ægræ infetat, ac ne ad partem affectam colluviem trahat. Dolor plerùmque à sordibus, & sanie ortum ducit, ac plerumque inflammationem habet comitem, tunc quæ sordes, & saniem abstergendi, inflammationem refrigerandi, & dolorem pacandi vim habent, medicamenta applicant. In hunc usum revocant *Lac infusum, & præsertim chalybeatum, vel ovorum albumina tria, vel quatuor, conquassata, & cum muccagine seminum psyllij, vel emulsione seminum papaveris mista.* Vel *emulsiones seminum papaveris, & quatuor frigidorum majorum cum sero lactis caprino.* Si dolor urgeat, *aquam hordei cum succo hyoscyami* usurpant, vel ipsum quoque *opium* alijs admiscent.

Si ulcus fuerit sordidum, illud detergunt *sero lactis, aquâ hordei cum melle.* Si valentiora exposcat remedia, illud *decocto agrimoniæ, absynthij, centaureæ minoris, & radicis aristolochiæ* abstergunt. Si valdè sordidum fuerit, in hoc decocto, vel alijs *unguentum Apostolorum, vel Aegyptiacum* dissolvunt. Non desunt pessaria, injectiones, insessiones, clysteres uterini, irrigationes, fumi, unguenta, nec non convenientia emplastra epigastrio applicanda, ac efficaces dijudicant thermas exsiccantes. Non solùm externa medicamenta, sed interna, ut *terebinthinam cum saccharo* deglutiendam præbent, vel *pilulas de bdellio à ℈ j. ad ʒ. j.* Non desunt decocta exsiccantia: nec potiones, ut

℞. *fol. artemisiæ.*
agrimoniæ,
pimpinellæ,
centinodiæ ana m. j.
radic. rhapontici ʒ. j.
sem. coriand. ʒ. ß.
viticis ʒ. j.

Coque in vini albi mensurâ, & dulcorentur saccharo. Bis singulis diebus ad ʒ. IV. exhibe, & ad longum tempus continuentur.

Ubi ulcus mundatum fuerit, illud carne implent, & tandèm cicatrice medicamentis de communi ulcerum omnium claudunt.

Cervicis uteri rhagades vulgares Galenici curant, si ab humoris acris fluxu originem ducant, universales totius corporis evacuationes præmittendo, & postèà ad topica deveniunt, quæ citra mordicationem humorum acrimoniam leniunt; undè commendant *oleum lini, & rosarum cum ovi vitello, item succum plantaginis diù in mortario plumbeo cum pistillo agitatum, donec spissescat: Lac etiam cum saccharo, Vnguentum quoque è mucilaginibus*

zibus cum plumbo usto, & pompolige paratum, vel artemisiæ succum cum cerussâ in mortario plumbeo agitatum, donec unguenti consistentiam nanciscatur. Non desunt interea *medullæ, axungiæ &c.* de quibus abundè diximus in labiorum rhagadibus secundum Galenistarum curationem.

Si pruritum, vel dolorem comitem habeant *unguentum ex mucilaginibus seminum psyllij, cydoniorum, malvæ cum butyro insulso, & oleo rosaceo, vel unguentum pomatum, vel album camphoratum* usurpât. Si callosæ fuerint *unguentum ex oleo liliorum alborum, medullâ cervinâ, terebinthinâ, & cerâ* parant. Si à partu laborioso, vel coitu violento ortum cognoscant, *clystere uterino è decocto rosarum, plantaginis, aristolochiæ, artemisiæ cum bolo armeno, sanguine draconis, & thure* utuntur, vel ex ijdem cum ovi albumine pessarium conficiunt, & indunt.

In uteri vaginæ ulceribus eractiorem vivendi rationem ægræ prescribere necesse est, quia estò non sanet, multùm tamen intemperantia nocere, & malum pejorare potest, eligantur itàque cibi euchymi, vitentur acida, nimiùm salita, & dulcia ob occultum acidum in se continentia interdicantur, fructus horarij exulent, vinum eligatur oligofarum, & dulce, acidum angue pejus fugiatur, præ omnibus tandèm sex rebus nonnaturalibus dictis, in primis Venus, tanquâm lethale venenum fugienda est.

Cervicis uteri ulcerum curationem aggredimur, tùm internis, tùm externis; interna ea sunt medicamenta, quæ particulas acidas, & salinas vel exturbant, vel diluunt, vel immutant, undè ad earum exturbationem maximopere conducunt *pilulæ de tribus, vel extractum catholicum cum mercurio dulci, vel mannâ mercurij.* Item decocta ex lignis, potiones etiam vulneratiæ, ut quoque *pilulæ ex terebinthinâ cum mercurio dulci.* Externè verò ad ulceris mundificationem, si sordidum fuerit, convenit *decoctum ex radice gentianæ, aristolochiæ rotundæ, foliis absynthij summitatibus sabinæ & hyperici.* Vel fieri possunt injectiones per Syringam *cum aquâ saphireâ, vel Venereâ, vel ex infusione lapidis medicamentosi*, quæ ad cicatricem usque valet. Si ulcus fuerit chronicum ad Thermas sulphureas, & aluminosas confugiendum est, ea sæpè ulcera, quæ alijs medicamẽtis sanari nõ potuerũt, sanant tũ artificiales ex similibus paratæ mineralibus, optimæ sunt.

Si ex violento, & reiterato coitu, vel ab improvidæ obstetricis in partu difficili dilaceratione contractum fuerit ulcus, multùm valet *decoctum radicis symphyti majoris, summitatum hyperici, scordij, sanículæ, stellariæ, aristolochiæ cum myrrhæ paucâ quantitate* pro uterinâ injectione. Vel si in conspectum veniat ulcus, præter hoc, quæ acutas absorbent particulas conveniunt, ut porosa *ex lithargyrio, cerussâ, terrâ exanimatâ vitrioli, mercurio dulci, myrrhâ &c.* Nec non *balsamus proprietatis, vel infusio Lapidis salutis, vel vini spiritus, vel oleum myrrhæ per deliquium* multùm valebunt.

Verumenimverò ulceris vaginæ uteri curatio à luis Venereæ curatione non dissidet, ut plurimùm nàmque ipsius luis sunt symptomata, & tunc eodẽ modo, ut gonorrhoea virorũ maligna curari debet, & purgantibus mercurialibus utimur sub diversis formis, ut.

℞. *Rhabarb. pulverisati gr.* xij.

terebinth. opt. ℈. *ij.*
mercurij dulc. gr. XIV.
m. f. pilulæ.

Vel.

℞. *Pulp. caſſ. recèns extract.* ʒ. *ij*
rhabarbari vigorat. ʒ. j.
merc. dulcis ℈. *j.*
cum ſacch. f. bolus.

Vel ſumantur *pilulæ ex terebinthinâ, & mercurio dulci*, ut de *lue Venereâ* diximus *lib.* 3. *cap.* 2. *de gonorrhaâ*. In uterum fieri poſſunt injectiones per ſyringam *ex vitrioli Cyprij, vel lapidis ſalutis, vel draconis mitigati infuſione, vel aquâ ſaphireâ.*

Si chronica fuerint ulcera, non aliter ea curamus, quàm ut ipſam luem Veneream, tùm per purgantia mercurialia, tum ſudorifera, & alia de quibus opiparè de lue Venereâ diximus. Si ſub oculos veniant in uteri vaginâ ulcera penicillo leviter tangantur *aquâ aluminoſâ vel mercuriali, vel ſpiritu mercurij albo diluto, vel ſpiritu mercurij dulcis.* Vel adhibere poſſumus ſuffumigium intra uteri vaginam per infundibulum admiſto tantillo *cinnabaris naturalis, vel ex antimonio, vel artificialis.*

Vaginæ uteri rhagades pro cauſæ diverſitate diverſa expoſtulant remedia, eapropter ſi à coitu violento, penis groſſitie, vel partu laborioſo pronatæ ſint, clyſtere uterino utatur ægra *ex decocto artemiſiæ, malvarum, ariſtolochiæ, roſarum, plantaginis, radicis ſymphyti majoris cum bolo armeno.* Si dolor & pruritus rhagades comitetur, injectiones in uteri vaginam indantur *ex decocto quatuor anodynorum in hydromeli, in quo diſſolvatur parum unguenti anodyni, vel olei papaveris per expreſſionem vel olei ex ſeminibus hyoſcyami.* Si à particulis acidis, vel ſalinis ſtagnantibus, aliundè defluxis pronaſcantur rhagades, ea proſunt medicamenta per os, quæ ſint poroſa ſint, & diaphoretica; in uteri vaginam verò indatur *peſſarium ex ſevo hircino, mucilag. ſem. Sacchari Saturni, in oleo ſeſamino, vel ex vitellis ovorum intinctum.* Peſſarium hoc modo fit: *Accipe pannum ſericum ejuſdem longitudinis, cujus ſunt rhagades, indantur peſſarij ingredientia in craſſioris digiti figuram efformata, filo alligetur, liquori intinge*, & poſtmodùm in uteri cervicem immitte, in qua per tres horas maneat: his tranſactis, iterùm intinge & immitte. Si luem Veneream ſociam habeant, applicari poteſt unguentum pomatum à nobis deſcriptum, cum mercurio dulci; vel in ipſo unguento, vel alio diſſolvatur mercurius vivus tamdiù, donec nullum mercurij granulum appareat.

CAP. XLIX.

De Uteri Vlceribus.

AB uteri vaginâ rectâ ad uteri fundum penetramus, & ea deſcribimus ulcera, quæ hanc partem quandòque corripere ſolent. Dicitur uterus quòd in eo, tanquàm in utre quadam, fœtus continetur. Matrix, quòd fœtui alendo ſe matrem præſtat, atque etiam per imprægnationem matres efficit. Loci, & locelli, quòd locus initialis ſit hominis, ac præ omnibus alijs jucundis locis juvenibus placeat. Hic uterus, quem ad concipiendum, conſervandumque fœtum in fœminis primus Protoplaſtes condidit, ſitus eſt in hypogaſtrio, ſeu infimâ imi ventris regione,

gione, in pelui, quasi osseâ, quam ossis pubis, sacri, ilij, coxendicumque concursus efformant, cujus pelvis in fœminis major est amplitudo, quam maribus: undè etiam fœminis grandiores, & ampliores sunt nates. Talem obtinuit situm uterus, ut pro fœtûs magnitudine infans distendi, & commodè etiam excludi posset. In medio locatus est, ad nullum inclinans latus, nisi dùm utero gestat mulier masculum, vel fœmellam: tùm enim dextrum, vel sinistrum magis occupare solet, estò hoc non perpetuò sit verum. Positus verò est inter intestinum rectum subjacens & vesicam incumbentem, tanquàm inter duo pulvinaria, unum stercore, aliud urinâ repletum. *Quid ergò superbimus, qui inter stercus, & urinam nascimur?*

Uteri magnitudinem non tantùm variat ætas, corporis moles, sed & Veneris usus, & fœtura, consideraturque in longitudine, latitudine, & crassitie. Longitudo in ijs, quæ mediæ sunt staturæ, & venere utuntur à pudendo usque ad fundi finem communiter est undecim digitorùm, fundi verò trium. Fundi latitudo duorum, aut trium ditorum, quæ in non gravidis eadem est latitudo fundi, ac cervicis, atque hinc amplitudo facilè conjici potest. In virginibus parvus est, vesicâ minor, perfectis major, quibus tamen Venere abstinentibus, ut & Vetulis satis parvus, sed crassus est: at major in illis quæ sæpè conceperunt, & utero gestarunt, tùm enim magis, magisque amplificatur, cùm ante ingravidationem sacri ossis initium non superavit, fundus postea ad umbilicum, & ultra etiam extenditur, ut tenuibus incumbat intestinis. Crassities uteri eodem ferè modo variat, nàm in virginibus tenuis est substantia, in adultioribus crassior, & quò sæpiùs mulier uterum gerit, eò crassior est ejus substantia. Mensibus fluentibus, crassescit uterus, & quandò instat mensium excretio, humida, & crassa apparet uteri substantia. In gravidis putârunt *Galenus, Vesalius*, alijque anatomici uterum, quò magis extenditur, eò magis attenuari, & crassitudinem in longitudinem absumi. Sed hi decepti fuêre, uterum nàmque præter naturam tenuiorem observarunt sive ex humoris defectu, sive nimiâ distensione, & tunc de facili rumpitur à fortioribus impellentibus, ut in puerperâ observavit *Salmuth*. A primo conceptu uterus secundum omnes dimensiones paulatim ab augescente fœtu dilatatur, & in dies crassior, carnosior, & robustior redditur, ac postremis mensibus duorum ferè digitorum crassitiem æquat, & tamen tanta uteri moles intra duas, vel tres à partu hebdomadas per celebrem lochiorum expurgationem ad pristinam redit magnitudinem. Uteri figura alijs rotunda, alijs pyriformis statuitur, sed licet ad rotundam accedat, quò capacior sit uterus, tamen cum *Soranо, & Fallopio* fundum cucurbitæ optimè assimilari posse sentimus, quia fundus rectâ deorsum sensim angustiatur; collum verò uteri canalem oblongum, & rotundum repræsentat. Cavitatem obtinet exiguam, quæ in non gravidis, præcipuè virginibus, vix fabam majusculam capit, & factâ conceptione unà cum fœtu, ac toto utero increscit. Hæc nullis cellulis est donata, uti falsò septem cellulas ei aliqui tribuunt, sed solâ lineâ quadam per longitudinem exporrectâ, & in interiore

tãtùm parte carnosæ tunicæ designatâ in dextram, sinistramque partem, dirimitur, qualis linea etiam in viri scroto extrinsecùs conspicitur.

Constat triplici membranâ distensibili, & ampliabili, ut totus cum increscente fœtu ampliari uterus possit; extima hujus membranæ tunica à peritoneo prorogatur, estque robusta satis, ut non facilè crepet, intima nervosa est, fibrosa & porosa, media omnimodè carnosa, extra prægnantiæ rationem densa, & admodùm compacta est. Post autem fœtum conceptum humorem appositicium in modum spongiæ tam largiter combibit, ut eò paulatim laxata stupendam gravidæ utero crassitiem adducat.

Uteri fundus suâ substantiâ superiùs nulli parti annectitur, ut liberior sit ejus extensio: à lateribus verò duobus ligamentorum paribus, quorum usus est uterum suspensum tenere. Unum par superius est latum & membranosum statuitur à musculis lumborum ortum; desinit verò in uteri fundum prope cornua, laxum, & molle est, ut extendi, & contrahi possit. Vocatur hoc aliforme, ob similitudinem alarum vespertilionum, quam refert. Atque hujus paris beneficio alligatur ossibus ilij. Hoc ipsum subinde quandòque laxatur, vel etiam violenter distrumpitur (ut per vim, partûs difficultatem, pondus fœtûs &c.) ex quo mox uteri fundus suo fulcro destitutus, uterus in sinum descendit, & inversâ aliquando cervice; atque aliquandò vel lateraliter ad inguina recidens peritonæo ansam ad herniam præbet, vel inverso modo foràs ruit, ubi tamen accedat necesse est quoque solutio connexionis colli. Alterum par inferius rotundum, instar lumbricorum, subrubrum instar musculorum ab utroque fundi latere profectum antrorsùm pergit, peritonæumque ac musculorum: b lominis permeans atque ad pubis ossa deveniens bipartitur, unâque medietate clitoridi jungitur, alterâ autem in membranam dilatatum, per femoris musculos spargitur.

Per uterum etiam varia vasorum genera discurrunt, arteriæ s. venæ, nervi, lymphæ ductus, & tubuli quidam utero peculiares; innumeræ ferè arteriolæ uteri tubulos ingredi, ibidèmque terminari conspiciuntur, sed usque adeò exiles, ut sine microscopij ope, vel alio artificio instituto, vix discerni queant. Notatu etiam dignum est, quod duplo, vel triplo plures, & majores, magisque flexuosæ arteriæ peuterum ipsum, quàm per vaginam, serpant. Sed ad uteri ulcera noster redeat sermo.

Signa.

Uteri ulcerati signa sunt gravissimi pubis dolores indesinenter, vel per intervalla puris fœtidi saburra fluere solet vel per se, vel unà cum lotio, illudque mordicans reddit, synciput dolet, aliquandò convulsiones accedunt, initio quidèm ubi unà inflammatio adest, febris associatur, paucior sanies dolorificè exit, ubi autem ulcus jàm suffodiens evasit, plus saniei cum mitiori dolore effundit. Sæpè Sphacelus indè oritur, qui nunquàm ad pudenda usque se extendit.

Cam-

Unable to display this page

pro majori ulceris exsiccatione *pilulas de bdellio*, *aut pulverem ex trochiscis alkekengi* exhibent. Interim utero exulcerato non desunt lotiones ex decocto siccantium, cùm valdè phlegmatica pars sit, ut.

℞. *Herbar. piloſellæ,*
plantaginis,
perſicar. maculat.
equiſeti ana m. j.
flor. roſ. rubr.
malv. arboreæ ana p. ij.
balauſt. p. j.
f. decoctū in aquæ ſuff. quantitate,

& colatura tepidè injiciatur. Vel *decoctum hordei, in quo mel roſatum ſit diſſolutum, additâ myrrhæ paucâ quantitate*, injiciunt. Pessum quoque *ex croco oleo roſaceo, adipe anſerino, & medullâ cervinâ*, paratum adhibent. Externè inſeſſiones, cataplasmata, & suffumigationes adhibent, & pro suffumigio sequentibus utuntur trochiscis:

℞. *Thuris,*
ſtyracis calamit.
myrrhæ,
maſtiches,
gummi juniperi,
ladani ana ℥. j.
cum ſ. q. terebinth.
f. ſ. a. trochiſci.

Abstersо ulcere *in decocto equiſeti, milleſolij, & roſ. rubr. diſſolvunt unguentum diapompholygos*, & in uterum injiciunt.

Uteri ulcus curamus, priùs corpus deplendo pilulis mercurialibus, hæ nàmque sanguinem, lympham, alioſque succos à particulis acidis, & salinis repurgant, mundificant, & ulcerum sanationem promovent, post quas, ea propinamus medicamenta, quæ particulas corrigunt, eliminantque, ad quem finem diaphoretica, & porosa sufficiunt; propinamus itàque decocta sudorifica, quæ non tantùm sudores, verùm etiam per urinas humores peccantes acriores eliminant, ac simul quoque acres, & acidos temperant. Commendamus *ſalia volatilia, oculos cancrorum, ſtibium diaphoreticum, ſulphur auratum diaphoreticum, cornu cervi, ebur philoſophicè præp. ſal ſuccini volatile, c. c. viperarum, ſaccharum Saturni &c.* Itèm potiones mundificantes, & abstergentes *ex decocto radicis ariſtolochiæ, biſtortæ, herbarum meliſſæ, artemiſiæ, perforatæ, perſicariæ, milleſolij &c.* in quo *coralliorum, & margaritarum magiſteria* exhibemus, quæ acida, & corrosiva salia domant.

Pro potu ordinario sequentem commendamus, ut.

℞. *Dictami,*
meliſſæ,
matricariæ,
artemiſiæ,
agrimoniæ,
ſcordij,
vincetoxici,
pulegij,
ſummit. hyperic.
radic. ſymphyt.
tormentillæ ana m. j.
ſem. fœniculi ℥ j.

Concidantur omnia in particulas, & exactè miſceantur, tùm ℞. *Hujus miſturæ largum manipulum, ſuperfunde aquæ comm. lib. iij. vel* iv. *Coquantur in vaſe cooperculato ad tranſverſi pollicis caſum, colatura in cella probè obturata ſervetur, admiſce tertiam vel quartam vini partem*, ut ægra pro potu ordinario bibere possit, quò copiosiùs, eò meliùs, quò minus etiam vini ad-

admiscet, eò ocyùs sanat, sed ejusmodi potus per multos menses ad sanationem usque continuari debet.

Quò ad topica per syringam varios liquores, & misturas detergentes injicimus, ut *lapidem calaminarem præparatum, vel lapidem salutis in aquâ plantaginis solutum, vel aquam Veneream n. d. vel vinum aloeticum, vel myrrhatum.*

Solet quandòque uteri ulcus corrosionem nanciscì, & ipsum uterum, & quandòque intestinum rectum perforare: ità scortum observavimus, quod nunc fæces per uterum, nunc per intestinum excernebat, plura præbuimus medicamenta, & injectiones peregimus, & nunc incolume, sed cum eâdem excretione inter amasios vitam ducit. Quandam honestam mulierem in uteri vaginâ ulcere laborantem per plures invisimus vices cum quodam optimo empirico, & quia ulcus sordidum, & corrosivum erat, & ægra debilis, intestinum exedit rectum, undè quadam tenesmi specie correpta cum cadaverosâ excretione, intra tres dies, utero, & intestino sphacelato, non obijt, sed abijt.

Interdùm uteri ulcus, utgonorrhœa virulenta curari debet, quæ etiam sæpè huic ulceri conjuncta est, & ea conveniunt medicamenta, præter mercurium diaphoreticum, & nostrum arcanum metallicum, quæ *lib. 3. de Lue Venereâ cap. 2. de gonorrhœâ* descripsimus.

CAP. L.

De Penis Vlceribus.

AB utero ad penem transitum facimus, nàm inter has partes ma-

gna familiaritas, & cognatio intercedit, imò *Galenus* anatomes ignarus *lib. de usu partium, & anatom. administ.* ineptè credidit mulierum genitalia non nisi solo situ à virorum genitalibus differre. Quod commentum ex ijs natum est, qui fœminam esse tantùm virum imperfectum putârunt: (Sed fœmina non est homo) & ob frigidiorem temperiem, ac naturæ debilitatem membra generationis non potuisse foràs protrudi, quemadmodùm in viro ob eximium calorem, & naturæ robur foras fuisse propulsa. Insuper nonnulli Galeni procuratores in hujus opinamenti confirmationem varias mulierum posteà in viros mutatarum historias adducunt, quas recenser, & eruditè repudiat *Isbrandus de Diemerbroëck lib. 1. anatomes p. m.* 154. Cæterùm mulierum genitalia non tantùm situ à virilibus differunt, sed universâ structurâ, quoad numerum, superficiem, magnitudinem, cavitatem, figuram, munus, & usum, ut satis manifestùm est perito anatomico, & cuivis, qui muliebria cum virilibus conferre velit.

Dicitur *penis* à pendendo, penis nàmque antiquis idem erat, quod cauda, quæ sicut à posteriori animalium parte, ità penis à parte hominis anteriori pendet. Dicitur *virga*, quia hæc pars arrecta virgam repræsentat. *Mentula*, quòd rigida hæc pars viro mentem quasi eripiat vel eam à serijs ad jocosa, & Venerea avertat. *Coles, veretrum, priapus, membrum virile* per antonomasiam, *membrum genitale, & omnium viventium pater.* Alia nomina imponi solent plurima, quæ reticere præstat, quàm recensere. *Plato in Timæo* penem animal quoddam esse cen-

fuit, quoniam ei insita vis generandi est valdè appetens. Verùm cùm vis illa appetens non huic, sed cerebro insita sit, ex eoque in penem fundatur; cùm etiam unum animal non possit esse alterius pars integrans; cùm denique penis sit dumtaxat pars animalis totum cum alijs complens, non potest certè animal, sed tantùm animalis pars & instrumentum dici. Membrum virile in magnâ æstimatione, ac dignitate apud Ægyptios, & alios habitum fuit, ut in *Riolano* videre est, at nunc in magnâ æstimatione est tantùm apud mulieres. Est penis pars organica ad seminis in uterum injectionem primariò, secundariò ad urinæ excretionem comparata, ob quam non est formatus, cùm sine eo fœminæ lotium excernant.

Situs est penis in imi ventris parte inferiori ad ossis pubis radices, estque in medio positus, ut commodiùs fieret congressus, & alijs partibus, impedimento non esset. Ortum suum ducit à validiori, & robustissimo fundamento c. pubis ossibus. Est numero unicus, at nos quendam Præcutinum Nicolaũ nomine duplici pene à naturâ dotatum observavimus.

Figuram habet longam, & ferè rotundam, sed non exactè, quia in superiori parte, quam penis dorsum vocant, est latior.

Magnitudo, quę in crassitie, & longitudine consistit, variat; alijs nàmque major, & alijs minor est. Minor est primò brevioris staturæ viris. Secundò ijs, qui à Venere abstinent, si *Galeno* credendum est. Major est primò, nasutis, seu magno naso præditis; nàm penis magnitudo ad nasi proportionem correspondet, si Physiognomis credimus. Secundò, stolidi, ac fatui majori pene insigniuntur, & ex penis magnitudine de hominis ingenio nonnulli conjecturam faciunt, & magnum penem ingenium durum, ac stolidum asinino simile indicare dicunt: sed hæ regulæ perpetuę non sunt, sed plurimis exceptionibus patent. Ineptum est illud obstetricum dictum futurum penem majorem, vel minorem, si vasa umbilicalia non proximè, vel proximè ad umbilicum ligentur, abscindanturque in recèns natis ob urachum, qui inter vasa umbilicalia continetur, & vesicæ fundo annectitur, undè existimant retrò membrum id cum vesicâ trahi vel laxari, quod tamen ob sua vasa, & musculos impossibile est.

Constat penis cuticulâ, cute, & membranâ carnosâ, quæ partes dicuntur externæ, seu continentes. Pinguedine destituitur etiam in hominibus obesissimis, quia hæc pondere & nimiâ mole huic patti impedimento esset, sensus obtunderetur, & voluptas minueretur. Constat etiam substantiâ, propriâ, & ei maximè conveniens est; non ossea, ut in cane, lupo, & Vulpe, non etiam cartilaginea, neque carnea, sed talis, quæ laxari, & ad seminis ejaculationem extendi commodè potest, itàque peculiaris, & propria, qualis nulla est in aliâ corporis parte. Aliæ partes sunt internæ, seu contentæ, & hæ propriæ penis partes quatuor sunt, Urethra, duo corpora nervosa, & glans.

Urethra, seu fistula urinaria, inferior ejus pars est, quæ interiùs tenui, ac sensili, exteriùs verò carnosâ, ac fibrosâ membranâ vestitur, estque cervici vesicæ continua quidèm, sed tamen non ejusdem cum illâ substantiæ, nàm

nàm nonnihil spongiosa, & obscurioris coloris existit, potestque intensione, seu penis erectione turgescere, ac distendi, & postea rursùs flaccescere, qualia in vesicę cervice contingere nequeunt. Urethra toto ductu æqualem habet amplitudinem, exceptâ parte anteriori, qua glans cum corporibus nervosis jungitur, ut potè in qua superficialem habet cavernulam : in hac nonnunquàm acris liquor per gonorrhœam subsistens, exulceratione admodùm dolorosam facit.

Urethræ superiore parte incumbunt duo corpora nervosa, quæ maximam penis partem constituunt : quæ substantia tota est quasi crassissima arteria', fungosa, carne infarta. Hæc substantia duplex est, prima exterior, quæ densa, dura, & nervosa ; altera interior fungosa, rara, & cavernosa, atque ex nigro subrubra, seu subatra materia, veluti nigricante sanguine oppleta, farciminis instar. Oriuntur hæc duo corpora ex inferioribus ossium coxendicis partibus, ijsque validis ligamentis adhærent, & circa os pubis medium, cui alligantur ligamento nerveo subjecto, coëunt ; interventu tamen septi membranei, tenuissimi, pellucidi, ac fibrosi, à se invicèm distinguuntur. Horum corporum nervosorum substantia interior spongiosa ex venulis, arteriolis, & nervulis inter se ad retis modum intertextis conflata est, ut spiritu, & utroque sanguine impleri possit, hinc cùm penis flaccidus, magnus, vel parvus existat, à majori, vel minori sanguinis, ac aliorum succorum copiâ in corporibus nervosis existente dependet : quod dùm fit, nervosa substantia magis tenditur, & efficit, ne spiritus citò dissipetur, undè penis induratio, adeòque erectio, & elongatio, non tàm coitûs causâ, quàm ut rectà, & longissimè semen vir ejaculari queat, ad uteri orificium priùs facto virilis membri intra muliebrem sinum motu.

Penis fini imponitur glans, balanus græcè, seu penis caput, in quam prædicta duo corpora nervosa cum Urethrâ terminantur. Hujus pars inferior, quæ tria illa corpora nonnihil ambitu excedit, corona vocatur. Formam, seu figuram habet turbinatam, vel subrotundam : colorem, dùm flaccida est sublividum ; dùm tumet, rubicundum. Substantiam obtinet propriam, carnosam, mollem, spongiosam, exquisiti sensûs pruritûs ergò, magis quàm nulla totius corporis pars, quia planè nervosâ, tenuissimâque membranâ tectam, anteriùs oblongo foramine perviam. Investiens autem membrana ab urethræ internâ producitur, quæ per foramen exiens reflectitur, ac circa totam glandem expanditur, eique acutissimum confert sensum, quem eum in finem in primis habere debuit, ut maxima in coitu excitaretur voluptas : illa enim nisi adesset, vix quisquam Venereos exerceret actus, & sic humanum genus brevi penitus interiret.

Glans extrinsecùs involucro, seu tegmine, quod præputium dicitur, integitur, quod constat ex cuticulâ, cute, accedente interiùs pelliculâ nervosâ, ac tenui, à panniculo carnoso. Hoc in inferiori sui parte infra foramen glandi alligatur per membranam, vel vinculum quoddam, frænum appellatũ. Dicitur Præputiũ, quia præpudẽdis existit. Hoc est illud præputiũ quod in circumcisione à Judæis, & Mahometanis resecatur, undè à præputã-

do, ei nomen impositum esse volunt, & quibus illud Circumcisione ablatum est, illi Apellæ, & recutiti dicuntur. Excrescit ità hæc pars in Hebræorum, & Turcarum pueris major, quàm in Christianorum filijs, ut in caudæ morem acuminetur, imò in nonnullis monstruosam nanciscitur longitudinem, & latitudinem, ut ob Periphimosis metum, ejus partem abscindere cogantur.

Mandavit Deus Hebræis præputium ad minuendam libidinem, quia extima penis glandis pars tota carnosa, mollis, & spongiosa est tenuique, & tenerrimi sensûs membranulâ obvoluta; ideòque glans exquisito titillationis sensu prædita est, & magis quàm ulla totius corporis pars, quia planè ferè nervosa, eum in finem, ut coitus maximâ cum jucunditate, ac titillatione peragi possit. Hinc à naturâ glans præputio tegitur, ut mollis, & exquisiti sensûs, pruritûs ergò, asservetur, quòd si præputium, ut in Circumcisione, resecetur, vel glandem non tegat, vel illud abbrevietur, ut ad glandis investituram non sufficiat, illa obdurescit, sensum acquirit obtusum, & magnam voluptatis partem impedit: præterquam quòd præputium in Veneris palæstra non recurrit, nec corpora nervosa, neque glans, in qua Veneris sedes sita est, à præputij recursu titillatur, unde Veneris sensus minuitur.

Omnis generis vasa penem ingrediuntur s. arteriæ, venæ, nervi, & musculi. Arterias interiores duas insignes obtinet ab hypogastricis per nervosa in primis corpora dispersas, ad quorum coalitûs initium ingrediuntur, & secundum penis longitudinem excurrunt, exilibus ramulis ad latera emissis: exteriores verò à pudendis recipit. Venæ exernæ, & cutaneæ frequentes à pudendâ, internæ verò ab hypogastricis emittuntur, & per corpora nervosa excurrunt: malè ergò venis destitui penem quidam putârunt. Nervos habet exteriores, & interiores ab ossis sacri medullâ, quorum duo mediocris magnitudinis unà cum arterijs, parte inferiore per longitudinem penis excurrunt. Quatuor musculos habet penis, horum duo breviores, & crassiores sunt, & penem erigunt, oriuntur nervosi sub penis principio ab appendice coxendicis, & nervosi feruntur ad penis corpora, in quæ non procul ab exortu inseruntur, quorum usus est penem erigere, & in congressu sustinere. Reliqui duo longiores, & graciliores sunt, & à recti intestini musculo sphincktere secundum penis longitudinem oriuntur, subtùs deindè feruntur, & ad urethræ latera circa medium inseruntur. Horum usus est inferiorem urethræ partem dilatare, tùm in mictione, tùm præsertim in coitu, quandò corpora penis repleta sunt, ne seminis exitus cohibeatur, & acceleratores nominantur.

Signa.

Penis ulcera, si sint externa, visui patent, quandòque tamen sunt circa glandem, coronam, frænum, & præputium, & propter membri tumorem videri nequeunt. Interna interiores, occultasque obsident partes, nempè urethram, & ex dolore à transeunte urinâ acri excitato, & pure ante urinam egrediente, pene tumido, & tenso cognoscuntur:

Cau-

Cauſa.

Putant Galenici penis ulcerum cauſas eſſe diverſas, in quibuſdam enim eſt humorũ impuritas, quæ iſthuc à naturâ proſcribitur, eòque procumbens in temperamentis fervidis febrem continuam, tumorem, ruborem, & ardorem ſuſcitat, & demùm ſuppuratione factâ, ulcerationem. Frequentiùs ejuſmodi ulcus oritur à concubitu cum fœminis Gallicanis ſanioſam virulentiam ex utero in virgam communicantibus. Tandèm etiam caſus, vel protuſio verſus penem in cauſâ eſſe poſſunt.

Penis ulceris cauſam eandem eſſe dicimus, ac aliorum ulcerum, ut pluries diximus. Cauſæ ſunt ſucci, qui particulis ſalinis, acidis, & corroſivis imbuti, ſive ſint in ſanguine, lymphâ, vel alimento, modò viſcidi, & non rectè circulantes, ac in vaſculis ſtagnantes, effervelcunt illæ particulæ, fibrillas diſtendunt, exedunt, & rumpunt, undè ulcera emergunt. Ortum ducit aliquandò ab abſceſſu inflammationem inſequente, vel ab urinâ, vel ſeminali fluxu exedentibus particulis refertò, vel à calculis aſperis, & cuſpidatis in tranſitu per urethram ſuis ſpiculis fibrillas, & canaliculos lædentibus, vel à medicamentis corroſivis in urethram immiſſis. Sæpè tandèm hoc ulceris genus ſuam trahit originem à fœminarum lue Venereâ conſpurcatarum concubitu, in quibus uterus ſordibus refertus, penem inficit, & exedit. Imò dùm uterus in coitu incaleſcit, non tantùm miaſmata exhalat Venerea, quæ in urethram ſe inſinuant, eamque exedunt, ſed quandòque in proſtatas glanduloſas penetrant, & dictarum proſtatarum ſanguinem, ſuccum alimentitium, vel lympham inquinant, & virulentiâ ſuâ corrodunt, undè pus per urethram affluens ipſam contaminat.

Prognoſis.

Vlcera penis magis perniciola ſunt, quàm in alijs carnoſis, utpotè partes calidæ, & humidæ ad necroſim proclives, ſuccorum pravorum ſuſceptivæ, maximè in loco decliviori poſitæ, exquiſito præditæ ſenſu, & urina per penis meatum curationem impedit; undè ſi peritè non tractentur, & brevi non conſaneſcant, temporis curriculo in ulcera depaſcentia, & canceroſa abeunt, quibus facilè vel integer penis, vel ejus pars amittitur. Vlcera penis interna deteriora, cum ſint in loco humidiori, ob frequentem irritationem ab urinâ fientem, & tardæ, & difficilis curationis, quia perpetuò madent, & attactú manuali tractari nequeunt; ſi verò in inferiori penis parte, in virgæ radice ſedem fixerint, urinæ incontinentiam faciunt, vel ad minimum laborioſam ejus redditionem, interdùm etiam ani ſphincter unà per conſenſum doler, & hæmorrhoides protuberant. Vlcera, quæ à lue Venereâ in pene excitantur, vel in excreſcentias, verrucas, vel caruncu-lam in urethrâ, ſi perperam tractentur, degenerant, vel totum ſuâ venenatâ energiâ inficiunt.

Curatio.

Penis ulcera curant vulgares, præmiſſis primò purgantibus *ex caſſiâ re-*

cens extracta, tamarindis, sebesten, electuario catholico cum syrupo rosarum solutivo ad ℥. j. in formâ boli. deindè venæ sectione; postmodùm victûs rationem eam instituunt, quæ humoris acrimoniam obtundit, & decocta ad sudorem excitandum suadent, ut ulcera exsiccentur, additis *trochiscis alkakengi.* Tandèm ad topica confugiunt.

Si sit recens cum quadam calefactione, illud leviter detergunt, & refrigerant, eapropter *aquam plantaginis, solani, nymphæa, aut decoctum hordei cum syrupo de rosis laxativo, sero Lactis* usurpant, adduntq; *trochiscos albos Rhasis, vel alkakengi, vel lithargyrij decoctum* injiciunt, vel *unguentum pompholigos cum ovi albumine, & aquâ hordei, vel sero lactis.* Renibus refrigerantia imponunt, ut urinæ ardor minuatur, ut *unguentum album, Galeni, santalatum, album Rhasis,* & quæ ex oleis frigidis leviter adstringentibus patantur: sed perperam renibus refrigerantia applicant ad urinæ ardorem minuendum; urina enim extrinseco imperanti non audit, ardorem excitat ejus sal in transitu, quem per exulceratam urethram facit, & vesicam, & urethram sanam non lædit, cùm sit naturale harum partium excrementum.

Si glans exulcerata fuerit, vitant emollientia, & exsiccantia adhibent. In principio itàque ulcus mundant *aquâ rosarum, & plantaginis, vel hydromelite, vel aquâ, in qua alumen dissolutum sit,* deindè *vino, in quo folia rubi, myrti, plantaginis, nuc. cupress. balaust. & alumen cocta sint,* in quo panni linei imbuti glandi imponantur, & præputium semper mundant. Postmodùm usurpant *unguentum album camphoratum, diapompholygos, de tutiâ, Lithargyrio, cerussâ &c.*

Ulcera antiqua, sordida, & putrida abluunt *hydromelite cum alumine, vel unguento Ægyptiaco, vel Apostolorum cum lixivio, vel auripigmento, in aquâ rosarum soluto,* ne ampliùs serpant.

In ulcere virulento *præcipitato cum unguento rosaceo misto* utuntur, & præcipuè si à lue venereâ ortum ducat, & huic insistunt, donec virulentia ablata est. Si callosum sit, partem fovent *decocto malvæ, alth. sem. lini, vel medicamento digestivo,* donec callositas separetur. Quòd si præputium intumescat, & ulcus sub ipso latens, medicamentis tractari nequeat, dolor perseveret, & ulcus serpat, præputium secundum longitudinem incidunt, ut ulcus mundificari, & commodè curari possit.

Si ulcus in penis meatu delitescat, abstergentia, & glutinantia per syringam injiciunt, nimirum *aquam plantag. equiseti, myrtill. vel harum plantarum succos, vel trochiscos alkakengi cum aquâ rosarum,* vel sequenti utuntur.

℞. *Vini alb. lib.* j.
aquæ rosar. &
plantag. ana ℥. iij.
alum. usti ʒ. ij. ß.
virid. æris ʒ. j.
camph. ∋. j. *m.*

Vel utuntur unguento à *Petro Bayro* descripto, ut

℞. *Succ. extremit. rubi fruticis.*
rosarum,
aceti ana ℥. ij.
thuris,
mastiches ana ʒ. iij.
lithargyr. auri ℥. j.

vitrioli

vini malvatici ℥j. vj.
succ. sempervivi ℥. iij.
aquæ vitæ ℥. iv.
virid. æris ℥. ij. ß.
vitrioli,
alum. usti ana ℥. j. ß.
camphoræ ℥. j.
ol. rosar. ℥ vj.

Pulverisatis pulverisandis subtilissimè, & cribratis, coque omnia lento igne, excepta camphorâ, quæ in fine addatur, usque ad succorum consumptionem. Addatur cera & f. unguentum.

In ulcere penis curando præmittimus medicamentum purgans *ex extracto catholico cum manna mercurij, vel pilulis de terebinthinâ cum mercurio dulci*, & postmodum decocta sudorifica, vel potiones vulnerarias ad aliquod tempus continuando. Interim si ulcus sit recens, conducit *unguentum album ex succis refrigerantibus, vel de tutiâ, pompholyge, lithargyrio, plumbo &c.* Si fuerit antiquum, vel sordidum unicè prodest unguentum Magistrale n. d. Si aliqua luis venereæ suspicio adsit, convenit *mercurius dulcis pulvere tenus, vel præcipitatus incarnatus, vel magnum calcinatum Paracelsi unguento mistum*, vel illud leviter *aquâ mercuriali* tangatur. Si callum ob temporis diuturnitatem contraxerit, præter hæc utilis est *aqua salis armoniaci, vel pulvis ex sabinâ, sale armoniaco, vitriolo, & alumine usto.* Si ulcus in glãde sit, vel sub præputio, quod ità in molem intumescat, ut nullatenus præputium retrocedere possit, & ulcus appropriatis remedijs tractari nequeat, tunc siphunculo dextrè immittatur inter glandem, & præputium *infusio lapidis calaminaris, vel saturni* & interim præputium foveatur *spiritu vini, vel lacte, in quo ebullierint folia hyoscyami, & aliquot papaveris capita, vel aquâ spermatis ranarum.* Vel secundum longitudinem præputium incidimus, & est via compendiaria. Si urethram excruciet ulcus ad urinæ ardorem minuendum per os propinamus *syr. Dialth. Fernelij, & de mucilaginibus cum oculis cancrorum fluviatilium, in aquâ malvarum*, negligantur fortia diuretica. Non desint interea injectiones ex lacte dulci, & recenti, addito sale Saturni. Sequens leniter derergit, & exsiccat ulcus ex mente *Iohannis Dolæi*, ut.

℞. *Aquæ hord.* ℥. ix.
plantag. ℥. j. ß.
salis Saturni gr. xxv.
mell. rosar. colat. ℥. j.
camphoræ gr. xii. *m.*

Fiat hujus misturæ bis in die injectio. Vnicè prodest *spiritus mercurij dulcis in infusione lapidis calaminaris.* Quantùm in percurandâ gonorrhoeâ hæ injectiones valeant, experientia te docebit.

Egimus, de genitalium mulierum, ac virorum ulceribus, & eorum anatomen summis libavimus labijs; hinc non extra choræam erit aliquantulum circa horum organorum sensationem, quæ Veneris dicitur, digredi, nàm omnes alias antecellit, huic omnes ancillantur, omnia obediunt membra, & cùm sensus iste suam exerceat sensationem, omnes alij feriantur, & post victum omnia viventia pro hoc sensu pugnant. Iupiter ipse Divum, ac hominum pater, depositò majestatis decore, pro hujus sensûs voluptate, non infrequenter sub vario animalium amictu latuit. Quot vitæ pericula subeunt homines pro hoc sensu, labores, ærumnas pauperiem, innumera mala, &

ipsam

ipsam cladem patiuntur, nec resipiscunt, est revera à Naturâ illâ ignotâ Deâ inditus appetitus. Ipsa bruta pro hoc dimicant; asinus, animal melancholicum hujus sensûs percitus œstro, gratas modulatur melodias. Tandèm muscæ, dùm nos vescimur, nostris in patinis hujus actus exercent sensum.

Cap. LI.

De Veneris Sensu.

HUjus rei occasione materiæ novam aggredimur rem pertractandam; cumque post cujuscumque organianatomem, ad aliqua sensationum quarumlibet de nostro more digrediamur, operæ pretium existimavimus nonnulla de hujus sensationis materiâ per digressionem delibare. Scimus rem, si penitus eruditorum auribus haud novam, vulgatibus tamen incognitam, aut hucusque quod sciverimus intactam; quapropter, ut scientiæ amatoribus viam sternamus, atque physiologis, & magis philosophandi, & quamplurima inveniendi iter indigitemus, de Veneris Sensu hîc pertractabimus. De hac re quærimus: an inter alias sensationes ponenda sit, & quare, ubi incidenter, quæ ejus naturam, & cognitionem sapiunt phœnomena exponemus.

Ut autem adversariorum pravo per prævention em satisfaciamus ingenio, nostram mentem patefaciendam in cujusdam objectionis solutione in hoc vestibulo opportunum duximus.

Opponunt igitur vesaniores nonnulli: Hanc sententiam ut potè Ecclesiæ Statutis obnoxiam, vel ut damnatam eliminandam, vel ut morigeratis auribus differmem penitùs obliterandam, eòque fortiùs, Cadjiciunt alij) quia in puris naturalibus neque meremur, neque demeremur; cùm itaque in actibus sensationum merè naturalibus, præciso omni voluntatis assensu, nullum adsit aut meritum, aut demeritum, ut videre est in olfactu, gustatu &c. fit, ut aliquandò in hujusmodi sensationis exercitio nulla habeatur malitia, quo circà tum Ecclesię statuta, cùm & Summorum Pontificum Maximorum damnationes ruerent in præceps. Sed ut horum zelo faciamus satis.

Dicimus Ecclesiam Sanctam Catholicam, cujus filiationem profitemur, nunquàm aut per Decretum, aut per Concilia, Canones, Constitutiones, Bullas, Motus Pontif. Maximor. proprios, aliaque ejusdem Acta Sanctiones &c. quæ nobis constiterint, declarasse: Quinque tantùm de fide tenendos esse corporis sensus, hisque neque alios addendos, atque ab illis alios demendos non esse sub aliquâ vel excõmunicationis, vel interminationis divini judicij, vel quacumque pœnâ infligi in his casibus sõlita; sed tantummodo eadem Sancta Mater Ecclesia conformans se communioti populorum opinioni, usui, ac doctrinæ Peripateticorum, ac Stoicorum dogma amplexata est, in quo docent: Quinque esse corporis sensus, nempè: *Visum, Auditum, Gustum, Olfactum, & Tactum.* Cum hoc tamen facultatem non bãtulit Physiologis, ut plures possint sensationes in humano corpore investigare; Quòd si fortè hoc etiam contra nostram sententiam aliquandò stabilierit, ejus decisioni ex tunc pro tunc nos sub-

submittimus. Præterea eadem Sancta Mater Ecclesia extremæ unctionis Sacramentum pro infirmis ad remittenda peccata mortalia, quæ à sensibus originem ducunt, instituit, cùm nihil sit in intellectu, quin prius fuerit sub sensibus; undè omnia quinque sensuum organa inungenda decrevit, & quia in lumbis, seu renibus vasa spermatica vicina irradiantur à sero acri, & salino, quod titillationem excitat ad Veneris stimulum, & desiderium proritandum. Hinc in extremæ unctionis administratione renes, seu lumbos (quæ inunctio in fœminis propter decentiam, & honestatem omittitur) tanquàm Veneris sensum à quinque distinctum esse inungendos sub hac verborum formula instituit: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.* Insuper quotidiè precatur. *Vre igne sancti Spiritûs renes nostros, & cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.*

Circa ea, quæ opponunt, nempè hanc sententiam castis auribus obnoxiam, in suâ genesi præfocandam.

Dicimus materiam de generatione animalium, anatomen uteri, naturæ mulierum, penis, genitalium, ut dicunt, commistionem in generatione petagendâ, seminis ejectionem in utero vel per suctionem, vel per jaculationem &c. magis, & quam maximè legentium, ac auditorum aures offendunt; neque ex hoc factum est, ut *Doctor Angelicus*, qui præ cæteris omnibus hanc de generatione materiam dilucidiùs aut scripsit antèà, aut docuit *Scotus*, torque alij Sanctissimi, atque honestissimi Viri, Patresque aliquam commaculam, aut in aliquam irrepserint labem; satis enim longè distant theoricè scribere, & in praxim cognita, ac philosophata deducere. Adsunt ad præsens innumerabiles medentes, atque Medicinæ studio addicti; fiunt indies ubique terrarum cadaverum dissectiones in publicis Academijs, nec non in privatorum ædibus Anatomiæ, in quibus, ea, quæ in scriptis, vel voce à præceptoribus didicerunt, re oculis, tactuque, ut ità dicamus, experiuntur, & ibi pudenda quælibet marium, fœmellarumque non quò ad extrinsecam tantùm speciem, sed quò ad internas eorum partes, ac particulas offeruntur, non considerandà modò, verum etiam & videnda, & tangenda. Quid dicemus de honestissimo viro *P. Thomâ Sanchez?* qui in suo aureo opere de Matrimonio, & præsertim ubi agit de usu Matrimonij, ità clarè de hac materiâ scribit, præcipuè cum modos exponit, remque ipsam matrimonij practici, ut in eo ad plura sæcula versatus videatur, licet in ore castissimus. Quid de Confessarijs dicemus non solùm in audiendis furtorum Veneris criminibus, verùm etiam in eis interrogandis pro peccatorum circumstantijs sciendis, ut justum de peccatis judicium ferant, & sententiam dicant? Et tamen præter oppositores, nemo adhuc hæc omnia ut honestis auribus hominibusque obnoxia esse prædixit ex hoc capite.

Tãdèm quod attinet ad id, quod opponunt: nempè in puris naturalibus neque meremur, neque demeremur &c. fatemur optimè Sacr. Theolog. in hoc axiomate fuisse eloquutos; at in applicatione ejusdem sententiæ arguendos,

imò probris omnibus cumulandos esse adversarios sentimus; Quis enim in homine Venerea tanquàm merè naturalia, & purè naturalia unquàm somniavit? Nonnè inter omnes quum Theologos, tùm etiam Doctores convenit in omnibus actibus meriti, & demeriti capacibus voluntatis electionem esse ex necessariam? Quis autem inficias ibit in omnibus Venereis suggestionem, delectationem, atque assensum intervenire tria à *Divo Gregorio Magno in lib. moral. requisita*, & *in Decret. C. p. pensandum est 6. dist. Tribus perficitur peccatum?* Cùm igitur nullus reperiatur Veneris actus assensu voluntatis expers, fit, ut merè naturalis non habeatur; quinimmò malitiâ sæpe includat, cùm à voluntate imperetur, præciso tantùm Sacramenti Matrimonij exercitio, quod à Christo Domino institutum, non solùm malitiam excludit, labemque omnem eliminat, verùm etiam ad gratiam conferendam elevatur.

His igitur præhabitis, rem nostram aggredimur. Si antiquorum consulere volumus Philosophorum placita, uno excepto *Aristotele*, quem *Stoici* sequuti sunt cum vulgo Peripateticorum quinarium sensationum numerum definientes, alij melioris notæ sapientiores multò plures sensus agnovêre, præsertim *Divinus ille Plato* qui in *Theæteto* præter vulgariũ sensus: *Refrigerationes, calefactiones, voluptates, & dolores, cupiditates, & qui vocantur timores* pro sensibus agnovit, à *Doctissimo* forsan *Democrito* sententiam mutuatus, hic enim *Plutarcho teste in* 4. *de Placit. Philosophorum cap.* 10 *docuit Democritus plures esse sensus, brutorum, animalium, Deorum, sapientum.* Et sanè, si horum maximorum Philosophorum opinionem in trutinam revocare vêlimus, à veritate non longè abesse comperiemus; & etenim calefactio, ac refrigeratio (sive quod harum altera in positione, altera in carentiâ consistant, ut in nostrâ Pyrotechniâ lib. 2. cap. 1. & alibi tetigimus, sive quod ambæ positivæ sint) certum est per contactum, vel particularum ab igne, vel alio corpore emanantium ad aliud corpus, vel per earundem particularum à corpore calefacto recessum, vel frigorificarum molecularum concursu in nobis imprimi, quibus per poros insinuatis, vel motu inducto, vel retardato, calidâ, vel frigidâ sensatione afficiamur oportet. Hoc autem ad merum tactum redigere nimis insipidum foret, tùm quia omnes alij sensus, licet per contactum perficiantur, ut in cujuslibet illorum tractatione explicemus, attamen ob aliam functionem à tactu prorsùs diversam, quamvis à tactu originem capiens, diversam vidimus constituisse sensationem; tùm etiam quia tactûs objectum, absolutè loquendo, est corpus; hoc autem sub irradiati specie facit visionem, sub sapidi formâ gustatum &c. Quapropter sub calidi, frigidi, lenis, asperi, mollis, duri &c. alias etiam sensationes efficiant necesse erit. Ad hæc ab omni prorsus dubitatione alienum est, non sensus quoscumque tantùm, verùm etiam, & intellectum nostrum, licet spiritualem, utpotè limitatum, non posse eodem temporis momento duo diversa penitus considerare, undè multò minùs visum v. g. duo diversa contingere, ut album, & nigrum, & sic de cæteris: cùm igitur animadvertamus in eodem contactu non solùm corpus

sen-

sentiri verùm etiam calidum, aut frigidum, molle, vel durum, grave, aut, leve &c. illud sit, operæ pretium duximus asserendum quammaximè interesse inter eam sensationem, qua corpus contingimus, & eas, quibus calidum, frigidum, leve, ponderosum, molle, durum &c. persentimus. Præterimus famem, nauseamque stomachi, dolores, & in nonnullis corporum partibus titillationes, quæ omnia, præter alia sensus esse neminem sanæ mentis prærerit,

Sed ut radicitus, ut dicunt, rem persecutemur, sensationum omnium naturam ex quatuor solent Physici, seu Animastici investigare, nempè ex fine, ex organo, & objecto, & ex sensorij functione, quam propriè sensationem appellant; cùm itàque hæc omnia in Veneris exercitio eluceseant, jure merito inter sensationes alias reducendum esse Veneris sensum existimamus; & ut à fine initium capiamus,

Apud omnes est in confesso D. O. M. totius Universi Archetypum, omniumque creaturarum Protoplastum, post omnium creationem ex nihilo, Adæ, ejusque successoribus assignato omnium rerum dominio, ut *Genes. cap.* 1. habetur: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Modum eis præbuit utilia eliciendi, ac noxia rejiciendi per sensationes; & quoniam ex ijs, quæ utilia humano generi sunt, nonnulla vitæ commoditatibus, quam plurima individuorum conservationi, ac etiam propagationi conducunt; idcircò omnia prospiciens Creator omnium Deus, suæ Divinitatis Typo, hujusmodi sc. sensus externos, internosque contulit, quorum beneficio mens nostra excitata, & meliora seligat ad corporis commoditatem, vitæque conservationem, blandumque sensuum suique oblectamentum, & nocua, ingrataque avertat; sic licet omnia comestibilia ad vitæ conservationem utilia experiantur, attamen prudentior animus ex eduliorum congerie ea solet eligere, quæ non modò conservationem intendunt, & sensibus alijs gratiora prospiciuntur, & in unâ eâdemque operatione, & vitæ conservationi, & sensuum oblectamento faciamus satis.

Cùm igitur per enarrata vitæ sustentationi subventum sit, placuit Altissimo ea etiam disponere, quæ ad generis propagationē facere animadvertimus, quapropter hominibus Veneris usum concessit, quo non solum allicerentur suimet ipsius perpetuitati consulendo, sed ab hujus exercitij oblectamento absortus, & ne gravis ei uxoris pondus videretur, blanditiam in coitu impertitus est tantam, ut aliquandò suimet, parentum, fratrum, sororum, amicorumque oblitus, ea solum intendat, quæ matrimonij usum comitantur, juxta illud *Genes. cap.* 2. *num.* 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ,* Quia cum eâ per copulam una caro fit. Quæ omnia ità cum veritate copulantur, ut ab ineffabili Ecclesia statutum sit: Matrimonij finem primarium esse filiorum procreationem intendere, secundarium verò concupiscentiæ solamen; quia verò ab aliarum sensationum exercitio hujusmodi filiorum generatio haberi non potest, nec aliud adest organum, modusque alius non apparet talia peragendi; idcircò asse-

rendũ putamus ratione finis, quem alio ex capite obtinere minimè valemus, Veneris delectationem sensum esse ab omnibus omninò diversum constituendum.

Prætereà apud omnes etiam vulgares convenit: In quolibet sensu duos fines dignoscendos esse, quorum alter sit primarius, pro quo est à Naturâ institutus, alter verò secundarius consistens in solatio illo, quod à sensûs usu percipitur; sic in Gustatu v. g. primarius est finis ea libare, quæ ad vitæ conservationem conducunt; secundarius verò solamen persentiscere ex eduliorum blando sapore, Auditûs finis primarius est sonum advertere, secundarius à soni harmoniâ blandimentum recipere, ut in musicis melodijs observamus, & ità de alijs est sermocinandum. Cùm ergò in Veneris usu, & eum animadvertamus finem, pro quo primò à Naturâ intentus est, nempè filiorum procreatio, & illum, qui sensationem comitatur, nempè delectatio, fit, ut ex finium ratione, eorumque diversitate ab alijs sensationibus, Veneris Sensus diversus constituatur; Sed ex organi designatione hunc sensum designamus.

Constat apud omnes ex penis anatome hunc esse instrumentum, non modò ab alijs penitùs diversum, sed à Naturâ propriè ad hanc sensationem principaliter perficiendam destinatum, secundariò ad urinam excernendam. Dicemus cùm de alijs organis, atque sensuum instrumentis mentionem faciemus, non solùm contactu, verùm etiam in pelliculâ quadam fibrosâ, inque papillis, nervorumque fibris omnes sensationes institui; Ecquis unquàm inficias ire poterit penis glandem, urethram, ejusque connexionem cum vasis pampiniformibus, & spermaticis merâ tantùm membranulâ constitutos esse? Cumque ad tactûs organum per totum corpus diffusum natura cutem destinaverit, ad gustatum verò, odoratum, auditumque aut cuticulam aut nervos, sicuti videmus in pene, cur itàque dicendum non erit hunc quoque pro instrumento, sensorioque ab alijs penitùs diverso à naturâ fuisse institutum?

Prætereà videmus omnes alios sensus externos non influere tantùm, verùm etiam & famulatum quendam huic Veneris sensationi exhibere, sicut etiam & quos dicunt internos; etenim si oculus v. g. alicujus objecti pulchrioris irradiatione percellitur, transmisso ad imaginativam, sensusque alios internos (si qui sunt) rei visæ idolo, ad animum usque diffundit, qui conceptam imaginem non intelligit solùm, appetitque; sed per quandam, ut ità dicamus, sympathiam spiritus coagitat, dirigitque ità, ut ad penem usque traducti pruritum, & vellicationem in eodem incutiant; Quapropter satis bellè Magister amorum, *Ovidius* cecinit.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Eodem proportionaliter modo de alijs etiam sensationibus est discurrendum; Hæc autem veritatem involuunt tantas, ut eam prævidens, intelligensque provida Mater, atque sollicita nostræ salutis Ecclesia declaraverit: Omnes actus sive antecedant, sive comitentur, sive subsequantur copulam Veneream, omnimodâ remotâ materiæ paruitate, esse penitùs lethalia.

His adde, quod tametsi insinuaverimus molle, durum, calidum, frigidum,

dum, asperum &c. sensationes esse admittendas à simplici contactu omninò diversas, attamen in Veneris exercitio, (prout hæc sensatio alias omnes absorbet) hæc omnia ad copulæ perfectionem concurrere animadvertimus; Quis enim in hujusmodi actu ex duro, aut molli contactu pruriginem, seu excitationem, excalido, aut frigido intensionem, seu remissionem, ex aspero, aut lævigato irritationem (uxoratis consulatis) non percipit?

Sed potissimam rationem in medium proferamus: Apud omnes etiam vulgares est in comperto tactûs organum per totam cutem esse diffusum; cùm enim per eam papillulæ ab Illustrissimo *Malpigio* notatæ animadvertantur, in quibus tactus perficitur, licet exquisitiùs in manibus, fit, ut per totam corporis peripheriam tactûs organum extendatur, id, quod clariùs evincitur, si consideremus à frigido, aut calido, ab aspero, aut leni, à duro, aut molli, ab humido, aut sicco &c. quæ à vulgatibus simplici tactui tribuantur, quascumque corporis partes affici; si ergò Veneris sensatio ad merum tactum esset reducenda, fieret, ut per totam cutem, ac per quascumque partes peripheriæ corporis persentisceretur, quod repugnat autopsiæ, experientiæ, & rationi, cùm contrà experiamur in solo pene, & in designatis ejus partibus inferiùs explicandis, hanc sensationem compleri, non alio prorsùs modo, ac visio in oculo, olfactio in naribus gustus, in linguâ, & palato, & auditus in auribus, tanquàm in specificis organis à naturâ, ad illos actus peragendos, designatis. Præterquam quòd nimis frigida hujusmodi esset sensatio, si in solo tactu consisteret, cùm etiam observemus contactum esse medium, quo ad Veneris copulam perveniunt, eandem copulam in praxim deducentes. Ex quibus clarè convincitur hujusmodi sensationem malè à vulgo ad tactûs sensum fuisse hucusque redactam.

Ut autem de objecto aliqua loquamur; certum est apud omnes Pulchrum, aut reverea tale, aut apparens, objectum esse movens, seu excitans Venerem, quatenùs rei visæ, auditæ, contactæ &c. imago ita imaginativam afficit, omnesque alios, quos internos sensus appellant, ut ad animum usque percurrens illum de re visâ, auditâ, contactâ &c. admoneat, qua cognitâ, præter quàm desiderio quodam percellitur juxta impressionem à sensibus immissam aut maximo, aut minimo, aut mediocri objectum assequendi, quamobrem media etiam elicit, disponitque ad finem obtinendum proportionata, sed insuper à fruitionis illecebris agitatus spiritus immittit ad genitalia, qui musculos erectorios prurirando, vasaque spermatica inflando mediâ seminis, salisque in spermate contenti excitatione, & penis erectionem, & seminis jaculationem moliuntur; Undè fit, ut his affectibus exagitatum animal, & animi inquietudinem, & corporis inquiescentiam patiatur, quatenùs à rei apprehensæ, & amatæ desiderio continuò vexatur, ut in ejus aut continuâ contemplatione persistat; Undè *D. Augst.* stabilierit: *Amantis animam plùs esse, ubi amat, quàm ubi animat*; aut perpetuâ possessione lætetur, cùm rei desideratæ perceptio maximum hilaritatis, gaudij, lætitiæque obtenti elargiatur, aut carentiâ vel minimâ cruciatur, cùm rei amatæ privatio

ità orbatum exquisitiùs exagitet, sicut ejusdem fruitio naturalem beatitudinem impertitur, juxta illud *Petri C. Bembi.*

Se più duraſſe l'uomo in tale ſtato,
Perfettamente ſi doria beato.

Corporis verò, quatenus à sensibus alijs, & maximè à Venere torqueatur, & ab animi affectibus angatur; visus enim in rei delectæ tantum observatione immergi, tactus in ejusdem contrectatione absorberi, auditus in perfectionum objecti sermone detineri, gustatus in ejusdem suavi deosculatione præfigi non exoptant modò, verùm etiam omnibus viribus aveant, desiderentque.

His insuper addendum pro objecto, quod dicunt proximum hujus sensationis, fruitionem scilicet, vel aliàs expertam, vel primò intentam, quammaximè in hunc affectum impellere; Imago enim præhabitæ, vel primò obtinendæ delectationis ità phantasiam afficit, alioſque, siqui sunt, sensus internos, ut ab eâdem illecti animum regulariter perturbent, qui à concupiscentiâ (ut verbis *Apoſtoli Iacobi* utamur) abstractus, & illectus, rectæ rationis oblitus, & in sensuum delectatione absortus fruitionem concipit, possessionem elicit rei, expetit, machinatur. Undè tot errores, tot mala, & quod pessimum, tot peccata proveniunt.

Sed ad sensorij functionem, quæ propriè sensario dicitur, transitum faciamus. Uti superiùs insinuavimus, præsupponendum ducimus omnes alios sensus tùm externos, tùm internos in Venerem influxum facere, dùm visus in objecti amati pulchritudine, gustus in ejusdem dulcedine, auditus in illius harmoniæ repræsentatione, olfactus in ipsius putido odore, tactusque in contrectatione, ac interni sensus in rei idolo immersi fluctuent, æstuentque; Ex quo fit, ut spiritus, quos nuncupant animales ab omnium facultatum discrasiâ perturbati, & cerebrum quandoque exagitent, undè aliquandò Mania, phrenitis, aliaque mala proveniant, & cor aggrediantur, cujus regularem motum deordinando, aut palpitus, aut lipothymias, aut alios producant morbos, & in sanguinem se immittendo, vel novam fermentationem promovendo, febres generantur, vel heterogeneas sanguinis particulas excitando, & spirituosas exaltando, quamplurium affectuum malignorum Iliadem congerunt, coacervant, agglomerantque (Heu quanta malorum pessimorum congeries ab unâ concupiscentiâ scaturiginem sortitur!) Et genitalia pruritando, vasaque seminalia inflando, partem spermatis volatilem, salitamque ad sui extricationem irritant; quamobrem particulæ quædam per eorundem vasorum poros avolando, vel in musculos incurrunt erectorios, & majorem illis erigendi energiam communicant, suâque gratâ, blandâque vellicatione delectationis Venereæ radium quendam immittunt; aut ob earundem tenuitatem granum hordeaceum aliquantisper removendo, ansam præbent fluidiori, minusque viscidæ spermatis particulæ in urethram decidendi, undè seminis guttula suo volatili sale scatens membranam urethræ internam, glandemque quodammodò prutitans, minimulæ speciem delectationis in ejusdem papillulas insinuat, qua papillæ nervorum

rum, filamenta, nervique ipsi effect., & ad cerebrum illam transfundunt, & imaginativæ repræsentant, & mentem ejusdem rei advertentem satius quàm par est, non expergiscunt solùm, verùm etiam stimulant, impellantque. Quapropter à delectationis complemento absorta, Venereque tantummodò affectans, ejusdem exercitium appetit, satagit, tandémque periclitatur. In hac autem operatione tantus, & adeò inordinatus est corporis æstus, totque observantur non solùm motuum varietates, sed convulsionum, motuumque convulsivorum in corpore affectus, ut non immeritò pronunciaverit *Hippocrates, Coitum brevem esse epilepsiam*, prout refert *Macrobius in lib. Saturnal.* necnon *Aul. Gell. noct. Atticarum lib. 19. cap. 2.* quod etiam *Faustus* hoc disticho perbellè canendo explicavit:

Turpis, & est morbi species horrēda Caducis,
Cùm jacet exanimis post sua furta Venus.

Ut præteream *Stobæum* hanc sententiam *Maximo Democrito* tribuentem; neque ab hoc dissensit *Gal.* qui *lib. 14. cap 10. de usu partium: Quantùm enim ad ea, quæ in vasis continentur, excernenda, ipse partium velut Spasmus, qui in coitu Venereo accidit, habeat momenti, ex magnis epilepsijs, & eo affectu, qui gonorrhæa, ideſt invita seminis effluxio, nuncupatur, discas. Siquidem in vehementibus epilepsijs, quod corpus totum vehementer convellatur, & cum eo partes genitales, semen idcircò excernitur.* Quod etiam approbavit *Cœl. Aurelian. lib. 1. cap. 4.* asserens: *Coitus ab aliquibus parva epilepsia nuncupatur.* Nec immeritò cùm in eodem actu membrorum omnium motus involuntarijs observentur, nervorum contractio, artuum tremor, oculorum inversio, lumborum impulsus, per cutem sudor, totiusque corporis laxitas haud immodica &c. quæ omnia symptomata sunt epilepsiam concomitantia.

Probatâ igitur ex quolibet quatuor capitū, nempè à fine, ab objecto, ab organo, & à sensorij functione Venereę sensationis existentiâ, ac veritate, ad ea deveniendum existimamus, quæ hujus rei ratio, phænomena, secùm affert; pro quibus,

Primò quærimus, in qua hujus organi parte sensatio hæc perficiatur.

Pro cujus quæsiti extricatione dicendum arbitramur totum hujus sensationis momentum à sale volatili in spermatis substantiâ stabulante, haberi: Hoc enim à spiritibus immissis agitatum, à motu, in Veneris actu exagitato, sollicitatum, atque è partium inter se confricatione, necnon à spiritibus, alijsque particulis ad motum extricatis impulsum in tantam exaltatur energiam, ut loco stare nesciens, sua pernicitate è vasorum spermaticorum, ac vesicularum seminalium orificijs, totam secum spermatis substantiam trahendo, in urethram immittit se se, ibique aliquam à viscidâ seminis substantia extricationem nanciscens, membranulam urethræ internam pruritans post granum hordeaceum ità bland ssimè afficit, ut supra omnem delectationem maximam jucunditatum impertiatur, & quoniam per eandem urethram fluens, eandemque membranulam offendens usque ad glandis orificium extremum & tangit, & vellicat, pruritatque idcircò fit, ut per totam urethram sensatio diffundatur; Quia

verò

verò tum in urethræ radice, cùm in glãde, ibi ob primam seminis à seminalibus vesiculis jaculationem sal volatilis in ejusdem porulos se insinuans suavissimè pruritat; hic ob eorundem pororum laxitatem non solùm à motu, & à calido contactu, ac calorificis particulis receptis quæsitam, sed à sui temperie, ac constitutione veluti spongiosâ inductam, sal volatilis insinuat se se in majorem portionem, ubi vel quia magis se conformat glandis poris, vel quia magis replendo saturat, majori afficit pruriginis blanditie, ideò majus sentitur oblectamentum. Diximus ob majorem laxitatem à motu, contactu calido, ac particulis calorificis receptis; etenim hæc omnia majorem in glande, quàm in reliquâ penis parte impressionem efficiunt, cùm glans simplici epidermide, penis verò & cute, & cuticula vestiantur.

Et quoniam, ut explicuimus, cutis, nervorumque papillæ, fibræque urethram vestientes, penemque constituentes cum nervis communicant, fit, ut ad cerebrum usque suam pruriginem, blandumque contactum diffundant, ex quibus animus expergefactus, omnia advertat, lætetur atque eodem oblectamento satietur.

Quærimus secundò, in quanàm Vulvæ parte Veneris sensatio in mulieribus perficiatur?

In hac difficultate respondendum putamus: Organum hujus sensationis in fœminis constitutum esse, & in tentigine, mentulâ muliebri, seu Clitoride, & in cervice, seu colli uteri ad internum matricis orificium usque; ibi enim à confricatione magna diffunditur mulieribus oblectatio; hîc ab vulgò dicti seminis, saliſque in eodem volatilis contenti emissione; quatenùs eodem, ac in viris modo uteri membranulam interiorem pruritat; &

Hinc fit, ut quæ strictiorem habent fœminæ naturam, collumque uteri obductius majorem persentiscant ex penis immissione, ac proportione juounditatem; Undè etiam oritur, ut majori afficiantur blanditie utero gerentes, quàm vacuæ mulieres; etenim in illis quò magis uterus ob fœtûs receptaculum dilatatur, eò magis matricis collum restringitur, quare magis cum pene aptatur, atque ab ejus confricatione vellicatur. Undè etiam accidit, ut aliquandò penis glandem ab utero complecti, constringique in coëundo animadvertant viri; nàm perveniens glans in internum uteri orificium, ità interdùm cum eo aptatur, ut ferè constringi, ac complecti videatur; &

Hinc ultimò fit, ut prope seminis ejaculationem, & magis dilatent crura mulieres, majorique ac anteà impetu, contra virum impellant sese, vitique nates constringant brachijs, manibusque; in eo enim actu penis contactum prope internum uteri orificium exoptant, ut eo irritatæ vesiculæ dictæ seminales, promptiores ad materiam illam, vulgò semen dictam, ejaculandam evadant.

Cæterùm hîc sextum sensum, quem Veneris appellamus, illum monemus, ac protestamur intelligere, qui modo legitimo, & divinis legibus, mediante matrimonij Sacramento, concessò exercetur, & non aliter.

Cap. LII.

De Excoriatione, & Vlcere Scroti.

SCrotum est rugosus ille testiculorum saccus, quem nonnulli etiam Scortum appellant, quod quandam coreacei sacculi similitudinem refert; Scortea enim veteres appellabant quæcumque ex alutâ, aut pelle constabant. Dicitur etiam vulgò bursa, seu marsupium virile foris propendens, & tactui obvium est. Molle, & rugosum ad faciliorem extensionem, & corrugationem, inter scroti tunicas nulla interijcitur pinguedo, quia oneri, & impedimento huic parti fuisset. In infimâ parte lineam habet secundum longitudinem excurrentem, quæ in dextram, & sinistram partem ab Anatomicis dividitur, & sututam appellant. Constat cuticulâ & cute tenuiore, quàm alibi, huic interius adhæret alia tunica tenuis ex panniculo carnoso enata, venis, & arterijs referta. Constat musculo corrugante tenuiori, Dartos appellata. Hujus musculi ope accidit, ut quampromptissimè scrotũ corrugetur, vel relaxetur; undè facilè redditur ratio, cur in ægrotantibus infantibus relaxetur, & in sanis corrugetur: mulierculæ enim cùm Scrotum corrugatum conspiciunt, rectè valere, contrà verò si relaxatum propendeat, infantem ægrotare judicant, quod, & de viris etiam observatur, ut quispiam in se sano vel ægroto experiri potest.

Hoc Scrotum multis langoribus obnoxium est, sed nos hîc tantum secundum nostrum institutum de ejus ex coriatione, & ulcere agimus.

Signa.

Scroti excoriatio deprehenditur ex dolore urente, cuticulæ ablatione, vel erosione, & aspectu patescit. Ulcus visui occurrit, adeo ut alijs non indigeat signis.

Causæ.

Censent vulgares excoriationis scroti causas esse humores acres urinam in ipsis infantibus partem hanc diutiùs inundantem, & cuticulam erodentem; in adultis eandem causam, si urinam in lecto emittant; in hydropicis serum, vapores, & impuritates acres circa scrotum collectos, vel scalptionem, à quibus epidermis dilaceratur. Ejusdem ulcus ab humorum acrium affluxu, vel post inflammationem suppuratam, & quidèm vel solam, vel cum testibus excitari volunt.

Excoriatio, & ulcus scroti fiunt à particulis acidis, & salsis valdè acutis, & corrosivis in lymphâ, sanguine, vel succo alimentitio circulantibus, vel stagnantibus superficietenus lacerantibus vel profũdius fibras erodentibus, fiunt etiam à fortiori scalptione, frictione,

aliarumvè rerum corrosivarum admotione, vel lue Venerea, ulcus quandòque à suppuratâ inflammatione : excoriationis itaque causa est minor, ulceris major, hi enim affectus secundum magis, & minus differunt.

Prognosis.

Scroti excoriatio, & ulcus non sunt contemnenda, nàm excoriatio in ulcus, & hoc, cùm sit in loco humido, facilè in gangrænam degenerat.

Curatio.

Scroti excoriationem in infantibus curant vulgares linteis mundis, & siccis sæpè appositis, vel aspersо subtilissimo *myrtillorum pulvere*, vel sequenti unguento, ut.

℞. *Vng. de cerussâ* ʒ. ß.
lithargyrij ʒ. j.
ol. ros. parum,
f. Vnguentum.

In adultis verò humorum acrimoniam corrigunt, & nonnunquàm eorum colluviem evacuant, deindè ad topica deveniunt, ut sunt *decoctum plantag. & ros. in lacte, unguentum rosatum, de tutiâ, populeonis, vel empl. album coctum*, & impositum.

In scroti ulceribus humores præparant acres *syr. de cichor. lupul. sumar. simpl. cum ijsdem aquis*, deindè præparatos evacuant *syr. de fumar. maj. & confect. Hamech.* Postmodùm ulcus mundificant *unguento Apostolor. cum Ægyptiaco misto*, mũdificato ulceri applicant *unguentum de plumbo, tutiâ, lithargyr. minio &c.* quousque cicatricem inducant.

In scroti excoriatione, & ulcere ea conducunt medicamenta, quæ particulas salinas, acidas, & corrodentes hebetant, temperant, & cicurant, ablatam restituunt cuticulam, & carnis defectum supplent, ac si aliquandò purgantibus opus est, conveniunt ea, quæ superfluum absorbent serum, & eliminant, omnibus palmam præripit *Mercurius dulcis cum gummi jalap.* Non spernenda sunt *decocta ex ligno buxi, salsa parillæ, radicis chinæ, ac bardanæ, cornu cervi, limaturæ eboris cum aquâ cardui benedicti parata in duplici vase vitreo*, nec diaphoretica, & porosa, præcipuè si de lue Venerea ambigatur; hæc námque particulas succorum acutas corrodentes superant, & per sudorem, vel insensilitatem transporant, vel per urethram exturbant, ac excoriationi epidermidem restituunt, & ulcus ab ijsdem eripiunt, & mundificant. Has particulas corrosivas in scroti infantium, & adultorum excoriatione hebetant *pulveres cornu cervi usti, lapidis calaminaris præparati, Lithargyrij, cretæ, terræ exanimatæ vitrioli, cerussæ Saturni, Cerussæ antimonij*, præstant *flores cinci*. Commendamus fotum ex herbis sale volatili gaudentibus, *ut hyperico, betonicâ, menthâ, floribus sambuci, chamomillæ. semine lini in lacte coctis*, & post hunc utilis est illitio *ex oleo ovorum, vel nucum*. optimum erit sequens unguentum.

℞. Ol.

℞. *Ol. papaveris* ʒ. vj.
ceræ albæ ʒ. j. ß.
cerussæ antimonij ʒ. xv. *m.*

Quo felici cum successu uti poteris etiam in rhagadibus. Quandòque cum excoriatione pruritus scrotum simul affligit, tunc apprimè convenit sequens unguentum, ut.

℞. *Vng. de minio camphorat.* ʒ. ß.
cerussæ subtilissimè tritæ ʒ. j.
ol. ros. q. s.
ut f. linimentum mediocre,

Quo imbutum linteolum frequenter loco prurienti, & excoriato superpone.

In ulceribus scroti præter jam supradicta interna, conveniunt etiam potiones vulnerariæ, ut.

℞. *Dictamni,*
hederæ terrestris,
vincæ pervineæ,
telephij,
alchimillæ,
stellariæ,
scabiosæ ana m. j.

Coque cum aquâ symphyti in duplici vase apprimè clauso ad lib. ij. remanentiam. Dosis ʒ. vj. *quibus adde.*

aquæ cinnam. ʒ. j.
magist. ocul. cancr. stu. vel coralliorum ʒ. ß.

Vel fiat decoctum vulnerarium calidè applicandum cum plumaceolis; vel per siphunculum injiciendum, si ulcus profundum sit ad testium substantiam, ut.

℞. *Sabinæ,*
aristolochiæ rotundæ,
scordij,
eupatorij,
rad. hastulæ Regiæ, &
symphyti maj. ana ʒ. j.

Coque in aquâ comm. & in colat. lib. ij.
adde
aquæ Reginæ Hung. ʒ. iij.
sacch. Saturni, &
myrrhæ ana ʒ. ij.
camphoræ, &
aloës ana ʒ. j.

Plumaceola hoc decocto imbuta calidè quater in die ulceri imponantur cum suo subligaculo. Utile est *empl. de lapide calaminari, vel fodicationum, vel stipticum, vel oppodeltoch.* Tàm in excoriatione, quàm ulceri scroti in cujuscumque medicamenti applicatione maximoperè necessarium est subligaculum.

Unable to display this page

tionem, imò ferè semper in fistulam perennem, & quandòque in gangrænam transit, cui nisi extemplò succurratur, vix æger eripitur à faucibus orci faciliùs, vel difficiliùs curatur pro minori, vel majori morâ, quam pus in abscessu contraxit.

Curatio.

In ulcere perinæi post ruptum abscessum, statim *digestivo ex ovi vitello, terebinthinâ, & oleo rosaceo* utuntur vulgares & tumidam partem *oleo rosaceo* inungunt, postmodùm pro ulceris absterstione *hordei decoctum, in quo mel rosatum fuerit dissolutum*, adhibent. His nihil proficientibus, in ulcus *decoctum hordei, & scupinorum, in quo unguentum Aegyptiacum dissolutum sit*, per Syringam præcipuè si magna purulentæ materiæ copia adsit, vel in fistulam si inclinare videatur, injiciunt. Vel si profundiùs, aut fistulosum existat, simul *cum hordeo radices aristolochiæ, ireos florent. herbas agrimoniæ, betonicæ, & aliquid thuris concoquunt, & in hoc decocto aliquid de unguento Aegyptiaco etiam dissolvunt*, & injiciunt. Absterstum ulcus *emplastro de Gratiâ Dei, vel Diapalmæ* ad perfectam sanationem usque obtegunt.

In perinæi ulceribus, præsertim à suppuratâ inflammatione genitis, ante omnia succos acutos, & erodentes attemperamus alkalicis, sive porosis, ac diaphoreticis, & potionibus vulnerarijs quibus intermiscemus *magisteria ex oculis cancrorum, & coralliorum, vel stibium diaphoreticum, vel decoctis sudoriferis* pluries antè descriptis, quæ etiam viscidos stagnantes succos fluidiores, & spirituosiores reddunt. Inter topica, si ulcus sit sordidum, *unguentum Aegyptiacum magistrale in parvâ dosi dissolutum in decocto radicis gentianæ, & angelicæ, herbarum scordij, centaurij, & absinthij cum tantillo elixiris vitæ, vel balsami vitæ n. d.* per siphunculum injectum, si fodicatum sit ulcus, commendamus, aliàs plumaceola imbuta quater in die calida applicentur, vel fiunt injectiones *ex aquâ reginæ*, qua absterstâ, optimum remedium erit balsamus proprietatis, imò hæc duo ad perfectam curationem ulcus conducunt. Vel præstans erit medicamentum *infusio myrrhæ, & aloës in aquæ Reginæ.*

Si ab externa causâ corrodente suam geneſim cognoscat ulcus, ut ab urinâ salsiori, vel succo spermatico Venereo, ulceris conditio inspicienda, & juxta hanc exigentiam, & statum tractari debet; Si tamen in cutis superficie spatietur, tunc inspergatur *pulvere cornu cervi Philosophicè pp. Lapidis calaminaris, ceruſſâ, vel flore cinci, vel abluatur spiritu vini camphorato, vel theriacali, vel infusione Lapidis salutis.* Tandèm siquid cicatrizandum supereſt, *emplastri fodicationum, vel stiptici, vel oppoteldoch* applicatione opus complebis.

Cap. LIV.

De Ulcere Tibiarum, & Pedum.

DE tibiarum, & pedum Ulceribus non pertractare proposueramus, verùm quia frequenter accidere solent, breviter dicimus harum partium ulcera operosæ sanationis esse, & multum laboris, ac molestiæ tùm chirurgo, tùm ægroto creare; etenim salia acida, & corrosiva unà cum latice, sanguine, vel alio succo per universum corpus circulantia ad has partes decumbunt, & tanquàm ad extremas, & proclives protrusa, obstructionis, vel visciditatis ope stagnant, fermentescunt, & exulcerant. Ob assiduum ad has partes decubitum, seu defluxum, optima quæque remedia respuunt, & irritam omninò reddunt curationem, & nisi statim sanentur, negligunturque incrementum sumere, partes vicinas exedere, diuturna, & callosa fieri solent, ac proindè incurabilia evadere.

Vulgares pro his curandis ulceribus, corpus, à vitiosis humoribus purgant, repurgantque, attamen purgantia ad hepar dirigunt, hæc nàmque ulcera ab hepate provenire ineptè credunt. Postmodum ulceri *unguentum diapompholygos* imponunt, quod in hoc ulcerum genere efficacissimum prædicant. Vel applicant *unguentum de plumbo, litharg yrio, aureum &c.* & pedem ab inferiori parte ad genu ascendendo arctius constringunt: Verum hæc, & omnia ulcera nunquàm unguenta, & pinguia admittunt, hæc enim poros obstruunt, & indè salia acida, & corrosiva impediuntur quominùs eliminari possint. His unguentis parùm, vel nihil proficientibus, utuntur *emplastro de Gratiâ Dei, Diapalma, vel Gryseo*, & tandèm *plumbi laminam* applicare suadent, vel *Sparadrapum*, ut

℞. *Ol. ros. lib. j.*
cerussæ ℥. *iij.*
Litharg yrij ℥. iv.
thuris,
mastich. ana ℥. ß.
sang. dracon. ℥. ß.
myrrhæ,
sarcocollæ ana ℥. *ij.*

Coque parùm ad rubedinem usque, postea, ab igne amoveantur, & immergatur linteum antiquum, quod materiâ emplastri eximatur, & extendatur, fiat Sparadrapus.

Tibiarum, pedumvè ulcerum recentium, & inveteratorum præsertim curationem acceleramus, exhibentes bis, vel ter pillulas mercuriales, has tamen in scorbuticis vitamus. Postmodum decocta sudorifica, vel potiones vulnerarias propinamus, quibus alkalia admiscemus, tandèm quoad topica ulcus abluimus *beca-*

bun-

bungâ in cervisiâ coctâ bis in die, vel *infusione myrrhæ*, *& aloës in aquâ Reginæ*, sed breviùs ulcus abluimus *decocto aristolochiæ rotundæ facto in vino albo*, quater, vel quinquies in die, calido tamen, & superpositione Laminæ plumbeæ. Vel sequens imponimus emplastrum.

Gryseî ana ʒ. j.
lithargyrij aurei,
ceruſſæ ana ʒ. iij.
ſacchari Saturni ʒ. ß.
gummi elemi ʒ. j.
m. f. emplaſtrum.

Vel imponi potest *emplastrum fodicationum Benedictum n. d. vel Oppotelpolch, vel de lapide calaminari.*

℞. empl. de plumbo,

FINIS. Tom. II.

FINIS. Tom. II.

D. CAROLI

MUSITANI

PHYSIATROS PROFESSORIS.

Academici Peregrini, Pigri, Spensierati, &c.

TRUTINÆ

CHIRURGICO-PHYSICÆ

TOMUS TERTIUS,

DE VULNERIBUS.

In quo conquisita priùs vulneratæ partis Anatome juxta ea, quæ tùm alienâ, tùm nostrâ diligentiâ, & industriâ sunt de novo reperta, & adaucta; Veterum Theoremata circa Vulnerum causas, & curationem facilè rejiciuntur, tutiorque Medela solidis rationibus, & experimentis locupletata juxta Naturæ instituta adhibetur.

Cum INDICIBUS *Capitum ac Materiarum locupletissimis,*

LUGDUNI:

Sumptibus CRAMER & PERACHON.

M. DC. XCVIII.

MEDECDOCTOR BIBLIOTHECA HERRMANNI DEKOEHLER

Joseph Musitanus Lectori.

ETsi res ipsa monere videbatur nunc opus non esse, quinimmò supervacaneum fore te ad hunc Tomum, quem de Vulneribus inscripsit *D. Carolus Musitanus*, invitare, atque multâ laudis præfatione instituti viam præsignare; quandoquidèm ut in apertum protulisse audieris, facilè existimaveris ex eâdem officinâ exiisse; Attamen hæc pauca ad te scribere statui, ut certiorem facerem de iis, quæ hucusque expectationi tuæ moram fecerunt, atque Authori impedimento fuêre, cur antehàc fidem suam liberasset. Expectabas omninò jamdiù, neque sustinebas; Tardiùs itáque fecit, imò studuit, ut diligentiùs ageret. Hoc námque non ipsius vitio, sed superiorum temporum calamitati vertendum, quibus rerum ordo, & Naturæ facies adeò mutata, & deformata fuit, ut vix quidèm in tantâ rerum varietate, & confusione illam perquirere, aut prospicere liceat, & quod maximè dolendum non paucos in eâ esse hæresi, qui malint observationibus, experientiæ, ipsimet autopsiæ minùs verecundè unum Avicennam, vel Mesuem præponere, quàm illa probando, eis quicquam detrahere, nec verentur quandóque rationum, & experientiæ laqueis adstricti perfrictâ fronte dicere, se ità fassuros, nisi Galenus aliter sensisset. Impudens, sceleſtum, & nefarium hominum genus ad universæ Naturæ perniciem progenitum. Non equidèm morborum propulsatores, & Averruncos, ut sæpiùs anteacta sæcula prædicabant, & ipsimet de se magnificè jactabant, sed potiùs pestem dixerim, & malorum omnium colluviem. Hinc facilè factum est multum operis oportuisse, multumque laboris ad veritatem eruendam, & omnium maximum ad inveterata eorundem opinamenta conculcanda, penitúsque evellenda, quæ magnâ rerum ignoratione, & opinionum tumultu jactata inquisitioni veri, & Naturæ difficultati crassiores potiùs tenebras effuderunt, quàm in rectum veritatis vestigandæ iter instituerunt. Et quod ad rem nostram spectat, nimirùm Chirurgicam: Opus pene desperatum invenit: nullam in curando diligentiam, sed ut fors tulerit, barbarico more secare, urere, dilaniare, malum malo arcessere, & vulnus vulneri: nullam me-

dicamentorum doctrinam, & electionem: nullam judicii firmitatem, & tandèm quod negotium facessere videbatur, nullam partis afflictæ, seu rei Anatomicæ peritiam; Quandoquidèm sine ullo artis studio, & corporum continuâ sectione, sed brevi admodùm observatione in Nosocomiis habitâ, statim unguentis, & emplastris in capsulâ locatis triduò se Chirurgos profitebantur. Itáque hæc omnia vel ipse præstare debuit, vel meliora reddere, observando, inquirendo, potissiméque Zootomia, complura propriâ ipsius industriâ comperta sunt, reliqua denuò ad examen revocata, quæ à complurimis viris in re anatomicâ expertissimis, qui hoc nostro sæculo fuêre, sunt advecta. Quapropter unus hic Tomus præter Vulnerum genera, symptomata, exactam curationis methodum, atque selectiorum medicamentorum undequáque conquisitam congeriem, quod proprii erat instituti, abundè cujuslibet partis anatomen suppeditat. His quoque non inelegans digressio de Sensibus adglutinata fuit tantâ venustate exarata, quæ materiam suffecerit novi Sensûs detegendi præter quinque quos hactenùs cognoscere licuit. Sunt præterea, & propemodùm sexcenta, quorum singula se ipsis cuilibet æterno apud posteros monumento esse possent. Facilè igitur Tomus hic unus aureus dicetur, & immortalis, ac Diis benè juvantibus, felici hoc sæculo ortus, ut feliciſsimè obsignaret, & clauderet. Quid plura Lector? Reliqua ex te cognoscès. Lege, hisque benè utendo, fac, ut valeas.

INDEX

INDEX CAPITUM.

Cap. I.	Quid sit Vulnus.	pag. 1
II.	De Vulnerum causis, & differentiis.	3
III.	De Vulnerum signis, & Prognosi in genere.	4
IV.	De Sex rebus non-naturalibus in vulneratis.	7
V.	De Veterum praxi in vulnerum curatione.	9
VI.	De Vulnerum curatione juxta vulgarium methodum.	10
VII.	De Suendorum, & ligandorum Vulnerum ratione.	14
VIII.	De Nostrâ curandorum vulnerum methodo.	16
IX.	De Potionibus vulneratiis.	21
X.	De Unguentis vulnerariis.	27
XI.	De Oleis, & Balsamis vulnerariis.	29
XII.	De Medicamentis vulnera mundificantibus.	32
XIII.	De Emplastris vulnerariis.	33
XIV.	De Pulveribus vulnera agglutinantibus.	35
XV.	De Dilectu, & mutatione medicamentorum in vulneris curatione.	36
XVI.	De Extraneis è vulneris extrahendis.	37
XVII.	De Sistendo vulneratorum sanguine.	40
XVIII.	De Vulneratorum phleborotomiâ, & cathartico.	43
XIX.	De Sinoviæ fluxu, & congestione.	44
XX.	De Vulnerum dolore, & formicatione.	47
XXI.	De Vulnerum inflammatione, & erysipelate.	49
XXII.	De Vulneratorum febre.	51
XXIII.	De Phrenitide vulnerariâ.	54
XXIV.	De Vulneratorum convulsione.	57
XXV.	De Vulnerum sanguinis Fluxu.	59
XXVI.	De iis, quæ ad primum vulneris intuitum chirurgus animadvertere debet.	60

Index Capitum.

XXVII.	De Vulneribus, quæ venetatis telis inferuntur.	62
XXVIII.	De Sclopetorum vulneribus.	64
XXIX.	De Vulneribus ex venenato morsu inflictis.	78
XXX.	De Vulnere ex morsu canis rabidi.	98
XXXI.	De Anatomicâ capitis historiâ.	115
	De Capitis vulneribus.	127
XXXII.	De Capitis contusione.	128
XXXIII.	De Pericranii vulneribus.	133
XXXIV.	De Cranii fractu râ cum meningum, & cerebri vulnere.	143
XXXV.	De Cerebri fungis.	185
XXXVI.	De Faciei anatome.	189
XXXVII.	De Faciei vulneribus.	190
XXXVIII.	De Oculorum anatome.	200
XXXIX.	De Visione.	205
XL.	De Oculorum vulneribus.	211
XLI.	De Aurium anatome.	216
XLII.	De Auditu.	222
XLIII.	De Aurium vulneribus.	226
XLIV.	De Nasi anatome.	228
XLV.	De Olfactu.	231
XLVI.	De Nasi vulneribus.	236
XLVII.	De Oris Anatome.	240
	De Labiis.	240
	De Buccarum, Labiorum, & Maxillæ inferioris musculis.	241
	De Maxillis, & Dentibus.	243
	De Gingivis.	244
	De Palato.	*ibid.*
	De Uvulâ.	*ibid.*
	De Faucibus.	245
	De Osse hyoide.	245
	De Linguâ.	246
XLVIII.	De Gustu.	249
XLIX.	De Colli anatome.	255
L.	De Colli vulneribus.	258

LI. De

Index Capitum.

LI.	De Aſperæ Arteriæ, & Laryngis anatome.	160
LII.	De Aſperæ Arteriæ vulneribus.	268
LIII.	De Oeſophagi anatome.	271
LIV.	De Oeſophagi vulneribus.	272
LV.	De Anatomicâ thoracis, ejuſque partium hiſtoriâ.	274
	De Thoracis muſculis.	275
	De Scapulæ muſculis.	276
	De Dorſi, & lumborum muſculis.	277
	De Muſculis intercoſtalibus.	*ibid.*
	De Thoracis oſſibus.	278
	De Claviculis.	278
	De Scapulis.	*ibid.*
	De Vertebris, & coſtis.	279
	De Sterno, & cartilagine mucronatâ.	280
	De Diaphragmate.	281
	De Pleurâ, mediaſtino, & thymo.	282
	De Pericardio, & humore in eo contento.	283
	De Corde.	285
	De Cordis partibus.	288
	De Pulmone.	292
LVI.	De Thoracis vulneribus.	295
LVII.	De Anatomicâ imi ventris hiſtoriâ.	310
	De Cuticulâ.	311
	De Cute.	313
	De Pulmonê.	314
	De Membranis in genere, de membranâ carnoſâ, & membranâ muſculorum propriâ.	316
	De Muſculis.	317
	De Peritonæo.	320
	De Omento.	321
LVIII.	De Ventriculi anatomê.	*ibid.*
LIX.	De Ventriculi vulneribus.	325
LX.	De Inteſtinis.	329
	de Meſenterio.	335
	de Pancreate.	336
LXI.	De Abdominis, & inteſtinorum vulneribus.	339

LXII.	De Hepatis anatome.	345
	de Folliculo fellis, & canali bilario.	349
LXIII.	De Hepatis vulneribus.	355
LXV.	De Lienis anatome.	358
LXV.	De lienis Vulneribus.	366
LXVI.	De Renum, & Veſicæ anatome.	369
	de Glandulis renalibus.	374
	de Ureteribus.	*ibid.*
	de Veſicâ urinariâ.	375
LXVII.	De Renum, & Veſicæ vulneribus.	377
LXVIII.	De Anatomica manûs hiſtoria.	381
	de Muſculis brachii, ſeu humeri.	384
	de Muſculis cubiti.	386
	de Muſculis radii.	387
	de Muſculis Carpi, & volæ Manus.	387
	de Muſculis digitorum, & Pollicis.	388
	de Oſſibus totius manûs.	389
	de Arteriis totius manûs.	391
	de Venis brachiorum, & manuum.	*ibid.*
LXIX.	De Tactus ſenſu.	392
LXX.	De Anatomicâ pedis hiſtoriâ.	394
	de Muſculis femoris.	395
	de Muſculis tibiæ.	397
	de Muſculis pedis.	398
	de Muſculis digitorum.	399
	de Oſſibus femoris, & cruris.	400
	de Pedis extremi oſſibus.	403
	de Oſſibus Seſamoideis.	404
	de Cruralibus, & Pedis venis.	405
	de Arteriis cruralibus.	407
LXXI.	De Artuum vulneribus.	*ibid.*
LXXII.	De Nervorum vulneribus.	410
LXXIII.	de Pertinaciâ vulnerum in ſanatione.	418
LXXIV.	de Membrorum vulneratorum Contabeſcentia.	420

CAROLI

D. CAROLI MUSITANI

Physiatros Professoris &c.

TRUTINÆ CHIRVRGICO-PHYSICÆ.

TOMUS TERTIUS.

DE VULNERIBUS.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Vulnus.

ID temporum sors tulit, ut quorumcumque qui ante Galenum medicinam fecerant, illique vacaverunt, tàm nomina, quàm opera omnino corruerint, nullaque eorum ad nos fama pervenit, præterea, quæ suis scriptis Galenus memoriæ consignâvit: Veterum itaque monumenta in nostrâ medendi facultate ab uno Galeno ediscere oportet, ut ille, qui multorum suppressis nominibus, scriptis simul congestis, sua auxit volumina, & qui recitatis aliquandò aliquorum sententiis genialem sibi in iis confutandis libidinem explevit. Itàque veterum sententias circa vulnerum theorias perpensuri rem expediemus, siqua de vulneribus apud Galenũ exactè perpendimus.

Vulneris definitionem suggerit *Galenus 3. mech. cap. 5.* hæc scribens: *Vulnus quidem est unitatis solutio quædam ex vulnerando in parte carnosa relicta.*

Vulneris definitio à Galeno tradita, ab eâdem curationis indicationem desumit, nempè solutæ unitatis, seu vulneris primam, communemque indicationem esse unionem: hoc autem esse solius naturæ opus apud omnes inconfesso est sed requiri medici ministerium nemo sanè negabit; nisi n. ars succurrat, natura suo fine plerùmque furtabitur. Primò itàque curandum, ne quid in affectam partem ingrediatur, quod agglutinationem impedire possit, deindè ut discissa vulneris labia ità coalescant, ut possint conjuncta servari. Rursus vitale partis robur conservandum, & denique his omnibus occurrendum, quæ supervenire possunt, & vulneris agglutinationem impedire. Quomodò autem hæc in actum deduci possint, luculenter demonstrabimus.

Vulneris definitio, quam Galenus tradidit, non tàm demonstrativa est, quin suas patiatur difficultates, nàm etiam ulcus est solutio continui in parte carnosâ facta cum alicujus partis substantiæ amissione, quod utique in vulneribus accidit. Imò vulnus in ulcus transit, cùm similium facilior sit transitus. *Neque* dices, loco vulnerato nullum aliud accidens accedit præter continui solutionem, nàm numerosiora, & periculosiora symptomata, quàm in ulcere, vulneri copulantur. In hoc tantum differre possent, quod vulnus sit solutio continui recens facta, ulcus verò solutio diuturna: Sed quid solatij in diversis vocabulis eandem rem significantibus? Insuper doloris causam collocant vulgares in continui solutione, & tamen vulnus recens vix dolet, imò vulnerati digladiando nullum sentiunt dolorem: mox autem dum vulneris labia tument, & æstuant, vulnus acutè dolet, & dum sua flaccescunt labia, & subsident, ac vulnus adhuc apertum est, indolens est, ut ulcus; differre autem possunt penes causam, ulcus namque semper à causa interna vel in toto corpore, vel in aliqua corporis parte existente fovetur, at vulneris continuitatis solutio semper à causâ externâ vulnerante infligitur: differunt itàque penes causas non verò penes essentiam, cum utriusque sit continui solutio in parte carnosâ facta.

Ex solutâ continuitate peritonæi oritur enterocele, nàm partis mollis unitas solvitur ex abrupta membrana tenui, ac molli, fibris spermaticis contextâ, & tamen enterocelen vulnus nemo vocabit.

In vulnerum curatione chirurgi æquè partium fluidarum, quam rationem habere debent, cum corpus nostrum ex partibus solidis & fluidis, continentibus s. & contentis componatur: Vulneris itàque definitio manca est, discinduntur nàmque æquè dura, ac mollia, ut canaliculi, partes fibrosæ, aliique corporis tubuli, neque hæc conceptabula dividi possunt, quin fluidarum ordo, & miſtio turbetur,

quo

quo divortio semel facto, novæ statim fiunt combinationes, concreta, coagulationes, stagnationes, quæ omnium illorum gravium symptomatum fabri existunt, quæ vulnera comitari solent.

Continuitatis in osse solutionem ossis fracturam appellat Galenus, in nervis punctis spasmum, in venis, vel arteriis hæmorrhagiam &c. quasi ossis illius fracturæ, spasmi, hæmorrhagiæ &c. habenda sit ratio, vulneris veri nequaquàm, dicere debebat cum additamento: vulnus cum ossis fractura, vulnus cum spasmo, cum hæmorrhagiâ &c. & non simpliciter, ossis fractura &c.

Recta vulneris definitio juxta nostra principia in hunc modum tradi potest: *Vulnus est continuitatis separatio per balsamum radicalem, cum ejusdem balsami effusione, à causâ violentâ externâ facta.* Hinc curationis cardo eruitur, nàm ostendit per balsami radicalis conservationem fieri debere unionem; balsamus n. apud omnes denotat materiam, sive liquorem quendam, qui non solum seipsum a putredine defendit, sed qui alia corpora, quibus miscetur, ab ipsâ præservat: sic balsamus radicalis non solum seipsum conservat, sed ipsas fibras, quas glutinat, à corruptione, & mortificatione præservat. Unde rectè vulnera per alicujus balzami applicationem curantur, qui potestatè habet omnem suppurationem in vulneribus, & corruptionem impediendi. Eapropter suppurationem in vulneribus curandis omni studio evitandam esse censemus contra vulgarium sententiam.

CAP. II.

De Vulnerum causis & differentiis.

DE vulnerum causis multa dicere non oportet, nàm omnes sunt externæ, etsi aliquando pars interior rumpatur, quod motu aliquo violento, & præter naturam exterius facto id oriatur, causa semper externa est, estò effectus sit internus, causæ omnes vulnerationis, continuique solutionis sunt arma, & instrumenta, quæ rumpunt, pungunt, vel perforant, contundunt & corrodunt. Rumpunt, ut gladii, enses, secures, bipennes, cultri, forcipes, vitra, glacies, crystallus, & quicquid scindere, secare & cedere potest. Pungunt, vel perforant omnia instrumenta acuta, & mucronata, ut sunt hastæ, pugiones, furcæ, clavi, trameæ, ficæ, subulæ, sagittæ, tela, jacula, aculei, acus, aciculæ, spinæ, dentes morsu inflicti, & quicquid pungere, perforare & terebrare potest. Vel obtusa summâ in intrusa, ut sunt globuli è Bombardis, vel sclopetis explosi grandiores, vel minores. Contundunt gravia, & dura, ac retusa, ut lapides, mallei, furtes, porticæ, baculi, pugni, flagra, & quicquid impetuosè contundere, lacerare, & in contrarias partes divellere potest, ut lapsus, vehementis ponderis elevatio, gestatio, vociferatio &c. Corrodunt, quæ summâ subtilitate continuum solvunt, ignis n. extrema suâ subtilitate omnia etiam solidissima momentaneè penetrat,

netrat, & percoquit, ut fit ab ipsâ ignis flammâ, metallis candentibus, lapidibus, aliisvè ignitis, aquâ fervente, aquis fortibus, & quibuslibet causticis, quæ omnia nostri corporis tubulos, canaliculos, & membranas sciudunt, & succis conceditur effluxus, & hinc commistio perversa oboritur, à qua pleura, & innumera deducuntur symptomata.

Hinc variæ vulnerum differentiæ emergunt, & secundum diversa instrumenta, quibus infliguntur, diversæ sortiuntur differentiæ, nempè cædendo, pungendo, trajiciendo, vel corrodendo, ideſt vulnus cæsim, punctim, trajectim, (ut ità dicamus) contusim, verberatim, morsim ictim vel corrosim factum. Vel denominationem accipiunt à formâ, & alia sunt majora, alia parva, recta, obliqua, alia rotunda, profunda, lata, composita, alia superficialia, simplicia, complicata, truncativa, seu in quibus aliquid substantiæ partis est ablatum. A parte affectâ, ut vulnus capitis, pulmonis, cordis, ventriculi, hepatis, lienis, intestinorum, brachii, femoris, tendinis, venæ, arteriæ, musculi, aliorumque viscerum, & externorum artuum. A causis, quas descripsimus, ut contusa, puncta, morsa &c. Venenata à sclopetis inflicta. Demum post lustrationem ejus à chirurgis institutam enascitur alia vulneris differentia, vocando illud vulnus lethale, ideſt, à quo necessario moriendum, vel vitale, quod sanabile est.

Cap III.

De Vulnerum signis, & Prognosi in genere.

AGimus hîc laconicè de vulnerum signis, & prognosi, nam fusius in propriis capitibus eorum apparatum struemus.

Signa vulnerum externorum satis lippis, atque tonsoribus manifesta sunt, quoniam ad externam faciem in sensus incurrunt, igitur in his recensendis non immoramur. Verum quæ partes internæ simul vulneratæ sint, & quousque vulnera penetraverint, non semper facile judicatu est, cum tale scrutinium scientiâ anatomicâ, & diligenti partium, actionum læsarum, nec non excretorum examine innitatur, c. ex. in thoracis vulnere sanguis cum tussi si rejicitur, & aër è vulnere foràs egreditur, certiores reddimur instrumentum in thoracis cavitatem penetrasse, ipsosque pulmones cum vasis sanguiferis perfodisse. Ex anatomiâ sciri potest, quis partis cujusvis situs. Quis usus, symptomata simul considerandæ sunt. Eorum, quæ natura per vulnus ejicit, conditio notanda.

Corde vulnerato, vel transfosso, multus effluit, ac præcipuè si dexter ventriculus vulneratus fuerit, sanguis niger, ac fervens effluit. Si vasa lymphatica unà fuerint discissa, magna lymphæ copia in thoracis specu reperitur, ex sinistro cordis ventriculo sæpè flavus emanat liquor.

liquor. In his vulneribus arteriæ langueſcunt, & albeſcunt, vires collabuntur, ſudores frigidi cum pallido faciei colore erumpunt, tandèm omnia frigent, & æger alterum habet pedem in cymbâ Acherontis.

Diaphragmate vulnerato, & percuſſo, præcordia ſurſum quaſi trahuntur, ſpina dolet, ſpiritus rarus exiſtit, præcordiorum anxietates cum ſanguine ſpumante ejecto ſæpè obſervantur, magna adeſt ſpiratio cum gemitu, & dolore per totam humeri partium compagem.

Medulla, quæ eſt in ſpinâ, ſi vulneretur, nervi ſolvuntur, vel diſtenduntur. Senſus intercidit, aliquo interpoſito tempore, inviti vel ſemen, vel urinam, vel ſtercus excernere coguntur ægri.

Aſpera arteria icta exiguam fundit ſanguinem, ad dorſum plurimus dolor, fauces ſenſim ſanguine replentur, vox fit rauca, & linguæ aciditas percipitur.

Vulnera venenata, ſeu à venenatis inſtrumentis inflicta, ſtatim ſicca & circumcirca pallida, ſublivida, & quaſi cadaveroſa apparent, ſimul adſunt animi deliquia, cordis palpitationes, caput obfuſcatur, convulſiones artuum, aliaque ſymptomata obſervari ſolent, tandem accidit gangræna, & ſphacelus, quem excipit mors.

Dividunt vulgares vulnera in ſimpliciter, & ſemper lethalia, cæterum periculoſum eſt judicium ferre de vulneribus, an per ſe, an verò per accidens lethalia ſint; juxta namque has relationes medicas Juris-Conſulti ſontes condemnare, & inſontes abſolvere ſolent, & quia hîc agitur de corio, & ſanguine humano, qui ſemel effuſus reſtitutionem nullam in integrum à Prætore impetrare poteſt, ideò probè, & a ſque omni præjudicio ſingula accuratè circa vulnus inflictum examinanda ſunt, diuque deliberandum eſt. Diſtinctio inter vulnera per ſe, & per accidens lethalia ab omnibus recepta nobis non arridet. Si vulneratus moritur ſymptomatibus durioribus, quæ neceſſariò vulnus ſequuntur, curdicetur tale vulnus per accidens lethale, ſi n. vulnus tale non fuerit inflictum, æger mortuus non fuiſſet. Vulneris inſpectio, & cadaveris apertio non committenda eſt empirico, tonſori, balneatori à judicibus ob abſurdas relationes. Quam vulneris inſpectionem, aut cadaveris apertionem accuratam, legitimam, ac juxta artis præcepta inſtitutam ſuper vulneris lethalitatem expectare poterit Judex ab eo, quinunquàm ſtuduit? Committenda igitur vulneris inſpectio perito chirurgo, & optimè ſcientiam anatomicam callenti, ſed quis eſt hic, hic, & laudabimus eum, qui conſideret, qualis ſit pars, an nobilis, & quibus partibus ſolidis, & fluidis conſtet, & an ad vitam ſimpliciter neceſſaria ſit, nec ne? An majora vaſa, nervos, ac tendines habeat? In vulnere ipſo conſideret, quo inſtrumento id factum, an venenatum, annon, an cæſim, punctim, aut contundendo factum? Explorandum quoque eſt, an vulnus ſit magnum, tranſverſum,

profundum, an in ipso plures fibræ, arteriæ, venæ, tendines, ac nervi discissi, & lacerati fuerint, quæ necessariò, & inevitabiliter graviora post se trahunt symptomata? Ex c. hæmorrhagiam nimiam, dolores, vigilias, subitam inflammationem, gangrænam, sphacelum, deliria, convulsiones &c. In curatione observandum est, an remedium adsit applicandi possibilitas nec nè? An chirurgus peritus impromptu fuerit, an iste cum medico nihil auxilii, & remedii omiserit? In personâ vulnerari perpendendum est, an ante acceptum vulnus sanus fuerit nec nè, an nullum indiæta commiserit errorem, an ex præscripto medici vixerit?

Vulnera in genere partibus tantummodi carnosis inflicta, atque in corporibus puris & sanis, quæque non admodùm ampla, vel profunda sint, facilè sanantur, ac periculo vacant, ejusmodi n. vulnera carnis omnium facillimè Sanantur, ossium difficilius, nervorum verò omnium difficillimè.

Vulnera punctim inflicta periculosa sunt, quam quæ cæsim. Vulnus cum intensâ febre inflammatoriâ, dolore, motibus convulsivis, monstri quid alit, in primis si vulneratus ab initio se ritè habuerit, & circa causam aliquam manifestam externam ruat in deterius. Vulnera nervorum aliquandò bona apparent, sed ex improvisò invadit vulneratos convulsio, hinc infida sunt, si materia serosa seri instar effluat, vel si lactea albuminis duorum instar, vel aquea, sunt succus nutritius, vel lympha è vasis lymphaticis discissis emanat. Tempore Estivo, & præsertim circa dies caniculares nullum vulnus estò exiguum in subjecto cacochymo, vel lue Venereâ infecto, non superficialiter, ut simplex tractandum est, cùm ex parvo vulnere magna oriri possit calamitas; succi nàmque nostri non tàm multi gaudent spiritibus, quia tùm temporis calidissimi per apertam portam, putà cutis spiracula, evolant, & sit sanguinem reddunt debilem, & effectum, hinc & ipsa pars suis caret spiritibus, & mistura turbatur, & inordinata fit missio, undè sæpè gangræna, & sphacelus suum cognoscit ortum. Sic observamus vinum quoque diebus caniculatibus facilius acescere, quàm hyeme. Nimium frigus quoque vulneribus adeò inimicum esse, ut nobis persuadeamus, si aër à vulnere arceri possit, vulnus sponte iterùm conniturum esse; frigus nàmque obstructiones parit, coagulando succos in vulnere existentes, impedit transpirationem, incrassando omnes succos, hinc sæpiùs inflammatio, livor, gangræna &c. Suos habent natales. Vulnera quò diutiùs aëri sive calido, sive frigido exposita sunt, eò facilius sphacelantur. Si in magnis vulneribus, & pravis, tumor non appareat, id ingens veteribus malum portendebat, quod tamen nostrâ experientiâ falsum comprobatur; melius nàmque est nullum adesse tumorem, denotat n. partes fluidiores posse circulari, nec tot discissos esse canales. Vulnera quorum labia maximè distant, ut in rotundis vulneribus

videre

videre est, difficiliora curatu sunt, quàm eorum, quorum labia facilè conjungi possunt, & ratio est, quia tubuli sibi propiùs non accedere, & sic acessere possunt.

Hæc satis dicta sint de vulnerum signis, & prognosi in genere, in particulari verò in propriis capitibus fusius agemus.

CAP. IV.

De Sex rebus non naturalibus in Vulneratis.

MUltoties sex rerum non naturalium abusus vulneratos perimit, ideòque harum maxima habenda est ratio, quarum peritus chirurgus vulneratos monere debet, ne hi se perdant, & ille à suâ arte infametur.

Primò itàque vitandus est aër, & à vulnere abigendus, qui solus ità vulneris poros destruere potest, ut gangrænæ detur accessus; si n. recens vulnus in momento constringi posset, ne aër externus irrueret, nec amplius quid è vulnere efflueret, à solo liquore nutritio dulci proximè apponendo, quem balsamum appellamus, fibris, aliisque tubulis appositio consolidaretur. Maximè itàque aeris habendus est respectus, qui sæpè quid in sinu gerit, quod vulneribus est hostile. Volitant in atmosphærâ particulæ sulphureæ, vitriolatæ, aluminosæ, nitrosæ, realgarinæ &c. quæ jugi fermentatione è solo, aquis, fodinis, specubus &c. elevantur, & juxta matricis conditionem, aëri se immiscentes illum inquinant; hæ particulæ acorem vulneribus per aëris contactum imprimunt, putrescentiam inducunt, & consolidationem à naturâ instituendam impediunt.

Sic in culinis si carnes putrescere incipiunt, earum jusculæ acescunt, & hac ratione vulnera facilè in ulcus degenerant, hujus putredinis indivisibilis comes est acor vitiosus, & peregrinus, & sicut aliis partibus est hostilis, ità in specie in partibus vulneratis omnium symptomatum supervenientium est auctor, & tanquàm vitiosum fermentum vulneris Labia inquinat, nutrimentum Balsamicum, & sanguinem affluentem degenerare facit, & corrumpit, ac fermentando in pus mutat. Hinc vulnus recens apto balsamo à corruptione, & acore putredinali vindicabitur, citra puris genesim, & facilè coit. Hinc rationem eruimus, cur in uno climate facilius, in altero verò difficilius vulnera curentur. Si aër frigidus, & nebulosus, aut abditâ ratione Loci endemicâ inquinatus, aut adstantium halitibus, & occultis aporrhæis infectus fuerit: hinc est, quòd chirurgi accuratiores halitum semper aliorsum efflant, ne vulneris Labia attingant, nec promiscuè omnes admittunt, ut vulnerum sanationes, & ligationes inspiciant, in specie in nervosis partibus, ut mulieres propter menstrua, potui deditos, & inebriatos. Non tantum frigidior, sed etiam calidior vitetur aër, sit potius temperatus. Ex his clare innotescit quam

pessimè

pessimè suorum ægrorum sanitati consulunt illi chirurgi, qui sæpius uulnera detegunt, & aëri exponunt.

Non minorem energiam in alterandis vulneribus cibus, & potus habet, undè *Hip.* inquit: *Vulneratos fame, & siti cruciari oportet*; victus itàque sit tenuis, & boni succi, ut optimus generetur succus nutrititius, qui est universalis vulnerum curationem juvare, victûs rationem inconcinnam vulneratis obesse, negare non possumus, nebue tamen diætam sine remediis aptis, neque remedia optima sine diætæ ratione quicquam laude dignum præstabunt, sed semper ità conjuncta esse oportet. Legitima itàque diæta in paucâ ciborum quantitate consistit, qui boni sint succi, & vulnerati ventriculo non adversentur: errant medici illi, qui juscula, & carnes contusas, à quibus sanorum natura abhorret, vulneratis pro victu præscribunt, nàm in stomachante ventriculo vulnera malè se habent. Quoties ergò mali succi non sit cibus, vulnerato non interdicitur, si illud desideret, dummodò in quantitate non peccet. Si ebrius aliquis, vel ingluviosus vulneratus fuerit ante sobrietatis tempus, nihil offeres, sed usque in tertium, vel quartum diem solo pane in jusculo decocto interdum nutries; sobrius verò si vulnus acceperit, magis euchymo, & nutritio cibo succurres. In cibo elegendo, varietatem non aufugies, nàm sæpe subversus ventriculus varietate restituitur. Cavendum tamen omninò à carne suillâ, anseris, anatis, & ab omnibus volucribus aquatilibus, prout etiam ab omnibus carnibus, quæ stomachantem pinguedinem habent. Vitentur angue pejus omnia acida, salsa, & saccharata, ut succus nutrititius dulcis, ac flecidior generetur, hinc lac vulneratis multum conducit. Scias interim diætam adeò extremam non esse adhibendam, ut in mediam transeat, nàm talem diætam multi non tolerant, malèque cum eâ se habent, undè necesse est, ut chirurgus consuetudini vulnerati se accomodet, ac diætam pro infirmi conditione disponat. Vulgares perperàm in vulneribus diætam frigidiorem commendant; indè n. magis incrassantur succi, & circulationes impediuntur, & hinc symptomatum procellæ. Vulneratis semper alimenta calida dentur, præcipuè. Si febris adsit, in hoc casu frigida maximè nocent, ideòque cibos condimentis aromaticis destillatis, cinnamomi, & caryophyllorum aquis condire, & attemperare licebit, quin & carnes sine aquâ in duplici vase coquere utile erit, poteris, si placuerit, in ventriculi confirmatione cinnamomum, caryophyllum decoquere.

Potus non sit liberalior, sed moderatus, & ex herbarum vulneratiarum decoctione, at vinum planè proscribimus ob acidum, quod in se continet; si quandoque propinandum est, fiat in eo oculorum cancrorum infusio, qui omnem ejus aciditatem interimunt, præcedente quadam, & obscurâ effervescentiâ, alkali cancrorum in vini acidum operante, nàm cancrorum lapis,

lapis, & totus cancer vim obtinet vulnerariam, & hinc est, quòd aceto iniecti effervescant exacidi cum alkali concursu. Verum quia vinum moderatè sumptum sanguinem, & succos nostros corroborant, multum consuetudini dandum est; si n. succi nostri singulari gaudent mistura particularum vinosarum, iisdem & sustentari volunt, ex. c. si quis vino assuetus sit, & unâ vice id intermittat, certè maximum vitæ periculum incurret, ceu pluribus exemplis demonstrare possumus, tunc concedendum est dulce, non mensuratim, sed moderatè. In vulneribus verò capitis omninò à vino abstinendum, & à rebus acutis, & fortibus. Sitis ità-que in vulneratis sedenda est, nec rigorosæ potus interdicendus est, sæpè n. è vulneribus exhausto sanguine, hepar incalescit, juxta vulgarium sententiam, & sitim concitat, quæ si potu non recreetur, periculum est, ne inflammetur; observatur tamen in potu tempus, & opportunitas, & ille sit vulnerarius, tunc n. proderit, & non obesit. A solo lactis potu calido periculosè vulnerato s benè habuisse hactenus observavimus, præsertim si potus Theæ fuerit commistus, vel potiori vulnerariæ.

Somnus, & vigiliæ moderatæ se habeant, attamen somnus sit liberalior, magis n. conducit, quàm vigiliæ immoderatæ. Vulneratus non decumbat in latus læsum.

Corpus qui escat, & motus exuet, donec vulnus consolidatum fuerit.

Excreta, & retenta ad ordinarias leges revocentur, & præsertim menstruum in fœminis, nec insensilis transpiratio impediatur, sic & lac in lactantibus, urina, saliva, & alvus lubrica seruetur.

Animi pachemata, ut ira, & mœror exulent, nimius risus vitetur, præstat hilaritas. Veneris usus sub pœnâ mortis interdicendus est, credibile non est, quantum noxæ istæ vulneribus affert, nàm membrum vulneratum inflammatur, ità ut ad omne membrorum genus dispositionem acquirat, maximè si situs vulneris concurrat. Vidimus Veneris usu membrum facto igne correptum, syderatum, ac gangræna affectum resecari oportuisse: alios statim in actu concubitus expirasse, alios lethalibus febribus, alios convulsionibus, quosdam erysipelate captos obiisse. Advertendum, quòd quoties hæc ob Veneris usum accidunt, nullis remediis extirpari possunt, sed sponte suâ symptomatum sedatio expectanda est, & tum demum accuratiore medicatione vulneri invigilandum est.

CAP. V.

De Veterum praxi in vulnerum curatione.

CUm indicatio vulnerum curativa in procurandâ soluti continui unione secundum Galenum ponere tur, dum rationem ad id obtinendum parùm suffragari animadverterit, experientiam in auxilium vocavit, quæ illum reme-

Unable to display this page

næ, vel arteriæ conspicuæ laceratio-nem, vel capitis penetrationem, viscerum læsionem, similiaque accidentia conjuncta habeat.

Distinguntur itaque secundum præfatam vulnerum distinctionem curandi etiam modum, nàm simplex vulnus per primam intentionem esse curandum existimant; compositum verò per secundam.

Per primam intentionem ipsi intelligunt eam remediorum applicationem, quæ absque ullo respectu ad aliquid aliud, soluti continui unionem efficaciter promovet. Per secundam verò intentionem intelligunt eam remediorum applicationem, quæ primariò unionem continui soluti non respicit, sed accidentium conjunctorum ablationem, quibus ablatis, veluti secundariò soluti continui unionem intendit; ad hanc secundæ intentionis curationem cum prolixitate procedunt, nàm digerunt, pus promovent, abstergunt, mundificant, & postremo incarnant, & tandèm cicatrisantibus utuntur medicaminibus.

Ad vulnus quodlibet sive simplex, sive compositum dum primò vocantur chirurgi, *ovi album conquassatum cum stuppâ* applicant, quo remedium antiquorum est, & à Galeno consulitur, verum eo casu, quo copiosus sanguis è vulnere effluit, nam ovi albumen sanguinis sistendi vim habet: nunc indifferenter cuicumque vulneri, sive sanguinis fluxum habeat, sive non, ovi albumen applicant; concedimus nos libenter sanguinem è vulnere effluentem unionem soluti continui impedire, ac necessariò primò sanguinem esse sistendum, deindè unioni vacare: concedimus quoque ovi albumen sistendi sanguinis proprietate præditum, quia glutinosum, & anodynum est, habetque partes tenues, quibus ulterius se insinuat, sed cum vulnus sanguinis fluxum non habeat, ex eo fortassè, quia sanguinis vasa conspicua incisa non sunt, ovi albumine uti congruum non agnoscimus, aliquid n. extranei inter vulneris labia albumen inducit, quo intercedente unionis coitionem succedere per incarnantia medicamenta non est facile.

Post viginti quatuor horas à vulnere stuppam cum ovi albumine detrahunt chirurgi, ac priusquam ad aliud medicamen deveniant, eorum est consuetudo ut si angustum vulneris os appareat, illud ferro dilatant absque consideratione, an dilatatio illa obsit potius, quàm prosit, judicet peritus chirurgus, ac multoties ob anatomes ignorantiam temerè ferrum adhibent, ac vasa præcidunt magno cum ægri discrimine, dum inimico ferro vulnus dilatant, & vulnus vulneri addunt, & iterum ovi albumine utuntur, ac per alias viginti quatuor horas vulnus cum eo sinunt; postmodum vel vulnus ex seipso sit latum, vel ipsi dilataverint, digestivo unguento uti incipiunt. Notare hic oportet ridiculum finem, propter quem vulnera dilatant chirurgi: dicunt n. id facere ad obtinendam ventilationem in vulnere, nàm quò amplius illud est, eo facilius diffiari, quod in vulnere tra-

dunt; sed in hoc falluntur, nàm tantum abest, ut solutio continui d fflationem corrupti promoveat, ut potius illam impediat, imò causet: nàm nos dum integri sumus, exhalamus quicquid in corpore exhalabile est, dum deindè integritas solvitur, sta in inflammationes, apostemata, erysipelata, sicirrhi, aliique hujusmodi tumores, enascuntur, qui prohibitam nutrimenti difflationem, & succorum vertiginem impeditam arguunt. Itàque inconsultò chirurgi ad vulnerum dilatationem procedunt, nilque agunt, nisi quod parvum vulnus magnum efficiunt: Cæterum ad accidentia vitanda, quæ ad vulneris angustiam supervenire possunt non pauca docebimus remedia infrà tradenda.

Redimus ad nunc unguentum digestivum, si e digerens: conflant illud chirurgi *ex ovi vitello, terebinthinâ, & oleo rosaceo simul mistis*, eoque pulvillos illinunt, & vulneri immittunt tàm pro ejus longitudine, profunditate, quàm pro ejus latitudine.

Falluntur tamen sub spe hujus medicamenti chirurgi, & fallunt ægrotos; nàm in recenti vulnere nulla adesse potest materiæ congestio, quæ digestione indigeat, ac in simplicibus vulneribus digestivo uti, est omninò à rectâ ratione aberrare; enimverò, ut primò diximus, in simplici vulnere chirurgus primariò intendit continui cotionem, quam non solum non promovet digerens medicamentum, sed impedit, nàm propter corruptionem, & putredinem, quam in vulnere producit unguentum digestivum, pulvilli cum quibus applicatur, physicum sunt impedimentum, ne vulneris Labia coalescant.

Si verò compositum sit vulnus, & habeat accidens aliquod, quod curationem requirat ante soluti continui unionem, id fieri non convenit cum suprà scripto medicamine ex ovo, & terebinthinâ, quod putrefacit, partem inflammat, succum nutritium degenerare facit, curationem in longum protrahit, & exindè interdum, plagâ factâ, ulcus malordidum transit; sed aliis specificis accidentia absque vulneris putrefactione res est peragenda, de quibus specificis diffusius infrà. Cæterum digestivo chirurgi non vulnus, sed vulnerati crumenam digerere intendunt, & censum quotidianum constituunt.

Dum digerente medicamine uti incipiunt chirurgi, dæmam vulnerato præscribunt exactissimam, quod utiliter faciunt, sanguinem detrahere solent; id tamen nil ad vulneris curationem facit, licèt officere possit: at quia de humorum affluxu in vulnus dubitant, de medicamento purgante cogitant, illudque fere semper in principio propinant, existimantes purgante medicamine eos purgari humores, qui aliquandò circa vulnera inflammationem producere solent: Sed errant, nàm inflammationes ex nutrimento, & sanguine circa vulnus coacervato, & non resoluto fiunt, quod ex chirurgi errore procedit.

Digerente medicamento utentibus,

bus chirurgis, vel naturæ validitas perfectam coctionem in vulnere molitur, & producit pus album, læve, & æquale, ac tunc neque inflammatio in vulnere accidit, neque febris supervenit; vel naturæ imbecillitas ichorem, saniem, aliudque simile incoctum in vulnere producit, ac tunc inflammationes, febres, gangrænæ, aliaque lethalia symptomata supervenire solent, ut plurimum mortem minantia.

Si perfectam materiæ coctionem in vulnere observant, eodem digerente medicamine per aliquot dies utuntur: deindè ad mundificantia unguenta recurrunt, cujusmodi est *Apostolorum Aegyptiacum, de tutiâ*, aliudque simile in officinis paratum.

Dum abstersum jàm vulnus agnoscunt, & caro luxurians emergit, ad incarnativa se vertunt, hujusmodi sunt *emplastrum de Eratia Dei, de minio*, & similia, iisque utuntur ad integram usque cicatrizationem; Quoties chirurgi ignorantiâ fistulam non induxerint, prout sæpè evenire solet, protrahunt vulneris curationem in longum tempus digestivi continuo usu, qui tandem callositatem quandam in vulneris labiis inducit, ac fistulam efficit, vulgaribus chirurgis incurabilem.

Carent quoque remediis vulgares, quibus cicatricis deformitas in vulnere claudendo vitetur, quod in lignum à viris probis existimatur: propterea non pauca remedia aperiemus paulò infrà, quibus cicatrices omninò delentur, ità ut vix vulneris signum appareat.

Verum si post medicamenti digerentis applicationem, sanioſum appareat vulnus, & inflammationem circum se contrahat, illicò febris accenditur, & nova emergunt symptomata, quo in casu vulnus licèt leve, periculo non vacat, non ratione vulneris, sed febris, & supervenientium symptomatum; accesit n. sanguis, & partium nutrimentum in toto corpore ob vulneris inflammationem, & per consequens tantum abest, ut natura vulneri unicndo vacare possit, ut potius illud ulterius inflammet ob affluentiam acidi sanguinis, & poluti nutrimenti: itàque, chirurgi supervenientem inflammationem, statim physicos in auxilium vocant, ut ægro vulnerato venæ sectionem, & purgans medicamentum præscribant; credunt n. sanguinis missione inflammationem tolli, & purgante medicamento omnes noxios è corpore humores detubari. Interea olea refrigerantia, cataplasma de lacte inflammatæ parti adhibent: sperant n. refrigerantibus inflammationem remittere, quæ cum à nutrimento, & sanguine circa vulnus concreto producatur, cessare nullo modo potest, nisi sanguis, & nutrimentum resolvantur; præterea perseverante inflammatione, vulnus sordidum, flaccidum, malèque olens apparere solet, quæ accidentia gangrænam, & sphacelum, sive mortificationem portendere solent. His accidentibus mundificantibus chirurgi occurrere tentant, ut *unguento Aegyptiaco, Apostolorum alumine crudo, alumine usto, tutiâ, calcantho*, aliisque

similibus. Quòd si hujusmodi vulneris dispositiones in gangrænam properent, ad potentiora, & efficaciora recurrunt, uti sunt *pulvis Io: de Vigo*, *Mercurius præcipitatus, sublimatus, & actualis ignis*, quorum actio si in sanam, viventemque usque carnem se diffundat, escharam producit, & omne id, quod putrefactum est, mortificatumque jam erat, separatur, & ulcus absersum remanet, quod incarnatione deindè indiget; si verò actio cauterizantium ad vivam carnem non pervenit, eschara non succedit, & æger gangrænatus moritur.

Descriptus jam vulgarium chirurgorum curandi modus, si in carnosis corporis partibus vulneratis aliquandò benè se habeat, in vulneribus tamen thoracem, & abdomen penetrantibus, vel capiti inflictis ferè semper infelicem, funestumque habent exitum, cum non solum inefficax sit, sed potius causas promovent, ex quibus necessariò vulnera in dictis partibus depravantur, mortemque producunt, u. g. cum vulnus in caput inflictum post cutis incisionem statim cranium attingat, requireretque medicamen, quod membranas incisas, & os tactum recreando summâ celeritate aglutinaret, ipsi oleo rosaceo, vel puluillis cum digestivo utuntur ad corruptionem in vulnere producendam, quæ si in carnosis partibus maximi nocumenti non sit, in membranosis, & osseis perniciosa evadit: hinc causam discite, cur levia capitis vulnera infra quatuordecim dies vulneratum perimant. S. quia pus & sanies in vulnere producta membranam cranium immediatè tegentem intemperant, & paulatim ob osse illam aducunt, quæ membrana, cum à piâ matre cerebrum ambiente enascatur, per partium continuationem piam matrem inflammat, & delirium inducendo, vulneratum perimit, quod frequentius accidit, dum terebrâ, & curuo ferro cranium aperire audent chirurgi: trademus inferius nos capitis vulnerum curationem tutam, & jucundam.

Cap. VII.

De Suendorum, & ligandorum vulnerum ratione.

Antequàm curandorum vulnerum methodum aggrediamur, earum rerum apparatum, quæ maximè illi conveniunt, præmittamus necesse est ac propterea hîc de futuris, & ligaturis sermonem habemus.

Antiquum est inventum acu vulnera suere, & filo agglutinare, sed tàm stultitia antiqua est, quàm prudentia, & in his, quæ rectè instituta non sunt, per longum quantumvis usum non datur præscriptio; negari non potest, quòd futura in vulneribus crudelis sit, & dolorosa, ac quot sunt puncta, tot vulnera, spiritum vulneratæ partis multipliciter torquens, & in furorem, & iracundiam adigens, undè rarò futuris inflammatio non supervenit, ut plurimum vulnus apostematur, febrem, al à-

que

que symptomata producit: sæpè gangrænam, & sphacelum causat; cum intereà sutura nullam afferat utilitatem, nihil proficit in vulnere sanando, neque in eo celeriter sanando, nàm unio soluti continui à vulneris fundo incipit, non autem ab extremis labiis, in quibus sutura adhibetur, quod ipsa experientia comprobat, nam, suturâ peractâ, tota caro, quæ à filo intercipitur, putrescit, & simul cum filo decidit, ac si iterum suas, iterum, quod sutum est, putrefactum decidet, neque unquàm unies labia, nisi à vulneris fundo natura cum suo balsamo, securiori futurâ, & incorruptibili unionem produxerit. A Suturis ergò aufugiendum est, veluti ab illis, quæ ex unâ parte nihil penitus proficiunt, ex alterâ verò in immensum nocere possunt. Nos itàque suendi munus tantum naturæ relinquimus, tantumque medicamentis attendimus, ut naturæ suendi obstacula, & impedimenta tollamus: nàm ipsa acum, filum & glutem secum habet, cum quibus, quod nos desideramus, efficit citò, tutò, & jucundè, si nos in auxiliando illi celeres, in applicando tuti, & in medicamentis jucundi erimus.

In vulneribus præ cæteris ligatura, seu fasciatio necessaria est, quæ fit cum duorum capitum fasciâ: applicatur ita, ut ejus medium imponatur in membro à parte plagæ oppositâ, & ducatur hinc supra vulnus ipsum cruciatim, repetendo hanc viam aliquoties, ut vulneris labia ità ad se invicem adducantur, sic n. fasciæ beneficio vulneris labia adducuntur.

Hæc fasciatio in vulneribus non adeo insignioribus, item in iis, quæ secundum membri longitudinem, & secundum fibrarum protensarum ductum inflicta fuerunt. Sed in vulneribus, & sectionibus gravioribus, quandò partes quædam ferè abscissæ sunt, ut in narium, aurium, & digitorum tali separatione, ut tantum adhuc pendeant, aut etiam quandò in articulis graviora infliguntur vulnera, aut quandò ampla vulnera per transversum membri, & fibrarum musculosarum sunt illata, aut quandò integra carnis frusta ferè sunt decisa. In his, & similibus casibus non sufficit fasciatio sola, ut adducantur vulneris labia ad se invicem, & ità adducta maneant, sed alia chirurgi solertia secundum partis conditionem adhibenda est.

Deligaturus chirurgus vulnus initio primum omnium oleo, vel balsamo, vel unguento vulnerario tepidis unà cum his, quæ in dictis medicamentis intabuerint, implebit, deindè emplastro stiptico accuratè deligabit. Circa vulneris autem regionem olea, vel balsama eadem ipsa adhibebit, vel si placet, oxirhodino ipsum membrum irrorabit, & istud continuabit per novem, vel decem dies, prout vulnus ipsum parvum, vel magnum existerit, immutabit autem, seu iterabit medicamenta singulis duodecim horis. Istis ritè peractis, majori curâ nihil opus est, nisi vulnus admodum amplum sit, vel in quo tendo, vel ligamenta &c. majora, minen-

mentur symptomata, tunc n. quod tuâ incuria majorem adhibebit diligentiam.

Ubi vulnus punctim factum est siphone oleum aliquod, vel balsamum injiciendum erit, vulnusque ut dictum est, curandum, semper autem prima fasciatio accuratissima esse debet, quod tunc necessitas maximè postulet.

Capitis autem vulnera curandi ratio hæc est: petiam lineam imbue calido oleo vulnerario post herbarum, & florum in oleo intabescentiam, & in vulneris fundum immitte, devitatis tamen meningibus, quas tangere periculum est, quo facto, emplastrum superpone, ac tandem deliga. Capiti autem ea maximè emplastra conveniunt, quæ gummata, & lithargyrium, non autem resinam, vel colophonam recipiunt. Cave quoque in capitis vulneribus ab oleis, & balsamis destillatis, hujusmodi remediis, & curandi methodo ferè circa nonum diem vulnera omnia tertiâ parte sanantur, nàm curam in tres partes distingue, initium, medium, & finem. Ubi autem vulneratus jàm vires collegerit, omisso oleo, balsamum sustitues, tanges verò vulnus pennâ balsamo intinctâ, posteà emplastro imposito curam continuabis, donec nervi, ossa, & articuli anteà nudati, jàm tecti carne apparverint, ultima posteà deligatura non subsequitur, sed solis emplastris sticticis absolvetur ad cicatricem usque, hujusmodi verò tutissima est curatio in vulneribus nervorum, ossium, & tunicarum, quam chirurgi desperare solent, sin vulnera non admodum periculosa sint, sufficit uno ex prædictis assumpto vulneris curationem perficere, nàm si in istis initio statim recta deligatura fiat, commodumque remedium adhibeatur, nil periculi amplius metuendum erit.

Cap. VIII.

De nostrâ curandorum Vulnerum methodo.

PRo curatione, & infaillibili vulnera curandi methodo acquirendâ, sciendum est, quòd hic non dissentimus à veterum sententiâ, quod s. vulnus sit carnis, aliarumque corporis partium soluta unitas, & quòd judicatio sanandorum vulnerum curativa sit solutam continuum iterum ad unionem reducere; sed quomodò unio in vulnere promoveatur, & quid sit illud, quod unionem immediatè, efficienter, & effectivè causet, nos non omninò cum antiquis convenimus; nàm illi medicamentis hoc opus tribuunt, eaque propterea incarnantia, aglutidantia, sarcotica, sive carnem gignentia, digerentia, & maturantia appellant: nàm credidêre medicamento efficienter ea peragere munia. Nos verò occasionaliter tantum, & per accidens medicamenta unionem in vulneribus causare asserimus, sed efficienter, & effectivè à balsamo naturali, ac radicali partium, qui quoties ab aliquo obstaculo non impeditur, illicò gluten in solutione

lutione producit, quo quod sectum, solutumque jàm erat, continuatur, & agglutinatur.

Pro hoc radicali partium balsamo non intelligimus aliquod chimericum, vel fictum, sed rorem illum, sive liquorem glutinosum, qui per spermaticas totius corporis partes diffusus illarum texturam, unionem, & continuationem servat, regit, & sustentat; similaris est substantia pura, lucida, & salsa, quia spermaticam sapit naturam, fortasse in cerebro elaboratur, & per membranas, ac fibras per universum corpus diffunditur.

Sed ut de hoc balsamo naturali, & radicali partium viventis corporis clariorem habeamus certitudinem, consideremus fracturam vel cruris, vel brachii absque ruptione circumstantium musculorum: fiat talis ossis fracti inculpata repositio in suo situ, certum est, quòd intra 30. dies absque ullo medicamento porus osseus producitur, & induratur, reditque os durius, & constantius in loco fracturæ, quod ante fracturam erat. Scimus intereà dictum porum osseum à liquore glutinoso ab extremitatibus fracti ossis resudante fuisse productum, nullo medicamento cooperante, quod exemplum de poro osseo ad omnes continuitatis solutiones nobis traducendum est, nàm in unaquâque viventis corporis parte abundat dictus liquor, quem radicalem balsamum appellamus, cujus manus est efficienter, & effectivè omnia operari, quæ ad solutæ unitatis perfectam unionem sunt necessaria. Ergò non chirurgus, non ejus medicamenta, sed balsamus iste vulnera efficienter curat.

Hoc solùm nàmque chirurgi officium est, ac chirurgiæ, opus naturæ curam gerere in loco affecto, ne s. vulnus à causis externis irritetur, ac balsami curatrix facultas impediatur, ut bonus balsami custos chirurgus dici mereatur, undè chirurgum definimus custodem radicalis balsami ab actionibus externorum elementorum; elementorum siquidem ea natura est, ut naturæ nostræ, ubi ea debilitata est, vim facere, cujus actiones si per meditamenta impediat medicus, suo munere functus esse rectè dicetur: atque interim natura in suo balsamo non impedita feliciter actionem perficit; perficit autem, dum carnem, aut nervum, aut id, in quo vulnus consistit, generat. Sit in exemplum nutrimentum, quod in nostro ventriculo præparatur, uniforme est, & indifferens unicuique corporis parti, tamen illud in osse fit osseum, in nervis fit nerveum, in pinguedine fit pinguedo, & sic de singulis, ratio est, quia in qualibet parte proprius latet balsamus, qui alimentum convertit ad suæ partis dispositiones: ità etiam in quolibet vulnere balsamus partium vulneratarum latet, qui quoties non impeditur, id producit, quod suas partes integras reddere potest.

Hinc indubitatum est balsamum radicalem partium esse, qui vulnera curat, superest, ut chirurgus procuret, ut balsamus iste impedimentis careat, quæ ejus actionem

remorantur. Id fit per exactissimam diætam, ne ciborum superfluitatibus balsamus obruatur, dum medicamentis vulneri adhibendis, quæ balsami actionem promovent, & impedimenta auferunt.

Sed in applicatione medicamentorum ad vulnera notandum est, quòd vulneribus dum medetur, necessariò aliquid remanere debet, quod in triplici est differentiâ, vel n. est sanies, vel pus perfectum, vel applicatorum medicamentorum excrementum. Sanies tenuis est aquositas, pessimè olet, dum hæc fluit, vulnus malè se habet, flaccescunt labia, circumcircâ tumor accollitur, cui inflammatio succedit, & multa mala portendit. Pus perfectum album est, læve, & quale non malè olet, dum hoc fluit, vulnus benè se habet, sed pigrè, tardèque ad perfectam curationem pervenit. Medicamentorum excrementum medium est inter tenue, & crassum, medicamenti colorem, & odorem præfert: hoc dum effluit, vulnus optimè se habet, ac brevissimè curatur. Juvabit chirurgum non parum saniem à pure, & pus à medicamentorum excremento distinguere, nàm si bonus chirurgus sit, sanem omninò vitabit, pus verò promovebit, eritque solo medicaminum excremento contentus: ac propterea tum à suendis vulneribus, tum ab applicatione albuminis ovorum se abstinere debet; nàm utrumque remedium vulneris perspirationem prohibet, vel saniem, vel pus necessariò producit.

Verum interim notamus, quòd medicamenta vulneribus adhibita necessariò excrementa producere debent; nàm si ex applicatione medicamentorum vulnus siccum appareat, lethale est pro vulnere signum. Studeat igitur quisque, ut vulnus cognoscat, ejusque curationis internam causam intueatur, exterius verò ipsum & mundum servet, & ab injuriis tueatur: hæc nàmque vera est curandorum vulnerum methodus.

Sed juvat hîc perutili digressione spatiari, num ratio vulnera curandi à *Cæsare Magato* proposita, vulgari, atque antiquæ præferri debeat, s. instituta ab antiquis methodum exposcit, ut vulnera singulis diebus, vel certè semel detegantur, abstergantur, noviisque superductis medicamentis obligentur. Verum Magatus scribit se jàm diù cum antiquioribus in errore fuisse, sed postea experientiâ ductum mutasse sententiam: quippè frequenti usu, & observatione certior est factus faciliorem esse vulnerum curationem, si rarò solvantur, & turundarum, seu penicellorum usum omninò perniciosum esse.

Quæ cum ità se habere observatione, & experientiâ deprehendisset Magatus, conatus etiam est rationem deindè adjungere: inquit n. à veteribus chirurgiæ indicationem maximi momenti fuisse prætermissam pro vulnerum curatione; nàm cum de excrementis, & impuritatibus, quæ in vulnere generantur, curam sollicitè habendam esse fatentur, videntur tamen negligisse causam quamobrem illa pro-

Unable to display this page

bus, vel superfluam consumentibus, & postremò cicatrizantibus: qua quidèm ratione detergenda sæpius vulnera, & medicamenta pro rei exigentiâ imponenda decernebant. Verum usus olei, aut spiritûs, vel unguenti, aut pulveris balsamici omnem operam præstare posse videtur: nàm partis calorem fovendo, & puris generationem impediendo, id omne exequitur, quod ad medici munus attinet; nàm reliquum natura prosequitur. Tamet si verò ex vulneris solutione, & detectione certiores fieri possumus de ejus statu, & de his, quæ ex medicamentorum applicatione contingunt, tamen usque adeò præstat scire nos, quantum detrimenti ex ipsâ vulneris detectione subsequi solet. Nec desunt rationes, atque argumenta, quibus conjicere possumus, qualis naturæ sit vulneris status, ex pruritu, odore, dolore, pulsatione, & similibus, quæ facilè nos manu ducant ad cognitionem ejus, quod oculis minimè subjicitur. His igitur, & aliis ejusmodi rationibus utuntur Magatus, atque seqtalius ad improbandam antiquorum methodum circa vulnerum curationem, præsertim in eo, quod attinet ad frequentem, & iteratam ipsius vulneris detectionem, solutionemque. Sed præterea damnant quoque turundarum usum, his præcipuè ducti argumentis, primò, quia turundæ ipsi naturæ sunt infensæ, utpotè corpora extranea, in quorum expulsione natura semper sollicita esse debet. Deindè turundæ carnem divellunt, & dolorem excitant, undè humorum concursum progignunt. Præterea pure, & fœtidis humoribus imbutæ turundæ corruptionis, & putredinis causa plerumque esse solent. Neque verò Hippocrati, aut Galeno ullus fuit turundarum usus in vulnerum curatione.

Verumtamen, qui turundarum usum propugnant, hæc objiciunt argumenta: Vulneris orificium patere debet, ut puri sit exitus, ac debet proindè turundis sanari. Itèm turundarum applicatione medicamentum undequàque vulneri inspergit, & ad fundum usque penetrat. Postremò nisi turundæ vulneri applicentur, sæpè contingit, ut postremo orificio clauso, circa fundum adhuc permaneat, ac proindè pus non sine notabili detrimento obtusum resiagnet.

At verò Magati curatio in eo posita est, ut puris generatio abigatur, & medicamentum liquens, utpotà aqua, aut oleum vulneri applicetur, absque quod ulla sit turundæ necessitas.

Hactenus paucis propositivimus summam doctrinæ Magati circa vulnerum curationem, quæ quidèm magnâ cum utilitate observari solet in quibuscumque vulneribus, præsertim partium similarium: nàm quandòque organicæ partes vulneratæ expetunt artis medicæ auxilia. Cæterum curationes prosperè succedunt, si ea vulneribus applicentur, quæ ut diximus, balsamicâ vi pollent, ejusmodi sunt complures *aquæ, seu spiritus, aut olea simplicia, ut spiritus tere-*

terebinthinæ, aqua ardens, aqua Regia, oleum vitellorum, oleum balsami destillatum, oleum olivarum vetustissimum, vel recens ità destillatum, ut empireuma conceperit. Præcellunt tamen spiritus, aut olea composita, cujusmodi plura novimus, quorum compositionem deinceps communicabimus.

Sed admonet nos tandèm locus, ut de Magneticâ, seu sympathi â vulnerum curatione aliquid subjungamus, ejus rei inventor traditur *Theophrastus Paracelsus.* Verum quamplurimi deindè authores eandem vel scriptis illustrârunt, vel opere, aut exercitatione divulgârunt. Perficitur hæc curatio mediante unguento quodam, quod *Armarium* vocant, ejus descriptio est apud Paracelsum, sed illius etiam meminere *Iohannes Baptista Porta, in suâ magiâ naturali, Oswaldus Crollius in suâ Basilicâ chymicâ, Rodolphus Goclenius lib. de magneticâ vulnerum curatione,* & alii. Paratur *ex Usneâ i. musco, qui concrescit in calvariâ hominis violentâ morte peremptî, mumiâ, sanguine, & adipe humano, oleo lini, & rosaceo, atque bolo armeno*, nonnulli compositionem aliquanto diversam proponunt; usus autem est hujusmodi, telum, quo homo vulneratus fuit, si possit haberi, vel ejusdem loco lignum aliquod sanguine vulneris intinctum, & exsiccatum immergit in unguentum, atque intereà singulis diebus vulnus tegitur novâ fasciâ, quæ vulnerati urinâ madescat, sic ægrotos etiam absentes ex vulnere sanari opinantur. Sunt etiam qui ex vitriolo pulveres parant, quibus telum cooperiunt, & hac ratione vulneratos etiam longè absentes curari perhibent. Equidèm non desunt occulati testes, qui asserunt ejusmodi curatione gravissima vulnera fuisse sanata. Atqui nos non audemus contrà experientiam pugnare, fatemur tamen ex hac curandi ratione non concludi vim, atque efficaciam remedii, sed potius naturæ, quæ sola est vulnerum medicatrix, nàm profectò sæpenumerò observavimus homines non vulneris vi, sed chirurgorum operâ periisse.

CAP. IX.

De Potionibus Vulnerariis.

DIximus vulneratum partium coalitum, & reductionem ad pristinam unitatem non medici opus esse, aut medicamenti, sed dumtaxat naturæ opus, mediante balsamo radicali, seu naturali, & omninò cavere, ne quid extraneum accedat, & ipsam partis substantiam conservare, tum rerum balsamicarum, tum etiam integumentorum decenti applicatione. Cæterum vulneris coalitus soli naturæ committitur, & hanc quidèm solutæ unitatis præscribit curationem Galenus, maximè cum contingerit in parte carnosâ, vel alteri morbo conjuncta fuerit. Longè itaque Galeni doctrinâ, & à verâ medendi ratione aberrant illi, qui se antiquioris sapientiæ studiosos esse profitentur, & vulneribus statim ovi albumina, aut similia

superimponunt, aut turundas infigunt, & omninò cavent, ne vulnus claudatur, ac partis calor naturalis foveatur, sed puris generationem studiosè procurant, fortassis autem ejusmodi chirurgi magis sibi ipsis sapiunt, consuluntque, quàm vulneratis hominibus, à quibus numerosiorem pecuniam cum difficultate, & temporis longitudine plerumque extorquent. Sic balsamus ille naturalis vel ob aëris adventum, vel alterius corporis interpositionem, suam amittit temperiem, corrumpitur, devenitque ad glutinandum ineptus, & in tali casu ipse in causâ est, ut solutum continuum in unionem non coëat. Multum insudarunt recentiores in his emendandis vulgarium absurdis, & tandèm ea invenêre medicamenta, quibus balsamum naturalem conservant, ejusdemque corruptionem inhibent, factam jàm denuò emendant; adeòque sunt parti familiaria, & amica naturæ, ut eâdem auxiliante, intrinsecus omne vulnus tàm cæsim, quàm punctim illatum percurare possint, etsi absque medicis auxiliis natura per se morbos curet, si collatis his auxiliis, quibus ipsa ætatur, adjuvetur, facile opus perficiet. Hujusmodi auxilia sunt potiones vulnerariæ ex vegetabilibus, quæ si in alia redigantur corpora, & applicentur, vulnera curant. Certè nullâ meliori formâ, quàm in potiones redacta actionem perficiunt, etenim potiones natura veluti alimentum recipit, atque inest medicamentosa virtus, & facultas, quæ non recipitur ab ipsâ.

Vegetabilia vulneraria, ex quibus vulnerariæ concinnantur potiones, occulto potiuntur alkali, & sale volatili temperato plus, minus oleoso, prout ipsa variant vulneraria. Hoc alkali balsami naturalis corruptionem impedit acidam, imò enatam obtundit, absorbet, & destruit, ac proindè in hoc alkali, & volatile sale totalis vulnerum sanatio fundatur. Sic saturnina remedia ulcera, & vulnera curant, non quatenus refrigerant, exsiccant, deterguntque, sed quatenus nimium acidum absorbent: sicuti acida quæcumque supra saturni corpus agentia in dulcedinem transmutantur, hoc patet in aceto destillato, hoc sanè Saturno calcinato affusum dulcescit sacchari instar. Sic in plantarum vulnerariarum succo Mercurius tàm præcipitatus, quàm sublimatus si ebullierit, destruitur, & in pristinam, vivamque formam redigitur, destructis acidis supra Mercurii corpus fixatis.

Vulnerariæ istæ potiones quamvis omni ætate in usu fuerint, tamen pauci veterum ex legitimis simplicibus legitimè eas confecerunt, sed pro more suo sordidè, & oscitanter paraverunt.

Sciendum quoque hujusmodi potiones non solum medicamenta, sed alimenta esse ità eadem ratione licebit cibos vulnerarios parare, s. ut ea ipsa remedia unà cum cibis percoquantur. Verum quia tardius distribuuntur, & ferè ventriculi aliqua imbecillitas subest, omittuntur, nobis sanè non displicet, si ventriculus eas concoquere potest. po-

Potionum vulnerariarum varietas ex ingredientium diversitate desumitur, cujus generis simplicium ferè centum numero sunt, quorum quinque, vel sex ad unam potionem assumuntur, quorum vires in aliud corpus vinum e. g. traducendæ sunt; ante omnia tamen delectu simplicium opus est, quod alia melius, alia celerius, alia deterius, & alia tardius suam operationem perficiunt.

Et verò, & alius quoque harum potionum usus, quod ingruentibus malis ea occurrant, conservant n. naturale temperamentum, omnemque intemperiem corrigunt, propterea à naturam sic alunt, ut planè nihil ipsa melius desideret, quippè absque externis auxiliis curet.

Priusquàm tamen potionum formulas prescribamus, simplicia, ex quibus eæ parantur, ordine adnectere placet, notabimus autem ea saltèm, quorum ope omnis generis vulnera quocumque modo facta curari possunt:

Achillea.
Agrimonia.
Alchimilla.
Anagallis.
Angelicæ radix.
Aristolochiæ radix.
Betonica.
Bistortæ radix.
Bursa pastoris.
Buxi folia.
Caryophillatæ radix.
Centaurii majoris radix.
Chinæ radix.
Consolidæ majoris.
Regalis.
Saracenicæ radix.
Dictamnus.
Enulæ campanæ radix.
Equisetum.
Folia rosarum, &
Roris marini.
Glycyrrhiza.
Hedera terrestris.
Hypericon.
Iuniperi bacca.
Ligni sancti cortices, &
Lignum.
Lilium convallium.
Majorana.
Millefolium.
Nicotiana.
Ophioglossum.
Perfoliata.
Pilosella.
Persicaria.
Polygonum.
Quinque folia.
Rhabarbari.
Rhapontici radix.
Sabina.
Salsaparilla.
Salvia.
Sanicula.
Scolopendria.
Scordium.
Stellaria.
Tanacetum.
Thelephium.
Tormentillæ radix.
Verbena.
Vinca pervinca.
Vincet oxicum.
Virga aurea.

Præter hæc simplicia vim vulnerariam quoque obtinent herbæ omnes grati odoris, & saporis, quæque cephalica, & stomatichæ dicuntur, & hanc vim quoque habent

bent *rasura eboris, cornu cervi, mumia, sperma ceti, sanguis hirci ad pleuriticos paratus, oculi cancrorum*, de quibus passim mentio fiet.

Plura sunt præter connumerata simplicia, sufficiant tamen ista, atque scire convenit inter jàm dicta tria, esse quorum succo epoto, omnia vulnera, ac punctura curantur; duo etiam notata esse, quorum utrumque prius aquæ intinctum, si vulneri imponatur, ipsum vulnus prius glutinatur, quàm herbæ computrescant; esse & unum ex his, quod ter potum vulnera, omniaque vulnerum symptomata glutinare, & tollere efficax est, sed ista admiranda naturæ cognitio non nisi laboribus comparatur, estque secretior, quàm quæ scriptis publicando sit. Sunt & ex connumeratis quædam, quæ intestinorum vulnera, non aliter quàm carnosarum vulnera glutinat.

Modus vulnerariarum potionum antiquorum fuit, in vino decoquere ad tertiæ vini partis evaporationem, qui modus nunc etiam à medicis vulgaribus in decoctionibus cum vino ab ipsis descriptis ad amussim observatur, sed toto errant cœlo: nàm unusquisque qui leviter saltèm acte destillatoriâ est imbutus, scit, quòd si vinum destilletur, ejusque pars spirituosa, & optima, etiam satis lento igne ab eo proliciatur, nihil tùm ab eo remanet, præter aquosum, & ingratum, vel nauseosum phlegma, omni virtute, ac sapore viri spoliatum, & sic tali modo potiones concinnantes, vini faciunt jacturam, cum in coctura deperdatur, remanetque phlegma, & inutiles herbarum fæculentiæ sine herbarum balsamo.

Nos potiones vulnerarias in vino parari libenter consulimus, nàm viri spiritus balsamo herbarum imbutus, quia naturæ nostræ familiarissimus est, statim ab illâ intùs recipitur, celerique motu balsamum tùm per universum, tum ad partem vulneratam defert; ac quantum vini spiritus simplex vulneribus obest ob illius sulphuream naturam, tantum herbarum balsamis imbutus, ad illorum integram curationem efficacissimus devenit. Nos etiam utimur aquâ vini spiritu alkoholizato imprægnatâ, vasa optimè clauso, ac etiam simplicia decoquendo, prius tamen per 24. horarum spatium macerari sinimus.

Vinum ergò, in quo potio præparanda est, debet esse album, antiquum, generosum, sed tenue, non crassum, propter quam causam rubrum excluditur: quamvis albo deficiente, rubro ut quoque possumus.

Ponitur hujusmodi vinum in vase aliquo, cui aliquid adæquatè superponi possit; nàm herbis in vinum projectis, aliud vas superimponitur, & junctura farinâ triticeâ cum ovi albumine subactâ illinimus, ut vini spiritus nullo modo aufugere possit, sed si in vas superius ascendat, iterum decidat. Sic illinitis, & exsiccatis vasorum juncturis, supponitur ignis, qui non sit vehemens, sed tamen æqualis per horæ spatium, post quod ignis à vase subtrahatur, & relin-

relinquatur, ut refrigeſcat : cum frigidum eſt, aperiatur, & per linteum vinum vulnerarium in aliquod vas mundum percola, leni tantum herbarum expreſſione, & benè concluſus ſervetur. Doſis ſit ℥. IV. manè jejuno ſtomacho, & veſperi poſt cibi digeſtionem, poſt tres horas à potione cibus exhiberi poteſt.

Parari etiam poſſunt ex viridibus herbis (nàm ut plurimum ſemper ſiccis utimur) vulnerariæ potiones, ſi earum ſuccus exprimatur, fermentetur, depuratuſque ægris exhibeatur in minori doſi.

Formulæ potionum ſunt.

℞ *Stellaris,*
Alchimillæ.
Dictami.
Scordii ana m. j.
Radic. conſolid. mai. m. ſ.
Tormentillæ m. j.
Ocul. cancr. ℥. ij. *ſ.*
Vini alb. lib. IV.
Paretur potio modo ſupra deſcripto.

Vel

℞. *Sampſuci m.* ij.
Saniculæ p. iij.
Piloſellæ m. j.
Thelephii m. j. *ſ.*
Radic. angelicæ, &
Ariſtolochiæ ana ℥. j.
Mumiæ ℥ j. *ſ.*
Conquantur, ut dictum eſt.

Vel

℞ *Radic. rhaponici.* ℥ ij.
Rhabarbari ℥. iij.
Hederæ terreſtris,
Perſicariæ ana m. ij.
Pyrolæ.
Vincæ pervincæ ana m. iij.
Spermatis Ceti ℥. ij.
Flor. hyperic. p. j.
F. Decoct. cum vino in duplici vaſe.

Poteſt etiam ex muſto vinum vulnerarium parari, ſi ſimul cum muſto herbæ vulnerariæ contuſæ in dolio ponantur, datâ proportione decem manipulorum pro quolibet cado, ac ſimul in doleo efferveſcere, ſive poſt efferveſcentiam, ut fieri ſolet, dolium occludatur, & menſe Martii in aliud dolium vinum illud commutetur, abditis novis herbis vulnerariis, ità illud conſerva, ut cum opus fuerit, de vino illo vulnerato exhibe; nàm non minus vulnera curabit, ac ſuprà jàm deſcriptæ potiones per ebullitionem factæ.

Quòd ſi caput vulneratum fuerit, vel vulneratus vinum non biberit, vel ob aliam cauſam vino uti pro parandis potionibus contenti non eritis: efficaciſſimas quoque eas cum aquâ ſimplici, vel melius cum aquâ ſtillatitiâ ex herbis vulnerariis parare poteritis in vaſa duplici, ut de vino prædiximus, uno tamen diſcrimine, quòd herbæ, quæ in aquâ parantur exſiccatæ, & in pulverem comminutæ eſſe debent, cum eæ, quæ in vino ebullierint, vel virides, vel exſiccatæ ſint, parum intereſt. Ad ſaporem, & odorem in hujuſmodi potionibus conciliandum, poteris aromata etiam adjicere, & cum aliis vulnerariis decoquere, vel etiam poſt factam decoctionem aquæ, vel olei eſſentialis aromatici parum miſcere, ad ſaporis, & odoris uſque gratiam. His potionibus ad majorem efficaciam comparandam addere poſſumus poſt

factam decoctionem, sal volatile, vel fixum alicujus herbæ vulnerariæ: formula ergò potiones parandi in aqua talis erit:

℞. *Betonicæ.*
Majoranæ.
Ros incomplet. exsicc. ana ℥. jj.
Santalii rubr. contus.
Corn. ceru. crud. limat. &.
Rasuræ eboris ana ℥. j. *ſ.*
Aquæ font. lib. j. *ſ.*

Ponantur omnia in vaſe duplici, cujus junctluras, ut ſuprà dictum eſt, illine; ſuppone illi ignem per integram horam, ut bulliat, frigeſcat deindè, & aperto vaſe fiat potionis colatura leni expreſſione, ejus exhibe ℥. iv. eodem modo, quo ſuprà de vino diximus.

In baccis juniperi magna vis vulneraria ineſt, undè ex eis ſpecificum vulnerarium, ſummoperè efficax, & à nobis multoties expertum, præparat *Paracelſus*, cujus formula hæc eſt.

℞. *Baccar. juniperi contus. l.b.* ij.
Limonii utriuſque.
Periclemeni.
Radic. diapenſiæ alb. ana m. ſ.
Ophioglosſi m. j *ſ.*
Symphyti.
Ariſtolochiæ ana ℥ *ſ.*
Perſicariæ ℥. iv.

Deſtillantur arte chymicâ, aquæ deſtillatæ rursùs immergantur herbæ dictæ, tùm quoque baccæ juniperi cum cinnamomo, & fiat decoctio in vaſe duplici, ut ſuprà. Doſis ℥. iij.

Efficaciſſima etiam vulneraria virtus eſt in floribus aliquorum ſimplicium, ex quibus potionem ſic parant ſ.

℞. *Flor. ſpicæ m.* j.
Hyperici m. iv.
Flor. verbaſci m. ij.
Flor. betonicæ.
Centaurii min.
Prunellæ ana m. ſ.

Fiat decoctio in vino, vel aquâ, modo deſcripto.

Tandèm univerſale vulnerarium, & admirabile in curandis vulneribus ſic parat *Paracelſus* per potum, nàm nunquàm de vulneratorum ſalute ſpes erit fruſtanea:

℞. *Rad. ſymphyti* ℥. ij.
Ariſtolochiæ ℥. iij.
Calami aromatici ℥. j.
Ireos ℥. *ſ.*
Vincapervincæ m. iv.
Saniculæ alb. m. ſ.
Pennar. extremitatis caudæ pavonis ℥. ij
Myrrhæ,
Maſtiches,
Thuris,
Muniæ ana ℥. *ſ.*
Rhabarbari ℥. vj.

Coquantur in vino, vel aquâ deſtillatâ vel ſucco limonii, vel aquâ communi, prout neceſſitas particlaverit, & eadem doſi exhibeatur.

Hæc de formulis potionum vulnerariarum dicta ſufficiant, ex quibus certiſſima ſperanda eſt ſalus, præcipuè in punctur s. Vix n. ullum remediì genus uſurpant chirurgi iſtis potionibus, partim ob negligentiam, partim ob componendi, & parandi inſcitiam, in magno uſu ſunt apud Germanos; non n. in Germania exiſtit vetula, tonſor, & carnifex, qui non ſingularem potum vulnerarium non venditet.

Notandum tamen, quòd vulnerariarum potionum uſus diuturnus

nus esse non debet, quàm usquequò nil amplius vitiosi, nullumque pravum symptoma in vulnere appareat, tum verò ejusmodi potiones indiès minuantur, & tandèm penitus intermittantur, imò etiam in aliis vulneribus nunquàm ad finem usque continuentur, quoniam nimium carnis in vulnere generant, ità ut post sanationem tumiditas eo loci prominеat, quæ diù perseverat, antequàm iterum dispareat: melius itàque est tempestivè potionem talem interrumpere, quandò nimirum vulnus bona signa edit.

CAP. X.

De Unguentis Vulnerariis.

CUrandis vulneribus, omni ætate unguenta adhibita esse traditione constat, imò plus veteres unguentorum simplicitate profecerunt, quàm recentiores in debitâ rerum admistione cum unguentis diversimodè compositis. Antiquitus unguentorum vulnerariorum usus vulgaris erat, atque domesticus, unusquisque domi suæ unguentum vulnerarium parabat, & quovis tempore, quavis horâ, qua domesticis vulnus fuisset inflictum, promptum esset medicamen, ipreta venali chirurgorum ope. Interest n. multum ad vulnerum tutam, citamque curationem immediatè agere, & in inflictum vulnus vulnerarium unguentum, vel oleum adhibere, nàm cum horum opus sit spiritus in parte vulneratâ conservare, & balsamum radicalem ab aliquâ alteratione præservare, juvat multum eorum applicatio, antequàm spiritus à parte recedant, & balsamus haberetur.

Antiquis temporibus ea, quæ corpus dabant ad unguentorum præparationem, duo erant, mel s. & butyrum, ea autem vulgus eo nomine præcipuè delegerunt, quod apes, & boves omne florum genus, ac herbarum exugere, & depascere viderent, existimantes (nec sine consilio) iis varias herbarum proprietates communicari. Verum successu temporis cum sophystica medicinam quoque invasisset, isthæc quasi rustica, & nimis simplicia contemni cœperunt, atque eorum loco alia fucata magis, & minus utilia substitui. Nos verò candidè vos hortamur, hæc ne contemnatis, quæ veteribus in usu fuerunt, ac pseudo-medicorum istorum fucatas compositiones, ut inutiles, aufugere, revocabimus in usum antiquorum unguenta, eorum formulas trademus, quæ si Græcorum, & Arabum ingredientia non habeant, eas abiici non velimus, erunt n. illis seduliores, prout utiliores. Sciatis intereà, quòd, ea quæ corpus constituunt, promiscuè assumere licebit, ut pro melle butyrum, & mel pro butyro; convenientius autem pro floribus mel, & pro herbis butyrum assumere potestis, formula hæc erit:

℞. *Butyr. recent. majalis lib.* j.
Arnoglossæ,
Limonii utriusque.
Betæ cum radicibus ana m. j.

Ophiogloſſi m. iij.
Contundantur, & permiſceantur cum butyro, deindè inſolentur per menſes aliquot, poſt percolentur, & unguentum ſervetur ad uſum.
Vel
℞. *Butyr. majalis lib.* iij.
Rad. ſymphyt. maj. lib. j.
Ophiogloſſi lib. j. *ſ.*
Inteſtinor. terræ mundat. lib. ſ.
Ariſtolochiæ recentis ℥. ij. *ſ.*
Contundantur omnia, & fiat pulticula, quæ in ad ſolem, vel in fimo digere ad humiditatis ſeparationem, & ſerva.

Hujuſmodi compoſitiones plures inveniuntur, ſed iſtæ duæ ad quodvis vulneris genus curandum ſufficiunt; ut autem diutius à putredine tuta ſint unguenta iſta, butyrum aliquoties in aquâ ſalſâ lavare, vel ſalis modicum toti compoſitioni adiicere convenit.

Eodem modo ex melle, ex ophiogloſſo, & floribus hyperici unguentum parare poteritis, & tandèm ſciatis, quòd tam cum melle, quàm cum butyro, cum ſolo ſymphyto majori, vel radice ariſtolochis ſufficiens unguentum parare potentis.

Notatis antiquorum formulis, quæ vos curandi fine non defraudabunt, addemus nunc unguenti mirabilis formulam à Paracelſo inventam, & longo curandi uſu mirabilibus experimentis comperobatam, illa hæc eſt:

℞. *Radic. ſymphyti,*
Ariſtolochiæ,
Ophiogloſſ.
Herbar. utriuſq; limonii ſingul. p. ß. & virentes eas ſimul contunde in formam pulticulæ, poſteà affunde vini tantum, ut paululum ſupernatet. Coque in duplici vaſe per horas decem, deindè exempta rurſus commiſce, & percola, ac adjecto melle, vel butyro q. ſ. miſtiſque omnibus, iterum bulliant in vaſe duplici, ut prius, cocta iterum percolentur, ac prælo exprimantur, denique alembico indicta inſolentur uſque ad debitam conſiſtentiam, ac ſerventur ad uſum. Habebis unguentum, in quo multum confidere poteris in magnorum vulnerum magnis difficultatibus.

In ſuper admiratione digna eſt hominum antiquorum induſtria in indagandis remediis, nam quilibet ſuarum legionum peculiaria ſimplicia adhibuerunt. Hinc quidam melle, & butyro relictis, gummata, & reſinam pro unguentorum corporibus receperunt, de quorum formulis vos non defraudabimus. Nobiliores reſinæ, quæ exiſtimantur, ſunt laricea, & abiegna, ex quibus unguenta parabitis.

℞. *Reſinæ laricea lib.* j.
Album. ovor. num. x.
Agitentur benè, ac ſubigantur, ſ. ung. colore ſubflavum cui permiſce
Pulv. rad. ſymphyt. mai. ℥. ß.
Ariſtolochiæ rotund. ℥. j.
Farinæ hordei ℥. vj.
Optimè miſceantur omnia, & ſ. ung. perfectum ad omnia vulnera.
Vel
℞. *Reſinæ abiegnæ lib.* j.
Liqueſcat paulatim, ut purgetur à ſordibus, poſt adjice
Medullæ vituli parum.
Radic. ſymphyt., vel
Inteſtinor. terræ tantundem,
Vel quantum ſufficere videbitur:

Con-

Contundantur omnia, & permisceantur in mortario calido, deindè vulneri impone.

Ex butyro, melle, & resinis simul mistis unguentum paratur vulnerarium magnarum virium in vulneribus curandis citò, tutò, & jucundè, ut

℞. *Butyri majalis non salitii* ℥. viij.
Succ. express. betæ,
Ophioglossi,
Pyrolæ,
Saniculæ ana ℥. j. ſ.
Mellis ℥. iij.

Dissolve mel in succis coquendo, & aliquantulum despuma, tum etiam adde butyrum, & coquendo perge, donec succi sint absumpti, tunc etiam resinam adiice, & coqui permitte, donec in reliquis liquescat, tum totum per pannum exprime, & asserva in pyxide lapideâ probè obligatâ, si nimium crassescat, temperari poterit momento olei florum hyperici, vel etiam inter coquendum ejus non nihil admisceri.

Vel melius:

℞. *Vnum, vel duos sextarios lumbricor.*

Terrestrium ping. rubicundorum, coque eos in aquâ pluviali, donec dissolvantur, tum aquam hanc per pannum exprimendo cola, recipe hujus decocti, & mellis clari recentis ana lib. ij. *coque ea, & despuma diligenter, adde tum sequentes conscissas, & in pulrem contusas herbas recentes, nimirum*

Pyrolæ,
Saniculæ,
Bursæ pastoris,
Symphyti.
Vineæ pervineæ, &
Virgæ aureæ ana ℥. j. ſ.

Repone ea in locum tepidum ad macerandum per dies 8. *vel* 10. *deindè simul coque, donec aquositas exhalando dispereat, ac spissa quædam substantia, seu succus remaneat melle aliquantulum crassior, quam per pannum transpelle. ut substantia herbacea remaneat, adde tum extracti aloës, myrrhæ, & olibani cum spiritu vini parati, abstrahendo spiritum vini ad extracti spissitudinem, cujus simul admisce* ℥. ij. Hanc misturam probè custodi, tanquàm thesaurum vulnerarium, unit n. se facillimè cum vulnere, influitque in illud instar olei, sanat, & præservat à corruptione, estque balsamum etiam intra corpus sumi aptum.

CAP. XI.

De Oleis, & Balsamis Vulnerariis.

OLeorum usus antiquorum est, quàm balsami, qui artis chymicæ industriâ in medicinam fuit innoductus, & oleorum compositio facilior, & simplicior existit, & prima planè fuit, quæ antiquorum usu venit in vulneribus curandis, nàm cum quibusdam unguentorum forma, ac mellis corpus non usque adeò placeret, de commodiori formâ remediis cogitârunt, & an oleum facultates florum, radicum, & herbarum, sic quoque combiberet, periculum fecerunt: nec sine successu quidem: nàm experientiâ edocti sunt commodius hic, quàm illic fieri posse, brevique tantum crevit horum oleorum usus, ut omnia reliqua

medicamenta in desuetudinem, ac contentum venirent. Ubi ea in usum adhibebantur, lavandum prius vino vulnus erat, pòst infundendum oleum, ac demum deligandum, hujus curandi rationis Christus Dominus in parabolâ Evangelicâ de vulnerato, & Samaritano meminit, magno argumento hujus artis antiquitatis, & præstantiæ. Sed hoc fuit oleum balsamosum per artificium ex oleo, & vino paratum, quod vocatur *oleum balsamicum Samaritanum*, à nobis in *Trutinâ lib. 2. cap. 3. de Empyemate* descriptum.

Verum circa olea communia per solam expressionem facta dicimus, quicquid dicant alii, tutò adhiberi non posse s. vulneribus applicari non debere, non tantum ob unctuositatem viscidam, ratione cujus partibus nervosis sunt inimica, sed præterea etiam quia in se habent acidum occultum satis potens, quod corruptionem balsami naturalis insigniter promoveret.

Posterioribus sæculis chymistæ cum destillatis oleis plusquàm simplicibus tribuendum putarent, rejectis artificiosam præparationem balsami nomine appellârunt, cui sine dubio plus virium tribuendum est, quàm simplicibus oleis.

Notare tamen debemus, quòd ad faciliorem oleorum simplicium destillationem, ex contusis lateribus illa chymistæ destillare solent, undè oleum de lateribus, sive laterinum nomen desumpsit; hoc tamen oleum non est omninò probandum, cum multum empyreuma redoleat.

Itàque hujus formæ remediorum quatuor sunt differentiæ, oleum s. simplex, & sine ullo additamento, destillatum, Item terebinthina simplex, & terebinthina destillata; nos singularum specierum quasdam formulas selectiores exempli causâ adnotabimus.

Oleum vulnerarium mirabile.
℞. *Ol. comm. vet. & laudati lib.* j.
Flor. camomill.
Ros. rubr.
Prunellæ ana m. j.
Flor. hyperic. m. iij.
Flor. centaur.
Chelidonii ana m. ß.
mista omnia ponantur ad solem per duos menses.

Hoc oleo, seu balsamo mira præstantur in vulneribus præter omnem dolorem, imò cum sedatione doloris, si adsit. Poteritis sequenti anno eosdem flores in eodem oleo denuò macerare, & habebitis medicamentum nunquàm satis laudatum.

Aliud oleum aliquo modo efficacius:

℞. *Herbar. ophiogloss.*
Limonii minoris.
Agrimoniæ,
Sanicula ana m. j.
Flor. hyperic. m. ij.
Rad. symphyti m. ß.
Verm. terrest. mund. num. centum,
Ol. q. s.
Vt superemineat pro maceratione omnium, ponantur ad solem per duos menses, & utere ut suprà.

Possunt his oleis imponi quoque *gumia, mastiche, thus & myrrha*, sed in istis modus servandus est; non n. facilè oleo conjunguntur, si

si verò flores, maximæ facultatis sunt flores hyperici.

Notare quoque potestis, quòd semina dictorum simplicium vulnerariorum, si hyeme contundantur, & in dictis oleis infundantur, multam dictorum oleorum efficaciam adaugent.

Eodem modo, quo de oleis diximus, terebinthina uti potestis, verum quia terebinthina viscosum habet corpus, & non ut oleum diffunditur, conjungenda sunt simul hæc duo, & habebitis magnum arcanum in vulneribus curandis, quod hodiè apud Principes delitescit formula hæc est:

℞. *Ol. oliv. lib.* j. ß.
Terebinthinæ ℥. iv.
Flor. hyperic. q. s. ad implendum
Flor. verbasci part. tertiam
Ad flores hyperici,
Vini alb. generosi lib. iij.

Coquantur omnia ad consumptionem vini lentissimo igne, postèà per duos menses ponantur ad solem, & utere hoc balsamo nunquàm sine mirando successu utimini.

Modus, quæ balsama destillata conficiatis, ut efficaciora, est ut tàm oleum olivarum, quàm terebinthinam sive seperatim, sive conjunctim in retortâ vitreâ ponatis, quam non ultra medietatem implebitis. In oleo deindè destillato flores insolare potestis modo, quo suprà. Sic per florum additamentum balsamum destillatur, excedentem subtilitatem amittit, magnam vim vulnerariam acquirit. Estque penetrantius, eo quod ex simplici oleo paratur, & adaptato vase recipiente, placido igne destillationem promovebitis. Verùm efficaciora reddetis balsama, si simplicia vulneraria addetis, digeretisque & deindè per retortam evocabitis, vel si hoc modo per infusionem parabitis, ut

℞. *Ligni aloës*
Caryophyllor.
Bacc. juniperi,
Gummi hederæ.
Dictami alb.
Zedoariæ,
Cardamomi,
Galangæ,
Nucis mosch.
Consolidæ minoris,
Baccar. lauri ana ℥. j.
Cinnam.
Benzoini,
Consolidæ mai.
Dictami Cretensis ana ℥ ij.
Galbani,
Thuris,
Hyperici,
Card. benedicti,
Myrrhæ ana ℥. iij.
Gummi Arabici,
Ol. Laurini,
Millefolii,
Vernicis liquidæ ℥. iv.
Resinæ pini ℥. vj.
Terebinthinæ lib. j.
Granor. chermes ℥. *ſ.*
Croci ℥. ij.
Ambræ, &
Moschi ana ℥ ij.
Spiritûs vini opt. lib. vj.

Contundantur contundenda, atque omnia indantur in retortam vitream, seu cucurbitam, & vasè clauſo digerantur octo, vel novem diebus, postèà lento igne cinerum, sive arenæ destillentur. Primò destillabit spiritus, qui

est

est omnium efficacissimus, & apparet aquæ pellucidæ instar, deindè egreditur oleum limpidum, atque ultimò stillat oleum obscurũ, quod sapit empyreuma, postremũ hoc oleum minoris est efficaciæ.

In vulneribus, & potissimùm capitis utimur aquâ, cujus duas, vel tres guttas in vulnus immittimus; oleo autem inunguntur partes vulneri circumiacentes, quod etiam habet rationem defensivi.

Sed nonnulli malunt uti alterâ descriptione balsami artificialis, quæ quidèm compendiosior est, & paucâ impensâ comparatur, & opportunior est, quotiescumque febris adfuerit, ejus autem descriptio ità se habet.

℞. *Aquæ ardentis opt. lib.* vj.
Terebinthinæ lib. ij, & ℥. iv.
Album ovor. ad dutitiem coctor. num. xxiv.
Myrrhæ,
Sarcocollæ.
Vitrioli,
Thuris,
Picis navalis,
Resinæ pini,
Aloës ana ℥. ij.
Sang. drac.
Salis nitri ana ℥. j.
Croci ʒ. iij
Destillentur, ut suprà.

Cap. XII.

De Medicamentis Vulnera mundificantibus.

ALiquandò aliquod excrementum in vulneribus producitur à naturâ, dùm balsamicis adjuvãtur, ut nihil præter excrementi illius expurgationem, & mundificationem ad curationis complementum deesse videatur, de hoc quoque pauca admonere forsan non inutile fuerit. Videmus n. canes Lingendo vulnera sua curare, nullâ alia ratione, quàm quod ea expurgent, quos imitati prisci homines vulnera sua, manuum præcipuè, frequenti linctu pulchrè curârunt, & *Psyll. Lybiæ populi. apud Plutarchum* Linguâ vulnera lingebant, & ab eis quicquid mali inerat, ore sugebant, imò idem scribit: *Catonem iter per deserta Lybiæ facientem, secùm Psyllos duxisse, qui morsibus serpentum mederentur, partim ore venenum trahentes, partim serpentes cantibus mitigantes.* Verùm successu temporis delicatiores facti, à linctu abhorruêre, acurina vulnera lavare cœperunt, sicque carnosa vulnera faciliter curabant, ut apud *Galenum* legimus, sed quia fœtorem vulneribus conciliabat, & frequentem deligationem requirebat, pigritiâ ducti hanc relinquerunt, & ad vinum confugerunt, quod etiam si non contemnendum esset, tamen in magnis vulneribus sufficere non poterat; tandèm ad aquam salsam progressi, eam utiliter tum hominibus, tum bestiis adhibuerunt: sed in ejus locum successêre sequentia mundificativa.

Primò in vino decoxêre aliquas herbas vulnerarias, modico salis adjecto, eoque decocto, vulnus ipsum laverunt, tandèmque emplastri loco favos mellis contusos imposuêre. Alii

Alii aluminatâ, aquâ adjecto pauco vitriolo, vulnera curârunt, quidam succo plantaginis, & chelidonii, pauco sale adjecto. Arabum vulgus sale cum melle ad vulnera sananda utitur. Ex dictis remediis etiam si curationes tardæ fiant, tamen quia periculo omninò vacant, vulgo gratiores existunt. Sunt ex alia, quæ secretiore quadam naturâ vulnera expurgandi prædita sunt, uti Perficaria, quæ si in aquâ lota vulneri imponatur, ipsum sanat ex insitâ salis facultate.

Hujusmodi vilia remedia videntur, viles tamen operationes non habent, sed plus-istis efficeris quandòque, quàm magnificis illis, ac prolixis, medicorum formulis. Hujus tamen vos meminisse volumus hoc capite notatam curandi rationem in iis tantum vulneribus sufficere, in quibus nulla graviora symptomata ægros molestant, vel quæ non nimis magna sunt, nisi forsan æger optimâ sit corporis constitutione.

Cap. XIII.

De Emplastris Vulnerarijs

EXperientia docuit, quòd eleis, & unguentis vulnerarijs appositis, præstantius est emplastrum superponere, quàm alio modo deligare; emplastris n. prohibetur omnibus externis in vulnus aditus, spiritus conservantur, & balsamo gummatum emplastrum componentium recreantur.

Antiquis mirabilia emplastra cognita fuêre, & continuâ experientiâ comprobata, medicorum deindè aviditate, & lucri cupidine suppressa, & à chirurgiâ oblegata; hoc est nostris temporibus in arte, & professione medendi institutum, ut remedia certa, quæ infaillibili eventu effectum producunt, passim à medicis excludantur, vituperentur, & ab iis tanquàm à veneno fugiendum credulæ humanitati suadent; etenim hodiè lucro, & utilitati propriæ, non autem infirmorum consulunt medici: emplastra ergò ab antiquis reperta, & experta, si à medicis relicta fuêre, apud quosdam pro secretis maximis conservata sunt, & ex illis aliqua propalabimus.

Sed prius sciendum est, quod omnium emplastrorum materia constituitur ex cerâ colophoniâ, terebinthinâ, & ex gummosis resinis; harum n. rerum tenax viscositas pulveres vulnerarios imbibit, & conservat, ità ut vulneratis partibus imposita balsamum, & efficaciam illorum ministrent, procurandum tamen est, ut omnia gummata, quæ emplastra ingrediuntur, fiat omnino à fordibus, quas continent, expurgata, aliàs n. emplastra inutilia reddunt, fit hoc, impura gummata in aceto ferventi d issoluendo, ac per manicam tranciendo forti expressione; ità n. quod purum est in illis tantum habebitur, nàm acetum per coctionem evaporatur.

Pulveres vero emplastra ingredientes varii sunt, ut *Litharg yrium, cerussa, crocus Martis, squama quis, minium,*

minium, magnes, & Sarcotici, quos vocant, *thuris, masticbes, myrrhæ &c.* hi, ut laudabile constituant emplastrum, tenuissimi sint, necesse est, & per setam trajecti.

His cognitis, formulas emplastrorum trademus, & præcipuè illius, quod *stiticum* vocant ad vulnerum curationem efficacissimum.

℞. *Minij,*
Calaminaris ana lib. ſ.
Lithargyr. auri, &
Argenti ana ℥. iij.
Ol. lini,
Olivorum ana lib. j. *ſ.*
Lauri lib. ſ.
Ceræ,
Colophinæ ana lib. j.
Vernicis.
Terebinthinæ ana lib. ſ.
Opoponacis,
Galbani,
Serapini,
Ammoniaci,
Bdellij ana ℥. iij.
Succini citrini,
Olibani,
Myrrhæ Alexandrinæ,
Aloës hepaticæ,
Ariſtolochiæ longæ, & rotundæ ana ℥. j.
Mumiæ tranſmarinæ,
Magnetis,
Hæmatitidis ana ℥. j ſ.
Corall. rubror. &
Alborum,
Matris perlar.
Sang. drac.
Terræ medicatæ ſtrigenſis. i.
Sigillatæ,
Vitrioli albi ana ℥. j.
Flor. antimonij,
Croci Martis ana ℥. ij.
Camphoræ ℥. j.

Modus parandi talis eſto:

Gummata quinque in aceto macerata, & cocta exprimantur per linteum craſſum, bis repetendo coctiuram: poſteà ſuper lentum calorem in mundâ ſartagine uſque ad conſiſtentiam mediocrem inſpicentur. Oleum lini, & olivarum imponatur alteri ſartagini, & addatur lithargyrium auri, & argenti, coquantur agitando, donec oleum coloretur, hinc addatur calaminaris, & paulo poſt minium, omnia illa agitando, coquentur ſimul ad ſufficientiam, cujus indicium erit, ſi ſupra unguem gutta concreſcat, & condenſetur, neque ampliùs diffluat. Tandèm etiam addatur circa finem Vernix oleum Laurinum, cera, colophonia: omnibus benè invicèm miſtis, & liquefactis, & ab igne ſepoſitis, poſteà da operam, ut ferrago cum gummatibus paulatim caleſiat, & ſucceſſivè affunde liquorem è ſecundâ ſartagine gummatibus diligentiſſimè agitatione incorporando, ſupra lentiſſimum calorem, cavendo, ne bulliat; alioquin gummata in grumos coëant, & oleo difficulter miſcentur, poſtmodùm agitando addantur pulueres, & diligenter per horam omnia commoveantur: Ultimò camphora reſoluta in oleo juniperino addatur; ſi fortè nimis durum eſſet, jungatur adhuc aliquid ceræ, & colophoniæ. Tum demùm ab igne deponitur, ac manibus (oleo chamamelino, roſarum, juniperino, lumbicorum, hypericonis ana quantum ſatis miſto) perunctis, pinſere, ac inſtar malagmatis ſubigere convenit. Servetur ad uſum, efformatis indè prius magdaleonibus alutæ includendis.

Inſi-

Insignium virium ad vulnera curanda est emplastrum. *Oppodeldoch Paracelsi*, cujus descriptio talis est.

℞. *Galbani*,
Opoponacis ana ℥. iij.
Ammoniaci,
Bdellium ana ℥ j.
Macerentur per dies octo, vel plures in aceto destillato, cola, & tandèm inspissa Leniter ad mellis consistentiam, deindè.

℞. *Lythargyr. tenuiss. pulveris. lib.* ß.
Olei communis lib. j ß.
Coque lento igne, & continuè move cum spatulâ, donec spadiceum colorem contrahat, adde.
Ceræ lib. j.
Quæ liquefactâ, immisce etiam superiora gummata, & paulò post.
Olei Laurini ℥. iij.
Move diligentissimè, donec nimirùm omnia exactissimè fuerint mista. Remove ab igne & extremò adde hos pulveres tenuissimè tritos.

℞. *Croci Martis*,
Mumiæ transmarinæ,
Magnetis prap.
Magisterij corall. alb. &.
Rubr. ana ℥. ß.
Lapidis calaminaris prap.
Myrrhæ rub.
Thuris masculi,
Mastiches,
Rad. aristoloch. rotundæ ana ℥. ij.
Hos pulueres infunde in liquefactum emplastrum, non confertim, sed pedetentim, & providè diligenter, ut omnia coëant. Postremò omnium.

℞. *Pulv. succini* ℥ j.
Olei Laurini ℥. j.
Terebinthinæ ℥. ß.
M. & liquefact. seorsim.
Solue in eodem camphoræ ℥ j.
Et tandèm Croci orient. pulu. ℥ ß.
Hanc solutionem seorsim factam cum emplastro calido m. idque fiat prudenter, ut nimirùm omnia per minima quasi conjungantur. Exindè fac magdaleones, malaxando nimirùm cum oleo hypericonis, & Lerva.

Et jàm habetis duorum emplastrorum principalissimorum componendi formulas, cætera de ulceribus tradidimus, & passim tradentur, quæ nunquàm vos in curando deserent, eò magis si veltris manibus illa componatis, spretâ seplasiorum impostoriâ operâ.

CAP. XIV.

De Pulveribus Vulnera agglutinantibus.

IN curandis vulneribus non uno modo, sed pluribus chirurgus indiget, nàm multoties vel ratione loci, vel temporis, vel ratione vulnerati unus curandi modus exerceri non potest, ac tunc alio cura suppleri debet; præterea præter unguenta, olea, emplastra traumaticos pulveres adinvenêre, qui celerius sanant, quàm reliqua jàm tradita remedia; enimverò potiones vulnerariæ, unguenta, olea, & emplastra, quia curam à fundo vulneris promovent, tempore indigent, ut usque ad extrema labia sensim illam producant, sed traumatici pulveres eodem instanti agglutinationem per integram vulneris longitudinem inducunt, quippè eorum actio adstringens mirabiliter radicalem,

seu naturalem balsamum ad unionem promovet.

Pulveres isti in triplici differentiâ sunt, vel n. ob siccitatem constringunt, ut *bolus armenus*, vel aliâ de causâ, ut *acacia*, ideſt *succus pruinorum agrestium immaturorum:* adstringunt, vel glutinis instar conjungunt vulnerum labia, ut *tragacantum*; in iscentur hæc cum aliis rebus, quæ naturalem balsamum promovent, tales itàque erunt talium pulverum formulæ:

℞. *Boli Armeni veri* ℥. iij.
Dissolvantur in aquæ aluminis q. s. destilletur, deindè alia superfundatur aqua, & denuò elambicetur, iteretur-que toties, quousque bolus veluti oleum fluat, tunc exsiccetur ad solem, & f. pulvis, cui adde
Thuris pulv. ℥. j.
Mumiæ ℥. ij.
M. per minima.

Hoc pulvere bis in die vulnus inspergè, superimpone emplastrum sticticum, & admiraberis effectum, nàm non solum statim vulnus agglutinat, sed symptomata avertit, idem præstat oleum Saturni, oleum de croco martis, de ære ustο.

Alius hic erit:

℞. *Acaciæ,*
Succ. gallar. immatur. ana p. æ. Coquantur ad consistentiam electuarii, post inspergè pulv. radic. symphyti majoris octavam partem, coquantur in aquâ aluminis, demum ad solem exsiccentur, f. pulvis, quo utere ponendo super emplastro stictico, nàm aliàs symptomata supervenient, quæ à pulvere præcaveri non possunt.

Alius paratu facilior:

℞. *Thuris,*
Myrrhæ,
Masticbes ana ℥. ß.
Corall. rub. ℥. ij.
Aloës hepaticæ ℥. ij.
M. f. pulvis.

In horum pulverum applicatione exacta diæta necessaria est, ut ad vulnus nullus superfluus fluxus fiat; sciatis tamen hujusmodi pulveres. Non adeò tutos experiri in vulneribus compositis, prout simplicibus, nàm composita semper aliquod habent, quod non adeò celerem vulneris agglutinationem desiderat: nàm ubi complicatio accidentium est, nisi aperto vulnere curentur, periculum superest, ne pejora adveniant ex intempestivâ agglutinatione.

Cap. XV.

De Delectu, & mutatione medicamentorum in Vulneris curatione.

CHirurgi judicium theoricum fallax esse potest in medicamentorum electione, nisi itàque non solum suo judicio debet, sed experientiæ s. si à medicamenti applicatione ea utilitas eveniat, quæ à medico expectatur, nam si ab applicatione medicamenti vulnus non solum in melius, sed in deterius abeat, in tali medicamento persistere medico non convenit, sed ad aliud est illi transeundum; ut verò in hoc chirurgus non erret, aliquas trademus regulas.

Primò, si à remedii applicatione præter expectationem dolor excite-

citetur, vel augeatur, statim tale remedium est auferendum, & aliud applicandum, dummodo à ligaturâ, vel ab aliquâ aliâ causâ dolor non eveniat, enimverò sedulò ab omni chirurgo procurandum est, ut dolor non solum non provocetur, sed si adsit, sedetur.

Secundò, si pus cum fœtore in vulnere producatur, id à remedii efficaciâ produci credendum est, quod si acciderit, in eo persistendum non erit, sed ad aliud efficacius transeundum.

Tertiò, si in deterius ex applicato medicamento vulnus abire conspicimus, ad aliud transeundum esse ratio ipsa suadet unicuique, à juvantibus c. & nocentibus medendi regula pendet.

Præterea universale hoc in vulnerum curatione advertite documentum s. quòd in omni remediorum formulâ, ea, quæ vulneri adversari videntur, removeantur; atque si refrigeratione vulnus opus habebit, refrigerantia ipsi remedio admiscenda, & sic de aliis circumstantiis, quas ipsa docet praxis, cujus omnis conatus erit tria procurare, primò, ægri cum medicamento convenientia; Secundò, deligandi tempus & ratio respectu materiæ, quæ in vulnere producitur; Tertiò, puris, fœtoris, doloris, & similium præcautio, quæ omnia in aliis oleis, unguentis, emplastris, potionibus, balsamis, aliis sublimatis, vel destillatis obtinebis. Unum restat notandum, si in profundioribus punctionibus, ac vulneribus pus colligatur, lavamento illud expurgandum esse parato s. ex vino, myrrhâ, & sale coctis in vase duplici, ac per syringam injecto autem lavamento, vulneratum membrum pronum æger habebit, ut pus effluere possit, ne interiora rodat.

CAP XVI.

De Extraneis è Vulneribus extrahendis.

IMpossibile est vulnera consolidari posse, si extranea, quæ in eis hæserint, non auferantur, quia hæc caniculorum counitionem impediunt; verum hoc opus chirurgum peritum, exercitatum, & experientiâ comprobatum exigit, sæpiùs miseri ægri cum vitæ dispendio chirurgos experiuntur, qui quinque aut sex mensium spatio in Nosocomiis vel circa vilia servientes, vel illic advertantes, à rudioribus se magistris praxim edocti, in chirurgorum catalogum adscribuntur, & quia artem non callent, nullâ ratione, nullâque experientiâ suffulti, innumerabiles, & gravissimos patrant errores, ægros miserrimè torquentes, ideòque experientiâ constat plura à chirurgorum manibus, quàm ab hostium mucronibus patrari funera. Hoc modo errantes bardi chirurgi in perquirendis auferendisque extraneis, nec non in membris impiè tractandis, statim vulnera ampliant specillis, digitisque, nullâ habitâ de parte, deque totius corporis habitu animadversione, pervestigando, movendo, laceran-

do, secando, pungendo, contundendo, comprimendoque, inflammationes excitantur, sanguinis fluxus concitatur, dolores ingentes inducuntur, & diversa alia symptomata, ac morbi, quæ omnia sæpius curationem ad se trahunt, producuntur, undè principalem ferè affectum spernere cogimur: quod non contingeret, si optimis chirurgis committentur, vel naturæ saltèm beneficio relinquerentur. Censemus propterea neque omne vulnus ampliandum, nec omnia extranea removenda, nec oppositâ parte semper aperiendum, ut plures indiès facere videmus. Sed quæ, quandò, & quomodo istæc præstare oportet, dicemus.

Chirurgus itàque ab omni vulneris ampliatione caveat, & si lympha hæreat, vel sanguis fluens. Si ibi in cavitate coaguletur, expressione, Suctione, siphone vel aliis modis auferatur, ut minus ibi puris generetur, & minor symptomatum copia superveniat. At verò quamdiù hæmorrahia timetur, sanguis coagulatus omnis ex vulnere eximi non debet. Quandò pili sunt circa vulnus, tonsurâ tollantur, & omnis spurcities amoveatur. Si arena, vel frustula vitri minutissima, vel liænorum surculi, vel festucæ, aut simile quid intra vulneris labia hæreat, aut vino calido, rubro, & generoso detergendum, aut linteis mollioribus abstergendum, aut volsellis, similibusque instrumentis aptis tollendum est.

In telorum, globulorum, sagittarum, aliorumque instrumentorum lædentium remotione, ante omnia meditandum est, an post eorum extractionem aliqua vitæ spes supersit, nec ne. Si n. nulla supereſt, horum extractio potius non tentanda est, ne chirurgus ægro mortem acceleraſſe videatur, cum experientia testetur, quòd hi per unam, vel alteram horam, ac diem supervivere possint, qui inter extrahendum aliàs expirarent. Sin verò spes aliqua convalescentiæ effulgeat, statim ab inflicto vulnere, & antequàm inflammatione, atque tumore membrum corripiatur. Extrahantur extranea arte nunc variis instrumentis, rostro corvino, gruino, ciconiæ, & simili, nunc verò obscurè, & profundè situata, quæ nec manu, nec instrumentis extrahi nequeunt, vel suppurationis beneficio successivè foràs ejiciuntur cum pure, vel medicamentis vi præditis eximuntur. Verum quia omne extraneum, peregrinum, & non vitale naturæ est inimicum, idque eò plus, quò facilius, & ipsum coherogeneum est alterabile, aut corruptibile: hinc sclopetorum globuli præ aliis externis commodius relinqui possunt in corpore, sive ossi hæreant, sive saltim in partibus musculosis lateant. Hi globuli facilius in corpore retineri possunt, ex eo quia nullam inferunt alterationem parti, nisi quod pondere istam gravent: alias verò ipsi globuli nec alterantur, necullo modo corrumpuntur, utut tandèm ipsi globuli proprio pondere successivè deorsum, & extrorsum ferantur, atque ità à providâ naturâ excludantur.

Tan-

Tandèm pro telorum extractione duplex est modus, unus quidèm per attractionem, alter verò per protusionem, seu impulsionem, quæ ambæ indicationes ex telorum formâ petuntur, nam ubi teretes, & oblongæ telorum formæ sunt, per attractionem eæ eximuntur: ubi verò hamis prædita tela fuerint, quæ vulgò barbara vocantur, quia quo pacto ea retrò extrahuntur nondum inventum est, per impulsionem ea protudere in adversam partem cogimur.

Præter extractionem, vel protusionem sunt multa medicamenta, in quibus urgens vis attractiva infixa tela extrahere solet, hujusmodi sunt *pinguedo leporis*, quæ quorundam chirurgorum arcanissimum, sive sola, sive cum emplastro de betonicâ, vel *eadem pinguedo cum gummi Arabico fac emplastrum.* Itèm *eadem pinguedo cum dictamno cretico.* Vel

℞. *Oculor. cancr. viv.*
Pingued. leporin. ana ʒ ß.
Succini alb. ʒ. iij. *m.*

Vel sequens emplastrum, quod pro magno secreto haberi debet:

℞. *Ceræ mollitæ lib.* j.
Visci querc. ʒ. iij.
Mumiæ ex cruribus ʒ. ij. ß.
Pulv. parthenion.
Chelidon. ana ʒ. j. ß.
F. indè emplastrum.

Vel sequens emplastrum attractivum impositum applicari potest, quod magnarum virium est:

℞. *Resinæ abietis* ʒ. iij.
Ceræfor. ʒ. j.
Axungiæ leporinæ ʒ. iij.
Magnetis ʒ. j. ß.
Sem. cannalis recent.
Thuris alb. ana ʒ. ß.
Succini ʒ. iij.
Caraphoræ ʒ j.
Ceræ ʒ. iv.

Cera primò in sartagine liquefiat, tùm etiam axungia, immitte cætera pulverisata successivè, donec fiat ceratum justæ consistentiæ, quod panno superinductum vulneri impone, donec fixum extrahatur. Ad idem valet *emplastrum sticticum, & Oppodeltuch.* Virtus hæc quoque in oleo communi latet, si in eo madefactis quatuor petiis vulneri successivè una alteri superponatur, relinquantur deindè per viginti quatuor horas, nàm multoties sub petiâ ultimâ telorum reliquiæ, & globuli extracti inveniuntur.

Advertite tamen, quod talis operatio extractionis telorum, & globulorum à dictis remediis fieri possunt, quoties tela, & globuli lateant sub regione vulneris, nàm si ultra vulneris regionem penetraverint, extractio per dicta media erit impossibilis, intelligitur hoc e. c. si globulus, perfossis abdominis musculis, intra cavitatem abdominis fuerit receptus, vel si fracto osse in oppositâ carne resederit, in istis casibus vana erit quælibet applicatio, quæ in exterioris vulneris labiis fit, ex eo quia medicamenti actio non cadit in telum, seu globulum, sed in fibris, quæ telum, & globulum continent.

Post rerum infixarum extractionem omnis intentio sit profluvium sanguinis magnorum vulnerum sistendi, aliàs nou modò vulneris

sana-

sanatio, verum etiam sauciati supervictitatio sperari nequit.

Cap. XVII.

De sistendo Vulneratorum sanguine.

SI vena, vel arteria saucietur, confestim è vulnere sanguis profluit, & hæmorrhagiam constituit, certè periculosum, si quod aliud, symptoma, & reliquis viam aperit; sin. hic vitæ balsamus, & thesaurus, sanguis nimiâ copiâ effundatur, restans vix par est coërcendis reliquis sucis, ut metuendum sit, ne pars sauciata tandèm emoriatur, & ex non lethali lethale fiat vulnus, ut quotidiè accidere observamus.

Arteriarum quidèm vulneratio hæmorrhagiam subsalientem fundit, sanguinemque tenuem, & flavescentem; venarum verò obscurius rubentem, & uniformiter, crassiusque profluentem, quò uberius autem sanguis emanat, eò majorem alicujus vasis sanguinis, nempè arteriæ, vel venæ factam fuisse læsionem conjiciendum est, eòque celeriùs sistatur necesse, eum sanguine n. vires, & ipsa vita deperduntur.

In sistendo autem sanguine ante omnia ægri constitutionem, naturam, venarum, arteriarumque situm, tempus, horam, vulneris dispositionem &c. considerabit chirurgus, nàm si in sano corpore, quantò magis in ægro contemplanda erunt; siquidem quandòque contingit, ut hujusmodi fluxum sistere impossibile sit, quòd siquis eum nimis citò supprimere conetur, symptomata fortassè accersiet, ut inflammationem, erysipelas, & cœtera hæmorrhagiâ longè graviora; justo verò tardior cohibitio vitium lapsum, & lipothymiam affert, quamobrem in istis casibus naturalis virtus spectanda erit, commune itàque axioma medico observandum est, quòd *sublatâ causâ, tollatur affectus*, quare si ex irâ, vel Venere hæmorrhagia concitata sit, cum hujusmodi dispositionis natura remedia respuet, iracundiam, & appetitum prius sedare necesse habemus; si motus causa sit, quies, si repletio, inanitio imperanda est, sique contraria dispositio semper inducenda. Vulnere verò sanguinem profundente, ubi ista mala non adsunt, sistere ipsum licebit, nec tamen prius, quàm justam sanguinis copiam profuderit, & quanta esse debeat, vulnerati conditio te docebit, & ut summatim dicamus, quomodò, & quandò sanguis sistendus sit, sciatis, quòd proposita antè medicamenta id vos docebunt, enimverò appositio ad vulnus oleo, unguento, vel emplastro sictico, si sanguis ulterius fluat, signum est illum utiliter fluere; si verò cessat, signum est, quòd importunè fluebat, itàque ad illa medicamenta te remittas.

Accidit quoque non rarò, ubi corpus plethoricum est, non prius sanguinem sisti, quàm plenitudo ad vasa evacuata sit; itèm in calidiori temperaturâ idem quandòque

que accidit, in his casibus supprimere nec difficile, nec periculosum est, quòd si tamen succedat, aliquatenus exprimere oportet, donec color sanguinis, & vultus alteretur; ubi verò majora vasa sunt pertusa, aut vulneratus admodùm debilis est, vel magna habet vulnera, aut animi deliquium minatur, in hisce casibus nulla in cohibendo sanguine mora nectatur. Ante omnia verò membra calida servare, & ambientem frigidum devitare, semperque emplastro stictico tectum servare vulnus convenit; ipsum n. & symptomata præcavere, & sanguinem, ut facile sistatur, temperare, efficax est. Notandum quoque si casu Varices, aut intortæ venæ aperiantur, nil admodum de sistendo sanguine cogitandum esse, quòd hujusmodi evacuatione plurimum pravorum humorum natura deponat. Cœterum præter emplastrum stictícum, quod vobis in sanguine sistendo summoperè commendamus: si ulterius necessitas urgeat, sequentibus uti poteritis. Simplicia sunt *crepitus lupi*, fungus hoc nomine insignitus, vasi læso applicatus, *crocus Martis reverberatus, & subtilissimè pulverisatus, pili leporini, & præcipuè sub caudâ, usnea, cinis ranarum, cancri combusti, albumen ovi, lapis hæmatites, pulvis radicum symphyti majoris, gypsum, sarcocolla, vitriolum crudum, vel terra exanimata vitrioli, fuligo camini, terra sigillata, mumia, sanguis draconis*, & alia, quæ nullam acredinem & corrosionem in se habent. Verum observandum est de omnibus hoc etiam, quòd talia, quæ hæmorrhagiam in vasis majoribus læsis sistunt, ipsi læsioni loco arctè sunt imponenda, aliàs n. nihil juvant, esto totum vulnus talibus repleatur.

Sunt & alia medicamenta composita, quæ hæmorrhagiam in vulneribus sistendi vim habent, ut

℞. *Sang. ovilli exsiccati* ʒ. v.
Croci Martis subtiliss.
Hæmatit. præp.
Gumm. tragacant. ana ʒ. j.
Fiat ex omnibus pulvis impalpabilis probè invicèm mistus, & utere.

Vel

℞. *Pulv. radic. symphyt. mai.* ʒ. iij.
Vitrioli alb. crudi, &
Sarcocollæ ana ʒ. ß.
Croci Martis, &
Fulig. camini ana ʒ. ij.
Cancr. combustor. ʒ. vj.
Gypsi ʒ. j.
Terræ sigillatæ ʒ. ij. ß.
Lapid. hæmatit. præp. ʒ. j ß.
Sang. drac. ʒ. iij.
M. F. pulv. subtiliss.

Item *fuligo furni cum ovi albumine subacta* & aplicata vulneri hæmorrhagiam sistit. *Colchotar etiam cum ovi albumine mistum* in linimento implicitum, vulneribus applicatum optimum sæpè parit effectum. Verum *spiritus vini* hæmorrhagiam compescit. Tandèm vulnerum hæmorrhagia tot habet medicamina, quæ describere non tantum laborioſum, verum etiam tædioſum esset, nec adest chirurgulus, qui peculiare hîc non jactet arcanum, & multoties vulneratos, læso quocumque gravius vase sanguifero, omnem sanguinem cum vita fundere necesse est.

Quidam vasis situm sanguinem fundentis prius accuratè explorant, deindè arteriæ vel venæ Labia digito comprimunt, ut impetuosior sanguinis effluxus retardetur; Verum non negamus compressionem talem digitis factam plura sæpius præstitisse, quàm alia stictica, ijs præsertim in casibus, ubi vas sauciatum non adeò profundè delituit. Quandò verò plura vasa fuerint dilacerata, unius hominis digitis impares erunt foraminiculis illis, & rivulis obturandis, atque occludendis, adeòque efficaciora hìc requiruntur remedia &, quidèm superius dicta.

Si incompescibilis sit hæmorrhagia, & nullo medicamine sisti possit, nullum aliud sistendi remedium supereſt, quàm ignis actualis, vel potentialis; ignis nàmque actualis, si vasorum orificiis admoveatur, sanguinem, & carnem ità adurit, ut veluti aggere facto, sanguinis effluxus cohibeatur. Cauteria nàmque actualia ignita carnem crispant, & corrugant, atque crustam inducunt, quod certè remedium inter extrema plures connumerant, modò cum prudentiâ, & exercitato administretur chirurgo. Cœterum hoc remedii genus timoris, & periculi plenum absque effectu adhibitum vidimus, imo propter gravia symptomata in magnum periculum conjicitur vulneratus, itèm quoniam decedente eschará, nihilominus sæpius nova supervenit hæmorrhagia. Tutior est ignis potentialis, sed non qui aciditatem sapiat, ut vitriolum ad albedinem calcinatum cum gossypio applicatum, vel cum crepitu lupi permistum, sed cavendum est, ne pateat nervus, vel tendo insignior in vulnere, ad quem vis vitrioli corrosiva perveniat, & ità periculosissima inducat symptomata.

In arteriarum puncturis minoribus applicatur pilula de laudano opiato. Quibusdam secretum est ad venarum, & arteriarum resectarum hæmorrhagiam:

℞. *Aceti vini fortissimi* ʒ. j.
Croci Martis ʒ. j.
Colchotaris s.
Terra vitrioli dulc. ʒ. ß. *m.*

Sed in arteriarum vulneribus cujuscumque conditionis optimum est *aquam Arterialem*, undè nomen desumpsit, adhibere, quam nos descripsimus *Tomo* 1. *De Tumoribus cap.* 15. *De Aneurismate.* Neque interim contemnenda erit cœlestis operatio, quæ characteribus perficitur, quam in extremis quoque tentare licebit. Observandum & illud est, si dùm sistitur sanguis, ad interiora confluit, statim à proposito discedendum esse, ne forsan abscessus, aliaque mala circa interiora fiant.

Accidere solent quandòque mulieribus menstruantibus vulnera, & tunc sanguis menstruus non per loca consueta, sed per vulneris sinum effluit, imò horribilia excitantur symptomata, ut uteri suffocatio, epilepsia, convulsio, paralysis &c. quæ vulnera sæviunt, nec hæc in menstruante cessant, nisi remediis uteri furorem sedantibus, & uteri perfecta adhibeatur curatio.

CAP. XVIII.

De Vulneratorum phlebotomiâ, & cathartico.

DUo præsidia universalia phlebotomiam nempè & catharticum magnoperè in corpore vulnerato commendant vulgares, imò necessariissima existimant, ne sanguis abundans, vel humores vitiosi in corpore cumulati, vulneris occasione ad partem affectam ruant, & varia excitent mala. Dant igitur operam, ut sanguinis, & humorum affluxus ad partem vulneratam præcaveatur, id venæ sectione, vel purgante medicamento perficiunt.

Venæ sectio facienda est in omnibus vulneribus, & præsertim in magnis, in quibus ob dolorem sanguinis affluxus metuitur, ubi etiamsi in corpore non adeò abundet. Undè Hip. in lib. de articulis, in costæ collisione sanguinem è cubito detrahit, ubi Galenus in com. addit: *Etiam si in corpore non redundet, in hujusmodi plagis ad venæ sectionem deveniendum est. Ut autem venæ sectio non solùm evacuationem, sed & revulsionem præstet, in longinquâ, & contrariâ parte vena aperienda. Faciendum autem hoc citissimè, & primo statim die, & quidèm antequàm ullum medicamentum adhibeatur, ut sanguinis ad partem vulneratam præcaveatur affluxus.*

Si verò humores vitiosi in corpore redundent, purgatione opus esse affirmant, nàm cum eâ feliciùs, & citiùs vulnus sanatur, quò pars magis sana, & benè constituta est, & mala partis vulneratæ constitutio sanationem impedit: omninò igitur opera danda, ne vitiosi humores ad partem affectam confluant. Itàque cum vulneris occasione facilè fieri possit, ut ad partem vulneratam confluant, si in corpore reperiantur, statim evacuandi sunt. Idque faciendum in magnis vulneribus, & ubi metuendum, ne ob dolorem pravi humores ad partem affectam confluant, ut & in iis vulneribus, ubi sectio, & dilatatio facienda, & os abradendum est, & omninò in omnibus, ubi dolor est vehementior. Verùm illos evacuant humores, qui sunt calidi, bilioši, ac serosi, ad fluxum magis apti, & ad inflammationes, ac erysipelata generanda faciunt, & febres facilè excitant. Statim autem in principio instituenda est purgatio, antequàm nimium affluxus concitetur, & febris accedat. Ac proindè in vulneribus ad purgandum utilissimè adhibent *mannam, syr. ros. solut. rhabarbarum, fol. sen. &c.* A calidis verò medicamentis purgantibus abstinendum putant, ne humorum fluxus concitetur, & partem vulneratam ad inflammationem disponant.

Sed hæc nullum juvamen præstare possunt, cum vulneratum debilitent, enerventque, succosque residuos incrassent, acrioresque reddant; præcipuè si simul parcum concedunt victum, & ægrum ad mortem potius disponunt, & vulnera per accidens fiunt

le halia. Melior ergò jure, si vulnus interna requirat remedia, quæ acidum absorbent, & simul succos fluidiores reddunt, ut succorum circulantium itus, & reditus per partem vulneratam sartus, tectusque servetur, commendamus, inter quæ sunt diaphoretica, quæ simul sanguinem confortant imò nutrimentum, ut melius peragatur, promovent; cum contrà venæ sectio non sanguinem emendet, sed magis debilitet: observavimus n. hactenus, quod institutâ venæ sectione, vel purgatione, materia, seu pus in vulneribus in minori quantitate, quàm aliàs, reperiatur, imò quòd indè majores obstructiones, & dolores in vulneribus oboriantur. Certum est, quòd post institutam venæ sectionem reliqui succi adhuc deteriores reddantur, si n. homo ægrotat, non ægrotat ob nimiam sanguinis copiam, sed quod habet febrem, vel sanguinem nimis spissum, quem certè venæ sectione celebratâ non attenuabis, nec febres, hac institutâ, curabis, crassus fit n. sanguis à defectu salium volatilium, & spirituum coagulatione ab acido factâ, quam certè per venæ sectionem non impedies, nec per purgantia. Cautè ergò incedendum esse in vulneribus volumus; enema tamen in alvi obstructione concedi potest, sed non singulis diebus, prout chirurgi faciunt, impossibile est n. quod vulneratus lecto affixus tot sedes habere possit, ac sanus, qui laboribus incumbit.

Cap. XIX.

De Sinoviæ fluxu, & congestione.

Solet quandòque vulneribus accidere fluxus glutinis albi; qualis in articulis, pericardio, oculis, glanduisve observatur, hic fluxus nomine proprio, specifico, & apto antehàc caruit, vocârunt n. eum prisci Sanguinis serum. Paracelsus autem pro quibusdam rebus alia nomina excogitavit, vocatque talem succum corporis humani aquam glarealem, specificum autem nomen hujus succi aquosi in articulis existentis, ab eodem dicitur Sinovia, Vel Sinonia.

Est hæc Sinovia succus albus partibus spermaticis inserviens, ut sunt cerebrum, spinalis medulla, nervi, tendones, ligamenta, & cartilago. Vocat idem Paracelsus hanc sinoviam gluten album, quod pro motu, & lubricitate articulorum inservit, ut observamus in aurigarum communi unguento, quo rotarum axes ad lubricandum aurigationis motum indiès largiter inungunt. Ista sinovia semper recens ad articulos mittitur, ut perpetuò articuli diluantur, eo quia in motu bona ejus pars atterendo consumitur, & sorditie tenus per poros eliminatur.

Nunquàm sinovia in pus degenerat, quia ob sui macredinem ad pus gignendum inhabilis est, verum nonnunquàm acrem salsedinem concipit, quæ nervos ità corrodit,

rodit, ut magna ulcera valdè dolorosa efficiat.

Nonnunquàm effluens sinovia alium corporis humorem vitiosum admistum habet, qui ex ipso humoris affluentis colore cognoscitur; sinovia n. impermista est albuminis ovorum instar, per admistionem verò alterius humoris hic color immutatur.

Fluxus glutinis albi duabus de causis in vulneribus accidit, vel ægrorum libidine, ac inobedientiâ concitatur, vel chirurgi errore, qui tum in medicamentis, tum in deligaturis committitur.

Profluvii Sinoviæ curatio perficitur causarum prohibitione, vel emendatione, non verò rebus exsiccantibus, & adstringentibus, ut multi falsò sunt persuasi, applicantque *crocum Martis*, *bolum armenum*, *terram sigillatam*, aliaque similia frustraneo eventu, sed solum speranda est ab emplastris, & unguentis vulnerariis eximiis; quòd si dictus fluxus non sistatur, in paralysim, & atrophiam membrum vulneratum adducit, interdum totius corporis tabem post se trahit.

Quemadmodum sanguis rubeus arterialis, & venalis à vehementi contusione extravasatur, & in alienis cavitatibus protinus concrescit, ità simile quid contingit sanguini albo nervali, nimirum sinoviæ, ut à validâ concussione, vel ictu adversus aliquem nervum facto sanguis ille albus, seu succus nervalis ad locum concussum confluat, uti præcipuè fieri solet in manibus, & pedibus, quoniam dictis in locis plurima ossicula, & nervi concurrunt, ideòque si vehemens allisio per ictum, vel jactum contra manum, vel pedem vibretur, sinovia incipit ad contusi loci jacturam confluere, concurrunque suo tumorem ibidem excitare, confluxus n. locum extendit, ut protuberatio sequatur, imperitus verò æger non advertens, putat istam protuberationem esse tumorem ordinarium, eumque negligit, vel debita medicamenta non applicat, suâque imperitiâ ingentis calamitatis causa est, ut sequitur; quandò nimirùm nervus aliquis, vel tendo violento ictu contunditur, vel læditur; tunc suo more succum suum ad locum contusum mittit ad auxilium ferendum parti læsæ, cute autem externâ non divisâ, concurrens sinovia exitum non habet, atque ità intus congeritur, cavitatemque complet, ità ut mox majori spatio pro confluente succo opus sit. succedit ergò loci protuberatio, cumque sinovia sit humor macer, & tenuis nunquàm superabilis, ideoque fluxio ejus eò est subtilior, ac facilè salsedinem assumit, qua nervos arrodit, qui acutissimo præditi sensu ad furorem irritantur, excandescunt, aut ob aëris defectum præfocantur, atque sic facilè corruptionem patiuntur, id quod potissimum contingit in manibus, & pedibus, ut dictum est, ob copiam generis venosi albi necnon ossiculorum ibi concurrentium, paucitatemque carnis, quamvis interdum etiam alibi corporis contingere possit.

Cum ergò sinovia sit coloris aquei, nec in modum sanguinis concreti subcutanei tingere possit, ideò in ejus confluxu suppellex exigua, aut nulla lividitas, qualis in aliis locis à violentâ contusione oboriri solet, apparet, ac propterea ab imperito medicastro vilipenditur, quasi parvi sit momenti, festinatoque, ut decebat, auxilio ipsi non succurritur, malum autem invalescit, & insanabile evadit.

In tali itaque casu vigilanti curâ attendendum est, ut si nulla contusio violenta adversus manus, cubitos, pedes aut genua per ictum, lapsum, jactum, allisionemvè contingeret, locusque ità intra paucos dies intumesceret, ac ingentes, sensimque magis augescentes dolores concitaret, absque ullis sanguinis subcutanei concreti, aut læsionis articuli, alicujusvè fracturæ notis, tunc proculdubio initium congestionis sinoviæ adest, quæ quidem non concrescit, ut sanguis, cui sollummodò ut lacti jus concretionis competit; sanguis n. velut lac rubicundum dici potest, lac verò sanguis albus, & utrique caseositas inest, quæ nimiâ adventante aciditate ad fundum præcipitatur: sinovia verò neque concrescit, nec in pus transit, ac corruptivam qualitatem habet, qua nervos corrumpit indubiè, nisi confestim illud avertatur, quod fit, si sub tumore mediante scalpello fiat profunda incisio ad cavitatem usque, congestaque sinovia emittatur, ac probè exprimatur, quo facto unguentum mundificativum imponatur, vulnusque emplastro sanativo contegatur, ac non cataplasmate calido, talia n. prætocant nervos, ac corruptionem promovent.

Si autem tumor retrorsùm pergeret, effluensque humor copiosius procederet, hoc indubium est signum nervos jàm dum arrosionem esse passos, in tali autem casu supra tumorem pari modo molienda est incisio, ibique imponendum est unguentum mundificativum, ut

℞. *Vitellum ovi ad duritiem cocti n.* j. *Deindè in sartagine mell. opt.* ℥. j. *Liquefac leniter, & in. vitellum beneficio pistilli cum melle diligenter, donec abeant in medicamentum spadiceum, seu brunum*, quo utere; quod si idem acrius reddendum fuerit, *admisce diligenter mercurii præcipitati* ℈. j. *vel* ij. Vel impone *oleum Arsenici*, cujus præparationem docuimus *Tomo* 1. *De Tumoribus cap.* 5. *De fistulâ*, unguento alicui vulnerario mistum, & turundis exceptum, continuando alterutrius compositionem quotidiè semel, donec nervorum corruptio, & inflammatio cessent, tùm verò sanatio perfici potest alio quodam balsamo vulnerario.

Quòd si hæc corruptio non inhibeatur, tunc dolor sensim magis, magisque increscit, & tumor ulterius versus corpus progreditur, ac magna colluvies purulenta colligitur, & apertione factâ, in tenaci, & tromboså substantiâ effluit cum intermistis nonunquàm ramentis, quæ de corruptâ nervorum, & ligamentorum substantiâ proveniunt, inflammatio verò secundum

cundum nervos in dies ulterius versus corpus serpit, unumque post alterum incendio destruit in corporis usque truncum, quem & febris acuta invadit, in dicto verò membro gangræna incipit, nec ipsâ membri resurrectione averti potest; licèt enim pars gangræna-ta abscindatur, gangræna tamen jàm dum secundum nervos se corpori communicavit, ac mortem infert, non enim ut alia gangræna communis maturè oculis con pici potest, sed tum demum quandò desperata sunt omnia, nec quicquam abscissio, vel ullum aliud remedium juvare potest.

CAP. XX.

De Vulnerum Dolore, & formicatione.

VUlneris individuus comes est dolor, sicut umbra corporis, nullum itàque vulnus est sine dolore cùm secundum Galeni filios à continui solutione pendeat: non rarò tamen ille tolerabilis est, verùm quandòque ità vehemens, & atrox percipitur, ut totam curationem primùm ad se trahat. Non loquimur hic de dolore, qui sentitur, dùm vulnus infligitur, nàm si absque vitæ nostræ advertentiâ infligatur, non percipitur, & dùm recens est, vix dolet; verùm de illo, qui factâ solutione, vulneratos torquet, & plerùmque aliquot elapsis horis intenditur.

Causæ.

Dolor, qui percipitur, dùm vulnus actu infligitur, provenit ab agitatione, commotione, distensione, contractione, dilaceratione, & concussione fibrillarum nervearum, quò enim fibrillæ vehementius discinduntur, eò majorem Vita de extremo aliquo insolito percipit dolorem. Verùm dolor ille, qui factâ continui solutione sauciatos invadit, & plerumque aliquo elapso tempore crescit, provenit à novo impetu succorum circulantium, quibus transitus ab obstructione denegatur, hinc elabentibus, qua data porta, succi ruunt, flexilibus suis particulis emissis, reliquæ acriores factæ nervos, ac fibrillas contrahendo, corrugando, & crispando dolorem cautant. Idem res extraneæ in ipso vulnere existentes efficiunt, ut festucæ, vitiorum frustula, vel instrumentorum fractorum, vel sanguinis grumi acres, ac acidi fibrillas, aliaque vascula minima pungentia, quæ intensum producunt dolorem. Item provenit ab inconvenientium medicaminum applicatione, turundarum nimis longarum, vel crassarum in vulnus intrusione, indebitâ ligaturâ, vel illapsu rerum in vulnus non pertinentium, vel eorum, quæ à propriâ naturâ proscripta sunt expulsione, ut sunt fracti ossis particulæ, pus, vel sordes, vel spontaneâ corruptione incidente. Similiter ab ægri errore in diætâ, dum ille prayo utitur victu, ut

bras-

Unable to display this page

tracturam emolliunt, talia sunt, quæ salis volatilis copiam in se continent, ut *spiritus vini camphoratus, aqua Reginæ, oleum baccarum juniperi, laterinum, terebinthinæ*, vel illud calidè instillandum; calida enim nervis amica, eo umque dolorem sedativa sunt, tum etiam lintheolum in eodem oleo humectatum vulneri imponatur, ac demum *emplastro sticlico* contegatur. Maximoperè conducunt *cataplasmata anodyna ex micâpanis, flor. chamomill. theriac. croco cum lacte, & vitell. oviparata.* Item *oleum papaveris.* Sin autem dolores permagni crucient, ad *laudarum opiatum* confugiendum est, dummodò nulla causa vetans adsit. Si dolor, nervum aliquem insigniter læsum esse indicio est, & tunc instituenda est curatio de vulneribus nervorum.

Solet quandòque vulneribus *titillatio*, seu quasi vermiculatio, seu *formicatio* supervenire, in qua in vulnere primo ardor, & dolor persentitur, deindè quasi serptio sequitur, ac si formicarum multitudo in eo repet, cum punctionibus, & dolorculis, uti his contingit, quibus interdum in somno sedentario spes obstupescit, ac postmodum etiam sæpe contingit in manuum, & pedum perfrigeratione, tempore hyberno, eorumque recalfatione. Hoc autem nil aliud est, quàm affluxus, & refluxus sanguinis, in vulnere vero affectio quædam nervorum frigida, curanda oleis destillatis, ut sunt: *oleum philisophorum, laurinum stillatitium, lavendulæ, rubrum terebinthinæ*, infundendo ea vulneri, sunt enim nervis amica.

CAP. XXI.

De Vulnerum Inflammatione, & Erysipelate.

SEpissimè vulneribus accidit inflammatio, quæ non tantum vulnerum curationem ad se trahit, & eandem retardat, sed vulneratus in magnum Vitæ discrimen conjicitur ob alia symptomata, quæ superveniunt.

Signa.

In vulnerum inflammatione etiam sunt tumor, calor, rubor cum pulsatione, & dolore.

Causa.

Vulnerum inflammatio secundum vulgares provenit præcipuè à partium nervosarum læsione, cum ob dolorem affluxus sanguinis, & humorum ad locum vulneratum concitetur, attractione autem facta, copiosus fluxus locum aggravat, & majus spatium requirit, undè partes extensibiles cedunt, & affluentem sanguinem, & humores recipiunt, majori tamen cum dolore ob validam extensionem, magnus itàque ejusmodi motus, ac attracti sanguinis, & humorum copia se mutuo conflictantes, accessionem concipiunt, & inflammationem accersunt, præsertim si simul alicujus nervi læsio adsit, vel acu-

tæ fracti ossis particulæ pungendo, dolorificæ sint, vel alicujus musculi caput læsum sit.

Verum accidit inflammatio, quandò in parte affecta talis fit obstructio, ut particulæ sanguinis, & reliquorum succorum soli materiæ subtilissimæ innatent, & talem nanciscuntur statum, qualem habent particulæ succi nutritii in fœno recèns dissecto, hinc ob obstructionem factam vulnus fit siccum, quia vasa sunt obstructa, & sic denegatur parti succorum influxus & refluxus.

Prognosis.

Si magnis vulneribus, & parvis tumores non appareant, ingens malum inquit Hip. 5. aph. 66. Celsus verò ità reddidit: *Nimis verò intumescere vulnus periculosum; nihil intumescere periculosissimum est magnæ inflammationis, hoc enim est.* Quod tamen nostrâ experientiâ falsum deprehendimus, melius enim est nullum adesse tumorem; denotat enim partes fluidiores posse circulare, nec tot discissos esse canales. Magno tamen vulneri inflammationem supervenire mirum non est, quæ præterea terrore non debet, modò diu non duret. Parvo verò vulneri inflammationem accidere, eamque diu durare, periculosum, utpotè quæ conclusionem, & delíria excitare potest. Idem *Celsus lib. 5. cap 27. ait Quinto jàm die, quanta inflammatio futura est, se ostendit, Quo die rursus detecto vulnere, considerandus est color: qui si lividus, aut pallidus, aut varius, aut niger est, scire licet, malum vulnus esse, idque quandocumque animadversum est, terrere nos potest.*

Curatio.

Si inflammationis suspicio in vulnere adsit, & sanguis non satis fluxerit, vel sit in viâ fluxionis, huic occurrunt vulgares, venam in loco opposito quantocyus secantes, & pro ægri viribus sanguinem fundunt, ad minuendam inflammationem, & affluxum divertendum. Imò si inflammatio jàm adsit, & vires ferant, & necessitas postulet, etiam venæ sectionem instituunt, & pro qualitate humoris fluentes, vel fluxi medicamentum purgans propinant.

Deindè *malum punicum in mortario contundant, & in vino adstringente coquunt, cataplasma concinnant,* & parti inflammatæ apponunt, ac epithematibus refrigerantibus utuntur. Ad hanc vulnerum inflammationem vulgares frigida, & repellentia applicant, sed perperàm, nàm tubulorum obstructionem, & per consequens inflammationem adaugent, & humores inspissant. Si calor febrilis nimis æstuet, dorsi spinam *oleo rosaceo, & pauco aceto admisto* inungunt.

Nostra vulnerum inflammationis curativa indicatio est, ut sanguinis, aliorumque succorum obstructiones tollantur, undè ea conveniunt medicamenta, quæ deobstruunt, re erant, & stagnantes particulas fluidiores, & ad circulationem aptas reddunt; pro qua re interne varia sudorifera exhibemus in primis *spermaceti, oculos cancrorũ, sti-*

bium

stibium diaphoreticum, sulphur auratum diaphoreticum, anodynum minerale bezoarticum minerale, diascordium, sal volatile cornu cervi, cardui benedicti, potiones vulnerariæ &c. Externè commendamus supra partem inflammatam *spiritum vini camphoratum aquam Reginæ Hungariæ*, & alia, quæ capite de inflammatione ad nauseam jam dicta sunt.

Exulent in vulnerum inflammationibus vulgaria externa pinguia, & oleosa, quæ specioso nomine defensiva vocantur, quibus tantum poros cutis infarciunt, & sæpè inflammationi vulnerum januam laxant. Proscribimus etiam omnia repellentia, adstringentia, & refrigerantia, quæ obstructiones augent, succos crassiores detinent, cui subtilioribus evanescentibus, acriores fact. fibras discindunt, vel rumpunt, undè auctâ obstructione, major supervenit tumor, & ad gangrænam via magis expedita redditur.

Vulneri erysipelas quandòque supervenit, quod cognoscitur ex signis *Tomo* 1. *cap.* 11. *De Erysipelate*, & *Tomo* 2. *cap.* 14 *De Ulcere cum erysipelate* traditis. Qua ratione curandum sit, ex iis quæ ibidèm dicta sunt, manifestum est.

CAP. XXII.

De Vulneratorum febre.

INter alia symptomata, quæ vulneratos aggrediuntur, notissimæ sunt febres, eapropter multum conducit harum differentias cognoscere, & avertere, ac primò diligentissimè inquirendum est, quæ febris, quæ vulneri supervenit sit natura, & quæ causa. Febres in vulneribus varii generis deprehenduntur, vel ephemera, sive diaria, vel putrida continua, vel intermittens tertiana, vel duplicata, adeòque singulis diebus reccurrens.

Signa.

Febris ephemera statim cum vulnere invadit, calorem habet mitem absque corporis gravitate, somno, vel ascitatione præcedente, neque horrore, ut in aliis febribus, comitante; urina substantiâ, colore, vel sedimine nihil, aut perparum à salubri recedit, sed pulsus intenditur, estque frequentior, & æqualis.

Febris ex puris generatione, ut & inflammationis signa sunt: invadit hæc febris eo tempore, quo pus generari solet, imprimis circa quartum diem. Calor est multus, sed suavis, pulsus magni, celeres, & frequentes. Urina parum à naturali recedit statu, nullumque parvum symptoma conjungitur.

Febres ex putredine cognoscuntur ex quantitate, & qualitate humorum vulneris; magna namque saniei copia effluit, eaque putridum quid potius, quàm pus bonum refert, coloris varii, mali odoris, & fœtida. Et licèt magna puris, vel saniei copia non effluat: tamen si materia, quæ effluit, sit prava, color partis mutetur, partisque dolor, & gravitas adsit, materiam vitiosam quidèm

adesse, sed non expurgari indicio est. Interim febris signa aderunt, quæ putredinis notas in urinis exhibent, vel non exhibent, prout materia venis, & arteriis magis, vel minus communicatur.

Causa.

Ephemeræ febris causa est ut plurimum vel ex mœrore, terrore panico, vel nimiâ spirituum agitatione. Febris etiam exasperatur à medico, si intempestivè medicamenta exhibet purgantia fortiora, & sudorifera calidiora, vel acida &c. Item ab astantibus, dum ad iram concitant vulneratum. Ab ipso ægro, si vinum acidum hauserit, aliaque acida assumpserit, hinc abit in pejorem putridam febrem cujus causa est in ipso vulnere, quandò scilicet pus cum succis circulantibus ad massam sanguineam abripitur, eamque nimis turbat. Inflammatio febrem accendit, dum pus fit, & pro diversitate, & constitutione sanguinis, febris vel continua, vel intermittens oritur: si enim sanguis semel turbatus, diu manet semper talis, sed si pus per intervalle advehitur sanguini, tunc febris suas habet intermissiones.

Prognosis.

Febris ephemera periculo vacat, si legitima sit, spatium viginti quatuor horarum habet, si verò spuria tribus diebus finitur, neque salutem vulnerato promittere potest, tunc cum inflammatio supervenit, & tempus non dum præteriit. Febris ex puris generatione per se nihil periculi habet, sed paulò pòst cessat, dummodò venis, & arteriis non communicetur. Febrem ex inflammatione, quæ parti vulneratæ supervenit, metimur juxta inflammationis magnitudinem, vel parvitatem, & nunc ephemeras, nunc putridas gignere potest. Ex putredine verò magis, vel minus periculosa est, prout major, vel minor puris quantitas majoribus vasis, vel minoribus communicatur. Febres ex vitiosorum succorum apparatu aliæ aliis sunt periculosiores, attamen intermittentes ex se periculo vacant, continuæ verò periculosiores; prout magis, vel minus succorum vitiosorum apparatus partem affectam conspurcat.

Habent & vulnera suos dies criticos, de quibus *Hip. in Coacis prænot.* inquit: *Incipere febrem in capitis vulnere quartâ die, aut septimâ, aut undecimâ, valdè lethale: judicantur autem plerùmque si quartâ vulneris die inceperit, ad undecimam; si septimâ, ad decimam quartam, aut decimam septimam; si undecimâ, ad vigesimam.* Et *lib. de capitis vulneribus.* Ubi commissum fuerit erratum in curatione, ut plurimum in hyeme supervenire febrem ante decimam quartam asserit, ætate verò post septimam: item aliquos perire ait ætate ante septimam, hyeme verò ante decimam quartam. Et passim ex Hip. videre est eum in vulneribus dies criticos observasse. Equidem vulnera, ut vulnera dies criticos non habent,

cum

cum vulnus sit morbus sine materiâ : quatenus verò ipsi aliquid materiæ, quæ coqui debet, accidit, aut quædam humorum turbatio occasione vulneris contingit, eatenus quoddam crisis etiam habere potest. Ideòque ubi in diebus criticis nulla in peius fit mutatio, sed omnia rectè procedunt, & symptomata, quæ prius aderant, sedantur, felicis sanationis spem præbet. Si verò contrà hisce diebus aliquid mali, ut dolor, inflammatio, febris superveniat, aut quæ anteà aderant, non minuantur, sed intendantur, vel mortis, vel difficilis sanationis signum sunt. Et rarò omninò motus ejusmodi in vulneribus ad bonum tendunt; cum indicium sit, naturam non potuisse motum humorum, qui ex vulnere accidit, sedare, sed irritatam humores vel ad partem vulneratam, vel principem aliquam expulsuram. Ideòque ubi motus ejusmodi in vulnere animadvertitur, potius malum, quàm bonum aliquid præsagiendum est. Quapropter dies istos criticos in vulneribus observare utile est, ut per eos utiles naturæ actiones cognoscamus, eosque non impediamus. Abstinendum etiam hisce diebus ab omnibus, quæ motum aliquem humorum istis diebus excitare possunt.

Curatio.

Febris ephemera peculiarem non postulat curationem, sed tantum ut æger bonâ regatur diætâ, & sponte evanescit. Causæ tamen ejus, si adhuc præsentes sint, aut recurrere possint, omnes auferantur; aliàs n. facilè aliquod periculum contrahere, & malum augere possunt.

Ex puris generatione febris in eo consistit curatio, ut citius suppuratio promoveatur, & exitus puri paretur, & eò citius, quò nobiliori parte, aut cum nobili consentiente contineatur.

Ex inflammatione febris tollitur, inflammatione sublatâ, sive per resolutionem, sive per suppurationem.

Febris ex putredine consistit in primis, ut putredo quamprimum in parte vulneratâ coërceatur, & materiæ purulentæ omnimodò exitus pateat; sublato n. pure febris facilè evanescit.

In his omnibus itàque febrium differentiis curatio consistit, primò in blandâ diaphorosi, secundò in succorum fermentescentium præcipitatione, ità sunt diaphoretica, *ut Beroar. orient. stibium diaphoreticum, decoctum corni cervi, syr. cardui sancti, papaveris erratici, cornu cervi sine igne paratum, & ebur eodem modo paratum, sulphur auratum diaphoreticum &c.* Præcipitantia sunt omnia alkalia, & absorbentia, *ut lapis cancror. cc. myrrha camphora, arcanum duplicatum, lapis prunellæ, cortex Peruvianus, radix gentianæ, flores salis armoniaci, nitrum perlatum &c.*

Cap. XXIII.

De Phrenitide Vulnerariâ.

Solet vulneratis, & præsertim in capite aliud symptomatis genus prioribus periculosius accidere, quod phrenitis dicitur, & perpetuò comitem febrem habet acutam, estque hæc phrenitis insaniei species ab inflammatione, quæ in, & circa meninges, pericranium, & cerebri nervosas membranas versatur.

Signa.

Phrenitidis vulnerariæ signa sunt, si nimirum post periculosa capitis vulnera notabilis ægri alteratio ingruit, tunc enim hanc ipsam affectionem imminere nemo non prænoviſſe potest, tum autem æger incessanter vigilat, valdè inquietus est, impatientem, & iracundum se præbet, membrorum situm semper præ inquietitudine mutat, è lecto exilit, vulnus vix dolet, respiratio, fit ex intervallis rarior, aliquandò est magna, & ex imo pectore deprompta. Torvis, & trucibus oculis huc illuc conspicit, oculorum venæ, & arteriæ sanguine turgere conspiciuntur, & sæpè ex alterutro oculorum fluit lacryma, facies ejus est eximiè rubicunda, aut luridè pallescens, nec tamen idem color anteà fuit, sed in ipsâ alteratione ità evadit. Sudor nullus erumpit, vel admodum difficulter, quamvis æger optimè contegatur, & in calore detineatur, quinimò corpus ejus spontè fervidè calet, ut ut in facie pallor luridus vigeat. Sermo ejus velox est, nec verba cohærent, ob mentis alienationem varia, & contraria imaginatur, & ut ebrius furit, modò plorat, modò cantat, modò vociferatur, & ad omnem audaciam est proclivis. Varia nugatur, floccos, quisquilias, & festucas digitis colligit, manusque tremunt. Urina est flammea, ac tenuis, sæpè alba, non quidèm ob bilis raptum ad cerebrum, ut Galenici falsò supponunt, sed ob scorias sulphureas, acres, salinas, & acutas in urinâ deficientes, & id ex digestionis defectu, quia ut aiunt scholæ, urinam aqueam, & tenuem esse deficientis digestionis signum, prout flavedine manifestè tinctam, bonæ digestionis indicem. Quoties ergò hujusmodi etherogeneorum salium, & sulphurum copia caput scandit, quia unà cum urinâ non excernitur, ibique exaltatur, & ex eorum miscellâ fermentatio oritur, & in promptu est inflammationem cerebri meningibus, undè spiritus animales excandescunt, & tota Palladis domus ardet. Sed de hoc fusius tractavimus in nostrâ *Trutinâ lib. 1. cap. 1. de capitis dolore* in explicatione aph. 72. sect. 4. *Capitis dolor. acutæ febri copulatus, concurrente tenuis, & albæ urinæ excretione phrenitidis periculum minatur.*

Cauſæ.

Causæ.

Imaginantur humoristæ phrenitidem vulnerariam fieri à sanguine violentius in cerebrum, ejusque meninges effuso, & evasato, & inflammationem, vel apostema excitante, bile efferatâ modò, modò bile adustâ. Cæterum phreneticant vulgares in phrenitidis vulnerariæ causam assignando, nàm in phreniticorum dissectione nunquàm culter anatomicus in bilem, vel apostema offendere potuit.

Phrenitidis vulnerariæ causa præcipua est ingens vulnus, & periculosum capiti præsertim inflictum, ubi meninges, & cerebri nervosæ membranæ phlogosim, vel inflammationem concipiunt; tunc in tantâ sanguinis accensione scoriæ sulphureæ, acres, salinæ, & acutæ, quæ à sanguine per suos ductus non exploduntur, ex earum miscelâ fermentationem arripiunt, exaltantur, & spiritus animales vitæ munis destinati, irritantur, in confusionem agitantur, tumultuantur, excandescunt, & sine lege huc illuc per cerebri poros feruntur à particulis etherogeneis, & sylvestribus exaltatis. Hinc in tantâ rerum confusione phantasmata varia excitantur, & notiones confusæ oriuntur, & tales ideæ cuduntur, & vitæ repræsentantur, non aliter ac à causâ externâ objicerentur, undè juxta varias, & deformatas ideas æger absurda vult, lingua loquitur, & agit.

Item hujus affectûs occasionales causæ esse possunt in vulnerato, vehemens excandescentia, aliaque animi pathemata mentem nimium alterantia, ut terror panicus, vel timor, lascivia, & luxuria Venerea, diæta inordinata, nimius vini potus, medicamentorum inconvenientium, & urentium applicatio; fervor aëris ambientis, qualis esse solet diebus canicularibus, ut etiam in hominibus, & canibus tunc temporis observamus, his scoriis sulphureis, acribus, salinis, acutis, & id genus aliis copiosius in cerebrum influentibus, hoc modo divexantur, & sanguis, & spiritus animales, ceu formes, tunc facilius accenduntur, undè non potest non fieri, quin eorum motus pervertatur, quod etiam vulneri his diebus eâdem facilitate contingere potest.

Prognosis.

Phrenitis vulneraria affectus est acutissimus, periculosissimus, & plurimis exitiosus capitis vulneribus, brevique intra septem dies occidit, nisi promptè succuratur. Quandò intus in vulnere rubor fuscus conspicitur, & ejus labia luridè pallent, malum.

Curatio.

Vulgares Galenici phrenitidem vulnerariam curant, statim ab initio venam secando, vel hirudines temporibus applicando. Deindè humores biliosos evacuando

electi-

elect. de succ. ros. diaphr. lenit. Syr. ros. solut. trochis de rhabarbaro, cassiâ recèns extractâ, vel mannâ, vel rhabarbaro in aquâ endiviæ infuso. Ad sanguinis, & bilioſorum humorum actimoniam obcundendam utuntur *syr. de Nymphâ cum emulsionibus quatuor seminum frigidorum*; cerebrum deindè roborant *Diamargaritone frigido cum syr. granatorum, conservâ violarum, flor. Nymphæa &c. unguentum alabastrinum, vel populeonis* temporibus applicant, Pulmonem, vel hepar arietis, aut catulum, aut caponem, aut gallinam, aliaque animalia exenterata, per medium dissecta, & adhuc calentia capiti abraſo imponunt. Non desunt repellentia ex oxyrrhodino, *ex aquâ rosaceâ, aceto, & oleo rosaceo*, quæ frigida panno excepta collo, sincipiti, & capiti admovent, & sæpius repetunt ad humores in caput ruentes repellendum, non omissis cucurbitulis, & frictionibus.

Quò ad topica, vulneri imponunt *acetum hyoscyami* cum intinctis illi linteolis, donec calor è vulnere sit extractus, vel in illud instillant *oleum rosaceum, vel hypericonis* cum superpositione *emplastri de Betonica*, tum demum juxta vulgarem methodum vulnus ad finem perducunt.

Phrenitidis vulnerariæ nostra curatio est, ut scoriæ illæ sulphureæ, acres, salin, & acutæ præcipitentur, absorbeantur, immutentur, & per consuetos ductus proscribantur. Ad hunc finem obtinendnm optima sunt sudorifera, & alkalia, *ut antimonium diaphoreticum, oculi cancrorum, bezoart. mineral. c. c. scilicet igne paratum, nitrum perlatum, sal margaritarum, magisterium coralliorum, coralliorum tinctura &c.* Proscribimus in hoc affectu medicamenta purgantia, & phlebotomiam, quatenus sanguinis, & spirituum motum adaugent, ac effrenatos reddunt, nec particulæ sulphureæ, salinæ de facilè obediunt, nec venæ sectione, vel catharsicis evacuantur.

Ad spiritus animales excandescentes, & furentes demulcendos, & sistendos multum opiata conducunt, ad quæ tanquàm ad sacram anchoram confugimus, quia naturam viribus defectam reficiunt, eandem placidâ quiete refocillant, vel lympham ferocientem, vel sanguinis massam nimium efferveſcentem pacant, spiritus quoque animales efferos, & tumultuantes ad quietem, & ad prius jugum reducunt. Unde *Hipp. sect. 2. aph. 2.* inquit: *Ubi somnus delirium sedat, bonum.* Talia sunt opiata, *Laudanum opiatum, Nepenth. Quercit. Diascordium, pilulæ de cynogloss. tinctura anodyna Zuvelferi, emulsiones somniferæ &c.* Cautè tamen his utere, ne pro phrenitide tollendâ, lethargum inducas. Eapropter in his exhibendis dosis, tempus, ætas, vires, & modus maximoperè erit attendendus.

Interim vulnus obstergendum est, in quod *oleum camphoræ* instillamus in quo quarta ejus pars *sacchari Saturni* sit soluta, vel melius operaturum arbitramur *oleum hyperici*, in cujus uncia una pauci scrupuli *sacchari Saturni cum dimidiâ*

drachmâ

dracma camphoræ tritæ soluti sint, & deindè *emplastro sticticо*, *vel oppotel doch* tegimus, ac vulneris circuitum *oleo sambucino*, *vel seminum papaveris* illinimus.

CAP. XXIV.

De Vulneratorum Convulsione.

CONvulsio vulneribus sæpè contingere solet. Dicitur à convellendo, dicitur hæc eadem spasmus, & derivatur à contrahendo. Differt spasmus à convulsione, quatenus spasmus semper dolorificus est, ac convulsio non item. Est itaque convulsio, sive contractio passio dolorosa nervorum, & musculorum motu violento versus suam originem retractorum.

Signa.

Convulsionis vulneratorum signa cognoscuntur, quia membrum ipsum vulneratum fortiter attrahitur versus suam originem, mediantibus nervis, musculis, & spiritibus animalibus, idque præter voluntatem, ut ad pristinum habitum vix reduci queat.

Causæ.

Vulgares convulsionis causam immediatam ad repletionem, & inanitionem referunt cum *Hip.* qui *sect. 6. aph.* 39. inquit *Convulsio fit à repletione, & inanitione.* Et per repletionem videtur eam fieri, quandò musculi, aut nervi, aut irrigentur, aut inflentur, & in tumorem eleventur; per inanitionem verò quandò iisdem plus justo exsiccentur, chordarumque, aut locorum instar igni admotorum contrahantur. Verum hoc esset, hic affectus per repletionem inanitione, & per inanitionem repletione facilè tolleretur; ideòque repletio per exsiccationem, & inanitio per humectationem, cùm medicina sit adjectio, & detractio, quod quidem à veritate alienum deprehenditur.

Hujus affectûs causæ sunt, quandò nimirùm vulnerati refrigerantur, detinendo eos in loco frigido, vel auræ frigidæ afflatus, vel accessus vulneri datur. Undè *Hip. sect. 5. aph.* 20. inquit: *frigidum facit convulsiones.* Item eâdem *sect. aph.* 17. *frigidum autem convulsiones, tetanos &c.* Et eâdem *aph.* 18. *frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò utile.* Constat namque frigus particulis acidis, & acribus, quæ acrimoniâ, & acore suo irritant, crispant, contrahunt, & convellunt nervos, musculos, partesque fibrosas, undè membrum vulneratum necessariò abbreviatur; nervi namque nullo modo frigus perferre possunt, sed quamprimum per vulnus apertum aëris frigidi afflatum sentiunt, se contrahunt hominis algentis instar, qui humeros præ frigiditate contrahit, demumque convulsionem faciunt. Fit in partium nervosarum, & musculosarum tubulis obstructio, & in istâ obstructione succi stagnant, aciditatem concipiunt, fixantur, & spi-

& spiritus influentes impediri in istorum vasculorum fibras circa obstructionem irruunt, & istâ irruptione nervos irregulariter vacillant, contrahunt, & convellunt. Item convulsionem parit nervus læsus, vel alicujus musculi caput incisum. Verùm præter nervi læsionem, vel musculi incisionem, sordes diù in vulnere retentæ acorem, & acrimoniam producentes, hunc affectum excitare possunt. Præterea acidum ad convulsionem inducendam debet esse paulò fixius, crassius, & subjecto moderatè viscido irretitum.

Prognosis.

Quòd ad convulsionis vulneratorum prognosim attinet: *Convulsio & vulnere lethalis est*, ut habetur ex *Hip. sect. 5. aph. 2.* Verùm hic aphorismus ità intelligendus est: Convulsio à vulnere, ut vulnus est, lethalis; non autem semper in vulnere lethalis est. Convulsio, quæ à perfrigeratione exoritur, avertitur, frigus arcendo, & calidum introducendo, quia ut inquit *Hip. sect. 5. aph. 18. Calidum verò utile.*

Curatio.

Pro convulsionis curatione cavendum est omni sedulitate, ne in deligatione vulnus diu retineatur apertum, sed quàm citò fieri possit, deligatio festinetur, curam simul habendo, ne æger per spontaneam incuriam seipsum perfrigeret. In deligatione tamen magna solertia adhibenda est, ne sordes diutius quàm par sit, in vulnere relinquantur, & fiant causa doloris, quem facilè spasmus sequi posset.

Si itàque spasmus in vulnere excitaretur, ubi suspicio adesset vulnerati nervi, sive cæsim, sive punctim, in hoc casu sudorifera sale volatili constantia conducunt, ut sunt *spiritus tartari, sulphur auratum diaphoreticum, aqua theriacalis*, omissis acidis, & aliis, quæ non libet recensere. Quò ad topica, in vulnus infundendum est *oleum terebinthinæ cum spiritu vini mistum, vel unguento alicui vulnerario misce bonam quantitatem olei terebinthinæ rubri*, eumque misturam vulneri impone, in ejus verò circuitu inungi potest *oleum philosophorum*, vel aliud destillatum, omnibus autem aliis contra spasmum valentibus palmam præcipit *oleum lavendulæ destillatum*, si eo locus calidè perungatur. Magnoperè prodest *unguentum neminum, oleum lumbricorum, sampsuci, axungia humana*, & alia, quæ acorem, & acrimoniam temperant, corrigunt & emendant.

Si spasmus oriatur à morsu venenati alicujus animalis, & indè vulnus, tunc dilatari debet, & parti dolenti imponi potest per aliquot dies *theriaca, vel mithridatium soluta in spiritu vini.* Verum si dolor ità urgeat, ut totius curationis cardinem ad se trahat, tunc ad *opiata*, tanquàm ad sacram anchoram recurrimus; hæc namque spirituum animalium impetum refrænant, segniores reddunt, acidum corrigunt, contracturasque spas-

spasmodicas demulcent. Hoc acidum minimum mole est, & partes nervosas, & fibrosas pungit, rodit, ac dolorosè irritat, undè aliquandò plura symptomata emergunt, quæ omnia opiata placant, & pacant.

CAP. XXV.

De Vulnerum sanguinis fluxu.

HIc per sanguinis fluxum non intelligimus hæmorrhagiam illam, quæ cuilibet recenti vulneri accidere solet, cujus curationem superius tradidimus, sed hoc in capite de sanguinis eruptione agimus, quæ vulneribus jàm dudum post eorum infictionem demum contingit præter expectationem, ubi potius spes esse debebat vulnus jamjàm sanatum, & consolidatum iri; tum autem probè advertendum est, num vulnus sponte, & sine ullà data occasione, vel ab immisso aliquo instrumento irritatum sanguinem mittat sive multum, sive parum: si ergò propriâ sponte erumpat, signum est fracti ossis particulam acutam esse solutam, & farostendere, præcipuè si intra vulnus punctio, & dolor sentiatur, quandò quis manu vulnus contractet, sanguisque emanans sit purus, & bellè rubeat.

In tali sanguinis fluxu necesse est, ut aliquid subacris cum tumundis imponatur, nimirum balsamum quoddam esurinum, quale paratur exoleo hypericonis, vel saltem communi cum aliquo corrosivo, nempè *butyro antimonii, oleo mercurii rubro, vel spiritu nitri cocto*, donec in balsamicam consistentiam abeant, vel in ejus defectu saltem *unguentum Ægyptiacum vulgare*: à tali ergò balsami, vel unguenti acredine ossicu'um illud stimulatur, ut penitus ab osse, cui parumpèr adhuc hæret, decidat, & feràs pellatur, vel saltèm ità solutum appareat, ut apprehendi, & extrahi possit, expectandum tamen est, donec sponte ossiculum abscedat, non autem instrumento in vulneris profunditate circumagitandum, ne ossiculum illud contra nervum prematur, ingensque dolor, vel convulsio concitetur.

Sin autem confertim sanguis emanaret, sistendus est medicamentis sanguinem cohibentibus, non autem eluendo, sanguis è vulnere tollatur, adjuvat enim venæ apertionem obturare, ità ut sanguis secuturus exire non possit, tum verò quotidiè unguentum vulnerarium vulneri imponatur, apertionem enim venæ carne explet, quà sanguini exitus denegatur, id *emplastrum sticticum*, *vel oppoteldoch* utramque absolvunt paginam, sanguinem enim paulatim inhærescentem educunt, & totam sanationem perficiunt. Si vulnus saltèm est cruentum, nil autem sanguinis emanat, tunc signum est vulneris deligationem nimium compressam esse, ægrumque sanguine abundare: ligatura itàque imposterum debet esse laxior, imò etiam in reliquo corpore, si ullibi à vesti-

bus nimium arctis fiat compressio, ea laxetur, alias ejusmodi compressione facilè sanguis ad vulnus premendo truditur.

Solent vulnerati vel ob nimiam hæmorrhagiam, vel nimium sanguinis fluxum, aut ob terrorem, aut ob venenum à morsu animalis in syncopen incidere, tunc enim ægri pallescunt, pulsus cessat, sudore frigido corripiuntur: non mirum est, quod à nimio sanguinis fluxu vulnerati animi deliquium patiuntur, qui si sanguis circulationis lege ad cor non redit, necessariò ad alias partes transit, & sic circulationis ordo pervertitur, per terrorem cor contrahitur, ut sanguis ad partem ruere nequeat, & simul spiritus vitales ad liberum suum fluxum impediuntur. Conveniunt in hoc casu omnia ea, quæ sanguinem ad circulationem concitant, de quibus vide nostram *Trutinam lib. 3. cap. 2. de lipothymiâ, & syncope.*

Coro luxurians, sive excrescens in vulneribus rarò accidit, si curatio rectè fuerit instituta, & si traditis suprà medicamentis utatur chirurgus, quòd si fortassè accidet, omninò à corrosivis abstinendum est; iis enim pessima qualitas vulneri imprimitur, ità ut difficilis evadat deindè ipsius curatio. Arcanum maximi faciendum nos sine invidiâ communicabimus, quod quicquid corrosiva efficere possunt, efficit, absque tamen dolore, & corrosione, & medicamentum hoc est, quod flaccidam carnem indurat, & perfectam redit, illud ità conficitur, & pro magno secreto haberi debet:

℞. *Mell. crudi lib.* j.
Aloës hepaticæ ℥. j. ß.
Alum. usti, ac acet. restricti.
Singulis vicibus ℥. j.
Vitell. ovor. num. xx.
Terebenthinæ lib. ß.

Agitentur, ac commisceantur in pulticulam, quæ ad ignem coquatur, donec crassitudinem emplastri, & colorem fuscum acquirat & sic habetur medicamentum, quo carnem non naturalem ubique averruncat, & abstergit, dummodò callosa non sit, sed flaccida.

Cap. XXVI.

De iis, quæ ad primum vulneris intuitum chirurgus animadvertere debet.

Post vulnerum symptomata, de quibus fusius egimus pro illis reparandis, congruum censemus de iis agere, quæ ad primum vulneris intuitum chirurgus animadvertere debet, ut perfecta curatio succedat cum artis decore: Vocatus igitur ad vulneratum chirurgus primo intuitu accuratè animadvertere debet de curationis possibilitate, ac fine, certi quid prædicere possit: ne forsan magno suo, artisque dedecore, ac incommodo, aliquid, quod naturæ præstare poterat, non sine ægri magno malo subsistat: omninò enim naturæ vim, ac virtutem prædictionum normam constituere medicum decet. Siquidèm omnes

conatus

conatus irriti evadunt, ac oleum, & opera luduntur, si quid attentemus naturæ viribus superius: sin minus quàm natura possit promittamus. Duplex est periculum, nàm vel ægri damno, naturæ non, decet, auxiliamur, vel nostram ipsorum ignorantiam detegimus, dum naturæ potentiam nos non cognovisse ipsi prodimus. Itàque ut artis, & naturæ, tum scripsimus rationem habeat medicus, necessarium est, quòd tria hæc non nisi simul subsistant, ac uno deficiente, reliqua statim corruant quoque.

Memoriæ itàque mandandum est viventium naturam sic comparatam esse, ut sui similis semper permaneat, nunquàm vim sibi inferiori à medico patiatur, sed medicus cum naturâ ità se gerere debet, ut ab ipsâ dirigatur ad ea auxilia præstanda cum suâ arte, quæ tanquàm sibi familiaria, & amica admittat, non tanquàm hostilia, & exotica renuat, & cum indignatione maximè abhorreat. Curabit ergò talia remedia illi afferre, quæ ipsa non respuat, constitutum enim jam hoc est nos naturam, non ipsam nos imitari, ac sequi oportere: artis itaque tota excellentia manet in naturæ remedii convenientis cognitione, hæc enim celerem efficiunt curationem.

His sic præhabitis, sciendum est, quòd membrum in totum resectum nunquàm agglutinatur; abscissum, sed non in totum, nemo est, qui sic reponere possit, ut nihil supersit incommodi. Paralyses ex nervorum vulneribus nunquàm tolluntur, quemadmodum, & lethalia vulnera curationem non admittunt. Istiusmodi curationes cavete, ne aggrediamini, nàm earum pollicitationes ridiculæ sunt, & habentur. Sufficiat vobis, inspecto vulnere, quid per naturam fieri possit, cognoscere, ut vestræ artis auxilio, remotis obstaculis, illud perficiat natura, quod potest. Sæpè enim chirurgos, & tonsores jactabundos audietis, qui nasum triduo ante abscissum, & serò tandèm in nive repertum; digitos etiam præfectos, & alia portentosiora quoque gloriantur, se restituere posse. Inò *Paracelsus* inquit; *Ego quoque nemini, cum apud Forum Iulii essem, me tonsorem vidisse, qui magnâ omnium admiratione, cuidam, cui auris præfecta erat, eam cemento adglutinârit, verùm gloria ea brevis, & inanis fuit: nàm altero post die suppurata, statim decidit, ipseque vulgi fabula factus est.* hujusmodi jactantias nemo probabit; undè ego in medico veritatis studium, industriam, gravitatem præ omnibus aliis virtutibus requiro: orationem quoque naturæ congruentem, quæ apud rerum peritos fidem mereatur, gloriosam esse medico motum esse puto.

Præterea signorum, ac symptomatum cognitio, quæ vulneribus quotidiè supervenium, peritia, admodum necessaria est, ut quid ea mali portendant, ac designent, cognoscatis, & symptomatum difficultates præcavere possitis; etenim si sanorum corpora tot casibus sunt exposita, quid in ægro vulnerato

rato sperandum putatis? Sæpè enim syderatio, atrophia, apoplexia; comitialis morbus vulneribus supervenire solent, quæ nisi vos cognoscatis, & prævideatis, ex inscitiâ ægro malum, & vobis dedecus conciliabitis: quoniam sæpè majus damnum videmus ex iniuriâ medici, & symptomatum contemptu, quàm ab ipsomet vulnere nasci, quæ mala faciliter avertetis, si signorum, & symptomatum glorioſam habueritis cognitionem, non simplicem, qualis fabrorum, & cerdonum est in suâ arte, sed absolutam & scientificam, quam nisi habeatis, artis operationem ne aggrediamini, in qua non opinio, non jactantia, non contentio, non superbia, sed una, ac sola scientia, & cognitio dominatur: Verum antiqua hæc est artium pestis, quòd earum praxin theoricæ præponunt plerique & ferè apud chirurgos conjugio artis magisterium comparatur.

Erga vulneratos verò rigore potius quàm indulgentiâ procurandum est in servandâ dietâ, & in reliquorum errorum abstinentiâ, bonus enim chirurgus, & optima remedia faciliter ægrotantium erroribus, & inobedientiâ infamantur, medico præterea convenit, ut cum gravitate, & urbanitate imperium super ægrum acquirat, & tali modo se gerat, ut illi terrorem imprimat, & ad ea, quæ præcipit, tanquam ad salutem necessariissima, æger parens obediat: præstat enim ipsum, quàm medicum dolore, quòd nisi fecerit medicus, civili cum austeritate blanditi ægro aliquandò cogetur, & illi multa cum periculo concedere, & propter quæ inscitia ab aliis argui possit. Conscium quoque medicum esse decet de vulnerati vivendi modo, an dissolutus sit, an causæ præcesserint, ex quibus corpus pravorum humorum redundantiâ scatere possit, an lue Venereâ, vel aliquo alio morbo laboret, nàm hæc si in vulnerato adsint, symptomata supervenientia timere medicus debet, quinimò si iis opportuno tempore occurrat, damnum præcavere potest. Cæterum medico convenit in conspicuis viris iis uti remediis, de quibus multoties periculum fecit, quæque cum certitudine, quod ex iis sperat, efficere possit, ne de illo dicatur Plinianum illud: *Discit periculis nostris, & experimenta per mortes agit.*

Cap. XXVII.

De Vulneribus, quæ Venenatis telis inferuntur.

Antiquissimus tela inficiendi mos fuit, & Barbaris usitatissimus, attamen nunc etiam tanta est hominum truculentia, ut non simplici necandi ardore contenti sint, sed lethiferam armorum noxam duplicare studeant, & hoc flagitii genus subindè non intermittant, undè globulos, sagittas, enses, hastas, tela, & alia instrumenta nocitura venenant hostes, ut vulnus ipsum materiâ venenosâ inficiant. Varia inficiendi genera sunt,

sunt, quæ silentio præterire præstat, quàm describere. Domesticis usibus venenum contrahunt, inquit Paracelsus, instrumenta mechanica, ut ex. gr. falces, quæ usûs tempore dùm incalescunt, naturam eorum, quæ secant, ut herbarum, tubetarum, serpentum, aranearum, ac lucustarum, facilè recipiunt: Sic vomeres à terrâ, quam secant, veneni quiddam contrahunt, ista itàque sedulò consideranda, & ab aliis studiosè cavendum, nàm quamvis attritu, & dùm acuuntur, aliquid rursùs veneni deperdant, nunquam tamen ipsum totum perit.

Signa.

Vulnerum à telis venenatis inflictorum signa, à priori cognosci nequeunt: verùm per symptomata supervenientia deprehenduntur, undè dolor est valdè sævus, & lancinans, partis vulneratæ color naturalis primò in lividum, deindè in nigrum abit, & gangræna imminet; statim gravia symptomata præter vulneris rationem sequuntur, nunc uredo in toto corpore æstuans, nunc obstupescentia, nunc cordis angustia, interdùm membrorum tremor, delirium, virium lapsus, lipothymia, & syncope percipitur, & quamplurima alia symptomata pro veneri cujusque naturâ accedunt. Observandum tamen est, num hæc symptomata ex veneno, an ex aliâ causâ orta sint, nàm ob signorum similitudinem difficile est judicium.

Prognosis.

Omne vulnus venenato armorum genere inflictum etiam levissimum, & minutissimum periculosissimum est, & mortem afferre potest, non vulneris, sed veneni ratione, cùm aliàs magna vulnera sanari possint. Quò plura sunt symptomata, graviora, & contumaciora, & optimis adhibitis remediis non cedunt, eò periculosiora, & plerumque sunt lethalia, præsertim si cordi proprius est, vel si medicaminum applicatio tamdiù protrahatur, donec interim venenum per vulnus fermentando, in corpus agere possit.

Curatio.

Curatio vulnerum à venenatis telis inflictorum festinam requirit opem, eorumque curationis cardo in veneni eductione consistit, id. òque primò danda opera, ne venenum ad interiora serpat, deindè ut ejus vis alexipharmacis obtundatur. Primò itaque considerandum, an telum venenatum adhuc intra vulnus hæreat; siquidem omnis curatio erit frustanea, nisi extrahetur, & quò citiùs, eò melius, quòd si extrahi nequeat, emplastris, quæ venenum evocare possunt, ea associanda sunt medicamenta, quæ tela, & alia extranea corpora è vulneribus extrahere valent, de quibus supra cap. 16. dictum est.

Venenum, ne ad internas partes recurrat, vulgares supra vulnus

id membrum deligant, non tamen nimis vehementer, eâ tamen sedulitate, ne membrum torpeat, aut in gangrenam abeat, deindè venenum evocant. Antiqui ad venenum extrahendum, suctione utebantur, & hanc præstabant Psylli, existimabantque eos proprietatem quandam venenum suctu extrahendi habere, cum tamen id præstarent audaciâ ipso usu confirmata. Verum tutius venenum extrahunt cucurbitæ sivæ, si applicabiles sint, vel scarificationes profundiores adhibent, & deindè cucurbitulas apponunt, ut unà cum sanguine venenum extrahant. Post cucurbitularum amotionem gallinas, vel alias aves podice, vel per medium dissectas, calentes vulneri imponunt. Postmodum vulneri antidota venenum extrahentia, ut *theriacam*, *Mithridatium* applicant, & interne hæc eadem, & alia vulgaria per os propinant. Ad cor muniendum, *oleo Matthioli, ut & Magni Ducis Hetruria* cordis regionem, & arterias illiniunt.

In vulneribus venenatis telis inflictis proscribimus venæ sectionem, & medicamentum purgans, tanquàm ipso veneno nocentius, & quia eorum curatio in veneni extractione consistit, ideò eo primò scarificamus, deindè *aqua theriacali cum spiritu vini* abluimus, vel quod tutissimum est actuali igne partem affectam cauterizamus, eâ tamen distantiâ, ne ignis vulnus attingât, verum pars læsa non debet esse valdè nervosa; eschara illicò est auferenda. Interim diaphoretica, sudorifica, alexipharmaca, & cardiaca ad longum tempus continuamus.

Cap. XXVIII.

De Sclopetorum Vulneribus.

HUmana barbaries de die in diem varias excogitat machinas ad lædendam humanitatem, sic quoque inventa sunt sclopeta, bombardæ &c. cum pulvere pyrio, ex quibus pericolosiora infligunt vulnera, quàm ab aliis instrumentis, quod lædendi genus vetustati ante annos 1380. ignotum fuit, ideòque non nulli tanquàm de novo vulnerum genere tractant. Aliqui putant hoc esse vetustissimum, quia Veteres in urbibus expugnandis quadam machinâ usi sunt, quæ *Catapulta* olim appellabatur; erat enim catapulta machina bellica, qua tela, aut saxa excuti solebant, de qua meminit *Plaut. in Cur.* hac enim glandes, globulos, lapides, & similia excutiebant, quæ corporibus infixa magnam stragem inferebant. Hujus etiam meminit *Celsus lib. 7. cap. 5* ubi de pilâ plumbeâ in parte relictâ agit, atque docet, qua arte sit extrahenda his verbis: *Tertium genus telorum est, quod interdum evelli debet plumbea glans, aut lapis, aut simile aliquid, quod, præcipuè cute, integrum initio insedit. In omnibus &c.* Veruni instrumenta, quibus his nostris temporibus utimur, nova sunt, & antiquis incognita fuêre.

Vul-

Vulgares ferè omnes sclopetorum vulnera venenata esse perperàm crediderunt symptomatum ratione, quorum ferocia sunt; glandes enim imploſæ carni inferuntur, & impetuosâ violentiâ continuum unâ operâ contundunt, collidunt, confringunt, & disrumpunt, non modò eo loci, ubi glans perforat, verum etiam circumpositæ partes, quæ hac impetuosâ implosionis violentiâ, veluti à fulmine tanguntur. Præterea his in vulneribus aliquid de ipsâ partis læsæ substantiâ aufertur, & majus infert periculum, quòd plures fibrillæ, membranæ, nervi, venæ, arteriæ, & ossa contunduntur, disrumpuntur, & franguntur, & hac ratione vulnera hæc semper sunt periculosiora aliis ab incidentibus armis facta, quia hæc simpliciter suâ acie dividunt, illa verò violenter discerpunt, & integras non raro avellunt particulas. Hinc est, quare sclopetorum vulnera sæpè inflammationem, dolorem, febrem præ aliis acutam, prunam, phrenesin, spasmum, putredinem, gangrænam, sphacelum, aliaque prava symptomata concitant; major enim hic est obstructio, major tubulorum, & pororum perversio, & major in fluidis perturbatio, quàm in vulneribus cæsim, vel punctim inflictis.

Venenata esse sclopetorum vulnera convincunt ex morbis, & symptomatibus vulneratos infestantibus, ut sunt vehementes inflammationes, mali moris febres, cordis tremores, partium putrefactiones, gangræna, & sphacelus; item vulneris labia livida, seu nigra, Deindè ex medendi modo, nàm his vulneribus alexipharmaca profuisse compertum fuit, ideòque aperta diu servant aliorum vulnerum venenatorum more. Tandèm observatum est in quibusdam præliis omnes globulis vulneratos interiisse, et-si vulnera non adeò magna, & pernicioſa videbantur, & vix, ac non nisi magno labore, & adhibitâ chirurgorum diligentiâ aliquos servatos fuisse, quæ omnia certissima sunt veneni indicia.

Sed ex his morbis, & symptomatibus malè deducunt sclopetorum vulnera venenata esse; ea enim primò symptomata omnia, & morbi ex magnâ contusione proveniunt, nàm globulus summâ violentiâ, fulminis instar, partes, in quas impingit, penetrat, & quicquid obvium est, collidit, contundit, confringit, disrumpit, avellit, qua vi non solum venulæ, arteriolæ, fibrillæ, membranæ, nervi per carnem passim diffusi lacerantur, sed & ità majora vasa, & ossa contunduntur, disrumpuntur, franguntur, ut magna tubulorum obstructio, major pororum perversio, & in succis maxima perturbatio inducatur, undè partes contusæ, collisæ, disruptæ, & fractæ vitali calore destitutæ facilè, & multiplicem continui solutionem, multiplex morbi genus, & varia inducunt symptomata. Nec etiam cordis tremor, aliaque prava symotomata in omnibus hujusmodi vulneratis accidunt.

cidunt. Secundò, Alexipharmaca profuisse verum non est in omni sclopetorum vulnere, sed de iis tantùm, cum ex contusione, & hinc sequente magnâ corruptela, & omninò gangrenâ imminente, cor à putridis vaporibus, è vulnere per arterias ascendentibus, lædituir, ac proindè alexipharmacis munitur, & roboratur. Tertiò, Vulnera ista diu aperta servanda sunt vulnerum venenatorum more: non ideò fit, ut venenum evacuari possit, sed ut pus, quod continuò è partibus contusis generatur, evacuetur, id quod tardius fit; cum id quod contusum est, multum est, multum sit in hisce vulneribus. Denique quartò, in quibusdam præliis omnes globulis vulneratos interiisse, & aliquos difficulter servatos fuisse: non ideò accidit, quòd vulnera globulis inflicta venenata fuerint; cum in aliis præliis plurimis nihil tale compertum sit, sed accidit vel annonæ caritate, vel ex pravis cibis, quibus inopes milites nutriuntur, vel ex inquinato aëre, vel pravâ corporis constitutione, vel pravo in iis humorum apparatu, qualis sæpè in castris esse solet.

Item sclopetorum vulnera venenata esse deducunt à pulvere pyrio, à cujus vi globuli impelluntur; alii à plumbo, ex quo globuli concinnantur; alii à veneno, quo globuli hi inficiuntur.

Pulverem pyrium venenatum esse ex componentibus probant, hunc namque ex sulphure, nitro, & carbonibus componi cuilibet notum jàm est, sulphur enim calidum est in quarto gradu, & siccum, nitrum similiter in tertio, & dum hæc igniuntur, insigni suâ caliditate lædunt, quia venenata sunt. Ex eo etiam patere putant, quòd qui talem construunt pulverem, ne ab ejus venenato halitu lædantur, os, & nares sibi occludunt, eaque tempore ab acribus, nempè ab alliis, porris, cæpis, aceto, & similibus se abstinent, quod experientiâ docti faciant, quoniam horum ciborum acrimonia incidendi, aperiendi, & efficiendi vim habent, ut pulveris malignitas ad latentis cordis, membrorumque principalium partes se insinuet. Nonnulli, ad pyrii pulveris venenositatem probandam, ad fulminis, & ictus bombardæ convenientiam confugiunt; nàm in fulmine vim venenatum sæpè inesse certum est, quod fætor, & mira homines, & bruta subitò ingulandi, vis atque alii maligni ejus testantur effectus: ità simile quid in bombardæ ictu inesse putant.

Cæterum horum vulnerum venenositatem ex pulvere pyrio provenire non posse ex eo patet, quòd ingredientia, ex quibus componitur, venenata non sunt. Etenim ex sulphure varia componi medicamina, & ex nitro, ac internè usurpari tàm ab antiquis, quàm à recentioribus, & venenata non esse, ità notum est, ut probatione non indigeat. Carbones venenatos non esse, ex eo patescit, observamus nàmque picâ, & malaciâ affectos impunè illis vesci. Et licèt hæc tria unum efficiant, tamen

men eorum miscela venenata non est, & estò accendantur, tamen indè venenositatem acquirere non potest, cum ignis venenatus non sit, aliàs ferrum candens, flamma, vivacesque carbones venenum diceremus, imò ignis potius absumit, vel venenositatem corrigit, quàm inducit. Pulverem hunc multi in dolore nephritico ad calculos comminuendos absque ullâ noxâ hauriunt, itèm milites hoc ad pestem curandam cum aceto utuntur, idemque in peste ad eam arcendam in domibus accendi solet, similiter pro curandâ carie Venereâ sæpè hunc pulverem nonnulli admovent, insuper multi à pulvere accenso combusti nullam veneni vim experiuntur, & nos multos curavimus absque ope eorum, quæ veneno adversantur.

Neque, qui pulverem istum parant, os, & nares obstruunt ob venenositatem, sed ob pulverem, qui intrò hauritur. Sicut etiam qui triticum cribrant, vel calcem metiuntur, ne pulvis ab his elevatus unà cum aëre pulmones penetret. Sed non omnes id faciunt. Ad illud de aliis, & cæpis dicimus id efficere, ne viscera ab his alterentur, adde, quòd cæpæ, & alia ex *Dioscoridis* sententiâ adversus venenum quam maximè pugnant, hinc *allium dicitur à Galeno theriaca Rusticorum*. Et nos pulveris pyrii confectores allia, cæpas, rucas, & alia quamplurima, quæ calida vulgò existimantur, comedisse observavimus.

Qui plumbum, ex quo globuli conficiuntur, venenatum esse credunt, omnia metalla venenata, & corpori nostro hostilia esse existimant. Addimus & nos, quòd plumbum in aliorum metallorum examine adhibitum, ea absumit, & unà in fumum arripit, aut in scorias convertit, qui fumus maximè noxius est, non autem venenatus.

Sed neque à globulis plumbeis venenum provenire potest, & estò ejus fumus sit noxius ex copioso ejus mercurio, antimonialem naturam æmulante, ut videre est in metallorum cupellatione, non tamen est venenatus. Imò plumbum integrum nihil veneni afferre posse ex eo patet, quòd multi tales globulos intra corpus immissos à sclopeti ictu interdum aliquos annorum spatio sine omni noxâ in corpore circumferunt. Insuper nonnulli globulos plumbeos deglutitos per alvum rursum sine omni damno rejecerunt, ut in Iliacâ passione pilis plumbeis devoratis utuntur vulgares. Et ex plumbo varia medicamenta parantur ad antiquorum ulcerum curationem, eaque feliciter adhibita observavimus. Præterea chymici ex plumbo, quod saturnum vocant, saccharum, seu sal, tincturam, spiritum ardentem saturni, aquam testulapii, & similia interna medicamenta parant, quorum operationes in nostrâ *Pyrotechniâ* docuimus *lib. 4. cap. 4 art. 3.*

Ad id, quod dicunt globulos veneno infici posse, ultrò, citròque concedimus, cum ferrum plumbo solidius sit, & veneno infici potest, quis plumbum non satis denum

non infici negabit? Tela infici historiæ tum antiquæ, tum recentes earum gentium, quæ sagittis utuntur, testantur. *Virg. lib.* 10. *Aeneid.* cecinit.

Ungere tela manu, ferrumque armare veneno.

& Ovid lib. 3. Trist.

Nam volucri ferro tinile virus inest.

Et nostris temporibus nota est Insulæ Cretæ obsidio, ubi christiani tum temporis levissimè sagittis venenatis vulnerati à Turcis, quicquid medici, & chirurgi adhibuerunt, omnes obierunt. Sed non quærimus, an globuli infici possint, verum quæritur, an omne vulnus sclopeto inflictum sit venenatum, quod utique negamus. Et sicut inferre non licet, quia gladio venenato venenatum infligitur vulnus: ergò omnia vulnera gladio inflicta esse venenato: sic quoque si quædam vulnera sclopetorum globulis illata sunt venenata: ergò omnia sclopetorum vulnera esse venenata, concludere non licet. Hi globuli venenari possunt, vel inunctione, vel venenatæ substantiæ infusione, si non vegetabilis, tamen mineralis, quæ in fusione plumbo admisceri, & permanere possit, attamen suâ naturâ tales non sunt.

Ad fulminis, & bombardæ ictus convenientiam, qua pulveris pyrii venenositatem probant, respondemus, fulmini venenositatem non inesse, nec factorem venenositatem arguere, aliàs omnia fœtida essent venenata. Convenit bombardæ ictus cum fulmine, quia utrumque venenositate caret. Homines, & bruta fulminis vis sternit, quia tota ejus actio, & motus est à spiritu potentissimo, & à substantiâ subtilissimâ sulphureâ, omnia corpora penetrante, & fulmen est lumine solari acutius, nàm solares radios aliquantisper sustinemus, fulminis verò ictum nec tantillum quidèm ferre possumus, quin portentosi effectus progignantur. Sclopeti ictu quicquid attingitur, globus est, & id violentia, & motu pulveris impresso præstat aliorum violenter projectorum more, ut sagittæ, & lapides è fundis projecti. Nec flamma ex accenso pulvere ad ipsum vulnus penetrat, quod non succedit in fulmine, nàm sine vulnere viventia occidit, quicquid blaterant de fulminis lapide vulgares philosophi, tanquàm anile commentum inter fabellas collocamus, & suâ flammâ, & ardenti fumo amplas domos, turres, templa, & palatia incendio vastat, & perimit.

Dicemus utique pulverem pyrium, seu bombardicum execrandum venenum omnium veneno um esse violentissimum, & nulli comparandum, quia non tantum extemplò, ut non faciunt omnia venena, viventia sternit, verùm etiam tanta est hujus violentia, ut horrendæ tempestates, ac urbium, montiumque summersiones ei adscribantur. Undè pyrii pulveris potentosi effectus oriantur in nostrâ *Pyrotechniâ sophicâ lib.* 4. *cap.* 1. *art.* 3. *de salis nitri præparationibus* ubertim demonstravimus.

Aliqui sclopetorum vulnera non modò

modò venenata esse, verùm etiam ambusta, alii tandem neutrum adesse concedunt. Nullum empyreuma adesse his rationibus contendimus, &

Primò, si ambustionem hæc vulnera inferrent, ipsi globuli igneſcere, ac indè liqueſcere deberent, cum tamen globuli isti integri, & nihil tale passi è vulneribus extrahuntur.

Secundò, si talia vulnera essent ambusta, utique à sauciatis ignis vis perciperetur, ignea enim vis valdè sensibilis est; deindè pila plumbea sclopo explosa, si comburendi vim haberet, combureret, quod magis est combustibile, videmus enim indumenta sive lanea, sive linea, sive serica, sive cujus libet materiæ, à globulis confossa nullo pacto comburi. Imò qui naves, vel alia ædificia contra istorum globulorum ictus tueri conantur, saccos lanâ, vel stupâ plenos appendunt, qui nullo modo à globis istis etiam majoribus accenduntur. Quare multo minùs potest comburi caro, quia agens semper agit in materiam magis dispositam, quàm minus dispositam, hinc cum magis sint disposita indumenta, quàm caro, quare si indumenta non comburuntur, neque caro comburitur.

Neque dices diversam esse rationem partium corporis humani, ac similium rerum; Talia enim ob meatuum amplitudinem, tenuissimam exhalationem pervadere, intactâ substantiâ; corpus humanum verò ob densitatem lædere, & idem fieri hic, quod in fulmine, quod illæsâ vaginâ gladium, & illæsis loculis argentum, aurum, aliaque metalla in iis inclusa in unam massam colliquata urit, illæsis vestibus hominem consumit, idque accidisse toti exercitui *Sennacherib* narrat *D. Hieronymus ad cap.* 10. *Isaiæ.* Aliquandò carne nihil illæsâ, fulmen ossa comminuit. Quare corpora solidiora, & densiora, quæque magis resistunt, magis à fulmine læduntur, quàm rariora, & facilè cedentia, quia in corporibus solidioribus moratur fulmineus ignis diutiùs, in rarioribus non, sed statim transit.

Sed magna est fulminis, & globi hic diversitas; tota nàmque actio fulminis est à spiritu potentissimo, & substantiâ subtilissimâ omnia penetrante: at talem spiritum cum globo conjunctum esse, non dum probatum est, sed tota actio hic globi est, qui neque res raras comburit, neque ligna, neque alias densas, in quas impingit.

Tertiò, cum vix ulla res detur inflammabilis, quàm pulvis ille pyrius maximè ignem concipiens, si globi hi corpus humanum comburerent, multò magis pulverem pyrium accendere deberent; quod tamen non accidit, teste experientiâ, & nos pluries globulos è sclopeto emissos è longinquo per tormentarii pulveris acervum absque ullo accensionis metu pertransisse observavimus. Si verò accidat, ut globo è bombardâ explosa accendatur pulvis pyrius, id evenit, quia vel flamma ipsa ad pulverem penetravit, vel globos

ad ferrum, vel lapidem alliditur, atque ignis scintillis, tanquàm è silice excussis, accenditur.

Quartò, si globuli plumbei loco, papyrus, vel stupa sclopeto indatur, atque explodatur, nulla in iis, seu à pulvere pyrio, seu à motu contractæ combustionis vestigia apparent, (nisi quod interdum à pulvere contaminantur, & nigrescunt) & sæpè ex ipsis vulneribus integræ extrahuntur.

Quintò, vulnerati hoc modo nullum calorem, aut adustionem percipiunt, sed dolorem tantum ex contusione, & dilaceratione.

Sextò, quòd nec à pulveris flammâ, nec à motu globuli isti incalescant, vel illud etiam docet, quòd globus è cerâ confectus, & sclopeto injectus non liquescit, sed & ipse asserem ligneum duos digitos crassum penetrat: ex quo unico satis patet globos istos non vi ignea, sed impetu saltèm quicquid præstant, efficere.

Qui combustionem, vel empyreuma in sclopetorum vulneribus adesse credunt, falsis innituntur principiis, & infirmas adducunt rationes, &

Primo globulos istos à pulvere tormentario accenso igniri falsum est, & suprà probatum est nullo modò non tantum non ignescere, sed nec etiam leviter calefieri.

Secundò, globulos ex motu, qui cum sit celerrimus, & velocissimus, calefieri imaginantur, & testem *Aristotelem citant* 2. *de Cœlo cap.* 7. *tex.* 42 & 1. *meteor. tex.* 3. qui ob vehementem motum ferrum calefieri, & plumbum in sagittis liquescere, ac ligna, & lapides igniri scribit, confirmat id experientiâ, cum notum sit lignorum attritu rusticos interdum ignem elicere, & molarum, rotarum axes, nisi pinguedine madeant, ignem concipere. Ad hoc dicimus nullo modo globulos ob celerrimum motum calefieri, nàm ut hoc succedat, duo corpora solida, & dura diu mutuò atteri necesse est, verum globulus licèt sit corpus solidum, aër tamen, per quem excurrit, est fluidum, & sic nullo tenus ex celeritate quantalibet inflammari potest, imò nec calefieri, imò frigefieri ex celerrimo motu, constat id experientiâ; rustici nàmque æstivo tempore in agris, ne vinum calidum bibant, vas vino plenum de fune in arboris ramo suspensum celerrimè hinc indè movent, & vinum refrigeratum bibunt. Ad id, quod scribit *Aristoteles*, nempè ob vehementem motum ferrum calefieri, utique concedimus, si in corpore solido atteratur.

Tertiò etiam, id ipsum in globis istis experientia confirmat, cum sæpe compertum sit à globis istis in pagis straminea tecta flammam concepisse, domosque integras conflagrasse. Dicimus id verum esse, si flamma, quæ cum globo è bombardâ emittitur, tectum tangat, aut si fomes aliquis ignem fovens globo alligetur, quod incendiarii facere solent. A flammâ verò illâ, aut materiâ igniaria si sit, & si globus saltèm stramen tangat, nec id, ut nec lana, nec stupa, nec ipse pulvis pyrius accendi potest,

ut

ut anteà dictum est. Nec hîc illa distinctio valet: Si globus eminus, & è longinquo è bombardâ emittatur, vel partem veste tectam feriat, ambustione, & uredine id vulnus carere: si verò cominus, & in partem nudam vulnus à globo tali infligatur, cum uredine, & ambustione conjunctum vulnus esse posse. Nàm etsi barbam, & capillos, vel etiam vestes flamma illa è pulvere pyrio accenso è sclopeto erumpens, è propinquo lædere possit: tamen non credibile est flammam per exiguum illud vulnus cutis, per quod in corpus penetrat, simul in profundum corporis cum globo erumpere. Nec differentia apparet inter vulnera cominus, & eminus per globos illata, nisi quod à globo è propinquo emisso, qui majori vi fuerit, gravior sit contusio quàm ab eo, qui è longinque venit, & debilius fuerit.

Quarto, & alia, quæ in combustionibus accidere solent, in his vulneribus apparere dicunt, ipsum vulnus nigrescere, vesiculas excitari, acres, tetros, & nigros ichores indè effluere, inflammationem ad nonum usque diem succrescere, & escharam augeri, & hinc minui, quæ omnia sunt pessima ustionis indicia, & effectus.

Verum hæc omnia non ab ambustione, sed à contusione oriuntur, & apparent quoque in aliis vulneribus, in quibus nullum empyreuma, & combustio adest. Neque unquàm vesiculæ visæ sunt, quæ ab igne excitatæ fuêre, & quòd vulnus circa nonum diem melius se habere, & quòd eschara separari incipiat, id non tantum in ambustis, & ubi eschara est, accidit, sed etiam in contusionibus, cum, ut id quod contusum, & corruptum est, in pus mutetur, etiam certum temporis spatium requiratur. Neque id, quod isti in hiscè vulneribus pro escharâ habent, vera eschara est, cum nullo modo ut eschara durum sit, sed caro valdè contusa, quæ statim emoritur, undè & nigra evadit: Interdum tamen etiam à pulveris tormentarii colore, quo glans infecta est, denigratur, vel nigra evadit à sanguine, qui è vulnere effluit, congrumato, & ibi hærente, & constipante, & æger conqueritur de dolore gravativo, non autem de uredine, & ardore, ut vulgus ineptè putat.

Signa.

Vulnerum sclopetum signa tradere non est opus, cum satis sit scire aliquem à globulo sclopeto emisso vulneratum esse. Partes vulneratæ vel stylo immisso explorantur, vel è partium situ ex anatomiâ noto cognoscuntur, & partes nervosæ læsæ dolore patescunt. Præterea vulnera à sclopeto inflicta apparent ab initio livida, nigra, & sæpè flava, & æger conqueritur de dolore gravativo. An venenatum sit vulnus, ex supervenientibus cognoscitur, quorum nulla alia causa adest, à qua talia proficisci possunt. E vulnere parum sanguinis effluit, & post ictum vulnus contrahitur, ut vix turunda intrudatur, ad quod facit sanguis congrumatus ibi hærens.

Causa.

Causa.

Causa est glans plumbea; mediata, sive efficiens est pulvis tormentarius igne accensus, & causa remota est sclopetum.

Prognosis.

Sclopetorum vulnera, quia summam spirituum, & sanguinis perturbationem inferunt, & semper aliquid de ipsâ substantiâ aufertur, ac perpetuò composita sunt; vix enim transit pila plumbea cutem, ut non nervos, tendines, fibras, atque cum insigni contusione varios lædat tubulos; longè periculosiora sunt, quàm ea, quæ gladio, vel telo infliguntur. Ideòque ex vulneribus gladiò, vel telo inflictis multi persanantur, putà ventriculi, intestinorum, vesicæ; ex iis verò sclopeto illatis rarò quis convalescit. Estò hæc vulnera vulneribus gladio inflictis longè periculosiora sint, tamen ægrum sine auxiliis relinquere non licet, & satius est malo remediis succurrere, quàm iis omissis ægrum mori sinere; cum & hic natura sæpe miranda quasi facere soleat, & eos, qui jàm sepulturæ tradendi videbantur, convaluisse observatum sit, ut plures extant historiæ.

Vulnera ejusmodi cum ossis fractura periculosiora sunt, & curatu difficiliora, sive non tàm periculosa. Quæ ad partes interiores penetrant, sive quæ nobiliores sunt, sive partes principis in consensum trahere possunt, estò sint parva, nihilominus ægrum interimunt. Hæc vulnera, si corpus cacochymum apprehendant, multum periculosiora sunt, quàm quæ corpus sanum. Quæ insignem penetrant cavitatem, ut caput, pectus, & ventrem, periculosiora sunt, quàm si partem carnosam transirent. Hæc vulnera, si à pilâ venenatâ infliguntur, valdè pernicioſa sunt, & ut plurimum lethalia: præsertim si ad partes interiores penetrent, & esto sint parua, vulneratum perimunt.

Curatio.

In vulnerum sclopetorum curatione magnâ sedulitate primò observetur, in quânam corporis partem globus intraverit, & an penitus pervadendo ex opposito latere rursus eruperit, vel etiamnum intus lateat, & ubinam, quàmquè profundè. Hinc prima globulos extrahendi indicatio emergit, & si vulnus non satis amplum sit, id cultello incisorio magis dilatandum est, partim ut materiæ effluxus concedatur, partim ut, si adfuerint vestium fimbriæ, vel ossis festucæ, vel globuli eximantur felicius. Tunc patiens in illo situ locari debet, quo vulnus accepit, alias fibræ distorqueri possunt, & indè maximus oboritur dolor. Digiti sæpè melius instrumentum sunt ad res extraneas eximendas, & si globus nimis profundè delitescat, incisio non profunda facienda est, sed volsellis, aut tenaculis, aut forpice denticulata, nostro corvino, aut terebellis, aliisque similibus eximatur, nisi in osse sit infixus; quòd

quòd si reperiri nequeat, totum opus suppurantibus, vel naturæ committitur, quæ, exacto aliquo temporis spatio, ejusmodi latentes in profundo sine noxâ gestatos globulos plumbeos spontè plerumque propellere solet, quod in ferreis, aut æneis non succedit, qui cum rubiginem, vel æruginem contrahant, vulnus sanari permittunt. Interim autem multa in vulnere specilli circumactio, profundaque incisio ad obtinendum globulum omittenda, & fugienda est, tanquàm naturæ hostilis, & valdè dolorosa, ex qua nihil boni expectari posset. Globuli extractio primâd e fiat, qua quis ictus fuerit, tum quia globulus tunc specillo tangi potest, tum quia commodius, & facilius fit, cum adhuc membrum calidum sit, & minor doloris sensus accitur, quàm cum ab aere alteratum, & refrigeratum fuerit. Si verò in aliquâ parte nobili, vel quæ nobilem in consensum trahere possit, globulus hæreat, & ex vulnere per se de vulnerati vitâ periclitari videatur, chirurgus globuli extractionem tentare non debet.

Non tantum instrumentis globuli eximi possunt, verum etiam potionibus vulnerariis expulsivis egregiè è corpore hærentes expelli deprehenduntur, & imprimis sequens potio in globulorum, & grandinum expulsione decantata est, quæ aliâs ob exiguitatem extrâhi vix possunt, cùm post earum explosionem foraminula carnis vix iterùm coalescant, quæ ità fit.

℞. *Brassicæ rubr. non capitatæ m.* ij.
Artemisiæ rubræ,
Saniculæ,
Consolidæ saracen.
Alchimillæ,
Sedi majoris,
Sabinæ,
Quæ in umbrâ, & aurâ liberâ siccentur, & simul in pulverem terantur.
℞. *Hujus pulv probè misti m.* ij. *vel* iij.
Superfunde vini alb. lib. iv.
Coque in ollâ novâ lutatâ ad sufficientiam, de colaturâ manè, & vesperi ʒ. iv. vel v. bibantur, tùm etiam vulnus eodem decocto eluatur, & sequens emplastrum superponere:
℞. *Terebinth.* ʒ. ij.
Gummi elemi ʒ. j.
Colophoniæ,
Ceræ flavæ ana ʒ. ß.
Sacch. Saturni,
Minii,
Sang. draconis ana ʒ. iij.
Styracis liquidæ,
Magnetis prap. ana ʒ. ij.
Crocei Martis ʒ. ß.
Aristoloch. rotund.
Mumiæ ana ʒ. j.
Aloës hepaticæ,
Alum. usti ana ʒ. ß.
Pulverisentur pulverisanda, & primò liquescat cera, ac tùm reliqua successivè immiscendo coagitentur, addendo quoque
Balsami sulph. ʒ. ij.
& ad justam emplastri consistentiam percoquantur, cujus parum pro vice subcalescere sinitur, linteoque inductum hisce, & aliis vulneribus superimponitur. Postquàm illud, quod expulsum volumus, fit eductum, statim talis potio omittatur, alias nihil boni operatura esset, alias tamen minor potus vulnerarius

nerarius à nobis descriptus in proprio capite adhuc aliquandiu continuari poterit, donec nimirum vulnus sanescere videatur, & tunc ejusmodi potus cesset.

Extracto globulo, vulgares chirurgi stupam cum ovi albumine conquassato vulneri applicant, & sta im, ne fluxio ad partem affectam ruat, phlebotomiam instituunt, si possibile sit, à primâ vulneris die, nisi sit nuper à cibo; nàm eò tunc est expectanda cibi assumpti digestio. Eam venam secant, quæ affectæ parti directè opposita est: ut vulnere in capite existente, ex cephalicâ, si ea haberi non possit, ex mediâ, si hæc neque inveniatur; ex basilicâ. Quæ sanguinis quantitas educenda sit, certò perfiniri in unoquoque non potest, verum si copiosam sanguinis evacuationem vulneratus ferre non possit, digito venæ sectæ osculum occludunt, & per aliquod temporis spatium, putà per vigesimam horæ partem sic detinent, deindè digito amoto, parum sanguinis educunt, unciam putà, vel semiunciam; & iterum occludunt, & sic per vices reiterant. Nàm inquiunt hoc secandæ venæ genus retrahere plurimum à parte affectâ cum minimâ sanguinis eductione. Et eodem die præmissâ tamen phlebotomiâ diversivâ, qua per vices exiguam sanguinis quantitatem educunt, purgationem instituunt, quòd si utrumque eodem die perficere non possunt, eam in diem sequentem, vel tertium, vel quartum, vel subsequentes differunt, quam conferre dicunt duabus de causis, nempè propter morbi magnitudinem, & vitiosi succi redundantiam. Perpurgans enim medicamentum biliosos, tenues, ac serosos humores expurgant, qui ad vulneratam partem facilè confluere possunt, & si per tempus licebit syrupos alterantes *ex imbo, succo boraginis, infus. ros. bugloss. cum decoctione betonicæ, sonchi, portulacæ, valerianæ*, & similium propinant; post quorum exhibitionem leniente aliquo medicamento corpus deplent, nempè *syrupo ros. solut. elect. de succ. ros. aliquâ rhabarbari portione in sero lactis infusi, syr. de novem infus. ros. rub.* & hujusmodi. Cæterum has nænias *cap.* 18. *de Vulneratorum phlebotomiâ, & medicamento purgante* refutavimus.

Deindè si sanguis è vulnere effluit, omni conatu ejus profluvium sistunt; est enim sanguis vitæ balsamus, quo deficiente, vitam ipsam deficere necesse est; verum sanguis in hujusmodi vulneribus semper per digressim effluit, idest ob arteriarum, & venarum laceratione.

Postmodum ad internum pulveris pyrii ardorem restinguendum oleis refrigerantibus utuntur, sed incassum, imò majori noxâ; in tali enim ardore non modò refrigerant, verum etiam ceu ignis pabulum ipsa incenduntur, & ardorem augent.

Ad dolorem demulcendum, qui perpetuò in principio, & progressu adest, ea commendant præsidia, quæ doloris causam tollunt, ita sunt intemperies, continui solutio, partium nervosarum læsio, laceratio,

tio, extraneum in vulnere relictum &c. Dolorem leniunt anodynis, *ut oleo florum verbasci, amygdalarum dulcium, chamæmelino, sem. lini, lumbricorum, pinguedine humanâ, adipe vitulino, cataplasmate de maluis decoctis, ac tenuissimè tritis, meliloto, additis farinis sem. lini, fœnugræci &c.*

Tandem id, quod contusum est, in pus mutant, & à carne sanâ eximunt digestivi ope, quod *ex terebinthinâ, ovi luteo, & oleo rosaceo* componunt. Verum hic Locum non habet, cum contusæ partes facilè putredinem concipiant, & gangræna periculum imminet, & præcipuè si partes nervosæ contusæ sint, ejusmodi humida, & simpliciter oleosa, & pinguia non tolerant, ac sicciora requirunt: sed talia usurpanda, quæ quidem carnes contusas in pus mutant, putredinem non inducunt, & simul dolorem leniunt. Quidam, ut incommoda, quæ ex vulgaris digestivi usu succedere solent, præcaveant, *digestivi singulis unciis mercurii præcipitati drachmam unam* addunt. Verum magnâ cautione opus est, ne quid temerè agatur, ubi enim putredo præsens est, & gangræna præ foribus adest, utique mercurium præcipitatum admiscendum censemus, attamen is in quocumque sclopetorum vulnere non est necessarius, nec semper tutus, cùm experientiâ constet talia vulnera sine mercurii miscelâ curari, & esse alia medicamenta tutiora, quæ putredinem inhibere possunt, imò in locis nervosis vulneratis facilè mercurius præcipitatus insignem dolorem excitare potest. Vulgari digestivo penicillos, vel turundas illinium, & in vulnus intrudunt, verum non nimis crassæ esse debent, ne affectam partem extendant, & excrementorum, quæ per vulnus educi debent, exitus intercipiatur, & necrosi, vel aliis pravis symptomatibus detur occasio; nec nimis longæ, ne pungant, nec nimis duræ, & asperæ, ne lacerent, ac dolorem inferant, undè primis diebus tantæ sint longitudinis, & crassitudinis, ut vulnus ne claudatur, prohibeant, & unà commodè pus exire possit.

Si globulus aliquod membrum totum penetravit, ità ut vulnus utràque parte pateat, medicamenta per setonem, vel setaceum ex lino, vel serico paratum adhibent, & quoties detergunt, hinc inde setonem illum trahendo movent, & novo medicamento illinunt. Verùm à setonum usu prorsus abstinendum censemus, imò horum usus à recentium chirurgorum aulâ recessit, nàm puri exitus præcluditur, & dolores, ac inflammationes excitantur, præstat ità que turundas utrinque immittere. Addimus & nos, quòd hoc præsidii genus summâ cum molestiâ gestatur, quia perpetuò ipsius vulneris labia lædit, nec medicamentum per totum vulnus deferre potest. Atque ità procedunt in his vulneribus, donec pus aliquo modo laudabile apparere incipiat.

In principio vulnus semel in die ligant, cum vix aliquod detur, quod evacuari necessarium sit. Ubi verò pus fluere incipit, bis in die

ligant ; & cum ea copia fluit, ut nisi sæpius evacuetur, ergo molestiam, & dolorem pariat, etiam ter in die vulnus aperiunt, & à pure mundant. Ubi rursus ejus copia minui incipit, bis in die vulnus detergunt. Et postremò ubi ejus exigua copia fluit, & vulnus incarnari incipit, semel, in die, ut initio, vulnus detergunt, & ligant.

Quòd si intereà vulnus sordidum reddatur, ut in corporibus cacochymis sæpè fieri assolet, ad abstergentia confugiunt, & ea mitiora, vel fortiora præscribunt, prout major, vel minor puris copia fluit, & vulnus vel purius, vel sordidius est ; adhibent *pulverem aluminis roccæ usti, mercurii præcipitati, tutiæ præparatæ, & mel rosaceum cum farinâ hordei mistum.* Si in putredinem abire videatur, tunc à suppurantibus abstinent, & iis utuntur præsidiis, quæ putredini resistunt, & sequens conficiunt *ex agrimoniâ, centaurio minori in vino decoctis, cujus colaturæ addunt succum apii, plantaginis, mel rosaceum, & cum farinâ hordei ; croco, unguento Aegyptiaco, & terebinthinâ mediocris consistentiæ unguentum formant* His peractis, si vulnus in melius abit tandèm unguentis incarnantibus, & cicatrizantibus utuntur.

In sclopetorum vulneribus juxta nostram sententiam curatio procedit, extraneis, & globo extractis, siqua sint, ac sanguinis fluxu sedato, si vulneris ardor, seu dolor gravativus propter pulverem pyrium affectam partem ex rutiet, restingui debet *nitro per aquam rosarum clarificato, & in crystalles redacto.* Quòd si talis nitri præparatio non sit ad manus, restinctio à pulvere pyrio mendicetur, ut

℞. *Pulu pyrii* ℥ij.

decoquantur in aquæ fontanæ haustu, tunc enim nitrum, quod clarificatum ad hujus pulveris compositionem ingreditur, coquendo in aquâ soluitur, & uno haustu ebibatur, & per tres vices reitera. Exterius ad vulneris ardorem restinguendum optima sunt *alkalia*, hæc nàmque omnem aciditatem extingunt ; cum aciditas corruptiva vulneri insit, hoc aciditatis extinctivum paratur ex calce vivâ, ut

℞. *calcem vivam recentem, eam in aquâ fontanâ extingue, & unâ, vel alterâ ebullitione simul coque, deindè aquam cola, & in eâ æqualem mellis partem coque, & despuma, donec mel iterum suam puriorem consistentiam obtineat, tunc*

℞ *Huius mellis* ℥. ij.
Cremoris lactis ℥. ij. ß.
Oculor. cancr pulverisat. ℥ij.
M. f. linimentum.

Hoc mollioribus turundis excipiatur, quæ utrique foramini, si totalis trajectio ab uno latere ingrediendo, & altero rursus egrediendo, imponantur, exactis tribus, vel quatuor horis cum recenti linimento repetendo.

Si magna sit contusio, omne contusum, quia succi ex canaliculis disruptis effusi fermentari debent, quo facto pus subsequitur, maturandum est, id quod tardè fit : nàm sclopetorum vulnera vix ante tertium, vel quartum diem suppurari solent, ob id sufficit, si

inter

inter hoc tempus singulis viginti-quatuor horis semel deligentur, ea propter suppurantia, ut digestiva tunc conveniunt, & ante omnia, quod contusum est *vini spiritu* abluatur, *& digestivo* regatur, cui semper *vini spiritûs, & balsami Peruviani* aliquantulum est addendum, ne labia vulneris contusa ad gangrænam ruant. Hinc turundæ, quibus illiniuntur unguenta digestiva, & suppurantia, prius immergantur in vini spiritum, & deinde digestivo illinantur; In primis enim quoniam digestiva non æquè semper partibus nervosis conveniunt, ea propter optimè additur, qui omnem noxam metuendam corrigit. *Ambrosius Pereus* digestivi communis loco ad vulnerum sclopetorum curationem commendat balsamum, seu *oleum ex tenellis catellis* paratum, cujus hæc est compositio:

℞. *Duos catellos:*

(præstat autem, si nigro colore fuerint *)* *recèns natos, qui scilicet ante tertium diem in lucem editi sint. Hinc hi in ollâ fictili claudantur, atque*

Ol Cilior. albor vel.

Violarum lib. iv.

Superiniiciantur, deindè subjectis prunis, fervere leniter incipiat oleum, olla sit benè cooperta, & ignis continuetur, donec catellorum carnes, & pellis omninò decocta fuerint, etiam ad ossium dissolutionem, advertendum tamen, ut leni igne opus exsequatur: postèà adde.

Lumbric. terrestr. in vino lotor. lib. j.

Coquantur simul, & coletur per manicam Hippocratis, colaturæ adde

Terebinthinæ venetæ ℥. iij.

Spiritûs vini ℥ j. ß.

F. linimentum,

Quod mirificè conducit ad sedandum dolorem, & maturanda sclopetorum vulnera cum turundis applicatum.

Postquàm per hæc, & similia suppuratum est vulnus, & omne contusum separatum, applicandum est mundificativum sequens, vel quodcumque aliud, ut

℞. *Terebinth. Venet.* ℥. v.

Ol. ros. ℥. j.

Mell. ros. colat. ℥. iij.

Myrrhæ,

Aloës,

Mastich.

Aristoloch. rotundæ ana ℥. j.

Farinæ hord. ℥. iij.

F. linimentum.

Impregnandum, & irrorandum nonnihil cum spiritu vini. Hoc ipso mundificandum est vulnus suppuratum, donec spontè caro nova succrescat. Quòd si in suppuratione, aut subsequente mundificatione putredo, ac corruptio adsit insignior, supradictis remediis *nonnihil de mercurio præcipitato, quantùm fieri potest, spiritu vini correpto, commodè addi potest*, & id præcipuè ubi partes nervosæ fuerint læsæ, vel affectæ.

Verùm nos sclopetorum vulnera cum magnâ contusione, spretis suppurantibus, & digestivis, curamus *solâ aquâ Regina Hungariæ*, nullo subsequente pure. Si vulnus penetrans sit, vel ejus totalis trajectio ab uno latere ad aliud, abluatur *aquâ ejusdem Reginæ, & cum turundis in eandem aquam, vel in balsamum proprietatis immersis*, curatio-

nem peragimus, *vel spiritu vini cum spiritu terebinthinæ misto, vel spiritu vini cum balsamo Peruviano, vel balsamo artificiali &c.* Interim non desint *potiones vulnerariæ cum stibio diaphoretico, vel balsamo Peruviano, vel oculis cancrorum, vel sanguine hircino, vel mumiâ. &c.*

Cap. XXIX.

De Vulneribus ex venenato morsu inflictis.

NOn uno gravamur malo, nec morborum infortunia solummodò vitam nostram impendent; sunt quippè & alia graviora, quibus non rarò calamitosius affligimur: ità ut nihil ex omni parte contingat, passimque majora pericula nos expectare videantur. Qui febre corripiuntur, doloribus cruciantur, aliove morborum genere affliguntur, & si quandoque in magno vitæ discrimine versentur, attamen minimè iis comparandi, qui aspide, viperâ, scorpione, similique virulento animali vulnerati potentissimo horum veneno inficiuntur, siquidem morbos vel temperato victu, rectâque vivendi normâ præcavere, vel jàm instantes provido sapientum consilio præcidere, ni per incuriam, inscitiamque in deterius labi prono overique velimus, faciè possumus; at non itidèm venenatos illorum morsus effugere sæpissimè accidit, quandoquidèm nos inculpabiliter incautos adoriuntur, ità ut ab hisce in tuto non sumus, sive proprio in agro versemur, sive in prato immoremur, sive in aprico, molli in herbâ, virentique cespite consideamus, tandèm nec vel intra proprios lares securi vivimus, in quibus non rarò scorpius latere solet, nosque ignorantes pungit. Undè *Virg. Georg.* 3. inquit.

Sapè sub immotis præsepibus, aut mala tectis.
Vipera delituit.

Nec de tanto malo nos cogitare possumus, nisi potens veneni vis vario symptomatum genere nos moneat, quæ in horis crescit, majoresque semper vitæ lumini noctes offundens, quousque ad interitum perducat. Insistendum ità-que in præsentiarum huic malo duximus exactissimâ methodo in singula, quæ à tanto summo discrimine vitam relevare possunt, advertentes.

Signa.

Venenatorum animalium morsus signa ex ægri relatione patent: è vulnere parvo sanguis emanat purus, deindè dolor lancinans, qui sensim accrescit, & subitaneo tumore pars ità insurgit horrendam in magnitudinem, & in luridum, nigrumque tendit colorem, qui ex rubro flavescit, virescit, & deindè nigrescit. In parte læsa uredo æstuans, deindè toti corpori communicatur, & pustulæ in ipsâmet excitantur parte. Succedit inappetentia, bilioси vomitus, singultus, virium lapsus, vertigines, mentis stupor, tremores, lipothimia, syncope, spirandi difficul-

ficultates, pulsus parvi, profundus sopor &c.

Causa.

Horum animalium vulnera dicunt vulgares esse venenata, quia eorum licèt motsus sit exiguus, est tamen lethalis, & hoc propter animalium venenositatem, & ità vitiosum committunt circulum, à quo ut declinarent, vim inesse ipsis peculiarem, toto genere præter naturam, & uno verbo occultam dicunt. Sed hoc ipso fatentur se ignorare istam vim venenosam, quia ipsis est occulta, quod nàmque occultum est, hoc ignoramus, & ita sciunt, quod nesciunt.

Alii, quorum medicina est caloris, & frigoris dogma, relictis qualitatibus occultis, ad manifestas recurrunt, dicuntque hoc animalium virus frigiditate suâ agere.

Alii verò utroque modo simul agere, nempè qualitate elementari, & propriâ formâ, quam specificam vocant.

Alii tandèm qualitatum tàm manifestarum, quàm occultarum insufficientiam meditantes, Aristotelis & Galeni præjudicis exuti, in Epicureas, Democrateasque atomos impingerunt, & tali, vel tali particularum, seu corpusculorum dentes constituentium positui veneni actionem refundunt. Quæ sententiæ, an ad veritatis scopum colliment, non tantum sapientibus, sed etiam insipientibus exponendas relinquimus, & interim in tanto opinionum conflictu ad nostram stabiliendam accedemus.

Verum nos prò nostrâ sententiâ adduci non possumus, ut credamus viperam, cum tota bezoardica, & alexiteria sit, venenatam esse, cum multorum morborum myriadibus insigniter prodesse experiamur; Vinum enim in quo vipera suffocata fuerit, ad elephantiasim Græcorum, seu lepram Arabum præsentissimum est alexipharmacum, teste Galeno. Et musto, in quo similiter extincta vipera, spontaneo nisu, talis æger non tantum perfectè curatus, sed præterea quoque omninò in juventutem quasi restitutus fuerit, exutis vinibus, unguibus, & pelle, hisque omninò renovatis, refert *Aretæus.* Et mulieres nobiles Brittannicæ vinum, in quo viperæ suffocatæ sunt, quasi interno cosmetico ad corporis, vultusque pulchritudinem, & universæ cutis formositatem comparandam, absque ullâ noxâ, & sanitatis detrimento bibunt, teste *Zuvelfero*, & id nobis multi Brittannici retulerunt. Jura viperarum consumpta nonnè consumptos, & hecticos pristinæ sanitati restituunt? Imò in omnibus febribus malignis in jure pullorum consumpto nos viperam concoqui jubemus felici cum eventu. Nos *Castrovillarii in nostrâ Patriâ* cum immoraremur, in Antonii forte pharmacopolio quosdam viperas in veru assas anguillarum more multoties magno cum palati oblectamento comedisse observavimus. Actum esset de alexipharmacâ theriaces virtute, nisi in suâ compositione viperæ pulveres, vel ejus loco de viperâ trochiscos admitteret,

ret, qui ejus basis, & fundamentum sunt. Quis unquàm satis extollere potest bezoardicum animale, quod ex solis viperarum cordibus, & hepatibus conficitur? Quis salia viperarum volatilia, seu theriacalia? Quis essentiam viperinam alexipharmacam commendare poterit? Ex tot, tantisque viperæ dotibus, quis eam venenatam esse credere poterit? Et tamen inter venenosorum reptilium genus primas obtinet vipera, & animal in totum pernicioſissimum, & venenatissimum in morsu est, sub alexitheriâ ejus virtute quantum malignitatis lateat, nos miserandorum ex ejus vulnere superventientium procella, & imminens vitæ periculum virulentiam admonet. Cœterùm meditari non possumus, cur in Viperâ sit perniciosum virus, & rursùs in eodem subjecto tàm salutare pharmacum?

Tandèm eò devenit intricata difficultas, ut nonnulli authores recentiores dixerint, quia vera veneni viperini cognitio eos latuit, non totam viperam esse venenatam, sed tantùm quosdam ejus partes, inter quas recensent caudam, caput spolium, & interanea, hæc nàmque eximi fatentur, quia veneni receptacula sunt; non autem quia venenata eximuntur, sed quia excarnia, & inutilia sunt.

Quidam cordati authores considerantes viperas morsu venerare, & perimere, venenum dentibus attribuerunt, & reverà dentibus mordent, & si dentes illos falcatos eruas, imposterùm earum morsus non profundè penetrare, nec majusculos nervos sauciare valet, quia reliqui dentes obtusiores, breviores, & minutiores sunt, ac solummodò, aut maximâ & parte saltem epidermidem lædunt, ac proindè non æquè exitialis existit. Hanc artem probè callent circumferanei, qui spectatoribus egregiè imponentes, viperis dentes illos falcatos eruunt, deindè in saccum viperis plenum ingrediuntur nudi, & suas carnes unguibus lacerant, non aliter ac à viperis demorsi sint. Hinc statuerunt dentes esse venenatos, & venenositatem in dentium acumine, sive cuspide acutissimâ, tali, & tali corpusculorum positu, & conformatione sitam esse planè sibi persuadent, hac apparenti ratione ducti, quòd quidam acùs, vel alterius instrumenti cuspidati acumine icti miserè posteram vitæ periodum complevêre tot malignis symptomatibus, non secus ac viperæ dentibus fuissent demorsi. Verùm magnum discrimen est inter ictus venenatos, & pernicioſos, sive malignos. Verumenimverò dentes viperinos venenatos esse propter talem conformationem equidèm repudiamus, nam etiam post mortem lædere possent ex se, & venenatâ vi, quod falsum experimento deprehendimus, defixo viperæ mortuæ dente intra galli cristam, & deindè nos audaciores redditi intra nostram carnem alio adacto ad sanguinis effusionem, nulla veneni actio in priori experimento, nec in posteriori impertita fuit, preter exiguum, & simplex vulnus

punctim

Unable to display this page

men abest, ut venena colligant, ut potiùs efficacissima exhibeant alexipharmaca: hinc *Theophrasti arcanum ad quævis veneni genera* notissimum est, ut videre est apud *Crollium in suâ Basilicâ chymica p. m.* 413.

Quod se viperâ diximus, de aliis animantibus vulgò toxicatis dicendum sentimus, ut de aspide, scorpione, araneâ, bufone, & cæteris, nàm nos quendam hæc animalia venenata viva dilacerata, ut scorpios, bufones, araneas, aspides &c. sine salutis noxâ vorasse observavimus, & passim apud authores de his animalibus innocuè deglutitis innumeræ extant historiæ, quas si forsan recensere vellemus, deficeret prorsùs pagina.

Aliorum trutinatis opinamentis de horum animalium veneno, pro nostrâ sententiâ duplicem de his considerationem facimus, vel prout vivunt, vel ut mortua sint, viva omni veneni suspicione carere demonstravimus, & mortua in saluberrimas transire medicinas, quæ vix in aliâ creaturâ reperiuntur. Hinc ut iterum primò de viperâ dicamus, falsum comperimus ex viperâ revera mortuâ venenum noxam cuidam inflictam esse, juxta illud vulgare adagium: *Eneca bestiam, & liber eris ab ejus veneno.* Italicè: *Morta la bestia, morto il veneno.* Imò nec pulli gallinacei à viperâ demorsi, enecati, & esitati, posteà lethales non sunt, sed quartanam, medicorum opprobrium, feliciter profligant, si credere dignum est. Mittimus adnotata exempla, & aliquot adnotare libet, omissis jurium viperarum consumptorum dotibus, quas vires habeat per retortam artificiosè propulsus spiritus cum sale volatili ad febres malignas, & pestilentes, insultus epilepticos, scabies leprosas, aliosque malignos affectus, quotidiana clamat experientia, & spiritus omne, quod agit, salis volatilis ratione agit, quod salis theriacalis veterum decantatas superat vires, & encomia. Hoc sal volatile in viperis est verus earum balsamus reconditus, qui totius corporis œconomiam renovat, fermenta viscerum effecta jàm revocat, & sanguinis vitalem fermentationem fortiter conservat, & masculè restaurat: hinc est, quod ex viperino vino elegans sequitur reiuvenescentia, ex brodio decoctionis viperarum mulier leprosa quadragenaria, id testante *Helideo Paduano*, sterilis anteà, post curatam lepram facta fuit fœcunda, non secus ac galli, gallinæque viperis nutritiæ, docente *Zuelfero in animadversionibus in pharmacopœam Augustanam cl. ff.* 12. *p. m.* 215. admodum fiant fœcundæ, quæ animalcula postmodum viperinas vires possidentia, esù ad eadem conferunt mala, ac ipsæ viperæ, in specie ad elephantiasim, & ipsi cognata mala, scabiem fœdam, luem veneream &c. tum ad fœcunditatem, juventutem conservandam, senectutem retardandam, vitæ productionem, corporis nitorem, & oculorum claritatem conciliandam. Intestina exsiccata, & in pulverem redacta ad omnis

gene-

generis affectus epidemicos majorum, vel minorum animalium, præcipuè ovium, & equorum, commendat *Hartmar.* Hepata viperina pulverisata sanè præsentissimum sunt remedium in Dysenteriis, in primis epidemicè grassantibus. Fellis viperini exsiccati granum unum ab omnibus venenis liberare dicit *Borellus.* Ex viperæ spinis pulvis paratus, aut magisterium ad eosdem usus medicos prodest, ad quos caro, & tandèm nec caudam reformare debemus, nàm ejus nudo contactu adontalgia tolli dicitur. Filum rubrum setaceum, quo strangulata fuit vipera, si collo circumdatur, anginâ laborantes eandem curare dicitur propter strangulationis, & suffocationis ideam, si verum est. Caput viperæ appensum ad febrium arcendos paraxysmos commendatur. Axungia viperina convenit vetulis pro delendis faciei rugis.

Reliqua animalia venenata mortua etiam innoxiè tractantur, & intra corpus assumpta, vel extra applicata multos, & graves profligant languores. Hoc in bufone experimur, quod animal est veneno plenum, & esto dentibus careat, tamen compressa scabris gingivis particula, & subindè per dilacerata cutis spiracula ingressa saliva, demorsos venenat, imò dum acutissimo perfoditur palo (ità interfici solet à rusticis, tegitur nàmque crassâ, tenalique cute) in tumorem ità se contrahit, ut venenum per urinam longius ejaculetur in plantas, & circumstantes quadrupedes; undè mirari non licet, si nonnunquàm repente homines interimat, qui fraga, fungos, aliasque plantas hujus veneno infectas inscii devorârunt. Quippè quòd non modò veneni mictu hæc omnia inficit, sed etiam salivâ ea sæpius conspuit, quæ sanè non minus mortifera est, quàm Napellus. Et estò bufo sit animal venenatum, mortiferum, & toxicatum, non proindè medicas non habet opes: Internè bufonum sal ex eorum cineribus calcinatis extractum à ʒ. ß. ad ʒ j. pondere in aquâ cardui benedicti usurpatum, ad omnem pestem è sanguinis massâ eliminandam, eamque ab omnibus venenis vincendam mirificè commendat *Petrus Iohannes faber Panchymici lib. v. & ultimo cap. 8. pag. 631. Et Myrothecii spagyrici lib. 1. cap. 24. de essentiâ bufonum p. 526.* inquit: *De sale verò nullo pacto dubitandum est, quin theriaca summa sit, & mirum alexipharmacum? ignis n. omnia consumpsit præter salem vitæ, qui nunquàm est venenum, sed vitæ fomes, & propugnaculum, ac ubi posuit natura mortem, ibi etiam vitam collocavit, ut morti mederetur. Vires verò hujus laudatissimi salis sunt contra omnia venena, tùm assumpta per potionem, tùm per aërem illata: Undè pestis est summum alexipharmacum, bubones etiam, & carbunculos pestilentes mirabiliter exteriùs illitos curat, & sanat, eorumque malignitatem reprimit, & cancros tutissimè curat.* Pulvis exsiccati bufonis ad ʒ ß. dat experimentum ad hydropesèos aquas educendas certissimum, cujus experientia prima casu facta est, & hic

bufonum pulvis fuit *secretum Kyperi* in curâ hydropis ascitis, qui ità paratur:

℞. *Bufones*, *abscinde capita, & exime intestina, exsiccata in umbrâ, & in pulverem subtilissimum redige, de quo pulvere gr.* x. *vel* xv. *totidem sacchari patienti propina*, mirabilem exindè admiraberis effectum. Dari potest tribus, vel quatuor vicibus, ità tamen, ut tres, vel quatuor dies post assumptionem unâ vice intercedant, potens est enim remedium. Vel hos bufones in fumo exsicca, & in pulverem impalpabilem redige. Externè bubonibus pestilentibus optimè applicantur bufones, & omne extrahunt virus, & ægrum curant. Osticulum brachii bufonis applicatum externè odontalgiam curat, neque id mirum, nàm catholicum anodynum in bufone latet. Paramus nos *oleum bufonum*, cujus confectionem alibi tradidimus, quod ad strumarum, & tineæ curationem utramque absoluit paginam.

Descendimus ad scorpionem, cujus aculeum in caudæ extremitate eminentem letiferum vulnus in regionibus calidis ob veneni pernicioſam vim inferre sat notum est, dum vivit, sed mortuus nullam veneni vim imprimit, & vivens, abscissâ caudâ, sine veneni labe vulnerat, non proindè medicâ caret ope; abundat nàmque copioso sale acri, undè scorpionum pulvis potenter urinam ciet, deindè egregiè abstergit, & promovet in renibus sabulum, & in vesicâ calculum, & remoratam ab eo exturbat urinam, rarò tamen internè usurpatur, sed potius oleum tàm simplex, quàm compositum. Simplex inungitur renum regioni pro expellendo calculo, pubis, vel vesicæ regioni pro ciendâ vinâ suppressâ, sive cum dialthææ, unguento sive cum cataplasmate ex cæpis, sive parietariâ, silere, petroselino &c. In aurium dolore est planè singulare, si *olei scrop.* ʒ. j. *misceatur cum olei amygdal. dulc.* ʒ. ß. quæ incalescant, & unâ, vel altera gutta dolenti auri instillentur. Oleum scorpionum compositum est alexipharmacum præstans, quod authore *Matthiolo*, in affectibus malignis usu externo commendatur, in peste pro pulsuum illinitione, in bubonibus pro malaxandis emplastris, vel unguentis. Cum *oleo vitri, & camphoræ mistum dat balsamum anti-pestilentiale*, quod applicatur pulsibus, temporibus, & aliis locis aeri expositis. Efficax est in morbis contagiosis, pestilentibus, febribus malignis, petechialibus, pulsibus, cordis regioni, & spinæ dorsi inunctum, repetitis vicibus. Venenatorum animalium morsibus medicina est, venenis oretenus assumptis adversatur, aliquot guttularum dosi propinatum.

Devenimus tandèm ad araneas, omnia enim animalia venenata recensere velle magnum expostularet volumen; sunt araneæ venenatæ, & ad aliorum venenatorum animalium modum, tum etiam morsu, vel ictu per vulnusculum tàm exiguum, ut oculorum aciem effugiat, venenum in corpus infundunt,

dunt, sicut etiam liquores, in quos incidunt, venenoso inquinant contagio, non contemnendis symptomatibus, sed non omnes venenatæ sunt, nàm nos duos observavimus pueros circa nostrum palatium, & alias ædes ventes, & comedentes araneas telarias absque ullâ incolumitatis noxâ; non adeò tamen venenatæ sunt, quin venenis non resistant. Ex araneis enim fit oleum simplex per aranearum infusionem, ut etiam compositum. Hoc aranearum oleum pro malexandis emplastris, & unguentis applicandis anthracibus, & bubonibus pestilentibus adhibetur. Similiter hoc oleum pro pulsuum, & regionis cordis inunctione in febribus petechialibus, & pestilentibus, ac in ipsâ peste usitatum est, sive solum, sive cum oleo scorpionum Matthioli. Insuper ad curandas febres intermittentes variis modis araneam commendant, quidam ejus oleum, vel solam, vel cum aliis araneam metacarpi pulsibus applicant; alii vivam nucis putaminibus includunt, & de collo suspendunt, imprimis in febribus quartanis & expertus est ejus usus. Ex araneis, ceu basi, & fundamento componitur decantatum *Strobelgeri emplastrum* contra quartanas. Aranearum telæ sunt commune mulierum experimentum pro glutinandis vulneribus recentibus, quas cum micâ panis benè masticatâ permiscent, & applicant.

His ità perpensis, optimèque trutinatis, adhuc supereſt, ubinàm horum animalium virus consistat, idque ulterius inquirendum, & reverà, cum ex dictis pateat horum animalium partes bezoardicas, & alexipharmacas esse, ac morborum myriadibus mederi, & nullibi reperiri venenum, difficilis indaginis est, ubinàm virulentia sita sit, cum ex horum morsu, vel ictu præsentissimam mortem intentari extra dubium est, nisi maturè succurratur.

Cæterum pro virili parte statuit *Helmontius*, *Marcus Marci*, *Emmullerus*, *Zuvelferus*, aliique ex recentioribus nullum animal reverà, & per se esse venenatum, fieri tamen tale per accidens, & hoc modo non venena fieri venena sub tali respectu; undè viperæ, & quorumcumque animalium venenositas tantum in quadam furoris, indignationis, & excandescentis ideâ sita est, & hinc evenit, ut tantum morsus sint venenati, & brevi lethales, cum totius animalis partes post funus sint aliàs medicamentosæ, & saluberrimas offerant medicinas.

Hic quam maximè de iræ naturâ trutinandum est, qua vix validior reperitur affectus, excipe tamen vim amoris. Considerandus est hîc animi impetus, & sanguinis, & humorum reliquorum motus. Animi impetus vehementissimus, & furibundus ex mali maximè infesti præsentiâ concitatur, ad quod amovendum tota insurgit natura, eandemque omni conatu à se expellere tentat; objectum enim odiosum per suam speciem movet animæ vim cognoscentem per sensuum organa operantem, quæ ex

ejus inconvenientiâ,& odiosâ præsentiâ permota abhorret eandem, & amoliri à se conatur,urgẽte hoc, se conservandi omnibus innatâ concupiscentiâ,& hic actus iræ nomine vocari solet: ex hoc ipso horroris actu manciscitur idea amovendi, & propulsandi molestum, quæ non tãtum recipitur in memoriâ, & asservatur, sed etiam in totius corporis partibus fluidis, imprimis sanguini, spiritibus mediantibus confuse, in specie vero membro cuidam, cui molestiam propulsandi munus committitur, distinctè imprimitur, & insculpitur; adeòque in viperis hoc animi impetu permotis, species hæc idealis, ut totius corporis ergastulo, ità in specie ori, ejusque partibus, & maximè dentibus imprimitur percussoribus, simulque liquor salivalis in eorum confinis asservatus, pingitur hac ipsâ furoris impressâ idea.

Considerato animi impetu in vipera irritatâ, & mordicante, pergimus nunc ad humorum motum in tàm furibundâ perturbatione. Hic consistit in impetuosâ sanguinis ebullitione, & effervescentiâ in iracundis omnibus obviâ, veteribus exindè iram, furorem circa cor definientibus, indèque iratus fervere, & totus in fermento esse communiter quidèm, sed appositè dicitur, undè & iram fortitudinis çotem dixêre medici, si non ut duce, sed ut milite eâ quispiã utatur. Hæc sanguinis nimia fermẽtatio ex spirituum impetu variis motibus cordis pulsatile corpus moventibus, & commoventibus oritur, indeque nimia sanguinis Rarefactio, incensio, effervescentia, & ebullitio, ex rarescente imprimis bilis pingui oleosa parte, & salinâ volatili ejus substantiâ in motũ & volatilẽ impetum concitata proficiscitur. Agitatum sic sanguinem similis salivalis sequitur agitatio liquoris, sive n. ex felle, sive ex sanguine, & cerebro derives, proindè est, dum partes ejus spirituosæ, & salinæ volatiles in effervescentiæ motum simililiter rapiuntur: non secus ac homines irati spumare sæpius ore assolent, ex simili salivæ motu.

Hisce consideratis, patet, quid de venenositate morsus vipernni habendum sit, consistit ea partim in ideâ furoris Archei dentibus, & salivæ, sique per morsum parti læsæ, & consequenter reliquis partibus communicatâ, spiritum, seu Archeum corporis similiter perturbante, & in furorem concitante: partim verò in parte salivæ fermentescente, per fistulam dentis in vulnus vibratâ, & beneficio circulationis sanguinis toti massæ communicatâ, & in similem furorem, & impetuosum motum, eandem concitante: in hisce consistit morsus viperini venenum.

Optima quidèm hæc sententia est, & tot, tantisque digna authoribus, & reverà primo intuitu, & primâ facie vera videtur, hanc sectandam animo statueramus, quam nos utique amplecteremur, ut, sed diutinè eam mente trutinavimus, & tot difficultatibus, tricis, implicantiis, & scopulis involutam nacti sumus, quæ nos ità deterrent, & exanimant, ut meliorem frugem reperiamus oportet. Pareite ità-

que

que Helmontii Manes, & vos sectatores per epistolam fideles, nàm veritatem sectamur, non authores. Undè.

Si in solâ viperæ irritatæ, & furoris œstro percitæ ideâ viperinum consisteret virus, nulli, vel ferè pauci venenati morsus in lè emergerent, antequam in ipsâ propulsandi molestiam idea cuderetur; nàm ut furoris ideam conciperet, primò efferveſceret sanguis, & mediantibus spiritibus rarescceret; Secundò, bilis in motum concitaretur; Tertiò ex sanguinis, & bilis agitatione salivalis agitaretur liquor, & tandèm per dentis fistulam parti de morsæ communicaretur: utique ad has obeundas operationes aliquid temporis requireretur, non enim tot operationes naturales fieri in instanti possunt, ut per morsum, & salivam venenatam. Ideam in demorsi archeum transplantaret.

Præterea unica vipera imitata quot animalia mordere posset, tot enecare valeret, non aliter ac innumerâ inficiendi energiâ esset imbuta, quod oppositum plures experientiæ nos docuerunt; nàm primus, secundus, & tertius morsus experitur venenatus, & quò ulterius irritatur, furit, excandescit, & ulcisci conatur, mordet, & morsu cruentat, eò innoxiè, & inani morsu dentes imprimit, quia in tertio morsu totum exhauritur venenum in vesiculis salivalibus, nec noxius est morsus, donec novum virus eodèm demandetur. Hinc circumforanei alicujus rei fruſtulum ad mordendum viperis pluries præbent, ut mordendo, totum virus è vaginis eliminetur, quo exhausto, in publicas prodeunt plateas, tum viperini morsus virulentiam exagerant, postmodum sub mammis juxta cor cum sanguinis effusione se morderi sinunt, attamen sine periculo, ut inane, & iners suum antidotum contra viperarum morsus venditent, & sic bardis imponunt hominibus. Post quatuor, vel quinque dies, vel plures exhaustum venenum reassumit vipera, post quos repletæ observantur vesiculæ. Liquor in vaginis non provenit à folliculo folleo, sed generatur in toto capite, & ad vaginas per ductus salivales per quasdam glandulas transmittitur.

Ergò, nisi furoris, & ultionis ideâ concitata esset vipera, sed jocans morderet, nunquàm ejus morsus esset venenatus, imò innoxius, nec perniciem de morso inferret? In hoc nullum habere possumus hdum indicium, nàm non possumus viperam interrogare, & ipsa respondere, an placida, & jocans momorderit, vel furibunda. Et eliò quocumque actu se mordeant, non ideò earum morsus est venenatus, quia sanguinem non attingunt, cum ferè hunc in superficie non habeant, & hanc ob rationem, & sanguinis paucitatem à nonnullis exsangues existimantur.

Tandèm viperæ, aspides, busones, scorpii &c. parvas in olentes insulas venenum non habent, ut sunt Melitea, Capreas, Prochytam, Pithicusam &c. incolentes.

Si

Si hæ quomodolibet irritentur, crucientur, & dilanientur, essò mordeant, nunquàm demorsum veneno inficere possunt: ergò Helmontius quomodocumque suis cum assectis concitetur, irritetur, indignetur efferveſcat, excãdeſcat, velit nolit, vana est furoris idea.

Falsum est, quod supra notatus author asserit, felem, similam, mulum, equum &c. imò ipsum hominem placidos, antequam irascantur, nullum habent venenum, at simul ac in furorem, & excandescentiam repiuntur, & momorderint, venenatos infigere morsus, & multos perisse non minus quàm à viperâ iratâ, aspide, scorpione, cane rabido, aliisque animalibus fuissent demorsi; Nam magnum discrimen est inter venenatos, & pernicioſos morsus, sunt enim illorum animantium irâ exaltatorum morsus validiori, imò validissimâ violentiâ, & vehementissimo animi impetu, & totis viribus inflicti, & hinc validissimè lædunt, ut in vulnere percussione inflicto, de irato animo, homine valido, & instrumento ponderoso, maxima habenda est ratio, nam hujusmodi vulnus pernicioſum cen endum est propter has circumstantias. Item pars demorsa consideranda est, & juxta ejus conditionem, nunc parvi, nunc magni faciendum est vulnus: Sic nervorum vulneribus, licèt parvis, multa symptomata, non aliter ab animali venenoso essent inflicta, supervenire observamus, in vulneratâ enim parte ingens obo ritur dolor, & hinc inflammatio, quandòque gangræna, & cerebro per consensum tracto, sæpè convulsiones, & deliria excitantur. Undè vulneratâ manu, aut digito, non solum dolores, tumores, inflammationes, sed etiam abscessus, & gangrænæ fieri solent, imò in toto corpore depravantur humores, hinc mali moris febres, anorexiæ, vomitus, anxietates, & vigiliæ solent. Si materia subtilis, & vitiosa per nervos cerebro impertiatur, epilepsia oritur. Ecquis his vulneribus propter pravorum symptomatum agmen venenositatem non adesse crederet? Præterea horum vulnerum ab animalibus iratis inflictorum quandòque in principio nulla habetur ratio, imò spernuntur, & malum crescit eundo, vel perperam curantur, & in maligna abeunt, & hinc venenata ineptè creduntur, cum sint maligna; medici enim vulgares febrem malignam venenosam vocitare solent, cum reverà nulla venenositas adsit.

Nobis maximè arridet illius magni Viri *D. Francisci Redi* medici, & philosophi, ac in omni disciplinarum genere versatissimi sententia, qui vitæ tempora inter experimenta complet. Innumeris iste tentaminibus, *Magni Hetruriæ Ducis* jussu, detecto cortice, veneni viperini nucleum penetravit, & de hoc libellum Hetrusco idiomate edidit, in quo omnes experientias, & observationes in viperis exagro Neapolitano allatis, fi ctas accurate describit, & dicit se eperisse quòd quoquo modo tractentur viperæ, omnes ejus

Unable to display this page

judicandum de veterum Psyllis, qui haurire omne venenum sine noxâ, adeò ut illis dicatur esse naturale: Verum simul ac in vulnerati ore applicatur, vulnus est lethale. Omnia propterea dicit animalium venena intrinsecus sumta non sunt lethalia. Insuper dicit hoc ipso liquore salivali sive vivæ, sive demortuæ viperæ tela intoxicari posse.

His itàque allatis, de quibus sanæ mentis nemo ambigere potest, non tamen de veneno viperino tota evacuatur difficultas; certum est enim in salivali viperæ liquore virus consistere, sed quodnam est illud virus, quod tali subest liquori, & vitâ orbat demorsum, adhuc examinandum supereſt. Omnes vulgares Galinistæ in eâ sunt sententiâ, quod in corpora se intrudat, operando occultâ qualitate, & ab hominum intelligentiâ nunquàm detectâ. Eorundem aliqui manifestâ qualitate scilicet frigiditate suâ cor refrigerando, & congluciando; alii nimio calore illud exsiccando, ejusque spiritus resolvendo, quæ an vera sint, patent ex dictis.

Nos dicimus virus viperinum, simul ac demorsi sanguinem attingit, illicò illum coagulat, nec cessat, virus, quin per omnes venas serpens, brevi trium, vel quatuor horarum spatio, totum demorsi sanguinem in concretionem adigat in cordis cavitatibus, ità tandèm ut ejus systoles, & diostoles motum impediat, demorsumque miserrimè perimat; vel sanguinem ad cor refluentem invertat, & ità præcipitem agat, ut illud suffocet; illud acidi, & sulphurei, quod coagulat, hoc acris, quod soluit, naturam sapit, ut gustatu quispiam experiri potest. Undè pro viperæ morsu alexipharmaca præcipitantia conducunt, quæ vim veneni termentativam hebetant, & quia omne acidum, & acre à salso, & alkali præcipitatur, obtunditurque, ad demorsi virus nullum præsentaneum antidotum, quàm ex sale petendum. Eapropter oritur viperas, aspides, rubetas, scorpios &c. qui parvas incolunt insulas veneno carere, eorumque morsus nil præter vulnus simplex habere, quia salsæ maris exhalationes horum virus obtundunt, hebetantque, attamen si insularum parvarum viperæ, aspides &c. exindè in continentem asportentur, virus assumunt; & viperæ &c. ex continenti in parvas asportentur insulas, virus amittunt. Hinc eruimus Melitam viperas, scorpiones, aspides &c. alere veneno effœtas, quia insula est parva, & non ut bardum vulgus perperàm credunt *Divum Paulum* illic à viperâ demorsum viperis maledixisse, & hac maledictione illas viduasse veneno. Hanc veritatem *ex Apostolorum act. cap.* 29. colligimus: *Et cùm evasissemus, tunc cognovimus, quia Melita insula vocabatur. Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis. Accensâ enim pyrâ, reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum aliquam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, invasit manum ejus.*

Ut

At verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, adinvicèm dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. Et ille quidèm excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, & subitò casurum, & mori.

Salivam hominis jejuni viperas, scorpiones, & serpentes necare communiter asseritur, imò iperini morsus sanatores per sputum suum aquis injectum, & ebibitum multas ægritudines, & morsus à viperâ inductos, & supra partem demorsam impositum sanare jactitant; attamen vile, & impar antidotum, cui nihil prorsus fidendum pro tanto viro, quod paucissimis notis repentinâ morte vitam miserrimè auferre solet, estò saliva quia salis ammoniaci contineat. Præterquamquod in omnibus factum per plures vices in viperis, & scorpionibus experimentum ab accuratissimo *Redi* falsitatem convinit. Circumforanei captas viperas in os expuunt, & salivâ aspergunt, ut baidis imponant, & quàm eorum saliva sit medi amentosa, insinuent, cujus virtute omnem veneni malitiam amittunt viperæ.

Quidam omne serpentum genus, viperas, imò aspides ipsas sine periculo, & prohibitu tractant in nostrâ Italiâ, & alibi, dicuntque esse quod iam donum divinitus, & proprium quibusdam familiis concessum illorum, qui *Divi Pauli festo nati*, serpentis, vel viperæ signum sub linguâ; aliovè loco gerunt. Hoc donum, hæc virtus est mendaciis fucata, cum nulla sit, ut ex infrà dicendis patebit, & venam Raninam sub linguâ, vel alio loco detectam, vel non multâ obsitam carne pro serpentis signo accipiunt. Ad nostram rem facit id, quod *Ioannes Zuvelferus in animadversionibus in pharmacopœam Augustanam p. 275.* refert: *Hoc amplius memorabilem, & notatu dignam historiam ab Excellentissimo illo, & celeberrimo anatomico Patavino Iohanne Vislingio (cujus nomen nunc in benedictione est) fando percepi, quàm ille ipse, ut mihi retulit, oculis suis usurpavit Alexandriæ Aegyptiorum, ubi sponte sese obtulit quidam Mahometanus, vir insignis authoritatis, qui summoperè gloriatus est de singulari hac dote, & gratiâ divinâ, sibi totique suæ familiæ à Mahometâ profetâ concessâ, quòd nimirum ab omnium venenatorum animalium, ipsarum etiam aspidum, omnium sui generis serpentium. Aphricanis, illis locis familiarium maximè lethiferorum morsibus liberi, ac immunes essent, ipsorumque omninodè spernerent, cujus rei admirandæ experiundi exemplum fecit, & effectu ipso ejus veritatem in gratiam Illustrissimi Legati Veneti, qui tum præsens fuit, comprobavit, & stabilivit. Ac tutum enim aspidem obviam illis venientem nudis manibus apprehensam, satis diu ad libitum tractavit, tandèm caput ori suo immissum momordit, idemque expuitione unâ cum sanguine rejecit, insigni cum admiratione Legati, omniumque adstantium.*

Serpentes, viperas, aspides, rubetas, scorpios &c. sine periculo, & prohibitu tractare alii dixerunt

xerunt esse quandam peculiarem dotem, & speciale donum huic, vel illi, aut quandoque integris quibusdam familiis à naturâ implantatam, & concessam. Cœterùm natura, quæ est omnium parens, aliis injuria fuisset istâ personarum, & familiarum exceptione, & ut noverca segessisset. Hinc facilè conjectare possumus Psyllos, & Marsos antiquitus maximâ in æstimatione habitos, meros fuisse impostores, se jactabant isti fabulosum ducere genus à Marso Circes filio, & illi à Psyllo Rege, ideòque eorum corporibus à providâ naturâ ingenitum fuisse virus exitiale serpentibus. Refert *Plutarchus Catonem iter per Libyæ deserta facientem in suo exercitu Psyllos duxisse, qui serpentum morsibus mederentur, partim venenum ore trahentes, partim serpentes cantibus lenientes.* Imò *Aulus Gelius, & Plinius* narrant hos populos tantum hoc donum habuisse à naturâ, quorum mos erat uxorum suarum pudicitiam experiundi, tenelles soboles inter truculentiores serpentes exponendo, sed de hoc fides sit apud hos authores. Erant Psylli, & Marsi homines viles, qui fodere non valebant, & mendicare erubescebant, ac viperinos tantum fugebant morsus, & hac industriâ, aliisque impostoris honoratam agebant vitam. Hi non secus ac aliis homines à serpentibus mordebantur, & alexipharmacis procuratione indigebant.

Verum cum intueamur quosdam omne serpentum genus, viperas, imò aspides sine periculo, noxâ, & pro libitu tractare, ac cum ipsis amiciter ludere, indagine dignum, undè hoc eveniat existimamus. Id à singulari audaciâ usu confirmata, & insigni dexteritate eos tractandi, cum *Zuvelfero*, provenire dijudicamus. Hinc quicumque hujus audaciæ est, ut serpentes summa cum dexteritate de collo, vel capite prius arripere ausit, eosque tractare novit, ut prima invasione ipsum non mordeant, is sanè posteà ad libitum ipsos tractare, & cum ipsis alacriter ludere potest sine periculo, & læsione, dummodò non nimis ipsos lædat. Indidit quoque provida natura serpentibus quandam timoris ideam versus homines, qui illos intrepidè persequuntur: Omnes enim fatentur, quicumque serpentum venationi se dedere, quòd ipsos etiam non dum visos, tantoperè reformident, ac celeri gressu fugiant, ut vix eos cursu assequi, vel manibus ad ipsos pertingere possint. Oppositum autem evenit, si homines pavidi, & mediculosi serpentibus obviam veniant; hos enim illi intestino odio, & inimicitia concitati adoriuntur, ac ubi possunt, damnum inferunt. Qui ipse pavor hominum, sive timor, venenum istorum animalium morsu receptum multum exaggerare, & per totum corpus dispergere, ac consequenter etiam repentinam mortem inducere potest: quod ipsum venenum de sua natura alioquin tantoperè lethale non esset, planè simili modo, ac in parte fieri assolet, ubi timidi in majori versantur periculo, quàm

qui

qui impavido animo gaudent.

Nonnulli putarunt illos qui viperarum pulverem semel, atque iterùm assumpsêre, imposterùm à viperarum morsibus ità esse immunes, ut eas tutò manibus tractare queant; & si quandòque accidat, quòd ab ipsis demorsi fuerint, nullam exindè noxam persentiant, & morsum illum absque vitæ periculo ferre possint. Verùm experientiâ compertum est, quòd qui tali usi sunt prophylactico, nihilominus à serpentibus, & viperis, ubi demorsi fuerunt, nisi citissime optimis a exipharmacis obventum fuisset, utique periissent, ut multis accidisse comperuimus. Unum tantùm ex assumpto pulvere exigere possunt, nempè audaciam, & validam fiduciam in his bestiolis tractandis, attamen à morsibus, & vitæ pernicie non eximuntur.

Prognosis.

Quod ad prognosim attinet, est, quòd omnis venenatus morsus, etiam si levissimus, & minutissimus sit, periculosus, & plerumque exitiosus, præcipuè si cordi est proximus, vel in loco, cujus usus est vitæ necessarius, vel medicaminum applicatio interdiù protrahatur, donec interim venenum per vulnus suo fermento in sanguinem agere possit. Verumtame *Matthiolus* inquit: *Animalium, serarumque virus non omnibus est idem, sed in hoc vehementissimum, & omnium perniosissimum, adeò ut unâ tantùm horâ hominem perimat, ut in aspide, ceraste, & basilisco; in alio verò minùs vehemens, minùsque lethale, uno die, vel duobus necans, ut in viperâ, in alio tandèm his longè imbecillius, ut in scorpione, & phalangio, longiore tempore perimens. Id provenire reor, quia animalia, qua mordent, diversorum sunt genera, ac proindè diversa quoque eorum venena. Accidit nihilominus, ut à viperâ, vel aspide demorsi quandòque tribus solummodò horis, interdùm uno dumtaxat die, nonnunquàm verò pluribus supervivant diebus. Hoc à diversis provenit causis: siquidèm in aspidum, & viperarum genere longè nocentiores sunt fœminæ, quàm mares, juvenes, quàm senes, (licèt alii aliter sentiant) adultæ, quàm adolescentes. Quin etiam feræ, & insecta in montibus, aridisque locis inter vepras, & saxa degentes, quàm palustres, uliginososque incolunt tractus: Itèm famelicæ depastis sunt nocentiores, & irritatæ venenosiores, quàm demissæ, licèt omnium in universum ictus pernicioriores sunt æstate, quàm hyeme. Hæ itàque causæ esse possunt, cur citius, vel serius demorsi intereant.*

Curatio.

In demorsis à dictis bestiis non vulneris, sed veneni habenda est ratio; vulnera enim exilissima sunt, & nisi venenum adjunctum haberent, ope non indigerent medicâ.

Medicus ad hujusmodi demorsos vocatus celerrimè remediorum applicationi quam maximè incumbere debet, ne elapsâ occasione, quæ præceps esse solet, unà spretâ ægri convalescentiâ

evaneſcat. Indicatio curativa, quam ſibi medicus perfigere tenetur, eſt venenum eliminare, ejuſque volatilatatem deprimere, ideòque topica extrinſecus admoveantur, idque extemplò peragendum eſt in primo principio, priuſquàm exitioſa veneni pernicitas ſuæ volatilitatis ope, cum circulari ſanguinis motu ad intimiora penetret, totamque ſanguinis maſſam conſpurcet.

Galenus præcipit membrum demorſu ſtatim abſcindendum, ceu corruptæ corporis partes præcidi ſolent, ne reliquum corpus putrefcat, juxta illud *Ovid.* 1. *Metamorph.*

Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahetur.

ut in ruſtico expertus fuit, qui à viperâ demorſus ſecundum digitum, hunc ſibi per falcem fructuoſe, & ſalubriter amputavit, ut videre eſt in *Zacuto Luſitano lib.* v. *Med. Prin. hiſtor.* 1. Sed hoc remedii genus nimis eſt truculentum, ad mitiora itàque tranſeamus; membrum enim in quo morſus apparet, à partibus ſuperioribus, quà corpus reſpicit, arctè deligandum eſt, hac autem lege, ne vi doloris ſanguis concitatus nimio impetu per arterias affluat, nec citò nimis una cum veneni inquinamento per venas refluat; deindè in, & circa vulnus profunda ſcarificatio, & cucurbitula bis, vel ter adhibenda eſt ad convenientem ſanguinis copiam educendam. Optima quidèm eſt hæc medendi methodus, dum autem meditamur vulnuſculi anguſtias, & ſpontanеam partis intumeſcentiam, veremur, ne plus attrahatur ſanguinis, ſine eo ut convenienter evacuari poſſit, ità ut præter celeriorem veneni propagationem ex ſanguinis in humore extravaſatione, coagulatione, & à fermento maligno mortificatione, ſubitaneus gangrænæ metus ingruat; præſtat ergò partem demorſam ſcarificare, & id pro circumſtantiarum varietate nunc levioribus, nunc profundioribus incuſuris, deindè hirudines, vel cucurbitulas applicare, quæ ſanioſum illum, & tabe manantem, ibique conculcatum ſanguinem exhauriant.

Quidam efficaciſſimum prædicant remedium morſu, vel ictu illatum vulnus ore ſugere, & venenatum expuere, ſanguinem verò expuere non eſt neceſſe, quia ctiò in ſtomachum deſcenderet, non eſt vitæ præjudicium, niſi ſanguinem attingeret; & antiquiſſimum fuit hoc remedii genus, ut *Celſus* docet: *Nam venenum ſerpentis, ut quadam etiam veneratoria venena, quibus Galli præcipuè utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent.* Hoc remedii genere utebantur Pſylli, ut etiam ex eodem habetur: *Ergò quiſquis exemplum Pſylli ſecutus id vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit, & tutum præſtabit hominem.* Verùm id eſt remedium periculo plenum, & non ſine magno ſugentis diſcrimine; nàm ſi in aliquâ oris parte, aut gingivarum, linguæ, aut palati ulcuſculum aliquod fuerit, licèt inſenſile, ut epidermidem tantùm occupet, ubi venenum in os ſuctione revocatum ulceris locum tetigerit

gerit, & sanguini se admiscuerit; qui torti suctione, vel facilè è gingivis per dentium connexus emanat, dubitandum non est, quin illicò fugenti perniciem, & mortem inferat, ut qui alteri mederi velit sibi ipsi mortem paret, quicquid dicat *noster Marcus Aurelius Severinus* de hac cautelâ non adhibendâ. Refert *Amatus Lusitanus* duos adolescentes à vipera demorsos periisse, quia à seipsis semorsum suxerunt locum. Verum *Lusitani* venia, non quia vulnus suxerunt, ideò obiverunt, vel quia à vipera demorsi non omnem ex hauserunt venenositatem suctu, vel quia ulcus in ore habuerunt, cui venenum communicatum fuit. Hoc remediis genus apud Gentiles ab infimæ sortis hominibus, & servis exercebatur, quia alia non aderant remedia, at nunc in fratribus christianis charitas id non permittit, cum alia tutiora sint in usu, quæ demorsos sanare valent: *Gal. 5. de loc. aff. cap. 7.* narrat fuisse servos huic muneri tantum peragendo addictos, qui viperarum morsus fugebant, & servorum Imperialium cuidam à vipera demorso, & icteritia affecto opem tulisse medicam sola theriaces exhibitione, & citissimè colorem secundum naturam restituisse.

Ad veneni viperini extractionem tutissimum, & expeditissimum auxilium est ignis, cum potentissimum sit agens, tantum in natura operans prodigia. Commendat *Hildanus in suis observationibus* rhombum unum, vel alterum fimi caprini, quos accensos imponendos suadet, donec cinerescant: fimus nàmque ignem servat, & flammam reddit copiosi sulphuris ratione, quo imprægnatus est. Cæterum intensus est dolor, & per cunctationem crudelius angit, nec tantam patientiam sustinere potest demorsus, quantam dolorificum hoc requirit remedium. Idem dicendum est de ferro ignito loco affecto impresso. Horrent ægri non dum ignem, & ferrum, sed etiam nomen aversantur. Præterea ignis escharam inducit, cujus casus multos exigit dies, nec exindè de veneni extractione certiores fieri possumus, nec supra escharam alexipharmaca utiliter applicare possumus, quia non penetrant. Commodior, & utilior absque tanto ægri formidine erit ignis ustione carens, per quem venenum dissipatur, verum sine corporali ad partem læsam applicatione, cujus modus hic erit: ferrum ignitum parti affectæ admoveatur ea distantia, qua carnem non tangat, & tandiu ita teneatur, quousque tolerari possit sine dolorifica læsione, & venenum à parte extrahatur, & in parte vesicula flava observetur.

Severinus noster pro generoso remedio commendat sulphur, cujus variam applicandi normam proponit, vel enim accensi sulphuris guttas instillare jubet, vel olei sulphuris per campanam plures guttulas in locum demorsum demittere, easque specillo tenuissimo protinus affucare, vel oleum vitrioli immittere, vel acetum adhibere. Sed *Severini* venia acidum

dum sive in sulphure, in vitriolo, vel aceto parti vulneratæ applicatum est inimicum, malum intendit, & partes corrodendo, atroces excitat dolores. Præterea juxta nostram theoriam, cum virus viperinum in acido sanguinem coagulando, vel in acredine illum fluxiore reddendo, & præcipitem agendo, consistat, meritò tàm sulphuris, quàm vitrioli, & aceti acidum pro morsus viperini remedio improbamus.

Quidam pro antidoto infaillibili habent, quòd si à vipera demorsus, eandem, quæ illum momordit necare possit, vel aliam, inprimis fel illitum, vel caput demortuæ calidum, & cruentum impositum, vel ejus contusas carnes inflicto vulneri applicuerit, ab iis venenum extrahitur. Nimis bardus, & simplex est ille medicus, qui scriptoribus pro venenatis morsibus cutandis nimiam præstat fidem, nàm primus phantasiæ ductu medicamina commentatur, secundus, & alii exarant, & multa, absque eo quod in judicium vocent, miranda canunt, sed non credenda antidota. Id, quod nos in admirationem trahit, est malum citreum, cui tantum virtutem quantam Rosmarinus non habet, tribuunt, non tantum ad febres malignas, & pestilentes, pro quibus serapiis ex eo confectis, elixire citri, spiritu &c. utuntur, sed ad quælibet venena pro infallibili antidoto nulli comparando extollunt. Narrat fabellam de hoc *Athenæus*, quod *cùm Princeps quidam Ægyptius maleficos quosdam damnasset nebulones, quò suorum facinorum luerent pœnas, aspidibus secundum Ægyptias leges in prædam exponendos, ii citrium in itinere, dum ad bestiarum pabulum ducerentur, comederunt, quod caupona quædam vicem eorum dolens, atque miseriam, illis dederat. Mox cum in theatrum descendissent, & ab immanibus, ferocissimisque feris demorsi essent, nihil sanè molestiæ senserunt. Qua de re præfectus non parvam cæpit admirationem, & à militibus diligenter inquirens, an antidotum aliquod præsumpsissent, certior factus est citrium tantum ex integrâ simplicitate donatum, eos comedisse. Postridiè verò jussit uni præberi, alteri denegari, & denuò in theatrum trudi ad supplicium. Quo facto, qui comederat, demorsus nihil incommodi passus est: alter verò à ferâ ictus undique lividus factus est, confestim interiit.* Narrat præterea *Theopompus Chius duo de quadragesimo suarum historiarum volumine, Clearchum Heracleotam Ponti Tyrannum multos veneno necasse: sed ille inquit, plures adhuc interfecisset, si populum præstantissima citrii vis latuisset.* Historiæ sunt fabulares, & medicorum ineptiæ, & commenta, & tamen apud vulgares pro veris habentur, quas negare magnum est nefas, & facto experimento non correspondent hæc somniata antidota, forsitan hæc priscis temporibus vera erant, tunc cum grylli arabant, & animalia loquebantur, ut vulgò fertur.

Inter appropriata commendari vulgò solet *Fraxinus*, hinc *Zacutus Lusitanus* admodum foliorum succum commendat, & puellæ à viperâ demorsæ fraxini succi [illegible] iv.

cum

cum juvamine propinavit; ferunt nàmque fraxinum præstare auxilium salutare lethalibus serpentum venenis: quibus adeò inimica est fraxinus, ut ne matutinas quidèm, occidentesve umbras quamlibèt spatiosas hujus arboris serpens attingat. Qua propter expertum proditur, si fronde eâ gyro claudatur ignis, & serpens, in ignem potius, quàm in fraxinum fugere serpentem, eapropter ejus succus potus, vel morsibus illitus magnam opem præstat. Imò de fago dicunt viperam factam ejus ramo attonitam, & immobilem evadere, non secus ac mendacia Morsorum carmina audivisset. *Constantinus* de agricultura asserit serpentes à quercus foliis tactos perire. *Ætius* conyzam sui odoris acutie viperas, & alias serpentes fugare refert. Hoc idem betonicam, dictamnum, calamintham, & alias herbas odoras & fœtidas dicit *Nicander*. Cæterum sunt aniles fabellæ, & medicorum ræniæ; nàm experientiâ pluries factâ constat non solum viperas hæc vegetabilia non vitare, sed inter folia tàm sicca, quàm recentia omne serpentum genus lubenter morari, & sua habere cubilia.

Sed usque dum efficaciora à demorso haberi non possunt præsidia in eo actu, quo mordetur, membri demorsi ligaturam procuret arctam, ut venenum intercipiat, usque dum ad remediorum usum devenire possit; verum antequàm ad hæc deveniatur pro certo experimento ad veneni celeritati resistendum propriam urinam bibere, & partem demorsam eâdem abluere validum est remedium, cum hoc venenum in acido sanguinem coagulante consistat.

Quò ad interna attinet remedia ea esse oportet, quæ venenum statim foràs expellunt, & ne ad interiora serpat, inhibeatur, & tandèm si in venas, vel arterias se insinuavit, ut eliminari non possit, alexipharmacis expugnetur. Hinc vulnus inflictum magni momenti non est, imò ratione ipsius est ultimum in executione: id quod urget, est venenum, quod illicò extinguendum est, & è vulnere tollendum, & eradicandum. Cum igitur ad demorsum vocatus fuerit medicus, statim ipsi vulneri, totique corpori alexiteriis succurrere debet. Prius vulneri succurret, si pars icta, vel demorsa, arctâ ligaturâ obducetur, eique cucurbitulam magnâ cum flammâ applicando, & ut major fiat veneni attractio, iterando, deindè *aquâ theriacali ex spiritu vini cum sale calcinato* abluatur, vel eâdem *aquâ theriacali, in qua dissolutum sit sal viperarum, vel oleo tartari p. d.* vel superponatur *succus galegæ i. ruta capraria*, qui admirandæ est virtutis in morsibus viperinis, & nota est historia lacertæ cum viperâ pugnantis, & cum galegâ contra vim veneni viperini se munientis. Et nos Neapoli in nosocomio Sancti Jacobi Hispanorum militem Hispanum in linguæ apice à viperâ demorsum (ludebat iste in ejusdem pharmacopolæo cum viperâ, eam manibus tenens, quam mordere simulabat) curatum vidimus à celebetri-

mo medico, *Alexio Alonià* à Castrovetere (cujus nomen in benedictionem est) hujus herbæ succo, non omissis aliis alexipharmacis intrinsecus assumptis. Ejusdem facultatis est *Scorzonera.*

Defensivum quoque remedium toti membro affecto plurimum proderit, parabitur autem *ex floribus verbasci, hyperici, rutæ, rosis in aceto ad tempus in sole maceratis.* Epithema hoc calidum linteis imponitur pannis, donec intemperies, phlegmon &c. in totum recesserint.

Interius exhiberi debent alexipharmaca, quæ vim aciditatis, & acredinis veneni extinguendæ, & præcipitandi habent, ità sunt alkalia omnia, *spiritus vini alkoholizatus, spiritus salis non vulgaris præparationis, antidotus viperarum, pulveres viperini mistura simplex, tinctura bezoardica, salia theriacalia, magna illa confectio theriaces*, quæ omnibus ab authoribus commendatur, indè *essentia theriacales spiritus theriacalis camphoratus.* Sequens compositio inter interna pharmaca erit præstantior:

℞. *Mithridatii* ℥. ij.
Theriacæ opt. ℥. j.
Pulv. corall. rubr. ℥. j. ß.
M. omnia simul.

Dosis à ℥. ij. usque ad iij. pro patientis dispositione, quæ dosis quartâ quaque horâ est repetenda, & præ omnibus magnum alexipharmacum est *sal viperarum volatile*, quod ritè absque acido fieri debet, & legitimâ edulcuratione urinosus, & nauseabundus tollatur sapor, contrà verò suavis ipsi, dulcis, & aromatica omninò concilietur fragantia, & dulcedo. Ex mineralibus antimonialia prosunt fixata, ut diaphoreticam nanciscatur virtutem, & præ cæteris *sulphur auratum diaphoreticum.* Ex animalibus omnia prosunt *ex cervo* parata. Ex vegetabilibus simplicia *scordium, tormentilla, contrherba, scorzonera, ruta capraria.* Composita *elect. de bacc. juniperi, theriaca Diatesseron*, quæ theriaces, & mithridatii vires æmulatur. Hæc alexipharmaca tàm per se propinamus, quàm cum diaphoreticis, quæ à centro ad corporis peripheriam virus expellunt, sunt admiscenda; vulnus verò *emplastro stictico oleo scorpionum malexato* foveatur.

In hujus Veneni curatione de diætâ, & victûs ratione nihil tetigimus, cum veneni agendi pernicies diætam, & victum non expectet, quòd si intra viginti quatuor horarum spatium non perimat, signum est venenûm à naturâ jam esse superatum, quòd si deinceps moriatur demorsus, id medici incuriâ evenit, non autem veneni virulentiâ.

Cap. XXX.

De Vulnere ex morsu canis rabidi.

Inter animalia, quibus homo familiariter utitur, præ cæteris canis, quo neque aliud ipso fidèlius, nobisque ità amicum invenitur, undè in iis nutriendis, ipsorumque curâ non immeritò oblectamur, quàm in aliorum quopiam genere.

Vide

Videmus magnâ curâ domni invigilare, quippè nostras sedes ingredientes, si nobis, ipsique sint noti, magno gaudio excipit, caudâ adulatur, multisque blanditiis amicum esse testatur; sin minus suo latratu ignotos esse indicat, in illos ringendo invehitur, nec sinit domum intrare, donec dominus illos amicos esse admonet; præterea & si dormiat totam noctem, excubias agit. Cane etiam nullum animal fidelius: quocumque dominus tendat, sequitur, illum sollicitè custodit, proque suo domino in quælibet pericula promptus, vel adversus ipsam mortem cum vitæ discrimine pugnat, & quod maximè est admirandum, tunc majori afficitur lætitiâ, cum labores, curasque cum ipso dominus partitur. Nutui obedit, pulsatus & si domino irasci videatur, nullatenus tamen si statim vocetur, omnis injuriæ immemor ingenti gaudio occurrit. Quinimò quibusdam propriis corporis partibus humanis ægritudinibus medetur; verum tantæ amicitiæ, tantæque fidelitati non fidendum, si in rabiem actus, in furorem rapi videamus, quandoquidèm nec suo domino parcet, omnisque amicitiæ oblitus cum ipso, veluti cum inimico se geret, quos enim momorderit, vel nudas partes salivâ commaculaverit, in maximum vitæ discrimen perducet, adeò ut exacto certo temporis intervallo, in hydrophobiam incidant. Cavendum itâque ab iis etiam, quibus maximè diligimur, cum iracundia agitaverit, siquidem illos tum maximè lædent, quos majori amore persecuti sunt. Ergò huic quoque morbo verè præ omnibus calamitoso, aliquam medicinam præstare dignum duximus, ne muneri nostro deesse videamur.

Signa.

Ejusmodi signis rabiosus canis cognoscitur, quòd escæ, & potus redditur abstemius, fit macilentus, lento incedit gradu, auribus, & caudâ demissis, linguâ forâs porrectâ, & pendulâ, capite stupido circumcursat, quandòque in parietes, & alia obstacula impingit, voce raucâ, vel mutescente, copiosam spumam è naribus, & ore emittit, necnon oculis obliquè, ac toruè rutilantibus defixis, non modò homines obvios, sed & pecora, domesticos antèa, vel ignotos indiscriminatim impræcesso latratu mordet, canes alii eum fugiunt, capti ei blandiuntur. Nec mirum, si proprium demordet dominum, aliosque domesticos omnes, nullius habito discrimine, vel ratione; siquidèm cùm proprium sit fixi, & nimium exaltati excrementitii salis phantasiam, rationem, & sensus omnes inficere, omnium sui ipsius oblitus, domesticos ipsos cognoscere nequit. Id quoque pluribus hominibus accidisse observavimus, qui amentiâ correpti non tantum parentes, & proprios natos, verum etiam seipsos quandòque necârunt. Demorsionis vulnus initio sæpè non magnifaciendum videtur, quia ut plurimum

mum ultrò, citòque saneſcit: eſt peracto jam quadraginta dierum ſpatio latens rabificum in corpore fermentum inopinatò pateſcit, ac demorſo nullus ſubindè vitæ relinquitur locus.

Multum malum hoc conducit illicò initio cognoſcere, ut illi conſuli poſſit, antequàm in hydrophobiam, ſupremum, & deploraoilem gradum perveniatur; ſæpè enim incertum eſt, an qui hominem momorderit canis, ſit rabidus necnè. Sedulo incumbendum eſt, ut in ejus rei notitiam perveniamus, nec differendum, cum præcipuè vulnus, quod inflixit rabidum animal, à vulnere, quod irratum, vel ludens intulit, nihil differat. Verum canis rabidus ſemel mordet, & morſum non repetit, ſed ſtatim, quem momordit, deſerit, & ad alios properat. Ad explorandum igitur, an canis fuerit rabidus: *nuces juglandes contuſas, vel triticum per integram noctem canis morſui impone, poſtmodum gallinæ in eſcam exhibe; ſi enim rabidus fuerit, ſequenti die peribit. Vel panis medullam vulneri affrica, ut emanante ſanguine, vel ſanie imbuatur, ſi famelicus canis eam edere, vel olfacere recuſet, canis rabidus fuit.* Verum his vulgaribus, & vanis experimentis minimè fidendum eſt, licet à probatiſſimis autoribus adducantur, qua de re alia indicia jàm dicta ſedulò ſunt perquirenda.

Cum rabidorum canum morſus negligatur, demorſos hæc incipientis rabiei ſigna ſequuntur: locus vulneratus dolet, vulnus tamen brevi, & ſuaptè ſponte conſolidatur, poſt verò quadraginta dierum ſpatium, vel plurium, dudumque conſolidato vulnere, demorſus plus ſolito, & abſque cauſâ ſibi cognitâ contriſtatur, & paulatim præter morem cogitabundus evadit melancholicis ſe cogitationibus profundat, quæ illi inſolitæ ſunt, ſomnia ſomni tempore cudit de ferocibus canibus ſe invadentibus, pavidiſque cum illis luctamentis, quibus ſubindè ad implorandum auxilium pavore expergiſcitur, & interrumpitur ſomnus: exindè melancholicæ phantaſiæ ſenſim increſcunt, donec tandèm turbatâ mente, obſcura loca, & ſolitudinem diligat, lucem, hominumque conſortium poroſus, ſecumque ſolus ſubmurmurans, alloquentes ferino quodam aſpectu intuetur. Spumat, rubet facie, & oculis, febre tentatur, & extremarum partium convulſione. Quidam canum more, ſi à canibus morſi fuerint, latrant, à lupis, ululant &c. & obvios quoſque impetunt, & quidèm præter voluntatem. Aliqui delirant, aliqui verò ad extremum uſque ſpiritum mente conſtant. Poſtremò eò devenit, quod eſt commune omnibus, ut aquam, omneſque potulentam materiam, imò ejuſque nomen, & ſonitum expaveſcat, quod eſt certiſſimum mortis, & inexpugnabilis veneni indicium, & tamen vehementiori excruciatur ſiti. Allatâ itàque in ejus conſpectum aquâ, cujus potu facilè ſanaretur, & tamen bibere non audet, ingentiſſimis clamoribus, & canum latratu aſtantes terret. Quòd

ſi

Unable to display this page

set, ad aniles fabellas regressum habere poterunt. Rabidi animalis veneno per salivam, adeòque per dentem communicato, hydrophobia utplurimum infra quadraginta dies contingit, quia infra id tempus cerebrum repit, & phantasiam, ac rationem fecit. Tunc humorum omnium, & totius corporis dispositiones sibi similes reddit, quas exoticâ inficit tincturâ. Tandèm rationem è suâ majestate deturbat, perversit, & dementat, undè delirium, mentis omninò alienatio, ejusque ablatio, ideòque id, quod auxiliari potest, non considerat, & hac de causâ non tantum aquam, & omnia liquida exhorret, verum etiam cibum, & cœtera vitæ salutaria, quia phantasia, & ratio circa phantasma perpetuò est occupata. Hinc patet philosophum de Aëtii historiâ curatum evasisse, cum liquido appareat ejus rationem non fuisse affectam.

Causæ.

Certum est hujus morbi causam esse venenum ab animali rabido communicatum per salivam, sed quæ hujus veneni natura sit, quæ actio, digladiantur vulgares, & primis qualitatibus hujus veneni actionem refundunt, nec omnes in eâdem conveniunt sententiâ; nàm

Aliqui calori maximo tribuunt, quia æstivis caloribus, & ardente sirio, canes in rabiem aguntur.

Alii ne dum calori, verum etiam intenso frigori consignant, quia sub frigidissimo Jove etiam rabie corripiuntur. Sed in hoc caloris, & frigoris dogmate decipiuntur, quia una, & eadem actio à qualitatibus contrariis pendere non potest, cum canes in contrariis aëris mutationibus in rabiem agi possint.

Nonnulli ex nimiâ siccitate ortum habere credunt, quia rabidi intensè sitiunt, quod est siccitatis evidens indicium, & tamen aquam fugiunt. Miseri hydrophobici parem Tantalo sortem nacti sunt, hoc tamen discrimine, quòd sitiens Tantalus fugientia captat flumina, & hydrophobici sitiunt, & aquam fugiunt! Verum vulgares in magno versantur errore, nàm à siccitate pendere non convincunt, quia siccitas illa maxima esse deberet, cujus nulla evidentia signa in demorsis relucent. Neque semper sitis est siccitatis argumentum, idque clarè patet in hydropicis, in quibus:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Imò aquam fugiunt non ob sitim, sed quia in aquâ salus, nec illam bibunt propter rationem depravatam: ideòque non discriminant inter malum, & bonum, imò semper hærent malo, neglecto bono, & bonum sub mali apparentiâ ideant, permanent in forti ideâ, & secundum talem ideam agunt, & non aliter. Si hoc malum à siccitate penderet, cur non omnes atrophici hydrophobici? Et contrà, cur omnes hydrophobici atrophiâ non Laborant? Quare in hoc curando morbo calida, & sicca, ut

ut theriaca, gentiana, puluis cancrorum fluviatilium ustorum, & similia adhibentur? Si siccitas p. n. in hoc morbo adesset, potius aquam appetere deberent, & assumere, tanquàm siccitati contrariam, & quæ posset illam siccitatem avertere, & corpus ad naturalem reducere statum.

Plerique ad humiditatem putredini conjunctam, quia humiditas est putredinis mater, referunt: sed ad humiditatem hujusmodi mali actio nullatenùs referri potest, cùm nulla putredinis signa illud comitentur, nec putredo sine manifestis signis tamdiu in corpore latere potest.

Pauci ex temperamento melancholico, quo canis præditus est, deducere conantur: sed incassùm, nàm nullis indiciis probari potest canem esse animal melancholicum.

Nostri vulgares quatuor qualitatum, & temperamentorum pro tanto morbo insufficientiam dijudicantes, ut in tuto suam collocarent sententiam, meditati sunt quòd canis rabidi morsus non aliorum venenorum more agat, ideòque non primis qualitatibus, sed occultâ proprietate, seu totâ substantiâ agere decreverunt, idque summâ efficacia, & maximâ agendi vi, quæ aliis venenis communis est, docuerunt, quia exigua morsiuncula, aut etiam salivæ contactus ità corpus inficere potest, ut maximè appareat tantam vim, & truculentiam nulli primarum qualitatum esse referendam. Præterea venenum hoc augetur, & quandòque ad plures sopitum menses, & annos suscitatur, quasi occultarum qualitatum actione. Sed quid in tot rationum ambagibus immoramur, ubi hodiè cum vulgaribus pugnandum est tantùm autoritatibus? Audiamus *Galenum* vulgarium antesignanum *lib.* 11. *de simpl. med. fac. Non primis qualitatibus, sed occultâ proprietate, & totâ substantiâ agere.* Imò *Pelopem* præceptorem suum acriter reprehendit, quia hujus affectus rationem ex manifestis causis se redditurum jactat, & manifestè scribit cancrorum fluviatilium cinerem substantiæ proprietate prodesse à cane rabioso demorsis.

Sed nullibi *Galenus, & vulgarium grex*, quàm in morbis venenatis maximè judicii hebitudinem detegunt, dum explosis primis quatuor qualitatibus ad sacram occultarum qualitatum anchoram confugiunt, idque necessimus, an occultum aliis, iis verò tantum notum aliquid ibi inesse sciant: an potius occultæ qualitatis, occultæ proprietatis, totius substantiæ vocabulo, tanquàm specioso quodam pallio apud imperitum vulgus ignaviam tegere valeant.

Rabidi animalis veneni causam ex occasionalibus manifestis rimemur oportet, pro qua statuimus excrementitium, & acidum sal exaltatum hoc malum, tantamque symptomatum congeriem excitare. Hoc sal in maximis caloribus, intensisque rigoribus in animalium corporibus in massâ sanguineâ generari, & exaltari

potest

potest. Vel deforis ex alterius rabidi animalis morsu communicari, & fermentari, vel ex morticinarum, putridarum, vermibusque scatentium carnium esu provenire : quin & marcescentium earum sanguine. Id quoque efficere possunt eorum animalium carnes, quæ pestilentiâ, aut fulminis ictu, aut venenatis morsibus interierint, eò facilius, majorique corripiuntur rabie. Hoc idem excitare solent computrescentes aquæ frequentius ebibitæ.

Canes, qui in domibus nostris aluntur, licèt non sint rabidi, inter ludendum tamen ad iram, concitati mordere possunt, & graviorem infigere morsum, & veneni gradum in mordendi actu non attigerint, facilè tamen in rabidos ex indignatione degenerant, qua mediante acido-salinæ partes exaltantur, & in excrementitium abeunt sal, quod in salivâ maximè elucet, & ex non rabidis facilè, & ferè temporis momento in rabiem abire possunt, præcipuè si cibum, & jusculum sumant, quibus aromata, ut piper, gingiber &c. fuerint admixta. Hinc propterea nobiles hortamur mulieres, ne suis catulis, quos in summis habent deliciis, & quibus maximè oblectantur, hujusmodi cibum, & potum, & præcipuè nimio sale conditum, sumendum præbeant, ne in rabiem abeant ; Hinc factum est commune illud adagium, quòd quoties aliqua res comestibilis, vel potulenta est nimis salita, dicitur : *Est salita veluti Rabies.*

Undè oritur delirium rabiosum, sive rabies, in qua ipse homo omninò in mores brutales immutatur, nihil ferè humani apud se retinet : adeò ut homo rabiosus exactè referat illius bruti speciem à quo rabido demorsus fuit, res occultæ indaginis est, nec authorem hucusque nos legimus, qui de hujus delirii rabiosi actione ex professo tractet, veramque causam adducat, sed omnes sicco vestigio, universalibus verbis rem describunt. Narrat *Arist. lib. 8. cap. 22. de historiâ animalium*, quòd *omnia animalia à cane rabido demorsa rabiunt, excepto homine*, quæ sententia apertè falsa deprehenditur, ut millies experimento compertum est. Et optimè *Gal. lib. 6. de loc. aff.* inquit : *Solum canes inter cætera animalia corripi rabie :* Verum intelligebat canes cæteris animalibus rabiei esse obnoxios ; nàm præter canes, qui frequentissimè rabidi fiunt, etiam feles, mustelæ, viverræ, martes simiæ, galli sues, equi, muli, boves, cameli, & id genus alia fiunt rabida. Verum hæc animalia præter canem mordendo, vulnera infligunt non rabida, sed irata, & validissimâ violentiâ, vehementissimo animi impetu, & totis viribus validissimos, & pernicioſos infigunt morsus, attamen propter prava, quibus accedunt, symptomata, magnificiendi, & ut pravi morsus tractandi, quos perperàm medicorum vulgus venenatos putant, cum tantum sint pernicioſi, & maligni. Nec solummodò ab animalibus rabidis nos homines reddimur rabidi, sed etiam ipse homo aut jàm rabiosus,

Unable to display this page

sibi placet circa amasiæ præsentiam, postmodum absens meditatur, & contemplatur, subindè de ejus pulchritudine cogitat, nec parem invenit; quomodò denuò ejusdem præsentia potiri possit, speculatur. Hinc varios sermones, confabulationes, subrisus, tactus, oscula, amplexus, & forsan, quæ scribere non licet, meditatur. Undè fit, ut subindè in somno postmodum amasiæ species, & actiones cum eâ occurrant: tandèm ità determinantur spiritus, ut non nisi amasiam repræsentent. Hinc tale subsequitur delirium, quod amans fœtus æger, continuò putat se amasiam habere ante oculos, undè indè incipit cum eâdem confabulari, ridere, adulari, precari &c. utut neminem præsentem habeat, & tamen ipse delirus amans est amator, & amasia.

Tanta est huic truculentissimò rabiei seminio sese propagandi vis, ut facilè, & pluribus modis in alios se insinuare possit: ideòque non tantum ex morsu, accepto vulnere rabiem quamplurimi contraxerunt, verùm etiam multi saliuâ, vel spumâ superfusi sine morsu, suo tempore nihilominus rabiem perpassi sunt. Id tunc contigit, cum salinæ scoriæ summum exaltationis, & volatilitatis gradum nactæ sunt, & epidemidem, imò cutem penetrant, adeò malignum est istud seminium, quod rabiem infert, & demorsum perimit, undè tradidit *Gal. lib. 6. de loc. aff. Rabidorum canum saliva nuda corporis membra contingens, non aliter homines rabidos efficit, quàm si morderentur.* Et matthiolus in lib. 6. Dioscoridis cap. 36. inquit: *Nec parvipendat aliquis spasmæ contactu inferi posse homines: quippè quòd duos viderim ego, qui spumâ tantùm perfusi, nullo quidèm ex morsu accepto vulnere rabiem contraxerunt.* Refert *Hildanus cent. 1. obs. 86.* quòd *vestis mulieris à cane rabido lacerata, cum filo dentibus abscisso resarciretur, post tres menses hydrophobica facta fuit.* Nonnulli ex solâ manus impositione in rabidi canis os rabiem contraxerunt. Ex canis rabidi osculatione rabiem contractam fuisse à quodam aurigâ nos observavimus. *Zacutus lusitanus lib. 3. prax. admir. obs. 86. ex osculatione demortui canis rabidi rabiem contractam refert.* Mirabilius est, quòd *tit. loc. obs. 83.* narrat, *quòd nempè quidam vulnerati gladio, quo ante octo annos canis rabidus occisus erat, post triennium rabidi interierunt.* Imò ex rabidi animalis halitu multos interiisse compertum est. Proindè pernicioſum censemus cibum, vel potum esse sumendum, quem homo rabidus, vel à rabido animali demorsus, ac propterea de rabie suspectus, gustavit, quia salivâ fortasse infectus, aut alio quovis modo oris spumam contigerit.

Prognosis.

Canes triplici in statu mordere possunt, vel dum ludunt, vel dùm irati, vel dùm rabidi sunt; canis ludentis morsus tutus est, irati periculosus, omninò periculosissimus est rabidi morsus. Salutis spes in demorso à rabido animali esse potest, si è vulnere copiosus efflu-

effluxerit sanguis, vel dum curatur vulnus, sponte multus eruperit sudor, vel copiosa urina, præcipuè nigra excreta fuerit: verum hisce evacuationibus non nimis, firmiterque fidendum est. Multoties, qui à rabioso demorsi sunt cane, neglectis præsidiis, vel malè curati per quædam vana medicamenta, vel quia se curatos putârunt, post quadraginta dies in hydrophobiam, aquæ, sive liquidorum omnium fugam, & metum inciderunt. Si malum eò devenit, ut rabies, & aquæ timor adsit, tum certissimam inexpugnabilis veneni, & mortis præbet prognosim, & demorsi vita est in ipso mortis limine, ut *Celsus* inquit: *Miserrimum genus morbi, , in quo simul ager, & siti, & aquæ metu cruciatur, quo oppressis in angusto spes est.* Nullum ferè, quem aquæ timor jàm corripuit, etiam si idonea adhibeantur præsidia, evasisse assidua observatio docet; alios enim quatuor dierum spatio, alios tandèm intra septimanam miserabiliter mortem subiisse observavimus.

Dignum exquisitione videtur, an hydrophobia solum animalium rabidorum morsûs sit inseparabile, & pathognomonicum signum? Res adhuc in dubio est, ex eo, quia multorum auctorum observationes prostant, nullo rabidorum animalium morsu præcedente hydrophobias ortas. Talis hydrophobiæ exemplum citra rabidi animalis morsum refert *Borellus cent. 3. obs. 38.* Sic hydrophobiam in febre malignâ citra morsum obortam narrat *Salmuth. cent. 2. obs. 52.* Duo exempla admodum notatu digna refert *Sanches in suis operibus obs. pag. 378.* Hydrophobiæ enatæ citra morsum alicujus animalis rabidi, seu canis rabidi. *Refert hydrophobiam cum febre continuâ citra ullum morsum ab animali rabido, in qua non poterat ferre adspectum aquæ, neque potûs cujusdam, aut vini, aut jusculorum, subindè enim collo convellebatur: agnoscebat se non posse sine potu vivere, sed ubi scyphum admovit, & horror, & tanta concussio apprehendebat eum, ut totus pertremisceret, ut sudaret, & convelleretur. Hinc quinto die periit.* Alterum exemplum, quia huic est simile non describimus. Quinque exempla recenset *Marcellus Donatus lib. 6. de hist. med. mirab. cap. 1.* eorum, qui non aliundè communicato hoc veneno, sed in corpore genito, in hydrophobiam inciderunt; similemque historiam affert *Petrus Salius Diversus de affect. partic. cap. 19.* Putârunt isti auctores hujus mali causam in corpore humano, nullo præcedente ab animali rabido communicato seminio, generari posse, humores nempè ita corrumpi, ut veneni rabidi animalis vicem habeant, & eadem, quæ illud, symptomata, inducant. Verumeniverò hoc quidèm certum est, posse humores in corpore nostro ità corrumpi, ut venenorum naturam induant: sed hoc admiratione dignum est, posse hoc tàm determinatum, & speciale venenum in corpore nostro nullâ accedente causâ externâ generari. Credat, qui vult horum, & aliorum auctorum exempla, & historias illas non in dubium vo-

camus, verum nos, qui animum scrupulosum, simulque veritatis avidum habemus, non ità facilè credimus, sed de unaquaque re dubitamus, hinc nullo modo adduci possumus, ut credamus has hydrophobias, nullo prægresso animalis rabidi seminio, natas: sedulò itaque harum causas pervestigandas esse existimamus, cum non solum morsu, sed multifariam seminium hoc communicari possit, non tantum ideò de eo rimari oportet, an nuper, an unquàm tale quid ipsi acciderit, an salivâ, seu spumâ perfusus, vel quoquo modo in corpus immissâ, an animalium rabidorum carnes occisorum, vel rabie defunctorum, vel ab animalibus rabiosis semicomestas, vel tactas comederint; solent enim hæ carnes homines in rabiem agere, & plura extant exempla. *Fernelius de abd. rer. caus. lib. 2. cap. 14.* refert: *Venatores quosdam, cùm in lupum saviorem incidissent, illum trucidatum, in varia obsoniorum genera apparasse, & coxisse. De quo omnes, qui esitarunt, non multo pòst tempore, rabie correpti sunt, atque alii perierunt, alii sociorum morte prudentiores facti, sibi prospexerunt. Ex Gyraldo* narrat *Bauhinus, hospitem quendam sceleratum convivis carnes suis à rabido cane demorsæ apposuisse, ex cujus esu omnes rabiem contraxerunt. Idem hoc* narrat: *suem, cùm in rabiem acta esset, à rustico occisam, & sepultam esse. Sed cùm negligentius, & non satis profundè eam sepelisset, accidit, ut tempore hyberno cadaver erutum vulpes devorârint, ex cujus esu vulpes & ipsæ rabidæ evaserunt: à quibus postea, & aliæ pecudes, equi, & ipsi etiam homines læsi sunt, & omnes, quotquot demorsi fuerunt, rabidi evaserunt, & maximâ parte miserè perierunt.* Hinc cum seminium hoc multos annos antequàm vim suam exerat, latere in corpore possit, & dulciter decepti isti auctores crediderunt, nullo prægresso rabidi animalis morsu hydrophobiæ causas ortas, & in corpore genitas.

Quocumque modo rabiei seminarium homini communicatum fuerit, non mox sese exserit, sed aliquandiù nihil mali sentit homo antequàm erumpat: sæpè non solùm per menses, sed interdum biennium, triennium, item per plures annos in corpore seminium istud hydrophobiæ malignum latere potest. *Fracastorius lib. 2. de morbis contag. cap. 10.* inquit: *Serpit tam insigniter, & per mora, ut rarissimè ante vigesimum diem prodatur infectio; majori ex parte post trigesimum; multis nonnisi post quatuor, aut sex menses; quibusdam etiam post annum. Aliqui & post quinquennium manifestari tradiderunt. Vidi ipse puerum, qui octavo post mense, ex quo demorsus fuerat contagionem ostendit, ex qua mox periit. Imò memoriæ proditum est, malum hoc in sexum, septimum, imò duodecimum annum dilatum fuisse. Lindanus super Hartmannum* hydrophobiæ lethalis exemplum refert tredecim annos post canis morsum, quæ evenit. Et *Guainerius tract. de Venen. cap. 11.* narrat: *Venenum à canis rabidi morsu quod per 18 annos latuerat, excitatum fuisse, cùm morsus sub sorbi umbrâ maneret, ægrumque intra tertium diem rabidum mortuum fuisse.*

Si

Si quæras, cur hydrophobiæ seminium absque ullâ vitæ noxâ in humano corpore diu latere possit?

Respondent bardi Galenistæ hoc provenire ab occultâ qualitate, quia furtivo modo diu in corpore delitescit, post quod tempus erumpit, quasi occultarum qualitatum actione; optimum quidèm responsum, sed occultum per occultius, & obscurum per obscurius procedit.

Sed, ut nostram adducamus sententiam, dicimus, quòd venenum, cum sit vitæ nostræ exoticum, nullo modo à calore nostro domari, aut vinci potest, quamdiu veneni naturam retinet, hinc tandèm suam exserit vim hoc citius, illud tardius, quæ diversitatis ratio, vel ex veneni, vel ex subjecti parte dependet. Hinc deridendi sunt illi, qui putant fieri posse venenum, quod certis temporibus, hoc est certo, & præfixo tempore mortem, afferat ut bimestri, trimestri, semestri, anno completo, etiam biennio, non ocyus, neque tardius determinato tempore; nàm quod venenum ocyus, vel tardius occidat, non tantum ex innatâ ejus vi, sed etiam magis, vel minus ex ejus constitutione, qui venenum assumpsit, provenit. Id nos quotidiè experientia docet: siquidèm constat idem venenum eodem pondere, vel eâdem quantitate diversis naturâ exhibitum, non eodem tempore, neque omnes perimere. Itaque quamvis forsan plures ab eodem cane, aut lupo rabido mordeantur, alius tamen uno, alius duobus, tribus, aut pluribus, & pluribus mensibus post rabie corripiuntur, quòd nimirum alio ad veneno resistendum est fortior, alius verò debilior, & hoc tum veneni, tum subjecti ratione. Ratione veneni, quandò illud est exaltatum, activius, & volatilius, ac suâ activitate, & volatilitate citius suam exserit virulentiam. Sic in regionibus, & temporibus calidis efficacius, & citius agit, quàm iisdem frigidis. Contrà ex parte veneni, quandò illud est magis fixum, quàm volatile, lentè suam exserit vim, & diutissimè delitescit absque sanitatis læsione, non secus ac favillæ sub cineribus, ejusque seminium per multum tempus durat. Ratione subjecti, si corpus sit calidum, ocyus rabidum virus agit; si verò frigidum, vel crassis exuberat succis, vel si victu utatur, qui veneni hebetandi vim habet, malum diutius reconditum manet. Verum utut protrahatur, nisi præsentissimis remediis, & ferè mox in principio è corpore eliminatum fuerit, sensim, & insensibiliter radices agit, & vires acquirit eundo, vitamque furtim oppugnat, atque ejus vehementiæ, & potentiæ est, ut à calore nostro superari non possit, & tandèm exaltatur, volatilizatur, donec jam dudum demorsi vitam, in certum, & inevitabile exitium conjiciat, vel præcipitet. Sat digressi sumus, redeamus nunc ad prognosim.

Cum in membra principalia, & præcipuè phantasiam, & ratio-

Unable to display this page

fecti conditio id permittat; attamen hæc auxilia chirurgica, quandò primis diebus in vulnere fuerint intermissa, postmodùm incassum adhibentur, quia virus ad interiora penetravit.

Super vulnus aliqui imponunt *panis frustum olei, & butyri æquali quantitate inunctum*, quod posteà in aquam abjiciunt. Alii superligant *halecem salsam*. Aliqui *ol. Scrop.* secundum Matthioli descriptionem Multi *theriacam* præferunt exterius supra morsum illitam: Sed hæc, quæ nostro tempore conficitur, non adeò præstat, ac proindè non possumus illi fidere, nisi facto priùs de eâ periculo in gallis à viperâ demorsis, quo mediante, etiam interius sumi potest. Miscetur theriaca quandòque cum succo rutæ, vel cæpâ contusâ. Vulgares medici animalia viva, ut columbas, gallinas, plumis priùs avulsis, podicem vulneri admovent, & si una moriatur, statim aliam applicant, vel gallinarum, aut columbarum pullos per medium dissectos adhuc calentes læsæ parti imponunt. Verùm his præsidiis vulgarium nulla est adhibenda fides; per hæc namque divinando potiùs progredimur, quàm quid certi molimur.

Rabidis instituenda est exactissima diæta, attamen indigentia, & satietas vitanda, sed magis indigentia. Sit alimentum, quod rectè conficiatur, & optimum præbeat succum. Nutriendi sunt herbis, quæ frigidæ existimantur, at cichorium agreste multùm confert. Prosunt gammari, cancri, & eri-nacei cum vino mulso, nec non carnium extremitates, & omnes aviculæ montanæ, quæ facilè concoquuntur, & boni sunt succi. Potus esse debet aqueus, & vi exhibendus, si ab eo demorsus abhorreat, quia venenum eluit.

Venæ sectio interdicitur, quia potius obest, quàm prodest; cum sanguinis missio venenum potius in venas, & partes principes trahat, quàm extinguat, vires dejiciat, & venenum exagitet.

Medicamentum, quod aluum citat, & humores dejicit, omninò vitandum est; quippè hoc à circumferentiâ ad centrum trahendi facultatem habet, & facilè ægros in mortis discrimen trahit. Præterea secundum vulgares hujus veneni natura non primis qualitatibus, & manifestis sed in occultis, nec qualitatum primarum alteratione, nec purgantibus, sed alexipharmacis, & totâ substantiâ agentibus curatur. Item purgans nostro est adversum calori, ac proindè vires potius frangit, quàm tuetur. Nihilominus si sit longum tempus, ex quo æger morsus fuit, & nondum perfectè sit rabiosus, utut imminentis rabiei signa se produnt, in his, & similibus casibus auctores utilem commendant catharsin per inferiora. Nàm testatus est *Dioscorides* suo tempore catharsin his tantum opem ferre, qui jàm incipientem tantummodò conquerantur hydrophobiam, seu aquæ metum. Et sumto helleboro simul ac primum morbi impetum sustinuerint, cum impetu expurgati multi certâ experientiâ fuêre

sanati:

sanati: Addunt multos canes rabidos helleboro cum polentâ assumto evomisse, & statim ad se redisse à rabie liberatos. Hinc post helleborum etiam Hiera, quæ colocynthidem recipit, non parum commendatur. *Palmarius* refert, se multos, nosse rusticos, qui propinato pharmaco vehementi, quo unâ, eâsdemque operâ vomitione, & dejectione supervacanea omnis generis è corpore excluderentur, demorsos ab hydrophobiâ evasisse.

Rabiei aut incipientis, aut morsûs jàm dudùm à rabido inflicti indicatio curativa est, ut sal excrementitium, sive scoriæ salinæ, vel suphureæ demorso communicatæ, sive recenter, sive jàm pridèm, per medicamenta appropriata, & alexipharmaca eliminentur, obtundantur, vel præcipitentur. Igitur hæ particulæ, in quibus, ut diximus, tota veneni rabifici ratio sita est, quomodocumque communicatæ, quæ rabiem inducere incipiunt, per medicamenta sudorifica eliminantur, hujusmodi sunt *tinctura bezoardica, mistura simplex, salia theriacalia, theriaca Diatessaron &c. cum aquâ, vel spiritu cancrorum fluviatilium.*

Salinas, sulphureasque scorias ferocientes obtundunt opiata, ut

℞. *Theriacæ recentis* ℥. j.
Exhibeatur tertio quoque die.
Vel
℞ *Pilul. de cynogloss. gr.* xv.
exhibeantur quarto quoque die.
Vel
℞. *Confect. Nepenth. gr.* ij.
exhibe quarto quoque die.

Rabidum venenum præcipitant quædam alexipharmaca specifica, & præcipuum, ac infallibile describit *Galenus*, quod ab *Aeschirone suo magistro empirico* didicit, & longâ comprobatum fuit experientiâ, ut demorsos rabidos nunquàm salute defraudaverit. Insinuat illud *Gal. 2. Med. per gen. cap. 16. & lib. 1. de Antidotis cap. 2.* quod hoc componitur modo:

℞. *Ciner. cancr. fluviatil. lib. ß.*
rad. gentianæ pulver. ℥. ij.
thuris pulu ℥. j.
m. omnia simul per minima,

& quantum capit cochlear argenteum de pulvere demorso exhibe in aquâ, vel alio liquore singulis quibusque diebus usque ad diem quadragesimum manè jejuno stomacho. Si primis diebus non sumpserit, duplicatâ dosi sumat. Hoc medicamento tutus esse poterit demorsus, & medicus, cui nunquàm visus sit, qui hoc usus fuerit, in hydrophobiam incidisse. Est tamen advertendus in hujus medicamenti compositione pharmacopœorum error, enimverò illi cancros vix calore exsiccatos in pulverem redigunt, & pro pharmaco venditant, cum Galenus tum in citatis locis, tum alibi expressè præcipiat cancros perfectam calcinationem in pulverem redigi debere, qui cinis mirabiliter quoque marasmaticis, tabidis & animi passionibus affectis exhibitus prodest ob symbolum, quod inter hos intercedit morbos; experientiâ enim anatomicâ constat, tàm in pericardiis rabie defunctorum, quàm eorum, qui tabe, vel animi

animi pathematibus perierunt, nullam penitus inveniri aquam, cum in aliis quovis morbo defunctis pericardia copiosa aquâ madentia inveniantur.

Puluis cancrorum fluviatilium etiam aliis modis sumi potest, ut

℞. *Cancr. fluv. calcinat.* ʒ. iij.
radic. gentianæ ʒ. ij.
terræ sigillat. ʒ. ß. *m.*

Hujus pulueris ʒ. j. præbe in decocto cancrorum fluviatilium, subindè repetendo.

Vel

℞. *Pulv. cancr. fluv.* ʒ. ij.
gentianæ, &
myrrhæ ana ʒ. j.
m. cum vino,

& propina. Item experta alexipharmaca contra rabidi canis morsum sunt *Alyssum, radix vincetoxici, ruta, carduus Mariæ, gentiana*, & hoc genus alia. Inter hæc primas obtinet alyssum quomodocumque usurpatum. *Radix vincetoxici ad* ʒ. j. *cum aquâ cardui benedicti* ad 40. dies plurimum commendatur. *Semen cardui Mariæ ad* ʒ. ij. aliquoties sumtum, expectato sudore, tanquàm specificum extollitur. Item summum alexipharmacum est gentiana cum theriacâ, ut

℞. *Gentianæ pulverisatæ* ʒ j.
cum theriacæ ʒ. j.

tribus diebus omni manè propina, desuper j junando per quinque, vel sex horas, & stragulis benè rectus d morsus sudorem expectet. *Terra sigillata*, item *terra sancti Pauli dicta, seu terra Melitensis* contra canis rabidi morsum internè conducunt. *Theriaca, & theriacalia* in frequenti usu sunt à ʒ. j. ad ʒ ij. assumpta. Sed præ his *Theriaca Diacessaron* reliquis est præferenda, quia ejus ingredientia contra canis rabidi morsum sunt specifica. Vehicula, in quibus hæc medicamenta propinantur, sunt *aqua scordii, cardui benedicti, tormentillæ, rutæ caprariæ, aqua theriacalis*, & similes.

Quòd si æger aquam reformidaverit, frustrà adhibentur remedia, & de ægri vitâ actum est. *Celsus lib.* v. *cap.* 27. sequens commendat remedium: *Sed unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non antè ei prævisam projicere. Et si natandi scientiam non habet, modò mersum bibere pati, modò attollere. Si habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aquâ satietur. Sic enim simul & sitis, & aquæ metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aquâ frigidâ vexatum nervorum distentio absumat. Id ne accidat, à piscinâ protinus in oleum calidum demittendus est.* Et hoc quidèm ceu expertum commendat *Helmontius in Tractatu, Demens Idea*, asseverans rabiosum in mare projectum liberatum fuisse. Confirmatum hoc videtur per experientiam *foresti lib.* 10. *obs.* 27. & 28. similiter in *Schenckio lib.* 7. *obs.* ubi plura sunt exempla curatarum rabierum per immersionem in aquam frigidam. Suffragatur in aquam rabidi submersio, & post horæ quadrantem extrahendus, & ut aquam evomat, procurandum; vivunt enim submersi per mediæ horæ spatium à submersionis puncto nàm in declivi positi per abdominis compressionem aquam evomunt, & revivisc unt. Verum extremum est præsidium, tunc con-

veniens cum de ægri vitâ conclamatum fuit, non sine tamen summâ consulentis ignominiâ; accidit enim quandoque hujusmodi ægros aquæ attactu mortem subire, ut in nonnullis experti fuimus, & irreparabile mortis excidium, quod tanto debetur morbo, consulenti adscribatur.

Verum quid immoramur pro tàm sævo curando morbo in remedia venando? Cum pauci, & ferè nulli hac nostrâ tempestate à cane rabido demorsi sint, qui opem implorent medicam. Nàm tanta est nostræ religionis vis, ut cuncti, quos rabidi momorderint canes ad Divi Viti templum confugiant, ubi quibusdam exorcismis, pane characteribus obsignato, vel aquæ benedictæ potu à sacerdotibus perquàm facilè sanantur.

Sed quonàm pacto tàm facilè hoc eveniat, potius credendum, quàm exquirendum; attamen nonnulli vulgares hanc piam adducunt rationem, seu conjecturam, quòd cacodoemones in rabiem agitant, impelluntque canes, ut hominibus inferant morsus, & quia in atrabilariis humoribus suam habent sedem, per canum morsus in humana se intrudunt corpora, & rabiem inducunt: supervenientibus deindè exorcismis facilè cedunt, & libera afflictorum corpora relinquunt, sublato secum veneno. Verum hæc ratio est barda, nec apud omnes credulitatem habet; nàm primò, licèt quandòque ex divinâ accidat permissione cacodoemones in rabiem concitare canes, id tamen perpetuum non est. Secundò, cur cacodoemones canis morsu indigent, ut per illum in corpora se intrudant ad rabiem simulandam? Tertiò, cur exorcismus nullo modo est hydrophobiæ prophilacticon? Quartò, cur mania non transit in hydrophobiam, & contrà, cum eundem atrabilarium humorem pro causâ utraque affectio cognoscat?

Aliqui per naturales rationes hujus affectus causam venari conantur: inquiunt enim in hoc curando morbo, sumto pane, & aquâ benedictâ, magna accedit laborantium fides, ob quam animal semel credens unum aliquid, cessat, deindè quiescit à credendi consideratione. Non hìc loquuntur de fide Christianâ, dono Dei supernaturali, sed intuentur tantum confidentiam, tam scilicet delusionem credendo, quàm rei certæ putationem, nàm Deus non operatur miracula, nisi pro abditis suis judiciis, fides sive confidentia ergò, de qua hìc loquuntur, est medium animositatis naturale, pugnax, & validè terrori resistens, quo posito, anima in præternaturales se adigebat motus. Nec ista fides debet esse positiva, credo, sed potius negativa, non horrens, non timens. Hac ideâ confidentiæ vita, quæ est morborum effectrix, rabidi canis virulentiam non amplius sentit, imò per partem demorsam, urinam, insensilem transporationem, alioscque naturales ductus foràs detrudit.

Sint hæc relata philosophandi modo, sub humilitatem ecclesiæ censurâ, quia præter naturalem con-

confidentiam hunc morbum curare valentem, est nostra christiana fides, quæ mirabiliora operatur omnem nostræ mentis captum superantia, & hanc à nobis fidem suscipit D. O. M. cujus solius munere nostra delentur incommoda, atque omnes auferuntur languores.

Cap. XXXI.

De Anatomicâ capitis Historiâ.

In hominis opificio Dædaleam miramur naturam, quæ in solâ capitis structurâ omnes nervos contendisse videtur, nec immeritò id fecit, cum sensuum, vitæque nostræ augustum tectum, immortalisque animæ templum à naturâ in capite, velut in editiori hujus nostræ machinæ arce exercitari debuisset. Sed usu evenit, ut in munitissimis, & sublimes potius arces tormenta jaciantur, & summos feriant montes fulminis ictus: sic capiti, velut in Regiam, & sublimem Palladis arcem hostium vulnera diriguntur, ex quibus totum afflictatur corpus, & undique inuaditur. Hinc jure merito primum caput, deindè reliquas corporis partes à vulneribus vindicabimus. Sed

Antequàm capitis, cæterarumque partium vulnerum signa, causas, prognoses, & sanationes aggrediamur, harum partium anatomen operæpretium tradere dijudicamus; exilem nàmque majestatem obtinet medicina absque anatomes ope: Non loquimur solum hic de anatome locali, nàm secandorum corporum studium planè puerile existimamus. Dissecant vulgares cadavera, & omnium partium figuram, magnitudinem, cavitates, ductus, numerum, situm, cum aliis connexionem, & consensum curiosè inspiciunt, nec ex hac inspectione ad morborum curationem instructiores, & aptiores evadunt. Hæc est anatomia mortua, Laniis communis, & tamen ex mortuis & laruis viventium salutem mendicant! Verum etiam in hac artificiosâ dissecandorum corporum peritiâ torpor, & ignavia prævaluit, & à pristino indolis candore degenera it. Coeterum etiam loquimur de anatomiâ vitali, quæ corporis morbosi accidentia meditatur, & subjecti proprietatem novit, sine cujus cognitione aliàs nullus est medicus, & sic una est, & vera anatomia, quæ ex dictis duabus progreditur.

A capite itàque capimus initium, habet hoc figuram non exactè sphericam ob cerebri molem, (homini nàmque præ cœteris animantibus insignis est cerebri magnitudo (sed simul est compressum, & nonnihil oblongum scilicet anterius, & posterius aliquantulum protuberans, à Lateribus verò depressum & pro tutiori munimento totum osseum est.

Dividimus caput in duas partes, quarum una est plena capillis, & dicitur capillata, ab aliis verò nominantur communiter nomine generis, nempè caput; altera verò pars quæ capillis caret, pecu-

liari nomine, facies, seu vultus appellatur.

Pars capitis capillata dividitur in quatuor regiones, quarum anterior, quæ supra frontem est, appellatu, *Sinciput*, & est pars anterior à fronte ad futuram coronalem usque; posterior verò supra humeros posita appellatur *Occiput*, estque pars posterior ab initio futuræ Lambdoidæ ad primam cervicis vertebram usque. Media regio inter has enumeratas partes, quæ globosa est dicitur *Vertex*, laterales verò partes, quæ sunt inter oculos, & aures, appellantur *Tempora*.

Pars capitis glabra, facies dicta, præter partes continentes, propias habet partes, vel superiorem, quæ frons appellatur; vel inferiorem, in qua sensuum organa sunt, ut oculi, nares, aures, & os, in quo lingua, aliæque partes latitant.

Capillata habet alias partes vestientes, & externas, alias verò contentas, & internas; vestientes, & externæ vel sunt communes, ut cuticula cutis pilosa, pinguedo, membrana carnosa, vel propriæ, ut pericranium, perioſtium, musculi, ossa, men nges; contentæ sunt cerebrum, cerebellum, & medulla in caluâ, partim verò in spinâ existens.

Primum, quod occurrit in hac parte capillata sunt capilli, inter quos deindè sese offert *Cuticula*, hinc *cutis*, quæ in hac parte insignem habet crassitiem, ut externarum injuriarum vim facilius eludat, eique capilli firmius, ac profundius adhæreant. Hæc non ità est exquisito prædita sensu; siquidèm ejus membrana est musculosa, & non nervosa, & sic mobilis, sponte nostrâ. Cuti substernitur *Pinguedo* pauciſſima, (Riolanus hîc nullam agnoscit) ne vaporum transporationem denſior infractus impediret. Pinguedinem sequitur *Panniculus carnosus*. His subiicitur *Pericranium*, quod est membrana tenuis, mollis, densa, & firma, quæ exquisito gaudet sensu, propter nervos ad occiput per eam, & tempora dispersos. Pericranium vulgò à mininge oriri creditur: verum suum ducit ortum à tendinibus musculorum frontis, temporum, & occipitis, circum cranium expansis. Hæc externa capitis integumenta venulas ab extrinsecis vulgaribus, & arteriolas à carotidibus internis recipiunt. Pericranio substernitur *Perioſtium*, quod immediatè capitis ossibus adhæret, estque membrana tenuissima, & nervea, ideo que admodum sensibilis, & acuti sensus, cujus beneficio cranium sentit, sicut & omnia ossa cincta sensum habent, dentibus exceptis, qui partim à perioſtio radices investiente, partim ab interiore nervulo sensum habent. Perioſtium sicut cranio firmiter adhæret, ità etiam pericranio tàm exactè jungitur, ut simul unam membranam constituere videantur, quod multos decepit anatomicos; hinc scripsêre idem in capite esse pericranium, quod in aliis partibus perioſtium.

Post prædictas partes ossea capitis

pitis pars apparet, quæ *Cranium* dicitur, estque globosa, & rotunda, interius concava ossea pars cerebrum continens, ità appellatur, quod veluti Cranon græcè, seu galeæ militaris inter, cerebro ad munimen circumdetur. *Calva* etiam, & *Calvaria* dicitur, quia caput capillis privatum conspicitur calvum. Barbaris etiam à duritie, & rotunditate *Testa* nominatur.

Cranium hoc in embrione membranaceæ, in recens nato cartilaginæ videtur substantiæ, atque etiam per aliquot annos ejusmodi mollitiem servat, ossis mollioris instar, & pressioni cedit, in primis superiore capitis parte circa futuras, ut copiosa cerebri humiditas, quæ in infantibus redundat, commodius exhalare possit. Deindè ad majorem cerebri tutelam sensim induratur, aliorum ossium instar, crassaque fit, sed rarior, & in medio spongiosa manet ad faciliorem vaporum transitum. Crassities variat pro ætatis diversitate, imò neque eadem est in eâdem ætate, regionum quoque diversitas in hac parte multum facit. Sic refert *Herodotus* Persarum crania valdè tenuia, & fragilia esse, ità ut facillimè perforentur; Ægyptiorum verò admodùm crassa, & firma esse, ità ut vix lapidis gravioris ictu confringantur. Ad hæc, in delicatis utplurimùm minor crassities, ac durities reperitur, quàm in rusticis, aliisque durioribus hominibus, cujus rei causa esse putatur, quòd delicati caput semper benè se tegant, ab eoque æstum, & omne frigus arcent; rustici autem per æstus, & frigora intensissima nudo capite incedant, quo æstu in primis, & frigore ossa indurantur, & crassiora fiunt: atque hinc monemus puerorum capita non esse multum tegenda, cùm per nuditatem potiùs corroborentur, & externis injuriis ferendis aptiora evadant.

Constat autem cranium duabus tabulis, seu laminis, externâ, & internâ, quarum illa crassior, & æqualior, hæc verò durior (& propter singularem duritiem, & fragilitatem vitrea appellatur,) & multis sulcis exarata: ut locum concedat vasis duram meningem perreptantibus, à qua meninge nonnulla insignia vasa juxta aures intra geminas cranii laminas se insinuant, meditullium interjectum irrigantia.

Inter has tabulas media latet substantia quædam spongiosa, & cavernosa, medullarem subcruentum succum ad cranii nutritionem continens, qui conficitur ex sanguine influente per minimas arteriolas exilia foraminula tabularum transeuntes, atque hic est ille sanguis, qui dùm cranium trepano perforatur, & ubi ad Diploëm deventum est, rubicundus nonnihil effluit. Meditullium hoc spongiosum duplici tabulato cranii interjectum ab anatomicis *Diploë* vocatur.

Hoc meditullium alibi majus, alibi minus cernitur, nonnullis in locis vix animadvertitur, ubi ambæ tabulæ simul coire, & cranium simplex, ac pellucidum consti-

tuere videntur. Refert *Bartholinus* se cranium secuisse, in quo hæc media spongiosa substantia omninò deerat, totumque cranium ex unâ tabulâ constare videbatur: fortè quod ob senium, exsiccatis, & contractis ossibus, non manifestè apparuerit. In spongioso hoc medituillio nonnunquàm, præcipuè in lue Venereâ inflictis, vitiosus quidam humor colligitur, qui temporis tractu virulentus, & acrior factus, tabulas ipsos, frequenter autem exteriorem ab minorem duritiem exedit, ac in periostio, & pericranio diros excitat cruciatus: nonnunquàm etiam interiorem unà cum exteriore ab eo erosam, sicque totum cranium perforat.

Quamvis caput unico cranio contiguo circumdatum sit, os tamen continuum non est, sed ex diversis inter se commissis constat, quorum tamen in omnibus certus numerus non est, sed pro ætatis varietate variat, ità ut in nupèr natis, & in decrepitis pauciores cranii partes, seu ossa commissa inveniantur. Communiter autem in mediâ viventium ætate advertuntur, quorum duo communia dicuntur, reliqua sex propria, suntque primum *frontis os*, aliàs *coronale*, *inverecundum*, *vel puppis* appellatum, secundum os *occipitis*, vulgò *Basilare*, tertium, quartum ossa *occipitis*, *seu bregmatis*, quintum, sextum duo *ossa temporum*, quæ etiam *petrosa*, *mendosa*, *& squamosa* vocantur. Hæc in suâ connexione certas efficiunt suturas, quarum tres communiter notissimæ sunt, nempè prima *Coronalis*, os frontis ab ossibus syncipitis dirimens, secunda sagittalis, quæ & virgata, & jugulis dicitur, hæc media est inter suturam coronalem, & lambdoidem, tertia *lambdoides*, *seu ypsiloides*, quia latum literarum græcarum figuram refert. Præter has veras enumeratas suturas etiamnum quædam nothæ, seu falsæ sunt, propriisque nominibus distinguntur ab anatomicis, qui de hac re videantur.

Præcipuus suturarum usus est, partim ut vaporibus exeuntibus faciliorem transitum præbeant: partim etiam, ut fissuræ, quæ in cranio contingunt, se non extendant ulterius, quàm per unum os, & in proximâ suturâ sistantur. Adde, quòd per has fibrillæ à durâ mininge transeant pericranio connexæ (ab his per cranii exteriora expansis pericranium generari non pauci existimant) ex quibus dura meninx unà cum cerebro suspensa tenetur, ne à valido sa tu, aliove motu loco moveatur, sicque ventriculi cerebri concidant. Atque hinc benè scribit Hip. illos sanioris capitis esse, qui plurimas habent suturas; & contrà, si sine suturis sint capita, pejus valere, nàm in his multi, & sæpè vitiosi vapores detinentur, cephalææ, epilepsiæ, aliorumque gravium morborum causæ: præterea ab externo incidente ictu, vel casu facilè rumpuntur, longasque fissuras contrahunt.

Ablato cranio partes cerebri interiores in conspectum veniunt, inter quas immediatè occurrunt duo

duo velamenta, seu membranæ totum cerebrum ambientes. Græcis *Meninges*, Arabibus *Matres* appellatæ, quia matris modo cerebrum fovent, necessè autem fuit has meninges sub cranio ponere, easque duas, tum ut cerebrum melius foveretur, tum etiam ne ab osseâ cranii duritie læderetur. Una exterior est, quæ cerebrum immediatè non ambit, à substantiæ crassitie, & duritie, *Crassa Meninx*, & *Dura Mater* appellatur, hæc laxo ambitu cerebrum amplectitur, tantùm ab eo distans, quantùm motûs commoditas exigit. Simul etiam totum interius cranium laxiore copulâ investit, ità ut ab eo plerisque in locis facilè dimoveri queat, sicut perforato per terebram cranio, id levi depressione fieri solet. Basi tamen arctissimè jungitur, ut non facilè ab eâ divelli possit, & futuris firmiter adnectitur per fibras, atque circiter semidigiti latitudinem à lateribus futuræ sagittalis, necnon multoties etiam prope ejusdem concursum cum coronali, mediantibus minimis vasculis, quæ versus diploidem emittit, duobus, tribus quatuorvè locis nonnihil adhæret; quibus locis, cum cranium avellitur, puncta sanguinea è vasculis illis diruptis pullulant.

Foraminibus multis ad vasorum transitum pervia est, uno præterea magno ad medullæ descensum, altero versus glandulam pituitariam; qua verò parte ossi cribriformi cohæret, instar cribri perforatur, seu potius per ossis foraminula tenellos tubulos ad nares transmittit.

Exterius asperior, & durior, cranium, ejusque sinus, ac cavitates succingit, & fibrillis plurimis per futuras serratas transmissis, eidem adhæret. Interius lævis, ac lubrica est, humore aqueo perfusa. Tenui meningi multis in locis cohæret mediantibus vasis.

Arterias ab arteriæ carotidis ampliore ramo productas, per foramina ossis cuneiformis, & frontis transeuntes recipit, Venas copiosas ad sinus, & internæ venæ jugularis ramum emittit.

Duplicatur dura meninx in capitis vertice, ubi cerebrum dividit in partem dextram, & sinistram: & quia hæc reduplicatio in parte posteriore latior est, & sensim posteà arctatur, ut falcis mesoriæ figuram representare videatur, *Falx* appellatur. Quadruplicatur etiam, ubi cerebrum à cerebello distinguit. In falce hac semper sinus inveniuntur quatuor, quandòque septem, in quos arceriæ carotidis plurimi rami inseruntur, jugularibus post conjungendi.

Altera membrana interior est, quæ exquisitissimo gaudet sensu, plurimisque arteriolis, & venulis quàm crassa ac *tenuis meninx*, & *Pia mater* appellatur, quia admodum subtilis, & tenuis est, & piæ matris instar, immediatè, ac molliter cerebrum, ejusque partes investit, ac penetrat, & ne defluant, impedit, simulque gyros ejusdem, & anfractus profundius involvit, ac summitates eorum colligit, sique per totam exterio-

rem

rem cerebri superficiem quasi planam reddit : qua connexione superiore solutâ, gyrorum anfractus, quia hac meninge sunt vestiti, facilè separari, & explicari possunt. Ab hac tenui meninge procedit etiam tenuissima membranula ventriculos cerebri exterioris vestiens.

Remotis duabus cortinis, sacrum Palladis templum ingredimur, in quod, tanquàm in majestatis thronum anima princeps è suo domicilio scandit, ut ibi sensuum internorum, externorumque tum voluntarii motûs ministerio omnes exerceat functiones. In hoc enim partium sensationes percipit, ac dijudicat, & ex eo tanquàm, ex scaturigine, suæ benignitas radios, nempè spiritus animales genitos, per nervorum rivulos, omnibus sentientibus corporis partibus communicat, & per eos actiones animales edendi facultatem ipsis tribuit.

Cerebrum per se immobile, tanquàm motus principium statuitur, verum per accidens continuè movetur non animali, sed naturali motu systoles, & diastoles, ut videre in capitis vulneribus, in recèns natis, & vehementissimis capitis doloribus, sed hujus motus causam rimari difficillimum est. Aliqui eum meningibus consignant; alii cerebri substantiæ, & alii arteriis. Sed perperàm meningibus tribuitur; nàm ablatâ magnâ cerebri portione, & ipsis meningibus, cerebri tamen motus à *Riolano* observatus fuit. Item malè cerebri substantiæ tribuitur, nàm cerebrum ad dilatationis, & constrictionis motum perficiendum necessariò opus habuisset aut musculis, aut saltèm fibris adeò fortibus, quæ se contrahere potuissent, quibus utrisque caret. Qui hunc motum arteriis tribuunt, sen atè judicant; nàm cerebri motus cum arteriarum motu coincidit, ut in infantum capite, in quorum sincipite cerebrum palpitare conspicitur, quia ossa mollissima sunt, nec dùm satis indurata; & in cranii fracturis observatu facile est. Eapropter in carpo prout pulsus parvus, aut magnus, rarus, aut celer sentitur, ad eam lem normam etiam cerebrum moveri oculis conspicitur, ejusque motus, deficiente in carpo pulsu, eodem tempore omninò deficit, simulque omnium partium animalis motus eo ipso momento oboletur. Quare hic motus præcipuè se exserit circà duræ matris sinus, ubi plures extant arteriæ. Hinc non videtur ad cerebri substantiam recurrendum, ea quoque mollis & flaccida satis admodum inepta existit.

Cerebri substantia peculiaris est, qualis nulla alia in toto corpore, quam glandulæ assimilavit *Hip. lib. nàmque de glandulis* dicit: *Maius est cerebrum, quàm reliquæ glandulæ*, quasi significare vellet cerebrum maximam esse glandulam, ex eo, quod est corpus album, molle, humidum, & quasi subpingue, ut glandulæ. Alii, cum *Platone*, illud inter medullas annumerant, quia ejus substantia est friabilis, & mollis, ac intra ossa continetur, etsi

ab

ab ossium medullâ toto cœlo differat, neque ignem, ut illa concipiat. Verùm cerebri substantia à calore non liquatur, ut medulla, ac proindè errant omnes, qui illud glandulis, aut medullæ annumerant, cùm substantiæ, & structuræ diversitas satis ostendat illud cum iis nullam habere similitudinem. Præterea partis ipsius dignitas, & operationum principum, quas edit, nobilitas, clarè docent illud verissimè viscus esse, non minus quàm cor, & suas proprias, easque principes actiones obire. Substantiam itaque peculiarem habet cerebrum, albam, humidam, mollem instar pingium liquescentem potius, quàm diffluentem; etsi verè pinguis non sit. Mollis est, & humida ad faciliorem imaginum, & conceptuum impressionem; est enim imaginationis sedes.

Humani cerebri magnitudo pro totius corporis magnitudine insignior est, quàm aliorum animalium, & utplurimùm homo duplo plus cerebri habet, quàm bos, nempè ad librarum quatuor, vel quinque pondus, quia animal nobilius est, & forsan quia:

Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

si enim quid mobile rectum stare volumus, pondere ingenti supposito, casurum juvamus.

Inter homines mares plus cerebri habent, quàm fœminæ; maribus enim maximum est datum cerebrum, qui plurimum cerebro uti debuêre, hoc est, functiones animales varias, & præstantes exercere. Ineptè putárunt nonnulli cerebrum, ut & ossium medullas ad lunaris lumenis dispendia, vel incrementa augeri, vel imminui. Verùm horum opinio nullâ experientiâ stabiliri potest, quia unius, ejusdemque animalis cerebrum in diversis lunæ temporibus inspici ac ponderari nequit. *Horstius* scribit se vidisse cerebri substantiam à nimio Veneris usu imminutam. Sed quæso, quomodò scire potuit, an istius hominis corporis, de quo loquitur, anteà plus cerebri habuerit? An illud anteà viderat, & ponderaverat? Nimia Venus cerebrum quidèm debilitat, sed an illud imminuat, certò dici non potest.

Vasa per cerebrum disseminantur varia; nàm si ejus substantiam comprimas, guttulæ, sive puncta sanguinea exsudant, ideòque plurimas venas, & arterias capillares ibi disseminatas habet. Venæ per cerebri substantiam feruntur, sunt primi rami quinque venarum jugularium, quorum aliqui crassæ meninges, & cerebri substantiam spargunturSecundi ramuli utrinque abeunt in cerebri substantiam, ex duræ meningis cavitatibus. Arterias quatuor habet ex carotidibus, & centicalibus, quarum hæ duæ ad cerebellum, illæ ad cerebrum disseminantur supra, intraque.

Nervos nullos habet cerebrum in propriâ substantiâ, cum enim sentiendi organum sit generale, de

omnibus sensibus, & motibus animalibus indicans, debuit sensûs, & motûs expers esse: nàm uno sensu, motuvè præditum, de aliis non benè judicasset, quia singuli sensus ab uno tantùm objecto moventur, ut visus ab objecto visibili, tactus à tactibili &c. Si igitur cerebrum uno aliquo sensu, motuvè præditum fuisset, anima per illud organum de quolibet sensu, & motu justum non potuisset inferre judicium, ac propterea sensus, & animalis motus expers conditum, nec in substantiâ suâ ullis nervis donatum est; Hinc falsa est communis opinio cerebrum esse principium, & originem omnium nervorum, cùm ne unius quidèm nervi sit initium.

Universum cerebrum in duas dicitur partes, anteriorem, & posteriorem, anterior pars propriè dicitur cerebrum, posterior verò propriè dicitur cerebellum, quasi parvum cerebrum. Rursus anterior pars in duas alias dividitur partes, nempè in dexteram, & sinistram, quæ partes à portione quadam crassæ meningis intersecantur, quæ portio meningis, quia hoc loco falcis figuram refert, idcircò appellatur *falciformis, & falx messoria*: illæ verò duæ cerebri partes etiam à similitudine appellantur *duæ Nates Cerebri* facta enim fuit hæc cerebri divisio præsertim, ut cerebri substantiam penetrare possent meninges, quæ ratione venarum, quas continent, deferunt cerebro materiam alimentalem. Istæ duæ cerebri nates non sunt à summo ad imum divisæ, sicut cerebellum, neque omninò divisæ à cerebro, sed tantùm penetrat hæc divisio ferè usque ad centrum ipsius cerebri, quo loco pars quædam cerebri observatur superiore durior, & callo persimilis, undè *callosum* dicitur *corpus*, quorum intermedio cerebrum in se unitum apparet.

Hoc calloso corpore leviter excavato, apparent duæ cerebri cavitates, altera à parte dextrâ, altera à sinistrâ, quæ duæ cavitates appellantur anteriores cerebri ventriculi, & inter ipsos tenuis quædam, & lucida cerebri substantia intermediat, ventriculos dividens, dicitur *septum lucidum*, seu *speculum*, fulget enim instar gemmæ. Quilibet autem horum ventriculorum figuram retinet semicirculi, vel semilunæ, vel auriculæ humanæ figuram representat, ambæ verò sunt in magnitudine æquales, & suis parietibus portione tenuis meningis adhærent. Circa fundum, & infernam partem horum ventriculorum observantur revolutiones quædam, atque texturæ venularum, atque arteriarum, quæ communiter appellantur *Plexus choroides*, sive *Rete mirabile*, qui est elegans, & mirabilis quidèm, è subtilissimâ membranâ, à piâ matre productus, plurimisque glandulis contextus.

Ubi junguntur ventriculi, dicitur fornix, seu testudo, figurâ triangulari, tribus cruribus, uno anteriore, duobus posterioribus. In communi sectione tertio ventriculo superstratum putatur hoc corpus, & corpori calloso subjectum.

A

A fundo horum ventriculorum procedunt cerebri processus, ex eâdem substantiâ cerebrali constantes; & in anteriori cerebri parte in os frontis supra nares finiuntur, qua parte si processus duo tubercula mammarum papillis similia formant, undè communiter appellantur *Processus Mammillares*, propriè verò prædicta duo tubercula ponuntur supra quædam ossa narium, quæ ad modum cribri perforata sunt.

Porrò retrorsum inverso fornice, conspicuus evadit *Ventriculus tertius*, sive *medius*, qui nihil aliud est, nisi duorum præcedentium ventriculorum concursus, sive communis cavitas, ob quam rationem nonnulli hunc tertium ventriculum crediderunt potius esse viam ab anterioribus ventriculis ad posteriorem. Hic tertius ventriculus duos emittit meatus, quorum alter deorsum fertur ad infundibulum, (à figurâ ità dictum: nàm est cavitas orbicularis, amplo principio, hoc nonnulli *Pelvim* appellant) & glandulam pituitariam, per quod pituitosa cerebri excrementa evacuari, vulgò traduntur, sed malè, per ossa quædam perforata in fine palati existentia. Alter posterior & membranâ vestitus, quod foramen quidam *Anum*, seu *ani foramen* appellant, transit sub natibus ad ventriculum quartum, & nihil aliud est, quàm foramen ex conjunctione, seu contactu monticulorum striatorum, & duorum natium, ac testium conflatum.

Protuberantiæ quatuor, quarum superiores, seu anteriores, & majores, à qualicumque similitudine *Nates* dicuntur, inter quas & protuberantias striatas conspicua est rima, *Columbo Vulva* appellata, continens *foramen ani*. Inferiores, & minores *Testes* nominantur, suntque duæ prominentiæ depressæ, natibus subtus firmiter adnatæ, & continuæ. Sunt autem hæ quatuor protuberantiæ, unà cum protuberantiis striatis desuper iis impositis, principia medullæ oblongatæ, inferius cerebro continuata, superius verò, & à lateribus tenuissimâ membranulâ à piâ matre obducta, substantiam habentia quasi ex innumeris tenuissimis fibrillis compactam, qualis per microscopium conspicitur.

Glandula inter testes, & anum, ad foramen ani, quod versus quartum ventriculum ducit, apposita, quæ Græcis *Conarion*, à coni figurâ, Latinis *Glandula Pinealis* dicitur à figurâ nuclei pini: aliis etiam *Penis cerebri* vocatur.

In posteriore, & inferiore calvariæ parte, scilicèt intra ossis occipitis amplos sinus reconditum est *cerebellum*, secundam cerebri partem constituens, quasi paruum, & privatum cerebrum, quia multo minus est cerebro, & utrâque meninge intectum. Formam habet latiusculam, & aliquantulum depressam. Magnitudinem in homine multo majorem obtinet, quàm in brutis. Substantia non multum differt à cerebri substantiâ, excepto quod minus mollis, seu paulò firmior esse videatur. *Processus* obtinet duos *Vermiformes* dictos,

dictos, quia ex multis particulis transversis, & quasi contortis, tenui membranâ copulatis constant, vermium instar, qui in ligno cariosо reperiuntur. Horum anterior in quartum ventriculum prominens, natibus, testibusque adiacet: posterior verò non ità prominet, sed mucrone in cerebelli substantiam absumitur. Cerebello ab inferiore parte elevato, in conspectum venit posterior, seu quartus ventriculus, reliquis minor, qui ex truncis spinalis medullæ è cerebro, & cerebri tertio ventriculo descendentibus. Undè cum sit hic ventriculus circa principium latior, & deindè sensim angustior, & quodammodò in acumen desinat, similitudinem cum calamo scriptorio habet, olim *Calamus Scriptorius* nominatus fuit. Hunc ventriculum *Arantius Cisternam*, *Herophilus* illum *Principalissimum*, alii *Nobilem ventriculum* appellârunt. Ineptè *Galenus* putavit ex cerebello duriores oriri nervos, cum nulli nervi ab eo prodeant.

Medulla oblongata, quæ extra cranium delapsa, ad differentiam medullæ ossium propriè sic appellatæ, *spinalis medulla* dicitur, est pars cerebri, & cerebelli durior, compacta, & alba partim intra cranium, longitudine scilicèt quatuor digitorum transversorum consistens, usque ad ossis sacri finem extensa. Ipsa substantia medullæ fibrosa est, (quæ microscopii ope conspicitur) quasi ex innumeris tenuissimis longis filamentis compacta. Ex his tenuissimis in medullâ filamentis omnes totius corporis nervi principium sumunt. Dividitur in partem dextram, & sinistram, uti & cerebrum, à pia matre, quæ eam immediatè vestit. Hinc Paralysis unius, vel alterius lateris esse potest. Dividitur in multos quasi funiculos, & conspicuè hæc divisio apparet circa sextam, & septimam thoracis vertebram. Caudæ equinæ figura repræsentâbitur, præsertim circa finem, in multos pilos oblongos divisæ. Triplici tegitur membranâ, prima immediatè cingens est à piâ matre, secunda à durâ matre, & alteri adhæret; Tertia exterior oritur à valido ligamento anteriores partes vertebrarum colligante, quod à parte posteriori in validam tunicam desinit, ne medulla lædatur. Huic unctuosus humor ad humectationem circumfunditur. Non est pars à cerebro separata, sed ejusdem, ac cerebelli productio, è quibus tanquàm caudex quatuor radicibus procedit: anterius scilicèt seu superiùs duabus tertii ventriculi protuberantiis, hodiè corpora striata, olim thalami nervorum opticorum appellatis, quibus maximè cerebro cohæret, Posterius verò, seu inferius, natibus, ac testibus, quibus cerebello magis cohæret. In hujus dissectâ substantiâ innumera sanguinea punctula passim apparent, eodem modo sicut in dissecto cerebro: vascula tamen sanguifera per ipsam substantiam transeuntia adeò tenella sunt, ut oculis conspici neque ant, sed per membranas, secundùm mediam medullæ longitudinem,

supra

supra ejus divisuram, vena insigniter conspicua cum exili arteriâ progreditur: sicque etiam utrimque ad Latera alius, sed minor, arteriæ, venæque ramulus procedit. Ex quibus vasis eleganti serie ramusculi per utramque ejus investientem tunicam dispergunter, atque ex arteriolis etiam sanguis in ipsos medullæ poros infundatur, ejusque redundantia à venularum finibus absorbetur.

Una hujus medullæ pars est intra cranium supra magnum occipitis foramen, alia ejus pars est quidem longissima extra cranium in vertebris à primâ cervicis, usque ad ossis sacri ultimam. Tegitur hæc medulla intra spinam, quam Græci *Sacram fistulam* vocârunt, quia excavata est fistulæ instar, & principem partem continet, ac tuetur, & videtur quasi ossea esse columna in multas partes diffracta, & ut corpus quaquaversùm inflecteretur, pluribus constat ossibus in medio excavatis, ad tutum medullæ descensum comparatis, cum quibusdam nodis, qui verticulorum figuram retinent, ac proindè vertebræ appellantur, à vertendo dictæ, ob motum continuum, quo in quacumque corporis flexione moventur. Sunt spinæ totius vertebræ viginti quatuor, scilicèt colli septem, dorsi duodecim, lumborum quinque, quibus fundamenti instar subjicitur os sacrum. Prima vertebra *Atlas* nominatur, cui caput, tanquàm parvus mundus, imponitur, & firmiter adhæret. Secunda *Axis*, quia caput cum primâ vertebrâ rotatur, reliquæ vero proprio carent nomine.

Cum duodecim thoracis vertebris, duodecim quoque costæ ad modum arcus positæ conjunguntur; ex parte verò interna succingitur membrana quædam, quæ ob id appellatur membrana succingens, sive pleura: istarum costarum septem superiores per intermediam cartilaginem cum pectoris osse conjunguntur, quod *Sternum* appellatur, & veræ, ac legitimæ costæ appellantur, reliquæ verò quinque non pertingunt usque ad prædictum os sternum, sed veluti deficientes ad modum semiarcus in cartilaginem terminantur, & ob id spuriæ, sive illegitimæ, ac mendosæ dicuntur costæ. Prædictæ autem septem superiores adhuc terminantur in cartilagines versus illam partem, in qua cum sterno conjunguntur, quod ità factum est, tùm ut facilius cadendo resistant, ne frangantur, tum etiam ut pectoris motum in inspiratione, & respiratione secundarent.

Hæ costæ ut plurimum utrinque sunt duodecim tàm in viris, quàm in mulieribus, rarò tredecim, rarius undecim, sæpius verò unica superest. Hinc verisimile est in Adami utroque latere fuisse tredecim costas, ex quibus unam exemit Dominus, & in Evam convertit. Hic certè irridendi videntur nonnulli abditarum rerum nimis nasuti scrutatores, qui numerum costarum primi parentis Adami, & quot costas antè, quot post formatam Evam habuerit, magnâ curiositate inquirunt, multique verbis eâ de re differunt, haud aliter

ac si illud etiam ad anatomicam scientiam pertineret, vel scitu necessarium foret. Cœterûm prima mulier non formata fuit ex solâ Adami costâ, sed ex costâ carne vestitâ, ut habetur *Genes. cap.* 2. *Immisit ergò Dominus Deus soporem in Adam, cumque abdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carne pro eâ. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ.* Unum nos ex his elicimus, quia mulieres ortum à costâ deducunt, quæ tortuosa est, omnes tortuosas esse, & præcipuè circa crura, undè ad tortuositatem tegendam, pallâ uti necesse fuit. Dicta sint hæc in mulierum gratiam.

Medulla oblongata est immediatum omnium nervorum principium, prout partim est intra cranium, partim extra in spinâ. Intra cranium oriuntur, quæ vulgò à cerebro oriri dicuntur, septem paria: à spinâ verò triginta. Priorum septem paria his versiculis comprehenduntur;

Optica prima: oculos movet altera: tertia odorat.

Quarta est, qua gustat: Quinta audit: sed vaga sexta:

Septima Laxatas Linguæ moderatur habenas.

Primum itàque par, sive horum nervorum conjugatio, amotis processibus mammillaribus, mox in conspectum venit, & dicitur *opticum*, vel *visorium*, quia spiritus animales visivam, seu videndi facultatem oculis, radiosque rerum visibilium ad sensorium commune refert: quod inter reliqua paria maximum est, sed mollius, & cœteris porosius.

Secundum par est *oculorum motorium.*

Tertium per *Olfactorium* dicitur, quod processibus mammillaribus adhæret.

Quartum par tendit ad linguam pro sensu gustatus efformando, & dicitur *gustatorium.*

Quintum par partim versus aures ad auditus organum efformandum, partim quoque ad musculos, qui in temporibus sunt, & ad inferiorem maxillam movendam, & *auditorium* appellatur.

Sextum par *vagum* multos sui ramos emittit, quorum quidam tendunt ad stomachum, ubi dicuntur stomachici, quidam ad cor, & pulmonem, quidam ad hepar, & costas, ubi nervi dicuntur costales. Hoc par vagum membranis investitur robustis, & per ossis occipitis foramen ad jugulum descendit, postquàm ramulos collo Laryngis, Linguæ, ossisque hyoidis musculis impertivit, hinc in ramum internum, & externum dividitur in utroque Latere. Ramus externus dexter, demissis aliquot surculis ad pectoris musculos, nervum constituit *Recurrentem* dextrum. Confert hic ad sonum, imò ad tactum quoque in pleurâ, tunicâ pulmonis, pericardio, atque orificio superiori ventriculi, cùm partes illæ omnes ab eo ramulos nanciscantur. Ramus externus sinister recurrentem sinistrum efficit, ad easdem ferè partes accedens,

cedens, quas accedere dextrum diximus, ad ventriculi orificium dictum delatus dextro jungitur, sicque progreditur, & ad ventriculi orificium inferius, & ad hepatis partem inferiorem. Ramus internus dexter intercostali cuivis musculo propaginem exhibet, diaphragma ubi perforavit, infimi ventris partes omnes nervo instruit, circa os sacrum finem assumens. Internus sinister in suo Latere eodem modo distribuitur, nisi quod loco hepatis ad lienem pars abeat, sed ab utroque interiore aliquandò propagines mittuntur ad uterum.

Septimum par *Linguam movens*, inseritur in musculos, qui sunt in Linguâ, & hæc conjugatio oritur in occipitio, eâ in parte, qua propè nascitur spinalis medulla.

Extra cranium pendent nervi à spinali medullâ, & ut plurimùm ipsorum triginta paria observantur, quamvis aliquandò viginti novem conspecta fuerint, nàm à septem cervicis vertebris septem paria egrediuntur, duodecim verò à duodecim dorsi vertebris, quinque paria à quinque Lumborum vertebris, & sex ab osse innominato; omnia hæc paria eo ordine oriuntur, quo & ipsæ vertebræ sunt positæ, & unus nervus oritur à parte dextrâ, alter verò à parte sinistrâ.

Primum ergò par ex primâ colli vertebrâ exiens in ipso collo terminatur pro ipsius sensu.

Secundum par inter ejusdem colli musculos inseritur. Tertium in musculos, qui idem collum flectunt, in capitis musculos, & ad aures, in musculos genarum. Quartum in musculos scapulas, & brachia attollentes, ac in diaphragma. Quintum tandèm, sextum, & septimum circa easdem partes, eosdemque colli musculos inseritur.

Duodecim conjugationes, quæ pendent à duodecim dorsi vertebris, omnes vel terminantur aliquâ parte in brachium, vel majori in parte in musculos thoracis tàm anterioris, quàm posterioris. Quinque conjugationes, quæ oriuntur ex vertebris Lumborum, partim inseruntur in musculos dorsi, & circa ipsos Lumbos, partim ad musculos femoris descendunt usque ad testes.

Tandèm conjugationes pendentes ex osse innominato, sive sacro inseruntur tàm in musculos sibi proximos, quàm in cutem, & musculos femorum, in collum uteri, in musculos vesicæ, penis, & intestini recti, & denique terminantur ad omnes infernas partes.

De Capitis Vulneribus.

Nunc regiam Palladis arcem ingredimur, hoc est caput, quod eruditè à philosopho membrum divinissimum, & reliquorum omnium in nobis princeps fuit appellatum. Hanc microcosmi arcem, tanquàm locum editiorem, immortalis anima trabeâ succinctа, & spirituum famulitio, ac satillitio stipata conscendit, & in tribunalis solio residet, ut indè toti præsidens, cunctis præsit partibus

autho-

authoritate, ratione, & consilio, toti machinæ moderetur, sensum, & motum impertiat, legesque patiat. Hic tot potitur speculis, quot sunt sensuum organa, quibus eminùs prospicere potest, & pro exploratoribus spiritus habet animales, qui quicquid in microcosmo dicitur, fit, aut putatur, actutùm referunt. Huic omnes famulantur sensus, omnia obediunt membra, & animale se subjicit ministerium. Sed quia perpetuò verticem feriunt fulmina, minaces hostium insultus munitissimas impetunt turres, & in regalia tecta irruunt hostes; Hinc usuvenit, ut caput, quod editiorem nactum fuit locum, ut plurimùm miserrimè afflictitatur, undique invaditur, deprimitur, contunditur, frangitur, vulneratur, & omne vitium morbosum tantò conspectius in se crimen habet, quantò majus, quod peccat habetur, & estò sensus, & prudentis sedes sit, præ reliquis tamen imbecillius est. Hinc tot emergunt symptomata, quot de materiæ Aristotelicæ potentiâ educuntur formæ, vel quot milites ex equo Trojano, ut memoriæ abolitio, aphonia, oculorum caligo, obscuratio. Vertigo, aurium surditas, vomitus, inflammatio, febris, stupor, delirium, sopor, epilepsia, apoplexia, convulsio, paralysis, & alia id genus. De hujus nobilissimæ partis vulneribus agemus, nec si levia sint, etiam si sola cutis excoriata fuerit, contemni debent.

Cap. XXXII.

De Capitis Contusione.

Contusio est solutionis continui species, cum aliquod ponderosum, vel durum, vel obtusum supra corpus incidit, ipsumque collidit, & continuitatem solvit, citra manifestam substantiæ deperditionem, aut externam rupturam, ubi in parte carneâ cruor ex venulis, vel arteriolis evasatus sub cute colligitur. Dicitur etiam sugillatio, quia venæ, & arteriæ exiguæ, ut & vasa lymphatica sub cute rumpuntur. Dicitur quoque Ecchymosis, seu echymoma, & suffusio, à sanguinis subter cutem effusione.

Signa.

Capitis contusio signis non indiget, quibus cognoscatur, quia oculis, & ægri relatione se latis manifestat. Sanguis & contusione ruborem, dolorem, inflammationem, vel livorem excitat, & in parte contusâ adest tumor mollis, lividus, interdum cum, interdum sine doloris sensu. Capitis contusioni facilè accidere possunt varia, & pessima signa, præsertim si ex violentâ contusione cerebrum concussum fuerit, hinc eveniunt vertigines, cephalalgiæ, auditus difficultates, splendores ante oculos, omnium artuum debilitas, memoriæ abolitio, epilepsia, spasmus, apoplexia, lethargus, mania &c. Cau-

Causæ.

In contusionis capitis causâ vulgares nobiscum conueniunt ; fit enim casu, sive percussione ab instrumento duro, ponderoso, obtuso, & contundente, undè cute non solutâ, venulæ, vel arteriolæ sub eâ, conquassatione dilaceratæ per rimas, vel fissuras sanguinem profundunt, qui extravasatus, nec in debitas vias regrediens, stagnat in cavitate, non dùm in grumos coactus, tandèm a stagnatione acidior redditus in grumos abit, & ex sanguine, ac lymphæ impedito motu, oritur tumor, undè ex colore primitus quidem rubeo successivè contusiò cœrulescit, livescit, & flavescit, dum insensibiliter resolvitur.

Prognosis.

In capitis contusione leviori, & ferè superficiali non multum sanguinis diffunditur, nec plurium partium carnosarum, & nervosarum fit laceratio, hæc contusio periculo vacat, & insensibiliter discuti potest, Si verò fuerit magna, vel profunda, & discuti nequeat, sanguis fermentando, in pus mutatur, ut *sect. 6. aph.* 20. *Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, suppurari necesse est.* Vel putrefactus gangrænam, aut sphacelum infert, nisi pus, aperto abscessu, evacuetur. Si musculi temporales contundantur, delirium, paralysis, convulsio, & mors indè sequi potest. Capitis contusio gravissima præ cæteris eò pejor, quò majorem contusionem parti factam notat, tum ratione nobilissimæ partis, tum symptomatum ratione. Si contusio ad meninges, & cerebrum pertingit, ipsumque concutiat, malum, ut *Hip. sect.* 7. *aph.* 58. inquit : *Quibus occasione aliquâ cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri est necesse.* Et 194. *sect. lib.* 2. *eo : Quibus concussum fuerit cerebrum, vel ex plagâ diluerit, aut aliquo casu, his illicò vox deficit, neque vident, neque audiunt, ferè intereunt.* Hæc omnia internam læsionem demonstrant, sic soporis, obmutescentiæ, aliorumque symptomatum causa sunt cerebri concussio, spirituum animalium dissipatio ; opticorum nervorum obstructio, ejusdemque animalis facultatis perturbatio, vel fortassè vapores elevati, & ad oculos pulsi. Hinc dicebat Hip. stuporem, obmutescentiam, somnum profundum, motus abolitionem, & lapsum fieri ex spirituum animalium perturbatione, eorumque influxu denegato, necesse est. Si febris, & vomitus adsint, pessimum est.

Curatio.

In capitis contusionis curatione primum concedimus locum Galenicis, tanquàm ætate confectis, & magis in occidendi arte peritis. Galenici ergò in levi capitis contusione, si in loco capillato sit, prius abrasis capillis, sunt enim ferè omnes tonsores, adstringentia applicant, & locum affectum *oleo rosaceo* inungunt. Vel contusum

locum *oleo rosaceo* calido jungunt, deindè *pulvere myrtillorum, & rosarum incompletarum* aspergunt, & *brassica folium calidum* imponunt. Vel *ovi albumen optimè conquassatum*, vel solum, vel *aquâ rosaceâ mistum* imponunt *stupâ exceptum*. Vel ad repellentia confugiunt, ut

℞. *Ol. ros.* ℥. iij.
Pulv. nuc. cupressi;
Balaustiorum
Aluminis rocch.
Ros rubr. ana ℥. j. *m.*

& applica. Deindè locum ipsum arctius ligant, & ligaturæ initium sit in loco affecto, & desinat in eum locum, e quo fluxum imminere metus est, & talia medicamenta sæpius renovant. Postmodum sequenti die *vinum austerum, in quo rosæ, myrtus, salvia, verbena, betonica, chamæfolium, flor. camomill. roris marini* cocta sint, tepidum imponunt, & si dolor aliquis appareat, medicamentum bis de die renovant, & locum affectum oleo rosaceo tepido fovent. Vel medicamenta imponunt exsiccantia, qualia volunt esse *Emplastrum de Betonicâ, e matrefylvâ, & Gratiâ Dei.*

Si contusio major sit, & ob dolorem affluxus timeatur major, victum temperant, & clysterem iniiciunt, quasi cum ani stercore materia affluxura per clysterem se exoneret. Postmodum frictiones celebrant, post quas statim sanguinem ex venâ cephalicâ, vel ex talo detrahunt. Metuunt affluxurum sanguinem, & in parte affluxum parvipendent. Si corpus sit impurum, medicamentum bilem purgans exhibent, quasi in contusionibus bilis generaretur, & caput peteret, vel sanguis in capitis contusione grumatus per purgans eliminaretur. Sed medicamentum purgans nil à capite purgat. Si dolor vehementior sit, *lanâ oleo rosaceo, & chamæmilino madidâ* fovent locum, vel *decocto rosar. radic. alth. lini, fænugraci betonicæ*, vel *unguento de alabastro* inungunt.

Sedato dolore, & remoto affluxûs timore, sanguinem extravasatum insensibiliter evacuant; tutius enim est sanguinem insensibiliter discutere, quàm sinere, ut in pus abeat. Eapropter ad insensilem sanguinis evacuationem tale parant cataplasma, ut

℞. *Summitat. absynth. m.* j.
Rosar. rubrarum,
Flor. chamæmel.
Betonicæ,
Sertulæ campanæ ana m. ß.

Coquantur ad mollitiem in vino. Postea contundantur, & addatur

Farinæ hordei,
Fabarum ana ℥. j. ß.
Pulv. sem. cumini ℥. ij.
Ol. rosar. q. s.
F. cataplasma,

& contusioni imponatur. Vel sequens emplastrum imponunt, ut

℞. *Empl. Diachyl.* ℥. ij.
Oxicrocei,
De meliloto ana ℥. j.
Ol. Chamæmel.
Anethini ana ℥. ß.
Malaxentur. f. empl.

Vel usurpant *Cerotum Vigonis de Minio*, quod emollit, & discutit, & ità paratur:

℞. *Ol. chamæmil.*
Liliorum albor. ana ℥. x.

Ma-

Mastichini ʒ. j.
Pingued. Vernicis lib. j. ß.
Litharg yr. aur. ʒ. viij.
Minii ʒ. ij.
Vini opt. cyath. j.

Bulliant omnia simul agitando, primùm lento, deindè fortiori igne, donec massa colorem subnigrum contraxerit; tum adde

Terebinth. lib. iij.
Pulv. Mastich. ʒ. ij.
Gummi elemi ʒ. 1.
Ceræ q. s.
Iterùm coquantur. f. empl.

Vel pro contuso sanguine discutiendo, tale parant fomentum:

℞. *Nuc. cupress. contus num.* x.
Myrtillor. ʒ. j.
Ros. Rubr.
Absynth.
Fol. Salviæ,
Majoranæ,
Stoecadis,
Flor. chamæmil. ana m. ß.
Alum. rochæ,
Rad. cyperi,
Calami aromatici ana ʒ. ß.
Coquantur in vini rubr. lib. iv.
Lixivii com. lib. ij.

Hoc decocto caput fovent, & post fomentationem exsiccant.

Quàm vana, & inutilia sint hæc vulgarium medicamenta pro sanguinis grumati insensibili resolutione ex ingredientium examine satis quisque conijcere potest; imò potius ad poros obstruendos, quàm deobstruendos apta sunt, cùm farinas, olea, pinguedines, gummata, resinas, pulveres &c. recipiant, quæ poros constipare apta sunt, ne quid exhalet, & ex prohibitâ transpiratione faciliter sanguinem ad suppurationem disponunt.

Si sanguis effusus discuti nequeat, & suppuratio impediri non possit, tunc medicamentis maturantibus suppurationem promovent, *decocto malvarum, althææ, caricum*, vel ex his parando *cataplasma cum farinâ hordei, adipe gallinæ, & oleo communi.* Ubi ex febris carentiâ, & loci mollitie materiam in pus conversam esse cognoscunt, eam extrahunt, & id ocyus faciendum, ne pericranium, & duram matrem, cui adnectitur, corrumpat. Sectionem in decliviori loco celebrant ad commodiorem materiæ expulsionem. Si musculus temporalis sit contusus, sectio non in ipso musculo, sed in loco viciniori celebranda est, vel in ipso musculo secundum fibrarum rectitudinem, nec ferrum intimiùs adigatur, eâ tamen cautelâ ne incidantur musculi caput moventes. Absessui aperto post materiæ eductionem stuppatam cum ovi albumine applicant, & exactis 24. horis, digestivo ex terebinthinâ, ovi vitello, & oleo rosaceo ad longum tempus ulcus detergunt, deindè sarcoticis, & tandèm epuloticis utuntur medicamentis.

Pro capitis contusionis curatione prima indicatio insurgit, ut sanguis ex venulâ, vel arteriolâ effusus, & in spatiis stagnans, & concretus resolvatur, vel absorbeatur; secunda, ut dissolvi nequeat, suppuretur; & tertia tandem ut gravioribus symptomatibus suppetiæ ferantur.

Primæ indicationi satisfacimus, si contusus locus aliquoties *oleo hypericonis* illiniatur, hoc enim sanguinem coagulatum facilè resol-

vit. *Rasura radicis bryoniæ albæ* secundum *Helmontium* in vino cocta, paucis horis sanguinem resolvit, in aquam redigit, & per cutem exturbat. Optimus erit *vini spiritus simplex, vel camphoratus, vel crocatus*, sed præ aliis *aquam Reginæ Hungariæ* livoribus illitam commendamus. *Spiritus lumbricorum terrestrium, in quo camphoræ parum dissolutum fuerit*, brevissimo tempore omnes contusiones à quacumque occasione inductas resolvit. Præstantissimus est *spiritus vini, in quo macerata fuerit rasura radicis bryoniæ. Spiritus salis armoniaci cum spiritu vini tartarisato paratus* omnes discutit inflammationes, & præcipuè in partium membranosarum, & nervosarum contusionibus est egregius. Hæc sanguinem stagnantem, & grumosum fluxilem reddunt, in vascula retrocedere faciunt, & circulationem ei restituunt, vel attenuatum per poros insensibiliter evacuant. Ad hunc etiam finem fotum applicamus ex spiritu vini macerata, vel in vino cocta vegetabilia, quæ volatili, & aromatico gaudent sale, ut

℞. *Rad. symphyt. mai.*
Polygonati,
Sigilli Salom. ana ℥. j.
Fol. betonicæ,
Roris marini,
Sampsuci,
Charefolii,
Verbenæ ana m. j.
Flor. hyperic.
Roris marini,
Chamomillæ,
Meliloti ana ℥. ij.
Rasuræ bryoniæ ℥. ß.
Croci ℥. j.
Incidantur incidenda, & contundendæ contundantur grosso modo, & coque in vino, vel vini spiritu macera, & in formâ cataplasmatis, vel fotûs contusioni applicentur. Per hæc sanguis evasatus volatilisatur, & per reseratos poros avolat. Sed hic in marmore scribendum, quòd hæc omnia calidè, vel saltim tepidè sunt applicanda, & ligaturâ constringenda, alias frustrà sanguinem extravasatum discutere tentabis.

Præstantissima sunt sequentia emplastra ad sanguinem dissolvendum, & transporandum, & in primis *emplastrum de spermate ceti* admodùm est egregium; item *stictícum, de Betonicâ, & Unguentum Mynsi. ad livorem expertum.* Hæc medicamenta pro capitis contusione in omnibus gradibus, tàm levi, & superficiariâ, quàm in graviori, & gravissima specifica sunt extrinsicè applicata.

Cæterum quandòque in graviori, & gravissimâ capitis contusione solitaria non sufficiunt, sed externis ea interna medicamenta nectenda sunt, quæ sanguinem, vel serum evasatum, vel nutrimentum degeneratum, & congrumatum attenuant, & resolvunt, quo facilè potiri possumus per sudorifera, & diaphoretica, quæ sanguinem, serum &c. congrumatum fluxilem reddunt, volatilisant, poros rarefaciunt, & insensibiliter evacuant, vel in venas reforberi faciunt. Vel sint alkalica, quæ acidum coagulatorem corrigunt, & blanda diuretica adjungi debent, quæ sanguinem, & serum

per

per dicta loca evacuant. Hæc præsertim administranda sunt, si per contusionem internarum partium læsionem ex gravioribus symptomatibus suspicamur. Hujusmodi sunt *pulveres ad casum*, *sperma ceti*, *oculi cancrorum*, *sanguis hirci*, *numia*, *stibium diaphoreticum*. Sic & conducunt omnia *salia volatilia ex herbis cephalicis*, ut & *sal volatile cornu Cervi succini Tinctura mumiæ*, *spiritus salis armoniaci succinat. mistura spiritali*. Propinari possunt in *decocto bardanæ*, *& syr. de betonicâ*, *vel de papavere erratico*.

Si sanguis in contusione nullatenus attenuari, & discuti possit, ac corrumpi incipiat, medico forsan nimis serò accersito, vel quia gravior contusio, & ab acido fibrillæ fuerint corruptæ, suppurationem promovemus medicamentis suppurantibus alibi recensitis, nec expectanda est ruptio, ne pus subjectas exedat partes, & deindè majus eveniat damnum, sed vestigiis suppurationis apparentibus, quantocujus aperiatur, & educto pure, ulcus mundificetur, & consolidetur medicamentis alibi descriptis.

Si tandèm gravissima fuerit contusio: in qua, integrâ manente cute, musculi variè conquassati, sanguis etiam, & reliqui ei commisti succi corrupti, partes subjacentes, pericranium nempè, & cranium invadant, & periculum immineat ante discussionem, & suppurationem, gangræna ut superveniat, tunc scarificationibus profundis contusio vulneranda est, ut sanguis partim grumosus, partim grumescere incipiens educatur, postmodum *digestivum magistrale cum unguento Ægyptiaco magistrali n. a.* applicandum, illud ad promovendum digestionem, hoc arcendam ulteriorem corruptionem, & occurrendum gangrænæ. Non desint interim interna medicamenta, quæ malignitati resistant, acrimoniam mitigent, partes ulterius defendant, & sanguinem depurent, hujusmodi erunt suprà nobis allata, & alia descripta bezoardica, & cætera *Tom. 1. De Tumoribus cap. XI. De Gangræna.* Pars affecta abluatur *spiritu Vini theriacali*, & his deindè remediis suppurata contusio faciè curatur, & per *balsamum sulph. terebinthinati*, *vel Peruvianum* ad cicatricem perducitur.

CAP. XXXIII.

De Pericranii Vulneribus.

EGimus de capitis contusione, integrâ manente cute, nunc de capitis vulnere sine contusione, integro manante cranio, agendum, ubi scilicet cutis, panniculus carnosus, musculi, pericranium, & nonnunquàm periostium vulneratur. In capitis igitur vulnere pars affecta sunt eadem vasa cum cute, reliquisque carnosis, & membranosis partibus, & nominatim cranium, & periostium.

Signa.

Capitis vulnera ipso obstutu, vel

saltim specilli indagine patescunt; accidunt nàmque partibus cranio superpositis. Cœterarum verò internarum partium læsiones non ità facilè innotescunt, quia sub oculum, & specillum non cadunt, attamen per plura indicantur signa, & eadem præbent, quæ in nervis læsis observamus, vomitus namque vulneratos infestare solet, quare in capitis vulneribus in primis considerandæ sunt vulnerantis vires, animus, & instrumentum; an vulneratus post ictum in animi deliquium inciderit, an vomuerit, an mens ipsi constiterit, & alia supra allata symptomata, nàm si hæc, & alia apparent, internas denotant læsiones, & sanguinem aut in meningibus, aut in cerebro esse extravasatum. Si absint deliria, & febris, signum est nullam adesse inflammationem, nec extravasatum sanguinem in meningibus, sed potius serum.

Caussæ.

Pro vulneris pericranii causâ statuunt vulgares instrumentum quodcumque ità acuatum, ut non modò cutem, sed etiam subjacens pericranium sejungere possit, ex quacumque materiâ fuerit conflatum, lapideâ nempè, ferreâ, ligneâ, vel aliâ, sive casu, aut percussione caput lædens, & continuitatem dissoluens.

In vulneris pericranii causâ conveniunt nobiscùm vulgares, nec nos ab his dissentire possumus; nàm sub causarum mediatarum nomine veniunt omnia, iquæ sunt acuata, dura, & rigida, & quæ incidendi, contundendi, & perforandi vim habent, ità sunt ensis, culter, securis, sica &c. baculus, clave, lapis &c. stylus, hasta, securis Amazonia, veru pugio, sagitta animalium dentes, sclopetorum globuli, & alia immunera, quæ capitis cutem dissoluere, & sejungere valent. Nullatenus capitis vulnus absque aliquali contusione fieri solet, & cùm solutio contingit, fit, ut pericranii membrana separetur. Causa itàque vulneris immediata est ipsius soluta unitas recens, & cruenta. Intumescentiæ circa vulnus causa est humorum circulantium stagnatio propter obstructionem.

Prognosis.

Pericranii vulnera periculo vacant, præsertim cuti, & panniculo carnoso inflicta, si rectè tractentur; attamen si negligenter, periculosa sunt, & vitæ periculum incutiunt, quod *Hip. in præmio lib. de vulneribus capitis* innuit: *Nullum capitis vulnus leviter contemni debet &c.* Ac proindè tàm in iis curandis, quàm aliarum partium cutaneis, & non profundis maxima solertia adhibenda est, quòd si negligantur, sæpè magnum periculum comitatur; nàm si sola cutis vulnerata sit, & debita diligentia non adhibeatur, ulcus recrudescens non parum molestiæ exhibet, & à pure subjectæ corrumpuntur partes, & quandòque febris infertur; undè medico magnum negotium, & ægro maximum facessit peri-

periculum. Notabile extat exemplum apud *Schenckium*, *lib.* 1. *observat.* 35. *De Carolo Regis Hispaniæ filio*, qui ob vulnus capitis non periculosum, negligenter tractatum, in vitæ periculum adductus est. Et alterum *ibidem observ.* 36. de quodam, cui vulnus capitis etiam non grave, sed non rectè curatum, cranii os vitiatum fuit, & hinc diuturnus, longus capitis dolor exortus.

Sunt itàque pericranii vulnera, etiam leviter inflicta, periculosissima, ut & omnium partium membranosarum, quia gravioribus sunt stipata symptomatibus, ac proindè non contemnenda, & medicum prudentem, & appropriata exposcunt remedia. Vulnus cum febre inflammatoriâ, dolore, ac motibus convulsivis, monstri quid alit. Si pericranium, & periostium in totum fuerit recisum usque ad calvariam, minus habet periculum, quàm si ex parte tantum laceratum. Sic & capitis vulnus punctim inflictum plus habet periculi, quàm quod cæsim factum. In iis, qui lue Venerâ laborant, difficiliùs sanantur vulnera, quia ut plurimum humor acido-corrosius vulnerum sanationi est impedimentum. In subjecto cacochymico, æstivo tempore vulnera capitis anguem in herbâ latere denotant. Capitis vulnera quò diutius aëri fuêre exposita, eò facilius sphacelantur. Vulnus capitis magis, aut minus periculosum est, prout huic, vel illi loco capitis parti infligitur: ante omnia igitur in capite vulnerato considerandum est, an vulnus sit in syncipite, occipite, temporibus, vel vertice, quoniam magnum intercedit discrimen; vulnera namque syncipitis, & temporum, quamvis sint exigua, periculosiora esse solent etiam majoribus, quæ vertici, vel occipitio infliguntur. In temporibus enim musculi sunt nobiles pericranio contecti, & venæ, ac arteriæ spiritum vitalem, & sanguinem illhac ad cerebrum deferentes, nec salvâ vitâ lædi possunt, ideòque periculosissima sunt, quia læsus nervus spasmum facilè inducere potest, & hinc sæpè ob hujus musculi oppositi contractionem spasmus cynicus, seu oris tortura oritur. Pari modo vulnera syncipitis periculosa sunt, eò quod os caluæ ibidèm admodum tenerum est, & vicinum futuris coronalibus, quæ raræ, ac fragiles sunt, ventriculi quoque cerebri anteriores, sensusque communis, & spirituum animalium domicilium subsunt. Vulnera occipitis ob ossis crassitiem minus periculosa judicantur, quia occiput à futuris distat. In omni autem vulnere capitis statim perscrutandum est, quænàm particulæ, & quomodò læsæ sint, constat enim caput variis, & compluribus partibus, quarum descriptio tradita fuit suprà *cap.* 35. *de Anatomicâ capitis historiâ.*

Curatio.

In vulneris pericranii curatione vulgares respiciunt tum ad sanguinis aliorumque succorum affluxum, tum ad dolorem, tum ad ipsum vulnus,

vulnus. Sanguinis, vel aliorum succorum affluxus, qui internæ causæ rationem habet, si inflammationem excitet, eam submovent, omni diligentiâ adhibitâ, ne sanguis in corpore contrahatur, vel jàm contractus ad locum fluat affectum, quod consequi conantur tenui institutâ victus ratione, & solum concedunt panem coctum, aut pulticulam ex pane trito cum emultione amygdalarum dulcium cum totali à carnibus, & vino abstinentiâ, & potûs loco decoctum hordei cum nauseabundâ glycyrrhizâ, in hac diætâ ad diem 14. persistunt. Pro majori aversione sanguinem detrahunt, & quidèm sectâ venâ in cubito à regione ipsius vulneris. Si sanguis è vulnere fluat, illum sistunt, abrasis prius circa vulnus capillis. Medicamentum purgans quoque propinant, maximè ad evacuandam bilem, quam tantoperè in vulneribus noxiam esse credunt. In delicatulis clysteres injiciunt paulum actiores ad bilem, quàm maximoperè timent, proscribendam. Hirudines ano, cucurbitulas naribus, & ano applicant. Ne pars sauciata sanguinem, & humores suscipiat, ad repellentia recurrunt, si opus fuerit, ad arctas fasciationes, sed ubique in capitis vulneribus non requiruntur. Inter repellentia commendant *Vinum austerum cum oleo rosaceo* immistum, vel sequens cataplasma, ut

℞. *Farinæ hordei,*
fabarum ana ℥. vj.
ol. ros. ℥. iij.
aceti q. s. f. cataplasma.

Si dolor in vulnere urgeat, reliquis medicamentis *cataplasma ex radice althææ, farinâ hordei, floribus meliloti, ovi vitello, & croci momento* paratum imponunt. Vel instillant *oleum rosaceum tepidum, vel sanguinem turturis, aut columbæ adhuc calentem*, cuti verò vulneratæ applicant *vitellum ovi cum oleo rosaceo subactum.*

Flammeam partis vulneratæ intemperiem refrigerantibus corrigunt, nempè *rosis rubris, plantagine, albumine ovi*: compositis autem, *unguento de cerussâ, de alabastro, rosaceo Mesuæ, infrigidante Galeni*, vel liminento simplici, quod fit ex æquali portione *unguenti rosacei Mesuæ, & cerotu de succo solatri.*

Vulnus tandèm ipsum si sit simplex, & sine contusione, à solâ sectione illatum solam desiderat unitatem, quæ sæpè à naturâ perficitur, & quidèm in pericranio, interveniente carnis procreatione, ità ut chirurgo eò solum ad laborandum, ut oræ partis vulneratæ distantes iterum adducantur, & humor carnis procreationi aliàs existens impedimento, exsiccetur. Oræ ipsius vulneris non tantum semel adduci debent, sed adductæ etiam conservari quousque penè sint agglutinatæ, ad quod acu, & filio utuntur.

Coeterum decipiuntur vulgares in capitis vulnera suendo, & non chirurgi, sed tortores videntur, ad quorum ingressum exhorrent ægri, & estò ista consuendi vulnera consuetudo sit antiqua, antiqua est stultitia. Primò, quia capitis cutis durior est, & siccior, & ut aliarum

partium

Unable to display this page

ratos reddit immunes: igitur quò ad partem diæteticam dicimus, quòd aër sit temperatus ad calidum vergens, & nisi talis sit, arte paretur, ità tamen ut ignis longius ab ægro accendatur. *Calidum, ut Hip. Sect. 5. aph. 22.* inquit, *suppuratorium non in omni ulcere, magnum ad securitatem est indicium, cutem mollit, extenuant, dolorem sedat, rigores, convulsiones, & tetanos mitigat, capitis solvit gravitatem ossibus fractis plurimum prodest, sed nudis præcipuè, eorumque maximè si in capite* &c. frigidus reliquus omnis quocumque modo angue peius vitandus, & à vulnere arcendus, in primis acido-nitrosus, ut potè qui solus ità destruere potest poros, & succos coagulare, ut gangrænæ detur accessus. Præterea Hip. sect. 5. aph. 17. inquit: *frigidum autem convulsiones, tetanos, livores, rigores febriles affert.* Ac proindè vulnus diligenter tegendum est, aër cubiculi temperandus, & dum vulnus detegitur, calefaciendus, & post citam remediorum applicationem in momento claudatur, ne aër externus irruat, & quid è vulnere effluat, & sic breviter consolidatur: sedulò ergò tegendum est, & inter deligandum, linteamina calefacta superponantur, ut ab aëre sic magis defendatur; multi nàmque ex vulneribus capitis sauciati, frigore imprudenter admisso in vitæ discrimen inciderunt. Advertendum tamen, quod aër nimis calidus, ac æquè frigidus, capitis vulneribus inimicus; ideòque etiam plumis, linteaminibus, fasciis, pellibus, medicamentis calidis, aliisque calorem augentibus caput non est onerandum, sed ut inquit *Hip.* de officio medici: *fasciæ mundæ sint, leves, molles, tenues, ne locus vulneratus oneretur, nevè vaporum transpiratio prohibeatur, & calor augeatur.* Imò si magnus sit æstus, qualis sub cane, & tempore æstivo, aër etiam temperandus. Aër etiam sit obscurior, non valdè lucidus, qui spiritus commovet, & dolorem adauget.

Victus sit tenuis, cibus eligatur optimus, & talis, qui particulas nutritivas, & suaves admodum secum vehat, ne vapores multi caput ascendant, & humores ad caput moveantur. Et si sanguinem, humoresque tenues ad partem vulneratam affluxuros metus sit, cibus refrigerans, & sanguinem nonnihil incrassans, ac vasa constringens esse debet. Ideòque ægri primum panatellâ, vel phtisanâ hordeaceâ nutriendi sunt. In ultimâ mensâ cydonia utilia sunt. Nonnulli hic gallinarum cerebrum commendant, ut quod ob substantiæ similitudinem cerebro multum prosit. Verum nunquàm ob cerebri gallinarum exhibitionem, vulneratum cerebrum sanitati restitutum fuisse vidimus, licèt interdum ob tenuem victum, & idonea medicamenta id acciderit.

Vini potus ad diem 14. usque intermittendus, cum caput petat, & vaporibus repleat, quòd si vulneratus vino sit assuetus, illud sit tenue, & in minimâ concedatur quantitate, herbis cephalicis maritatum, vel magisterio oculorum cancrorum. Som-

Somnus sit moderatus. Interdiu æger non dormiat, quia caput somnus diuturnus replet, nisi noctu non dormierit. Si vigiliæ sint immoderatæ somnus concilietur lenioribus medicamentis. Decubitus sit in eâ parte, quæ minus dolet, donec pus sit genitum; posteà in parte affectâ vulneratus jaceat, ut pus effluat, nisi dolor id prohibeat.

Quies animi, & corpus sit imperanda, & exercitii loco lenes fricationes in partibus inferioribus ante cibum instituantur, & oculorum acies non intendatur. Vitandus quoque sonus, & strepitus vehemens, ut tympanorum, tubarum, serrarum, & similes; compertum est enim propter sonos, & strepitus quibusdam motem attuli sse. Eger pauca loquatur, abstineat risu, clamore, & imprimis sternutationem caveat: nil duri etiam masticandum.

Animi affectus sint pacati, exulent præ aliis ira, metus, terror, & tristitia, quia capite vulneratis valdè nocent, & mortem quandòque afferunt. Hinc adversarii quoque adventus, aut præsentia caveatur, ne succi circumantes periculum creent reliquis spiritibus animalibus.

Venus, ceu ipsa pestis, fugienda, quia cerebrum nimis commovet, magnam spirituum copiam exhalare facit, & humores stagnare, adeò ut quidam penè sanitati restituti ex Veneris usu mortui sunt.

Aluus singulis diebus reddatur, & nisi sponte succedat, arte prorogetur, ne fæces retentæ vapores ad caput mittant.

Vulneribus capitis, ubi simul pericranium læditur, manu, curativâ, & celerrimâ ope succurrendum est, & primò quidem si vehemens sit sanguinis fluxus: tunc is ante omnia cohibeatur medicamentis cap. 17. indicatis, id quod in mitiori fluxu non opus est, sed tantùm illicò in vulneris circuitu capilli omnes abradantur, tanto nimirum spatio, quanta medicamentorum impositio requirit, quæ sine ullâ morâ, & summâ festinatione vulneri imponantur. Non loquimur hic de magno illo vulgarium præsidio, nempè de venæ sectione, quam bardi medici pro præstandâ revulsione necessariam censent, quia semel evasatus sanguis nunquàm per venæ sectionem resorberi, vel revelli potest. Siquis verò præjudiciis occupatus fuerit sanguinarius medicus, ut suam expleat sitim, parcâ manu sanguini parcat, & pro ætatis, & morbi statu, sanguinis profundat ad summum, ratione ventilationis tantùm uncias duas, vel è brachio, in parte oppositâ, vel è pedis saphænâ. Nec etiam de alio vulgarium præsidio loquimur, nempè de medicamento cacatorio, quia hoc vulnerato multùm abest, estò medico prosit.

Pro capitis itàque, & pericranii vulnere curando, multæ insurgunt indicationes, putà ut aëris accessus impediatur, vulneris labia adducantur, ipsum vulnus consolidetur, acidum in vulnere temperetur, & succorum circulatio restituatur.

Aëris accessus inhibetur, si ab infrictione, vulnus statim obtegatur, & in medicamentorum applicatione aër ambiens frigidus, vel humidus singulis vicibus arte corrigitur, accenso igne in camino, & fumo ex succino, mastiche, gummi animæ, juniperino, & similibus suscitato, quo linteum aliquoties complicatum etiam imbuitur, & post remediorum applicationem imponitur. Ad quem etiam finem est emplastri massa esto spisse extensa, seu panno inducta, & majoris spatii, ut nimirum bona ejus pars ultra vulnus prominеat, ac vulnus undique contegatur, aërisque accessus præcludatur; aura enim frigida capitis vulneribus maxime est noxia, & periculosa ob acidum nitrosum, quod suâ Naturâ austerum est, aluminis instar, ut palam fit in aquilonià constitutione, quæ ventrem adstringit, non secus ac si medicamina adstringentia essent assumpta; imò invalescens aquas omninò in glaciem adstringit, talis autem austeritas capiti, ceu fonti omnis sensus acutissimè sentienti vulnerato illicò est perceptibilis, ac facilè convulsionem excitat.

Pro vulneris capitis consolidatione instat indicatio, ut discissa vulneris labia ità coalescant, ut conjuncta servari possint, vitale partium robur conservetur, & denique his omnibus occurrendum, quæ supervenire, & vulneris agglutinationem impedire possunt. Hæc omnia peragunt ea medicamenta, quæ balsamicâ pollent vi, sive sub formâ aquæ, olei, aut spiritûs, vel unguenti, emplastri, aut pulveris balsamici omnem operam præstant; nàm partis calorem fovent, puris generationem impediunt, & pristinam unitatem inducunt. Hinc meritò digestivi usum maximoperè repudiamus, corrumpendo procedit, & vulneris coalitum inhibet, & eò magis si turundæ tali digestivo illitæ intra vulnus intrudantur, nec in recenti continui solutione jus habet, nec quicquàm digerendum reperitur, cum hujus affectus sit soluti continui tantum unio, nisi chirurgus puris genesim studiosè procurando, curationis longitudine, prodigerendo vulnere, vulnerati cruenam digerere velit.

Cavendum censemus ab omnibus pinguibus, & oleosis, quia ea particulis suis ramosis poros, & pericranii tubulos obstruunt, atque efficiunt, ut stagnent, & acescant succi, ac diaphoreticum pericranii salem corrumpant, & sic cranii cariem inducant. Fratereà pinguia, & oleosa, ut olea communia solâ expressione parata citra aliqualem præparationem, tutò vulneribus applicari nequeunt, quia non tantum ob viscidam unctuositatem, & obstructionem, quam inducunt, sed quia in se habent acidum occultum satis potens, quod æs, ferrum, & argentum corrodit, & sic balsami naturalis corruptionem, & solutæ partis corrosionem promoveret. Sic quoque ab adstringentibus abstinendum putamus, ne sanguinis aliorumque succorum circulatio impediatur, quæ potius promoveri

veri, quàm inhiberi debet, ne febris, inflammatio, phrenitis vulneraria, & alia accidentia promoveantur. Nec eâdem ratione vulneri, quæ emplasticam habent vim citra balsamicam, applicari debent, ut ovi albumen conquassatum cum stuppâ, vel alia id genus, ut vulgarium chirurgorum, id est, consorum mos est, primâ vice, nisi alia optimæ notæ remedia sint ad manus, vel magnus adsit sanguinis fluxus, & necessitas alia non subministret medicamina.

Vulneri ea applicanda sunt medicamenta, quæ ex tenuibus constituuntur particulis, nec ullam insignem mordacitatem, vel acrimoniam habent, nimirùm balsamica, quæ carnis corruptionem, & puris generationem inhibent, vitalem fovent calorem, balsamum naturalem, & partis constitutionem conservant, ejusdemque partis nutrimentum balsamicâ vi imbuant. Hujus energiæ medicamenta medici ministerium est ministrare, cæterùm vulneris coalitus soli naturæ committitur. Magnæ efficaciæ est sequens emplastrum, & frequenti usu probatum, ut

℞. *Empl. de Betonica* ℥. j.
Oppoteldoch ℥ vj.
Balsam. Peruv. alb. ℥ j. ß.
gummi tacamach. ℥. ij.
Cum s. q.
Ol. ovorum, &
Hyperic. malaxetur, &
F. emplastrum.

Vel multùm conducet *emplastrum de betonicâ tantùm cum balsamo Peruviano maloxatum.* Sequens balsamus vulnerarius est veluti divina manus in vulneribus, ut

℞. *Balsami Peruv.*
Ol. hyperic.
Momordica ana ℥. ij.
Balsami sulph. terebinthinat. ℥ ß.
Gummi elemi q. s.

Pro consistentiâ liquidioris vulnerari m. blando calore asserva usui, & instilletur vulneri. Vel sequentem balsamum vulnerarium in efficaciâ superiori minimè cedentem confice, ut

℞. *Terebinth. Cypria* ℥. j. ß.
Ol. hyperic. composui,
Mellis Virginei ana ℥. j.
Myrrha ℥ ß.
Gummi elemi seorsim dissoluti
Q. ad consistentiam s.
Ol. cera destillati ℈. ij. *m.*

Itèm hæc olea simul mista præstans exhibent vulnerarium pro pauperibus, ut

℞. *Ol. hyperic.*
Lumbricorum,
Terebinthina,
Mastiches ana ℥. j. *m.*

& calidè cum pauco gossipio applica.

Hæc que nos in compositione attulimus etiam sola capitis vulnera curare valent, ut *balsam. Peruv. alb. ol. hyperic. ex vitell. ovor. lumbric. composit. cera distill. balsamus propriet. artificialis, terebinth.* & præ cæteris *aqua Reginæ Hungariæ, vel balsamus Samaritani*, & hæc duo ultima medicamenta in crebro sunt usu apud quendam celeberrimum chirurgum felici cum successu. Tandèm nos in vulneratorum gratiâ charitas admonet ne sub silentio *Balsamorum Balsamum* involvamus, & hæc est ejus compositio:

℞. *Aquæ Reg. Hung. lib.* ß.

Unable to display this page

Pimpinellæ,
Polygoni,
Scabiosæ, &
Tussillag. ana m. ij.

Omnia recens collecta sint, diligenter conquassentur, & succus exprimatur, depuretur que &

℞. *Hujus succi depurati lib.* iij.
Sacch. lib. ij. ß.
F. syr. s. a.

Non desint intereà internè potiones vulnerariæ, quæ concinnari possunt præcipuè ex herbis vulnerariis cephalicis, *ut betonicâ, pæoniâ, saluiâ, anth. saniculâ, hyperico &c.* cum aquâ communi, vel vino paratæ, quarum parandi formulas docuimus cap. 9. addito *syr. de sympht. fern. de betonicâ vel hyperico*; constant nàmque alkali occulto temperato, ideòque ad acidum vulneris corruptivum temperandum conducunt, fortificentur *magisterio oculorum cancrorum fluciatilium.*

CAP. XXXIV.

De Cranii fracturâ cum meningum, & cerebri Vulnere.

DE eâ egimus continui solutione in capite, in qua tantum cutis, & pericranium, cranio integro, læsa sunt, nunc agendum de eâ solutione, in qua cranium læsum est, de meningum ac cerebri solutâ unitate. Fractura igitur cranii est continui solutio ossium calvariæ. Est calvaria os capitis crassum, rarum duabus lamellis ornatum, ossibus septem compactum, & tribus veris futuris, coronali, lambdoide, & sagittali distinctum, cerebrum continens, & utramque meningem, ut fusius *de Anatomicâ capitis historiâ* diximus.

Cranii fracturæ quinque habent differentias. Prima dicitur cranii *Rima.* Secunda, *contusio.* Tertia, *Sedes teli.* Quarta, *Depressio, seu impressio, seu introcessio.* Quinta, *Contrafissura*, quas fusius describit *Daniel Sennertus*, ut

Prima dicitur *Rima*, fissura, & fissio, accidit autem rima, cum à gravi, & contundente instrumento, ut lapide, ligno, casu ab alto, & in rem duram impulsu, cranium ità lædituir, ut vasis testacei in modum findatur, seu rimam contrahet, ità tamen ut cranium situm suum naturalem servet, & partes ejus loco non moveantur. Et semper quidem à re gravi, & contundente rima provenit; estò quandòque simul ab incidente, & acutâ, ut gladio acuto, sed gravi simul. Quantò ossa sunt duriora, tantò aptiora ad rimam contrahendam; & quantò molliora, ad contusionem sunt aptiora. Sunt tamen qui rimam à fissurâ distingunt, & sub rimâ fracturam, sub fissurâ sedem comprehendunt.

Rimarum autem rursùs quatuor præcipuè sunt differentiæ, à latitudine, vel angustiâ: à longitudine, & brevitate: rectitudine, & curuitate: à superficie, & profunditate desumptæ. Aliæ rimæ sunt cõspicuæ, quæ osse denudato oculis conspici, & specillo tangi possunt; aliæ conspicuæ, & cœcæ, quæ vi-

sui

sui obviæ non sunt, præcipuè circa initium, antequàm saniem contraxerunt. Non verò cœcæ eæ dicuntur, ut nonnulli putant, quandò non is, in quem ictus incidit, locus, sed alius in cranio finditur, & hæc est alia fracturæ differentia, ut dicemus. Alia differentia media est, quæ capillaris appellatur, angustissima, arctissima frissura, & capillorum instar se habens, sensumque ferè latens, quæ tamen si ad interiora penetret, gravissimorum symptomatum, & mortis sæpè causa est. Cùm enim & oculorum obtutum effugiat, nec specillo investigari queat, læsi ossis abrasio, aut perforatio negliguntur, sanguis contrà, ruptis vasis effusus, intus coërcitus putrescit.

Aliæ iterùm fissuræ non per totum cranium, seu utramque laminam, penetrant: aliæ totum penetrant: ubi scilicet utraque lamina ad meningem duram usque finditur; cui fissuræ interdùm & hoc accidit, quòd meninx ab internâ calvariâ separatur, & qua separatione vasa divulsa sanguinem effundunt, qui sub cranio collectus, nisi ipsi via ad exitum pateſcat, ægro mortem affert. Aliquandò solùm externa lamina finditur, internâ integrâ manente: aliquandò contrà accidit, ut externa lamina integra maneat, interna verò rimam, seu fissuram contrahat.

Aliæ rursum fissuræ sunt breves, aliæ longæ; aliæ rectæ, aliæ curvæ. Quibus & differentiæ à numero adduntur, quòd una nunc est rima, nunc duæ, vel plures.

Secunda dicitur *Contusio*, cum sine rimâ, & fissurâ, ab irruente, & illiso extrinsecus violenter, aut obstante duro aliquo, & obtuso corpore, os ità contunditur, ut etsi externa ejus facies ad sensum permaneat integra; in profundo tamen sit continui solutio, dum os intus deprimitur, & in se cogitur, ut idem ferè ossi contingat, quod carnibus, dum à re durâ, non acutâ læduntur, accidere solet. Et necessarium omninò est, ut sub ipso ictu os seipsum impellatur, & cavum fiat id, quod colliditur, alioquin non collideretur: ut verò cessante ictu cavum, & compressum maneat, non est necessarium. Maximâ enim ex parte mollia ad naturalem situm regrediuntur, ubi percussio, & vis externa cessaverit. Itâque eorum sententia mihi non videtur probabilis, qui contusionem per depressionem cranii explicant, ità ut tangentibus, & intuentibus fovea appareat, remque explicant similitudine vasorum cupreorum, stamneorum, plumbeorum, quæ rebus duris allisa introrsum pelluntur, absque solutione continui, & foveam contrahunt. Hæc enim fracturæ cranij species non est, neque ad fracturas pertinet, sed figuræ saltem fit vitium, cum nihil neque fissum, neque fractum, neque collisum sit, sed os solummodò depressum: etsi quandòque fractura conjungi possit.

Hinc duæ contusionis, seu collisionis species constituuntur, una cum cranium solummodò in seipsum

sum cedit, ac subsidet, sicut spongia, vel caro compressa, & locum, ac figuram naturalem non mutat; altera, cum cranium simul deprimitur, & figuram mutat, ac foveam acquirit. Verum hæc contusio simplex non est, sicut, & reliquæ, cum quibus aliæ læsiones concurrunt: & cum fracturâ hæc species sæpè coincidit. Interdum enim cranium contunditur sine rimâ, & fissurâ, quod in puerorum capitibus, quorum ossa sunt molliora, ferè accidit, aliquandò rimam contrahit. Quorum enim ossa sunt duriora, in iis vix contundi potest cranium, quin simul frangatur.

Contusio rursum aliquandò est sine eorum, quæ sunt intra cranium, læsione; aliquandò verò cum eorum læsione. Etenim nonnunquàm ex gravi capitis contusione non solum venæ, sed arteriæ, ac nervi, qui sunt intra cranium rumpuntur, quæ contusio periculosissima est. Et quidèm venulæ, & arteriæ, quæ sub cranio rumpuntur, non semper sub loco cranii, in quo fit contusio, rumpuntur, sed etiam in parte contusioni oppositâ, vel vicinâ. Fieri quoque potest, ut cranio in unâ parte contuso, vel percusso, in aliâ parte aliqua sutura dissolvatur, & ossa, quæ per suturam unita erant, disiungantur, & hient, imò etiam cranium integrum in aliâ parte rumpatur, & rimam contrahat.

Tertia *Depressio*, desessio, introcessio & contrusio dicitur, cum os findi tur, sed non, ut in fissurâ simplici, in suo loco manet, verum intrò cedit: id quod fit ex validis telorum obtusorum, lapidum, fustium ictibus, vel capitis ex lapsu ad rem duram obtusam vehementiore allisione. Quanquàm enim depressio cranii etiam dicatur cranium integrum manens intrò saltèm deprimitur, sicut dum cuprea, vel stannea vasa comprimuntur: tamen inter vulnera, & unitatem solutam illa læsio non est referenda, ac osse in suum locum reducto, nihil mali amplius supereſt. Hic verò de eâ saltèm compressione loquimur, quæ cum fracturâ, & ossis comminutione est conjuncta, atque ità non simplex fractura est, sed conjuncta cum rimâ, vel sede.

Differentiam hanc fracturæ aliqui non rectè explicant, & plurimi ità solum fieri decent, cum os plagæ ictus vehementiâ non solum findi tur, ac intrò truditur, verum insuper frangitur, fragmentumque cranii secedens sub oram, sive limbum ossis vicini integri truditur. Quòd si aliquandò fieri posse concedimus, & unum depressionis modum hunc esse admittimus: ità non semper necessarium esse putamus, ut ossis effracti particula sub os, quod integrum manet, detrudatur, & sub eo lateat. sufficit enim ad depressionem constituendam, ut aliquod ossis fragmentum à toto separatum, interiora, & cerebri membranas versum detrudatur, & vel aliquibus angulis, & extremitatibus acutis, quasi spiculis, meningem lædat, vel planâ superficie servatâ cerebrum comprimat, ejusque motum impe-

pediat. Ego hanc læsi cranii differentiam commodissimè fracturam in specie appellari posse existimo.

Quarta dicitur *Sedes teli*, sessio, vestigium, incisio etiam latinis commodè dici potest. Sedes est, cum à telo acuto cranium læditur, ità ut aciei teli impressi sedes, & vestigium, qua scilicet parte telum insedit, manifestè apparet. Advenit autem sedes perpetuò cum cutis, & pericranii vulnere.

Verum varii hujus læsionis rursum modi sunt. Primò enim huc pertinet simplex illud vulnus cum pugione, cultro, stylo, vel alterius rei acutæ cuspide cranium læditur, quæ *Punctura* rectè appellatur, quæque nunc externam solum, nunc utramque tabulam cranii penetrat. Deindè illud simplex vulnus, cum à telo levi, acuto, & bene scindente secundum longitudinem scinditur, ità ut suum naturalem situm adhuc retineat, & vestigium in osse inciso appareat, quæ *Ineisio* appellari potest: fitque ea nunc ità ut externa saltim lamina, nunc verò ut utraque scindatur. Tertius simplex modus est, si cum incisione aliquid ossis deperdatur, & *Dedolationem*, sive excisionem nominant; dum scilicet sicut quandò assares ascià, vel dolabellâ complanantur, aliquod ligni abscinditur. Huc referunt nonnulli etiam id vulnus, quandò bombardarum, & sclopetorum glandibus aliquid cranii interdum aufertur.

Compositi modi sunt, cum quidèm ipsum telum ācutum est, sed non satis acutum, nec leve, sed aliquo modo obtusum, vel grave; undè accidit, ut cranium non solum scindatur, sed etiam rimam contrahat, aut contundatur, imò deprimatur, & cranium effringitur. Et quidèm si cranium sit durius, cum incisione facilius fractiora conjungitur; si verò sit mollius, contusio.

Fieri etiam potest, ut in exteriore cranii superficie solum incisionis vestigium sese ostendat, intus verò rima sit.

Quinta dicitur *Contrafissura*, seu resonitus, quam Hip. infortunium appellat, nec sine causâ hoc nomen huic malo indidit Hip. Infelices enim & infortunati sunt, qui nec ipsi sciunt, quo loco læsi sint, neque medicus satis certus de hac re fieri potest, nisi cum res ferè jam desperata est. Accidit autem contrahissura ex resultu ictus in partem à plagâ distantem, & ad resistendum minus aptam. Dum enim aër in diploë vocata, hoc est in meditullio cranii, seu inter utramque laminam, conclusus vehementer ex ictu alterius loci agitatur, & impellitur undique, fit ut loco alteri calvæ solidæ allisus, ipsam perfingat.

Hæc *Hip.* est opinio, qui *lib. de capitis vulneribus* inquit: frangitur calvaria sub vulnere aliâ parte, quàm plaga est, quem tanquàm ducem sequuntur *Soranus lib. 8. cap. 4. Cornelius Celsus lib. 8. cap. 4. Gal. lib. 6. meth. med. cap. ult. Avicennas, Nicolaus Florentinus, Ioan. de Vigo, Ioan. And. à Cruce, Daniel Sennertus*

ius &c. quam sententiam similitudinibus comprobare nituntur. Et

Primò, omnia vasa vitrea, testacea, & cucurbitæ exsiccatæ, si percutiantur, exemplò in oppositâ parte franguntur, quia agitato ex percussione in iis aëre, nec exitum inveniente, in oppositâ parte fit fractura: ergò sic in cranio contingere potest propter aërem intra ipsum retentum, qui, cum advenit percussio, quam vehementem esse oportet, extemplò ex illo magno impetu ad oppositam concurrit partem, & fit contrafissura.

Secundò, *Nicolaus Florentinus Serm. 7 sum. 2. tract. 4. cap. 1.* se observasse testatur in quodam artifice, qui funes faciebat, qui cum in capite fuisset percussus, factâ in loco contusione, nihil læsum repertum fuit, tertiâ posteâ die cum febris fuisset subsecuta, apertâ parte oppositâ, copiosa sanies fuit inventa: patet igitur ex hac florentini observatione, dari contrafissuram; & in morbis externis omnibus rationibus sensus est præferendus, quia ob rationes sensum demittere non licet, & negare, quod patet ad sensum, est imbecillitas intellectûs.

Optimæ sunt hæ rationes, & observationes, quibus non facilè astipulamur, nam nos sumus nimis scrupulosi, & non ità facilè credimus. Quod dicunt de vasis vitreis, testaceis, & cucurbitis siccis, utique de cranio verificaretur, si caput esset vitreum, testaceum, vel cucurbitinum; potest quandòque contingere, ut vas vitreum, testaceum, & cucurbita sicca percussa in unâ parte, frangatur in oppositâ, sed semper in loco percusso frangitur, & à percussionis loco rima usque ad oppositam partem se extendit. Quòd si quandòque accidat, id est, quia sunt vasa vacua, quod de cranio verificari non potest, cum non sit vacuum. Præterea hæc vasa deberent esse Hermeticè obserata, ut aër egredi non possit, & ex maximâ percussionis agitatione exitum quærens, & non inveniens, utique in parte debiliori vas frangeret, quòd si vasa sint aperta, ex percussione exagitatus aër per patens potius ostium prodiret, quàm vas frangeret. Nec de his vasis aliquo liquore plenis valet ratio, nàm nos pura fregimus, nec hoc observavimus, quòd si quandòque contingat, hæc vasa sunt tenuia, & frangibilia in parte percussâ, & non sic est cranium. Quòd si hoc campanis, & mortariis æneis contingat, quæ dura sunt, hoc evenit ex tremulo aëris motu, qui in his fit, nam sunt corpora solida, & continua, & ex vehementi percussione, si motus in unâ parte impediatur, in oppositâ tremulus motus intenditur, & non ægrè franguntur. Cæterùm cranium est contiguum, & non continuum, quia pluribus constat ossibus, quæ inter se distinguntur, & *Gal. 9. de usu partium cap. 7.* vult, ut hanc quoque futuræ utilitatem habeant, ne si fractura accidat, ea nimis longè protrahatur, sed ad futuram terminetur.

Contrafissuræ procuratores supponunt

ponunt intra cranium aërem, nescimus tamen, an congenitum, an adventitium, & deberent quoque insignem supponere cavitatem, quæ nulla est, in qua contentus aër ex vehementi cranii percussione impelleretur in partem oppositam, & ibi rimam produceret. Verum ictus non potest esse debilior ipso impulso aëre, imò aëre fortior, si itàque res contundens, immediatè percutiens os, illud non frangit, & deberet prius frangi: quomodò ergò aër in minimâ quantitate intra parvam sphæram coërcitus, ictu debilior, rimam in osse dissito, & appositò producere potest?

Ad florentini observationem dicimus ipsum nequaquàm contrafissuram observasse, sed copiosam saniei quantitatem in parte oppositâ invenisse, quod idem dicendum est de aliis observationibus, quas authores pro contrafissuris recitant.

Verum quia in parte oppositâ vulneris quandòque contrafissuram prædicant ex sectione, & saniei inventione, quæ nequaquàm est vera contrafissura, quomodo id contingat, scrutinio dignum est. *Amatus Lusitanus cent. 3. curat. 42.* & alii, quorum sententiæ nos libenter nostram submittimus, statuunt fieri posse, ut unâ parte calvariæ læsâ, alia longè distans afficiatur, non quod os fissum sit, sed quod sub eo cerebri meningum venula aliqua rupta sit, ex qua sanguis effluit, & sanies fit, ac putredo oritur. Id hariolamur ex querelâ ægri percussi, dicentis ipsi visum esse, quod alio loco rumpebatur cranium, quàm ubi percutiebatur; deindè ex dolore, mollitie, tumore &c.

Signa.

Tracti cranii signa sæpè in profundo puteo sunt demersa, non aliter ac veritas in profundo puteo latet, ideòque mentis acumine sunt exploranda. Sumuntur itàque signa primò à symptomatibus, quæ vulneri statim supervenire solent. Secundò, à causis. Tertiò, ipse sensus consulendus est.

Quò ad primum, cranium osseum est, ideòque per se sensu caret, & dolorem nullum, nullumque symptoma excitare potest, sed tantùm è membranarum, & cerebri compressione, punctură, & lancinatione omnia symptomata excitari possunt. Hæc symptomata *Celsus lib. 8. cap. 4.* recenset: *Igitur ubi calvaria percussa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcæcati sint, num obmutescentia, num per nares, aurefvè sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens jacuerit. Hæc enim non nisi osse fracto eveniunt.* De his symptomatibus sunt *Hippocratis aphorismi. Sect. 6. aph. 50. Quibus divisum est cerebrum, iis febrem, & biliosum vomitum supervenire necesse est. Lib. 2. Coac. Quibus concussum fuerit cerebrum, vel ex plagâ doluerit, aut aliquo casu, his illicò vox deficit, neque vident, neque audiunt, fereque intereunt. Sect. 6. aph. 14. Ex capitis ictu obmutescentia, & desipientia, malum.* Et eadem *sect. aph. 24. In ossis præcissione desipientia, si in*

vacuum

vacuum penetraverit. Quibus signis addi potest mentis alienatio, oculorum rubedo, & vertigo tenebricosa, vel plurimorum luminum visio. Si æger in percussionis actu stridorem, quasi fracti ossis, perceperit, augetur suspicio.

Hæc omnia ex cranii fracturâ cerebro, ejusque membranis affectis eveniunt; cerebrum nàmque facultatis animalis sedes est, & ab eo spiritus animales omnia sensûs, & motûs organa accipiunt, si cerebrum comprimatur, & concutiatur; & spiritûs animalis motum turbari, ejusque in organa sensûs, & motûs influxum impediri necesse est. Hinc ex spirituum animalium turbatione vertiginem, ex influxu, & motu denegato lapsum, & spontanei motûs abolitionem, obcœcationem, obmutescentiam, stuporem, somnum quasi profundum fieri necesse est. Signa tamen hæc etsi propria sint, non tamen perpetua, & inseparabilia sunt; accidere nàmque potest, ut cranium sit fractum, & nihil tamen istorum appareat, si scilicet fractura sit parva, & cranium robustum. Quædam etiam horum symptomatum statim invadunt, & subitò in terram lapsus, vertigo, oculorum caligo, vomitus biliosus, sanguis è naribus, auribus, palato fluens, aphonia; alia posteà superveniunt, ut conclusiones, epilepsia, febris, delirium, torpor, paralysis.

Alia signa eruenda sunt ex ictûs conditione, in quo consideranda sunt, percutiens, capitis ictum recipientis dispositio, & instrumenti conditio. Inquirendum nimirùm, an is, à quo percussus fuit æger, robustus, an imbecillis fuerit; nùm de industriâ, vel de improviso, cum vehementiâ, & irâ, vel obliquè ictum intulerit; nùm ex alto, vel minùs alto loco; nùm ex propinquo, vel minùs propinquo percusserit. Nàm si qui vulnerat, est fortior, & de industriâ, ac præmeditatus, aut ex loco altiori, & tectà percutit, is gravius ferit, & os facilè rumpit, contundit, & intrò deprimit. Et qui ex loco altiori in rem duram cadentes impingunt, iis, & facilè os rumpitur, contunditur, & intrò cedit. Qui verò in loco plano cadit, & in rem minus duram impingit, cranium minus affligit.

Percussi caput perpendendum est, an debile, vel robustum sit, durum, vel molle, sanum antequàm percuteretur, vel morbosum fuerit, an percussus sit senex, vel juvenis, item qua parte vulnus inflictum sit, & deindè de læsionis vehementiâ conjectandum est.

Insuper instrumentum considerandum, an nimirum lapidè, ligno, ferro, telo percussus sit, & an telum leve, vel grave, acutum, vel obtusum, durum, vel minus durum, æquale, vel asperum fuerit. Tela enim rotunda, orbiculata, & plana, obtusa, dura gravia cranium maximè rumpunt, contundunt, & intrò deprimunt. Tela verò oblonga, tenuia, acuta, & levia magis secant, quàm contundunt.

Sensus ipse est verus, & fidelissimus index, qui fracturas detegit, & hic Hip. jubet, ut medicus, antequàm quid tentetur, ægrum, & astantes sibi confidentiores reddat, primò capillos consideret, si enim hi telo sunt dissecti, & in vulnere ipso continentur, ossis denudati, & læsi signum id est esse docet. Etenim à lapide, vel alio telo cadente projecto, si extremitas ejus in angulum acutum abierit, pili sæpè, & conscinduntur, & in ipsam ossis substantiam impinguntur, ut citra rimæ abrasionem evelli non possint. Deindè vulneris conditio attendenda est: nàm si vulnus longum sit in sincipite, quia ibi cutis est tenuis, & os rotundum, de cranii fracturâ meritò suspicandum est. In temporibus verò etsi vulnus sit longius, tamen quia ibi depressum, & planum est, caro multa, ossis ibi fracti non ità facilis est suspicio.

Certiorem explorandi modum per specillum tradunt, itàque quà plaga est, specillum immittere oportet, neque nimis tenue, & acutum, ne cum in naturalem quandam foveam inciderit, opinionem fracti ossis frustrà exhibeat, neque nimis crassum, ne exiguæ rimulæ fallant. Ubi specillum os attigit, si nihil asperum, sed omnia lævia apparent, integrum os habetur. Si verò loco extra futuras asperi quid occurrat, factum os esse indicio est. Hæc fracti cranii signa à *Sennerto*, & ab aliis relata inferius examinabimus, an certa, & infaillibilia sint.

Celsus specillo contentus non est, & licèt nec minima rima appareat, tamen si ex tali vel ictus conditione, & symptomatibus supervenientibus de fracturâ cranii suspicio sit, ossi atramentum scriptorium medicamento mistum inducere jubet, & posteà os radere. Quod enim fissum est, quia nigrum colorem in se recipit, nigrum manet, reliquum album naturalem colorem rasurâ acquirit.

Hanc autem fissuram hoc modo deprehensam porrò secundum profunditatem radere oportet. Si enim rasione nigredo omnis eximitur, indicio est fissuram minorem esse; Si verò deleri non potest, ad profundiora pervenit.

Nonnulli hoc modo fracturam explorant:

℞. *Thuris*,
ladani,
ceræ ana ℥. iv.
terebinthinæ,
farinæ fabarum ana ℥. ij.
f. emplastrum.

Alii hoc explorant, ut

℞. *Ceræ novæ flavæ*,
thuris,
santali ana ℥. ij.
therebinthinæ,
aceti,
farinæ fabarum ana ℥. j.
m. ad ignem, f. empl.

Imponatur supra cranium abrasis prius capillis. Si postridiè aliquo in loco medicamentum fuit exsiccatum, ibi fracturam esse censent.

Gabriel Fallopius scribit, eo loci, ubi cranium contusum est, quasdam maculas, seu puncta alba, instar eorum, quæ in unguibus apparent, conspici.

His

His signis, & alii alia addiderunt : dant ægro extremitatem chordæ musicæ, vel fili sericei dentibus apprehendendam, cujus alteram extremitatem capit chirurgus, illudque extendit instar chordæ, & tunc filum illud vibrat, ut fiat motus tremulus in illo filo, ut sonum edat, ab eâ vibratione si sentiatur dolor, significat hoc cranii fracturam adesse.

Ad hæc chirurgis etiam signum fracturæ ejusmodi est, si æger spiritum fortissimâ buccæ inflatione, orisque & narium obstructione foràs pellat, ità enim è vulnere à forti conatu aliquid saniei eliditur, verum hoc in fracturâ, ubi cutis simul non aperta, non habet locum.

Ex arte sequens sumatur signum: ponatur ferula sub utrâque parte maxillæ, manducando eò loci, quo fractura latet, dolorem, & quasi strepitum præcipiet patiens; ratio est, quia cranium globi simile formatum, dum musculi temporales huic firmissimè adhærent, & in manducatione abbreviantur, distractionem patitur; quò fractura illis propior musculis, eò certius experimentum. Vel detur patienti clavis, ut eam dentibus fortiter mordeat, vel dentes cum ea parum pulsentur, si indè dolor oritur in parte, in qua ictus accidit, cranii fissuram adesse denotat.

Verumenimverò hæc omnia signa suprà recensita fallacia reperiuntur, neque ex his cranii fracturam certò hariolari possumus, sed tantum conjecturaliter, quæ conjectura facilè chirurgum decipere potest, estò & symptomatibus, ictûs conditione, subjecto, instrumento, sensu, specillo &c. hauriantur. Nos multos à capitis ictu tenebricosâ laboràsse vertigine, cecidisse, bilem vomuisse, sanguinem per nares, palatum, & aures profudisse, mutos evasisse &c. hujusmodi nullam cranii fracturam passos, & absque sectione curatos fuisse observavimus, & multa extant exempla. Cadunt etiam quàndoque aliqui capite percussi, nullâ cerebro illatâ injuriâ, alios stetisse vidimus, quibus duram meningem laceram deprehendimus, quare in his judicandis, ubi anceps res est, prudentem chirurgum esse oportet, qui cuncta benè pensèt, judicet, agatque, pristinam scilicèt patientis naturam, mores, motus, vires præsentibus conferendo: non itaque ubi hæc apparent symptomata, semper cranium fractum demonstrant, sed potius cerebri concussionem, ut *Hip. sect. 7. aph.* 57. testatur : *Quibus cerebrum concussum fuerit aliquâ ex causâ, statim mutos fieri necesse est.* Et non solùm aphonia ex cerebri concussione evenire potest, sed etiam alia gravissima symptomata, quæ simillima in cranii fracturis accidunt. Imò evenit quandòque cerebri concussio absque vulnere, & quandòque cranii fractura, nullis subsequentibus symptomatibus, accidit, & interdum in vulnere cum calvariæ denudatione, & cerebri concussione prædicta apparent symptomata absque fracturâ. Possunt etiam hæc symptomata hujusmodi vul-

Unable to display this page

cationem confutamus. Neque infallibile signum est chordæ extremitas à vulnerato dentibus apprehensa, & à chirurgo vibrata; Nec ferula, vel clavis mandendia pro fracturâ exploranda, sunt certa indicia, cum hujusmodi experientia in strictâ fissurâ ad meningem penetrante, vel in contusione magna non valeat. Prætereà *Ambros. Paræus lib. 9. cap. 2.* scribit, & si utrumque sæpius tentaverit, signorum tamen horum veritatem experientiâ comprobare non potuisse. Quotquot pro cognoscendâ cranii fracturâ adducuntur signa, infirmantur; unum nos infallibile & patognomonicum signum adducimus, quod est cranii denudatio, & abrasio.

Solet quandòque tàm alta esse cranii fractura, ut dura, & pia mater, ac cerebrum vulneretur, & in hujusmodi vulneribus hoc adest peculiare signum, quod præterquam quòd sanguis copiosè tum per partem affectam, tum per nares, aures, & palatum propter plurimas venas, & arterias, quæ per meninges disseminantur, hinc dolor urget, & præsertim si ab aliquo ossiculi fragmento pungantur propter exquisitum utriusque membranæ sensum, sequitur, bilis vomitus, ut *Hip. sec. 6. aph. 50.* inquit: *Quibus divisum est cerebrum, his febrem, & biliosum vomitum supervenire necesse est.* Casus, obcoecatio, vertigo, torpor, mens non constat, nervorum resolutio accidit, febris adest continua. Et *Corn. Celsus lib. v. cap. XXVI.* inquit: *Sin cerebrum, membranave ejus vulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, ferèque bilis vomitus insequitur. Quorumdam sensus obtunduntur, appellatique non audiunt. Quorundam trux vultus est, quorundam oculi quasi resoluti, huc, atque illuc moventur ferè tertio, vel quinto die delirium accidit. Multorum etiam nervi distenduntur. Ante mortem autem plerique fascias, quibus caput deligatum est, lacerant, ac nudum vulnus frigori objiciunt.*

Caussæ.

In cranii fracturæ, & meningum, ac cerebri vulnerum caussis tàm Galeni mancipia, quàm recentiores æquè nobiscum conveniunt; sunt enim externæ, ut ictus vehemens, casus, occursus, & quæcumque cranii, meningum, & cerebri continuitatem solvere possunt. Huc refertur ossis dispositio, quæ causæ proximioris locum obtinet, cujus ratione hoc facilius, illud difficilius diffringi, & deprimi potest. Hinc os crassius majorem habet repugnantiam, quàm tenuius, durum, quàm molle, simplex quàm duplicatum, aut futuris dotatum, multâ carne obductum, quàm paucâ: ità illud calvariæ os, quod frontem, & cervicem intermediat, quia tenuissimum, & infirmissimum est, paucâ admodum, & tenui carne obductum, præ aliis obnoxium est fracturis, aut depressionibus, & homo in eâ calvariæ parte læsus majoribus subjacet periculis, & difficilius curatur. Post hoc, temporum os quoque infirmissimum

est, tum ob maxillæ commissuram cum eo, tum quia majori venâ, & arteriâ dotatur. Occipitis os præ aliis robustius est, & non tàm facilè ab ictu, casu aut vulnere læditur, & homo in eâ parte vulneratus citius mortem evadit. Ratione ætatis, & temperamenti ossa variant, in infantibus, junioribus, & foemellis tenuiora sunt, quàm in viris, & senibus, humidioribus, quàm siccis. Proindè tenuiora facilius læduntur etiam à re non adeo durâ, aut non adeò vehementi percussione; dura autem non nisi à re validâ vehementiori impetu illata. Ex solutâ cranii unitate, si vulnus profundiùs penetret, vulnerantur meninges, & cerebrum, & hinc vasorum tum sanguineorum, tum lymphaticorum apertio oritur, & per consequens sanguinis, & lymphæ evasio, qui extra sua conceptabula stagnantes, putrescere incipiunt, quare paucæ puris, vel sanguinis guttæ sub cranio quàm celerrimè hominem necare possunt.

Prognosis.

Cranium quomodocumque lædatur, periculo non vacat, nec negligi, aut parvifieri debet, etiam ubi omnia benè se habere videntur, quia quandòque ex minimo vulnere maxima producuntur symptomata, & sæpè per longum tempus sopita latent, undè in cranii fracturâ neminem extra periculum positum censemus, nisi post exactum centesimum diem, quod *Hip. in proœmio, lib. de Vulneribus capitis* monuit.

Minus periculi, est si externa tabula læsa sit & minus, si solum incisa: contusio verò majus periculum continet. Si utraque Lamina divisa sit, & tota calvaria aperta, majus periculum adest. Minus tamen periculo est, si sedes sit, aut fissura lata, & ampla: majus, si sit angusta; adhuc majus, si sit contusio, & rima: maximum, si rima sit tàm angusta, ut sensum exiguitate fallat, & hæc pluribus fuit mortis causa, non absolutè ob rimæ exiguitatem, sed ob sanguinem sub cranio effusum ægri periclitantur, & eò magis periculum augetur, si non constet, qua cranii parte fractura lateat; & quod sæpè esse extrà integro, nihilominus aliquod ossis fragmentum ab internâ tabulâ separatum, quod dum membranas pungit, gravissimorum symptomatum, et persæpè est causa necis, cum medulla inter duas tabulas pressa aliquid sanguinis effundit, qui eo loci putrescens, ossis inflammationem, & corruptionem affert, ut interdum non solum aliquot post acceptum ictum septimanis, sed mensibus, nihil mali suspicans æger moriatur. Vulnera in syncipite, & bregmate valdè periculosa sunt; nàm os illud debilissimum, & tenuissimum est, carne obducitur paucissimâ, & cerebrum eo loci copiosius habet. In occipite verò vulnera contrario modo se habent, quia licèt ibi cerebrum sit copiosum, os tamen crassum est, & adsunt viæ per nares, & aures pro expurgandâ materiâ, quod non contingit in syncipite, & bregmate,

mate. Sicut ipsius ossis læsi ratione nulla periculosiora sunt vulnera, quàm quæ bregmati infliguntur: ità in temporibus vulnera valdè periculosa sunt ob musculos temporales, in quibus venæ, arteriæ, & nervi disseminantur, ac propterea iis læsis, hæmorrhagia, convulsiones, deliria, carus, & alia symptomata accidunt, nec propter musculos os ibi commodè nudari, & secari potest. Periculosa quoque sunt vulnera in Suturis, tum propter cranii eo loci imbecillitatem, tum propter duram matrem, quæ fibris ibi annectitur. Et sanies per suturas è vulnere facile in duram matrem destillat. Rima quò levior est, & statim primis diebus apparet, eò minùs periculosa est: angustæ verò rimæ, & quæ non apparent, magis periculosæ sunt. Si externa saltem lamina findatur, rima periculo vacat. Periculosum verò est, ubi utraque lamina fissa est, cum sanies tum in duram matrem decidere possit. Periculosissimum est, si solum interna lamina findatur, cum rima illa lateat, & in conspectum non veniat; præcipuè si aliqua ossis squamula membranas pungat. Valdè etiam periculosa est fissura, si cum depressione conjuncta sit, & ossis pars avulsa subjectum cerebrum premat. Periculosæ etiam sunt cranii depressiones, & sæpè neglectæ mortem afferunt.

Periculosissimum est, si vulneris labia pallescant, siccescant, salitarum carnium instar appareant, flavescant, nigricent, depressa fiant, puris generatio suppressa sit, si aliquid emittat, quod fœtidum oleat, & aqueum, & nigrum ichorem fundat vulnus. Ubi os denudatum nigrum conspicitur, pessimum est, & mors prædicenda. Ubi nulla excrementa tàm crassa, quàm tenuia excernantur, aut sponte effluant, mors instat; si pustulæ per linguam oboriantur, & lingua præ siccitate finditur, & denigratur ex acris saniei per palati foramina in linguam delapsu, rarò evadunt ægri.

Si caput destillationibus obnoxium sit, aut æger erysipelate in capite corripi soleat, aut corpus lue venereâ conspurcatum, aut caco hymicum sit, aut febre hecticâ, vel tabe, vel alio morbo consumptum, aut siquis post veneris actum vulneretur, vulnus periculo non vacat. Si vulneratis diarrhœa, aut dysenteria supervenerit, ferè omnes periclitantur, ac quamplures etiam, qui pollutione venantur; ac etiam si urinæ perturbatæ quales jumentorum, cum maximam humorum corruptionem ostendant; nec non albæ, & perspicuæ periculosæ sunt.

Duo symptomatum genera cranii vulnera sequi solent, unum eorum, quæ affectus cerebri substantiæ, & partium vicinarum sequuntur, qualia sunt convulsio, paralysis, febris, delirium, stupor, sopor &c. quæ in toto apparent: alterum, quæ ob repentinam spirituum animalium agitationem, turbationem, & dissipationem proveniunt, qualia sunt, voce privari, non videre, non audire. A quibus symptomatibus aliquandò ad

se redeunt ægri, sine ullis gravibus symptomatibus supervenientibus; quandò scilicet nec cranium fractum, nec nervus, venæ, aut membrana aliqua cerebri rupta est: aliquandò verò ad se non redeunt, vel si ad se redierint, in gravissima symptomata incidunt, ubi nimirum partium harum aliqua læsa est. Quæ itàque incisio vulneratis accidunt symptomata, minùs terrere debent, quàm quæ perseverant, vel posteà supervenium. Quæ verò vel permanent, vel quarto, septimo die, aut deinceps, quo tempore omnia in melius mutari oportebat, accidunt, periculum portendunt, & saniei collectionem, putredinem, vel simile quid adesse significant. Si per vulnerum capitis initia febris oboriatur quarto, aut septimo die, id à puris generatione fieri putandum est, nec adeò periculosum est, ut *Hip. sect.* 2. *aph.* 47. inquit: *Dum pus fit, dolores, & febres accidunt.* Si verò post septimum, & eo tempore, quo jàm terminari debet, incidat, periculosum; cùm putredinis in cerebro, meningibus, aut cranio sit indicium. Si æger delirat, si memoria aboletur, si lingua est incontinens, si caligant, & obscurantur oculi, si aures obsurdescunt, si æger in lecto jacet immobilis, vel ex eo se præcipitem vult dare, si urina, & alvi excrementa supprimuntur, si paralisis, aut convulsio accedit: omnia ista vulnus lethale indicant.

Si nullum pravum symptoma adsit, vulnus quidèm periculosum dicendum est, non tamen lethale: modò medicus, & ægro adstantes singuli suum officium faciat. Et quod de aliis morbis acutis dicitur, id & hìc locum habet. Si æger quiescat, mente constet, somnum capiat, facilè spiret, siti non prematur, cibum non fastidiat, non doleat; si febris absit, vel desierit, pus album sit, læve, æquale, minimè fœtidum, conventientis quantitatis; si ægri facies similis sit benevalentis, & sui potissimum; si membrana sit mollis, sui coloris, liberè moveatur, caro increscens rubicundi, ac cervicis, & maxillæ quietus, & facilis motus: benè præsagire licet etsi vulnus magnum sit.

Cranii fracturæ valdè periculosæ sunt, sed periculosiora meningum, & cerebri vulnera propter innumera vasa, quæ per ipsas disseminantur, & propter utriusque membranæ exquisitum sensum: & quò vulnus profundius penetrat, eò periculosius est, & vulnus quò cerebro vicinus est, eò periculosius: & ex cerebro vulnerato majus, quàm ex ullâ capitis parte imminet periculum. Cerebrum enim aëri expositum facilè corrumpitur, & sanie defluente læditur, & putrescit, de quo *Hip. sect.* 6. *aph.* 18. inquit: *Vesicâ discissâ, aut cerebro, aut corde &c. lethale est.* Verumenimverò cerebri vulnera non quidèm omnia lethalia pronunciamus, sed periculosiora, plerumque enim Hip. pro periculoso lethale usurpat, cum sanatorum exempla existant, quibus cerebri particula dempta fuit, sed ea, quibus cerebri ventriculi substantia

vulne-

vulneratur, vel aliquid sanguinis non supra, vel extra, sed infra, vel intra duram, vel piam meningem stagnat, concrescit, putrescit, & febrem accendit.

Non omnia cerebri vulnera esse lethalia diximus, sed tantum ea, quæ profundiora sunt. Ac ut in aliis ità etiam in capitis vulneribus sæpè quasi miracula fiunt, & qui planè desperati videbantur præter spem convalescunt: ideòque hujusmodi vulnerati non sine auxilio relinquendi sunt. Id quod magis nos in demirationem trahit, est quod innumera authorum caterua asserit posse, aliquâ cerebri portione demptâ ægros vivere, & hos observasse, curasse, & convaluisse testatur, cujus rei innumeræ extant historiæ apud *Fallopium Ambrosium Pareum, Ioannem Andream à Cruce, Nicolaum Massa, Franciscum Arcaum. Scenkium*, & innumeros alios. Unam tantum adducam historiam, à *Zacuto Lusitano de prax. Med. Adm. lib. 1. obs. 5.* relatam, inquit iste, quòd decennis puer ense percussus fuerit in posticâ capitis parte, & vulnus satis magnum acceperit, cum læsione ossis membranarum, & deperditione substantiæ cerebri: nàm ex illo cerebrum quantitate nucis juglandis exivit. Additque quòd hic puer post tres annos, confluentibus humoribus ad partem debilem, hydrocephalo correptus, & mortuus fuerit, apertumque cranium sine cerebro inventum fuit, & dura membrana duplicata fuerit. Verum nos adduci non possumus, ut sine scrupulo Zacuti Lusitani historiæ, seu fabulæ credamus, mira canit, sed non credenda; imò hyperbolica est, & falsa, vel si vera est, non erit cerebrum spirituum animalium officina, sed alius eorum generationis locus inquirendus erit. Nec videmus, quomodò homo sine cerebro, membro tàm nobili, & necessario, spirituum animalium officinâ, & domicilio, sensûs, & motûs, ac omnium nervorum principio, vel temporis momento vivere possit, quin denegato spirituum animalium influxu, necessariò apoplecticorum more ipse moriatur. Non est bardus chirurgulus, nec vilis tonsorculus hac in nostrâ civitate, qui non se glorietur cochleari argenteo cerebrum eximisse, & vulneratos, qui jàm cum Charonte de naulo paciscì credebantur, curasse. Verumenimverò non negamus, si aliqua cerebri portio auferatur, vulneratum vivere posse, ità est superior, & anterior cerebri pars; quia hæc non est ad sensum, & motum, & consequenter ad vitam tàm necessaria. Si verò infima cerebri pars vulneretur, vel removeatur, quæ ad ventriculorum substantiam penetret, necessariò indè mors sequitur, ut *Gal. in comm. Hip. aph. 18. sect. 6.* explicat: *Vulnera cerebri, quæ aliquatenus in ventriculos penetrant, etiam afferunt mortem.* Et ratio est, quia exemplò omnium spitituum animalium ferè pernicies contingit, & eorum generatio impeditur. Dixit in supranotato commento Gal. *in Ventriculos penetrant*, quia cum unus tantum ventriculus

vulneratus est, præsertim anterior, æger vitam trahere potest, quia uno cerebri ventriculo vulnerato, in altero spirituum animalium generatio non impeditur, non verò si ambo vulnerentur ventriculi, ut Hip. 3. de Decretis monet: *Cerebri ventriculis collisis, aut vulneratis, totum animal sopitum collabitur.*

Curatio.

Quomodocumque cranium, meninges, & cerebrum læsum sit, vulgares, si corpus cacochymum sit, purgant, vel si plethoricum, venam secant, etiam si vulnera sint levia, ne ad partem affectam fiat humorum attractio, & prava eveniant symptomata, & multò magis id efficiunt, si magna sint vulnera. Imò in omnibus capitis vulneribus evacuationem censent necessariam, in quibus sectio, dilatatio, & ossis abrasio facienda est, & præcipuè si causa adest, ob quam humorum affluxus timeatur.

Protinus primâ die secant venam, quæ capiti est proximior, ut est vena cephalica, vel communis, ejusdem partis affectæ, modò vires sint robustæ, ut tenuioris sanguinis affluxus ad caput impediatur, & sanguinis tantum evacuandum, quantum ejus copia requirit, & vires ferunt, & prout ex vulnere parcè, vel copiosè effluxerit. Quòd si venam aperire non liceat, cucurbitulæ scarificatæ dorso, & scapulis, vel etiam lumbis applicantur. Si vulneratus Lue Venereâ laboret, abstinent à venæ sectione in brachio, & illam in pede secant. Si mulier actu menstruans vulnerata fuerit, venam pedis saphenam dictam aperiunt, vel cucurbitulas in spatulis scarificant; idem dicunt, si vulneratus actu hæmorrhoidum fluxu laboret.

Cæterum, quod juvamen venæ sectio præstare possit, ipsi nesciunt; non enim affectûs ratione ne venam secant, quia tantùm soluti continui unionem exposcit, sed secant successuri ratione, semper, tanquàm prudentes, futuro consulunt, & id, quod contingere, vel non contingere potest, mirâ solertiâ prospiciunt. Si copiosè è vulnere sanguis effluxerit, exitialis est venæ sectio; si verò parcè, sanguinem exactissimâ diætâ minuere possunt, diæta nàmque est optima venæ sectio, alias vulnerati vires phlebotomiâ, & exactissimâ diætâ, qua ægrum cruciant, extenuant, enervant, & vulnus, quod ex se lethale non erat, lethale reddunt. Phlebotomia sanguinem non emendat, sed vulneratum debilitat, undè reliqui succi deteriores evadunt, si homo ægrotat, non ægrotat ob nimiam sanguinis copiam, aliàs ante ægrotaret, sed ob vulnus, ob febrem, vel sanguinem extravasatum, & nimis spissum, quem venæ sectione non fluxilem reddes, nec febrem, nec vulnus curabis, fit crassus sanguis à salium volatilium, & spirituum defectu à coagulatione factâ ab acido, quam venæ sectione non impedies. Cautè itàque procede, ne vulneratos hac sanguificinâ jugules, & interfe-

fectorum animæ sub throno Dei clamitent: *Vindica Domine sanguinem nostrum, qui effusus est.*

Postmodùm corpus idoneis purgant medicamentis, & præcipuè bilem, & serum evacuantibus; isti nàmque humores sunt facilè mobiles, & caput impetunt, & prava excitant symptomata, quæ purganti medicamento non ægrè præcaventur. Et primò bilioſos alterant humores *Syr. ros. de succ. myrtill. de endiviâ, granatis, & de betonicâ*, admistis *aquis hordei, betonicæ, cichorii, plantag. &c.* Deindè pharmacum conficiunt ex *Syr. rosar. solutivar. & violar. solutivar. elect. Lenit. vel elect. de succ. ros. cum decocto tamarindor. & myrobolanor. citrinor. cum infus. rhabarbari.* Hæc namque humorum ad caput motum impediunt, & illud roborant.

Sed decipiuntur, & decipiunt vulgares in purgando vulnerato, nàm capitis vulnus solum soluti coitionem indicat, & non purgans medicamentum, ideòque in felici semper propinatur eventu, quòd si quandò que juvat, id est non nocet, per accidens se habet. Si febris adest, intempestivâ purgantis exhibitione, à medico exacerbatur; si abest, ex spirituum agitatione, & calefactione excitatur, & quia purgans magnum in corpore suscitat tumultum, sitim inducit, & universam corporis œconomiam subvertit, & hinc humores æstuant, caput impetunt, & præcipuè partem adoriuntur affectam, & varia symptomata ibi excitare possunt. Vires prosternunt vulgares tùm pharmaco, quod virus laxativum continet, tùm extenuanti victu, & tandèm ægrum perimunt. Hinc Neapoli capitis vulnera aëris vitio lethalia censentur, quæ alibi à chirurgis non satis peritis feliciter curantur, quia Neapolitani chirurgi sunt crassæ Minervæ homines, & vilissimum tonsorum genus, (sit hoc dictum paucorum pace) & vulneratos phlebotomant, purgant, diætâ exactissimâ enervant, dilaniant, excarnificant, & trucidant, ac quem vulnerans non peremit, vastâ curantis cæde procumbit, & miser, ubi medicam quærit opem libitinam invenit. Et licèt Hip. in capitis vulneribus medicamentum purgans concedere videatur; attamen illius qui homines erant robustiores, quàm nostri temporis corpora, ut testatur *Galenus.* Si igitur Hippocratis tempore medicamenta purgantia in capitis vulneribus exhibebantur, non inferre licet, nunc exhibenda esse, quia nunc corpora non sunt ità valida, ut antiquitus, ob desidiam, & malam, vel variam victûs rationem, quòd si invalida, medicamenti purgantis exhibitionem respuunt.

Solent vulgares enemata præscribere, sed hæc etiam non sunt tuta, contingere nàmque solet in his vulneribus vomitus, qui etiam inter concussi cerebri signa computatur, & enematum usu sæpè oritur motus peristalticus universus; & quia pessimum est in hoc affectu aluum habere adstrictam, quia exindè cerebri inflammationes, & alia symptomata excitari solent, aluum lenientia optima censentur,

tur, quæ scybala stagnantia comiter provocant, ac proindè glandes, suppositoria, & enemata officinalia reiicimus.

Quoad soluti cranii unitatem attinet, pluribus modis fieri diximus; si nàmque ab instrumento incidente, vel pungente fiat, cranium lædi non potest, nisi cutis vulneretur; si verò à contundente fiat, potest in contingere etiam sine, & cum capitis vulnere: potest quoque utramque laminam, vel alteram tantùm penetrare, de quibus nunc sigillatim dicendum.

Cœterùm solet quandòque, integrâ manente cute, cranium frangi, sed an cutis secanda sit, ut ossis fractura reveletur; an nullatenus aperienda sit, incompesci ile litigium inter medicos tum physicos, tum chirurgos adhuc sub judice pendet. Et reverà nobis arridet cutem non amputandam esse, primò, quia sine ipsius sectione, natura, si aderit sanguis, vel sanies, qui per os fractum internas penetret partes, ipsum medicamentis adjuta discutiet, & resolvet naturæ nàmque opera nostrum superant captum, & calor naturalis in partibus internis maximam habet activitatem, quo mediante, natura prodigia operatur, quæ artis ope non assequimur. Insuper in femoris, cruris, aliorumque ossium fracturis ad medullas usque semper observamus, quòd natura ab intimis illis partibus sanguinem ad cutem expellit, vel si sanies in illis partibus generatur, quæ si generatur, non est tanta, quia à medicamentis resolventibus gigni non permittitur, & illa tanta à medicamentis, vel à calore resolvitur. Quidni hoc in cranii fracturâ, sano manente pericranio, naturæ ope evenire non possit? Equidèm naturam in hujusmodi fracturis integrâ manente cute, à cerebro per nares, vel palatum, vel aures sanguinem, vel copiosum pus eliminasse, vel insensibiliter discussisse, & ægros sanasse observavimus. Præterea in magnis pericranii contusionibus, nunquàm illud secamus, sed illa exhibemus medicamenta, quæ volatilitate suâ coagulatum attenuant, & resolvunt sanguinem, ut ad debitam redactus fluiditatem in venas resorberi possit, & qui ineptus est, vel reliquis immiscetur succis, apertique poris eiiciatur. His medicamentis optimæ notæ chirurgi in cranii fracturis, cute incolumi, utuntur, quorum artificium adamussim providam æmulatur naturam. Tandèm si cutis aperitur, os detectum frigore corrumpitur, quod illi est maximè infensum, ut *Hip. sect.* 5. *aph.* 18. notat: *frigidum inimicum ὀστέοισι dentibus &c.* non itàque cutis aperienda est, quia deficiente cute, medicamenta appositа actuari nequeunt, nàm cutis est proprium indumentum, quæ medicamenta actuat. Non igitur incolumis cutis est reseranda, etiam si intus sit sanguinis grumus, vel ossis frustum membranam lancinet, vel os sit depressum, & comprimat, vel sanguis effusus, vel sympha, vel sanies genita, quia ob nostras rationes natura ab omnibus his injuriis

juriis sese tuetur, mediante nativo calore, & optima medicaminum supellectili, nisi medici, idest mendici, alienis sese ærumnis saginare velint, censum constituendo quotidianum. Neque pars affecta, si fortirer digitis pertentetur, & fovea exploretur, fracti ossis signum erit, nàm ossis depressionem indicare potest absque fractura: sicuti neque cum satis in capite ecchymosis cum aliquo magno symptomate, nempè sopore, stupore, delirio, desipientia &c. apparet, sed hæc fallacia sunt, nàm quandòque apparent, & cranium non est fractum. In cognoscendo, an os sit fractum, integrâ existente cute, magna sedulitas est necessaria, ideòque versatos, & optimæ notæ chirurgos fatigat. Non itàque cutem secare, & peri cranium adimere congruit, nàm alias post inconsultam lanienam os sospes cum maximo artis convicio, & ægri discrimine comperies.

Sed ad curationem noster redeat sermo, & primò, si cutis sauciata sit, & satis dehiscat, & labia quantum opus, deduci possint, nullâ sectione opus est; quòd si non satis pateat, latius aperienda, donec tota fractura in conspectum veniat, ne inter agendum assiduò vulneris labia lædentur, & tanta vulneris latitudo fieri debet, quanta requiritur. Nec terebrâ, vel scalpello id fiat, quia pericranium laceratum dolores, & inflammationem excitat, & malum facilè cerebro impertitu. Pericranii sectionem tunc tentant, cum læsi cranii suspicio est, aut insignis contusio sanguinem concretum continet. Verum temerè, & conjecturaliter, absque ullâ demonstratione, & quasi cœcus cœcum ducit, procedunt, & ferè semper sine causâ doloribus ægrum discruciant. Eapropter saltim in pueris non facilè hanc sectionem probamus, quia sanguinis profusione, & dolore vires eâ ætate imbelles prosternuntur, sed potius suademus, ut consentaneis tepicis materia discutiatur.

Inciditur cutis trigonâ, vel tetragonâ sectione. Sectio trigona, sive triangularis est, cùm ab uno puncto tres exeunt striæ. Tetragona, cum duæ scissuræ sese mutuò intersecant; ità ut ex trigonâ tria, ex tetragonâ quatuor prodeunt labia: sed hæc lex non tanquàm inviolabilis veneranda est, sed chirurgi industriæ sectio committatur. Sectio semper incipienda est à parte inferiori, nàm à superiori si incidatur cutis, sæpè hæmorrhagia chirurgiæ est impedimento. Incisio fiat novaculæ mucrone circa manubrium, & aciem linteo convolutæ, ut nil nisi mucro appareat, premente manu, si unà cum cute inciditur pericranium, sedulus, & attentus chirurgus esse debet, ne secando, & premendo, si os fortè valdè ruptum, duram lædat meningem. Sanguinis fluxui succurrunt linamentis siccis, vel madidis aceto, vel poscâ utuntur, vel vino austero, vel linamento ex stuppâ ovi albumine imbibitâ, & si dolor adsit, ovi albumine cum luteo simul.

Malesani chirurgi vulgares acerrimè rixantur, an vulnus in temporibus dilatandum sit? Verum juxta nostra principia, & suprà allatas rationes, talem dilatationem respuimus, etiam si ossis fractura adesset, quia incideretur musculus temporalis, quo secto, delirium, carus, & alia pessima acciderent symptomata. Itèm in musculo temporali venæ, arteriæ, & nervi disseminantur, quibus in dilatatione læsis hæmorrhagia, & convulsio ob magnam nervorum exindè egredientium copiam oboriretur, ut *Hip. cap. ult. de vulneribus* inquit: *Quibus tempora secantur, convulsio in contraria parte oboritur.* Similiter maxillæ inferiori incommodum afferretur, & ejus motus inhiberetur, ob musculi temporalis læsionem, qui maxillæ motui addictus est, & auditûs organo vicino detrimentum afferre posset. Et ex his accidentibus deduxit *Hip.* quod: *Vulnera, quæ fiunt in musculo temporali sunt lethalia:* Si in primo vulnere lethalia pronunciavit, in secundo scilicet in dilatatione, lethaliora intelligimus, præcipuè quia vulneri additur vulnus.

Dilatant vulgares vulnus supra futuram, sed perperàm operantur, nàm per futuras transit ligamentum ortum ab internâ membranâ, & facilè affectio membranis communicatur.

Bardi chirurgi in frontis vulnere per transversum, si sectione opus est, dilatant, ex qua dilatatione cutis, & musculus ille, qui palpebram attollit, deorsum decidit, & oculum cooperit, ac visionem impedit: non itàque talis dilatatio fieri debet, quòd si lanienam exercere velint, saltim sectionem à parte inferiori sursum versus moliantur. Nec saltim sectionem nimis amplam faciant, sed tantam, quantam detegenda plaga requirit alias ex majori cicatrice non solùm deformitas exsurgeret, sed pars denudata etiam imbecilla redderetur.

Cranium variis læditur modis, quos pro curatione prosequi oportet: Si itàque capitis cutis sit vulnerata, pericranium sectum, os contusum, vel fractum, vel aliquod ossis segmentum membranam lancinet, vel ipsum os depressum, & comprimat, sive adsit rima, vel teli sedes, vel non, si sanies defluxa, vel saltim suspicio sit, ut ad membranam defluere possit, semper primò dilatant vulnus, deindè os aperiunt, & ante ossis apertionem ipsum abradunt, sive aderit fractura, sive rima, sive teli sedes, ut qualis sit in profundo, pateat. Verùm accidit quandòque, ut fractura, seu rima in superficie externâ sit valdè lata, & in imâ parte angustissima: quandòque, ut in parte internâ sit lata, & in superficie angusta: quandòque, ut fractura sit tantùm in exteriori ossis laminâ, & non inferiori, & profundâ, ac tunc os non est aperiendum. Itàque os abradendum est ante ejus apertionem, ne chirurgi decipiantur, & æger magno vitæ discrimini submittatur. Si inter abradendum amittatur rima, abrasionem non sequuntur, sed linimentum atramento imbutum supra

pra abrasionis locum imponunt, & sequenti die vulnus detegunt, & visam lineam abradunt, eousque apparebit rima. Si hæc ad meditullium tantùm devenerit, ibi desistunt: Sed si rima inferiorem penetret laminam, tunc si rima sit lata, os secant, & membranam detegunt.

Tribus de causis os aperiendum censent, prima est, quando certò sciunt ex symptomatibus, quòd materia aliqua sub osse continetur: symptomata sunt delirium, inflammatio, magna membranæ pulsatio, mentis alienatio, sensuum deperditio, stupor, sopor, vel similia, quæ vel materiam sanioſam infra os, vel læsam membranam indicant. Cœterùm hæc symptomata aliter evenire solent, absque eo quod materia sanioſa lateat, vel membrana læsa sit.

Secunda, quandò ex fracturâ, vel rimâ, quæ est facta in osse, prolapsus est sanguis, vel ichor ad membranam: sed hic optimæ notæ medicamentis, ut diximus, absque ossis incisione resolvi potest.

Tertia, quandò ossis fractura est capillaris, & nimis angusta, tamen fractum est ad membranam usque, & materia aliqua intùs adest. Verùm lynceos non habent oculos vulgares, & visu ad membranam usque penetrare possint.

Si igitur ossis læsio fuerit, sic ut internarum partium aliquam malè haberi existimant, putà vel vena rupta, undè sanguis sub cranio effusus, suo calvaria vagus exitum postulet, vel pus, quod contingit iis, qui jàm diu vulnus accepêre, vel ossis cerebrum collisione premitur, vel ab aliquâ asperitate (si os fractum sit) lancinetur, ad ossis excisionem deveniunt.

Sed quandò os aperire oporteat, vestigant? Communis ferè omnium vulgarium sententia est, quòd non aperiendum est, nisi quandò ex symptomatibus constabit, quandò sanies est prolapsa ad meningem, quæ symptomata erunt, cum vulneratus incipiet delirare, vel obmutescere, denigrari os, & similia: sed extra rem loquuntur, & serò sapiunt Phryges, quia inflammationi, & aliis incommodis, antequàm eveniant, occurrendum est, & postquàm facta sunt, vitæ spes in angusto est, & vulneratus alterum habet pedem in cymba Charontis. *Paulus* inquit, quòd si hyems sit, sat est aperire os ante decimam quartam diem; æstate verò ante septimam. Sed *Hip.* monet, ut ante quartam semper, sive æstas, sive hyems sit, os aperiatur, vel saltem ante septimam, & ità vel in secundâ, vel tertiâ, vel quintâ, vel sextâ die detegenda est membrana, in quartâ autem minimè, quia dies est indicatoria. Vult autem *Hip.* ut aperiatur ante quartam, quia in quintâ natura non habebit impedimentum, quò minùs agat contra morbum.

Cœterum nos ossicidas monemus, (hæc secundum eorum cordis duritiem, & ignorantiam, non autem secundum nostram mentem dicimus) ut os aperiant, quantò citius fieri potest; fiat ità que pri-

Unable to display this page

circumrotando, ut anteà : interim scobem auferto, & modioli ferramentum in oleum rosaceum intingito, ut magis lubricus circumagi possit, & subindè in aquam rosaceam, ne nimium calorem ob continuam circumductionem concipiat. Sanguine jàm reperto, signum est te ad secundam tabulam penetrasse, & tum lenius premendum, ne fortè modiolus incaute in meninges se demergat, & ab ipso lædantur, undè sæpissimè subita mors sequitur; dura nàmque mater internè cranium investit, ut pericranium externè: sed tàm firmiter non adhæret, quin casu, vel ictu facillimè à cranio separari possit. Ubi ossiculum vacillare incipit vectem inter crepedines inserito, easque prorsus dissolvito, & illud volsellâ eximito. Si post terebrationem quoddam ossis frustulum, sive aliqua eminentia cranio adhuc adhæreat, qua meninges pungi, & lædi possent, illud lenticulari auferto: & ut deindè sanguis concretus, vel sanies exire possint, dura mater instrumento decussorio est premenda. Præterea non peccabis, si ergo, mente adhuc sanâ, naribus, & ore clausis spiritum continere jubeas, quò cerebrum versus cranium urgetur, & sanguis concretus, sive corruptus suâ sponte per aperturam ejicitur. Sed ægri non tàm accuratè hoc peragunt, quin supra dicto decussorio, spongiis, & aliis indigeant. Instrumenta, ut *Nespula*, *Trapanum*, *Roina*, *Terebellum*, & cætera apud *Iohannem Andream à Cruce*, *Ambrosium Paraum*, & alios configurata conspiciuntur. Sed hic non reperitur inter vulgares chirurgus, qui hanc carnificinam peragere possit, sunt enim omnes tonsores, qui nuper clysteres injiciebant, barbam tondebant, & phlebotomabant, & nunc protinus chirurgi evaserunt Neapoli, in Nosocomiis, & Monasteriis, est nunc ars tonsoria veluti gradus ad chirurgiam, & qui chirurgus esse vult, fiat primò tonsor.

Superficialiter, quomodò ab officidis vulgaribus humana peragitur carnificina, deliniavimus, sed non sine maximo animi cruciatu humanitatis vices indoluimus, & lacrymarum imbrem vix repressimus, quibus irarum æstum temperavimus. Inhumanum hominum genus, spurca hominum progenies, veriuti impostores, impii lictores, carnifices crudeles, urbani sicarii, publici grassatores, domestici prædones, & homicidæ impunes sunt isti maledicti chirurgi, sunt viles medici, sed viliores chirurgi, quia ex omni nequitiarum, & imperitiarum genere ad chirurgiam, & medicinam, tanquàm ad asylum, isti cerdones confluunt, & ut decenter vitam trahant, urinam, merdam, sputa, menstrua, sanguinem, sudores, saniem, vomitus tractare non verecundantur, & ex artis præscripto omnia hominum excremento inspiciunt, quæ sunt res sordidissimæ, feculentissimæ, & putidissimæ. Quin etiam & ipsam merdam (honos sit auribus) gustare, quod quidèm aliquandò *Hippocratem* fe-

ciſſe non piguit, ut indè morbi naturam perſentiſceret, undè ab *Ariſtophane in Pluto* dictus eſt Merdivorus i. merdam comedens. Et *Ariſtotelem* ſemen quoque humanum guſtaſſe legimus, non aliâ ex cauſſâ, quam ſeminis naturam ex guſtu deprehenderet. Medici, non ſecus ac vultures cadavera, excrementa lurcantur humana. Non hæc convicia in cordatos medicos congerimus, ſed in illos homines, qui nullius numeri, vel intellectûs exiſtunt, & ſe medicinæ intruſêre, propter quos nunc nulla gens medicis contemptior, excepto monachio, exiſtit, & medicina meretrix facta eſt, & paulo plus duobus aſſibus unicuique ſubjici compellitur, quia præ nimia ſocordiâ vix ſe aliàs paſcere poteſt. Sunt hujuſmodi homines qui ad medicinam ſe intruſerunt, bajuli, anteambulones, aurigæ, veteramentarii, milites, Cingari, præsbiteri, ſatellites, carnifices, vetulæ, ſagæ, lenones, meretrices, & monachi. Non computamus obſtetrices, pharmacopolas, alchemiſtas, deſtillatores, balneatores, tonſores, dentifrangibulos, hiſtiones, veterenarios, & xenodochios, qui in medentum albo non dum notatos ſe eſſe dicunt, verum in magno honore apud omnes habentur, & in conſultationibus medicis exquiruntur, & aſſident inter noſtros Galeniſtas, conſultant, & ſuum interponunt conſilium, propter quos medicina facta eſt fabula vulgi.

Hac occaſione in maximum devenit medicina contemptum, in quo nunquàm fuit, nec olim omnibus indifferenter, niſi cordatis medicinam faciendi dabatur poteſtas, & in tanto fuit cultu, in quo nunquàm erit, ut ex ſuetis litteris habetur: *Nolite me conſtituere Regem, quia ego non ſum medicus*; at nunc indiſcriminatim, & non ſine ſummâ ſacræ artis ignominiâ, multorum ægrotantium, damno, & interitu, præmiſſâ licentiâ, quæ vix paucis ſolidis comparatur, vilium hominum ferrago non tàm temerè, quàm inſolenter in ſacrani meſſem falcem immittit. Eapropter cordatorum medicorum genus hoc videt, quæritur, & cum medicinâ lugente exclamare impellitur: *Domus mea, domus medicationis eſt, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Inſuper ex alio capite ſtupemus, quòd quidam novelli medici, imberbes, & veluti tot Ganymedes, qui vix medicinam à primo limine ſalutârunt heri, & hodiè ægrotantes viſitant, & de ſuis experimentis, & arcanis gloriantur, quæ res, ſicut admiratione, ità cachinno digna eſt, & in eorum intellectus imbecillitate maximam temeritatem cum faſtu glutinatam non admirari non poſſumus.

Hi viles, & prob oſi, qui nunc medicinam faciunt, fortunas, hominumque vitam negotiantur, & impunè ludunt de corio humano, & eorum ſtudium totum vafatur in cogendâ magis pecuniâ, quàm in mortalium incolumitate, & ſolummodò emungendis ægrorum crumenis, non morbis depellendis intenti ſunt, & ille eſt peritus medicus,

medicus, qui hac impostura ditissimus evasit. Nec de hoc magis dolendum putamus, quia tolerabiliter est secundum temporum conditionem, sed quod magis refert, impostura, rapinæ, tot clades, hominum cædes, & homicidia in Republicâ quotidiè plangoribus, gemitibus, lacrymis, & terrificis ululatibus æthera complent. Extremâ pauperie familias onerant, incolumitatem depravant, floridam juventam morti tradunt, viro uxores viduant, & parentes filiis orbant, & tamen medicinam faciunt! Confodiunt, excarnificant, mutilant, mortificant, enecant, & re quasi optimè gestâ, & quasi amplius nullus supersit magistratus, qui tantam malitiam, fraudes, scelera, & homicidia severè vendicare velit, aut possit! Principes hoc intelligunt, vident, sinunt, nec ipsis etiam prospiciunt, & tamen Hadrianus Imperator moriens, illud vulgatum dixit: *Turba medicorum Cæsarem perdidit.*

Olim medici æqui parabantur servis, & in numero servorum erant, ut patet in *L. Thais §. Lucius ff. de Fideicommiss. lib. & l. alimenta §. 1. de alim. & cibis legat.* & alibi, ut pluribus exemplis ostendit *Tiraquellus de Nobilit. cap. 31. num. 410.* Occidens medicum non tenetur, nisi ad sexaginta solidos, ut probat *Textus in leg. 3. verb. Medicis, & verb. Notariis C. comm. de legatis*, cujus verba sunt: *Exceptis Notariis, & Medicis utriusque sexus, cum Notarios quinquaginta solidos æstimari velimus, Medicos autem, & obstetrices sexaginta.* Verùm hoc tantùm intelligitur de medicis Galenistis, qui tunc temporis aderant. Hoc-que notatum reliquit *Caravita in Ritu M.C.V. Neap. 267. in fine Antonius Gomesius, Doctor textualis in l. 5. Tauri col. penult. vers. & in tantum. Thomas Actius, de infirmitate part. 1. num. 5. cap. 5.* Quod etiam notavit *Amendola in decis. 4 Sacri Consilii Neap. num. 10. Præsid. Vincent. de Franchis*, licèt ipse Amendola dicat, id non firmare, quia erat vivens Xonodochium, & quotidiè medicorum operâ indigebat, & tandèm ischuriâ correptus, à medicis Galenistis extinctus cecidit, & in medicos invectus exspiravit, & nos testes oculati fuimus, quòd si divinasset, non utique ità dixisset. Aliud tenuit *Caravita in tract. de medico, & Tiraquellus in tract. de Nobilitate* alia adducit, & hanc opinionem sequitur *Zannettini ad dictam decis. num. 6.* Item idem *Amendola loc. cit. docet, medicos æquiparari obstetricibus, barbitonsoribus, & Manuscalchis, quæ sunt personæ viles, & non esse majoris valoris, quàm obstetrices probavit Barbatia ex gloss. in verb. nec. medico in c. non sanè* (quod est) *c. fin. 14. qu. 5. & l. si duobus §. in autem artifices C. com. de legat. apud Bartholomæum Cassanæum in Catalog. glor. Mundi part. 10. consid. 25. vers. 8. dicit.* Undè medici ejiciuntur à munere procurationis *l. placet 17. ubi gloss. & l. Parabulani 18. C. de episc. & cleric.* ubi vocantur etiam Parabulani, & circulatores *l. si duos 6. §. 1. ff. excusat. tutorum.* Magister Galenus vulgarium antesignamus Romæ, latèque circulatorem egit;

ven-

vendebat enim pilulas de tribus, & publicè Theriacam conficiebat, vendebatque.

Sed ad crannii perforationem redeamus : Est hæc operatio anceps, & periculosum remedium, sæpiusque comitem sibi adsciscit mortem, vel saltim hæc chirurgia non absque gravi vitæ periculo exercetur : lethaliter itàque pernicioſa est, & perpetuò lethalia infert symptomata, ut inflammationem, cerebri concussionem, & cœtera, quæ omnia mortem intentant, sæpiusque in ipsâ chirurgiâ sub sceleratâ carnificis dextrâ ac tutùm, vel paulopòst cadit patiens, & quem non peremit vulnerans, chirurgus obtruncat. Undè versipelles chirurgi, ne fortè si patiens occurbiturus sit, & funus ipsis adscribatur, coram adstantibus semper se de periculo protestant, & funesta, ac certa se muniunt prognosi, & ex centenis quibusque vulneratis qui huic lanienæ se submittunt, omnes ferè moriuntur, & vix unus, quem æquus amavit Jupiter, evadit, vel quia temerarium chirurgi delictum tegere vult, ut non rarò solet. In desperatis casibus, ubi nulla salutis spes supereſt, vel in multis aliis morbis, à quibus seſe extricare non possunt, ne ægrum medicaminum ope destituant, quia incertam morbi notionem possident, ad dubium confugiunt remedium potiùs, quàm ad nullum, ne insciti am patefaciant, fexale illud Celsi præceptum repetunt : *Anceps præstat, quàm planè nullum experiri remedium.* Aurea quidèm sententia, sed humano generi perduellis, & funesta, quæ vivos per summa pericula exercet, semivivos perdit, & in mortuos sævit. Fuit Celsus rudium vulgarium patronus, & humanæ cladis auctor : Reipsâ Cornelius Celsus variæ eruditionis vir fuit, & nullum penè disciplinæ genus intactum reliquit, Rhethoricam diligentius explicavit, de re militari diligentissimè scripsit, ex quibus ad nòstra tempora nihil pervenit, præter octo elegantissimos de re medicâ libros, qui medicorum manibus teruntur, sed nunquàm medicinam fecit, aliud est medicinam dictare, aliud illam exercere ; praxis nàmque à theoriâ longè abest. Si igitur Celsus nihil in praxi medicâ versatus fuit, falsum, & maximè ægrotis præjudiciale præceptum arbitramur : *Anceps præstat, quàm planè nullum experiri remedium.* Consultiùs, & optimè scripsisset : *Nullum planè præstat, quàm anceps experiri remedium* ; ubi enim morbi natura exactè non percipitur, incognita est, & nulla notio habetur, tunc nulla adhibenda sunt remedia, vel saltem quæ nullatenus nocere possunt, magnis interim vitatis præsidiis, non verò ambigua, quæ absque indicatione ad ignotam morbi essentiam collimare non valent, & potius lædere, quàm juvare possunt ; Undè *Hip.* ait : *In morbis, in hoc te exerceto, ut ni prosis, saltem non noceas.* Et *de victûs ratione* : *Inconstantes febres donec consistant, sinere oportet.* Et *Avicen. 1. quart. cap. 1.* scripsit : *Ignoras, quanàm sit agritudo? Relinque eam naturæ, quoniam aut*

aut natura superabit ægritudinem, aut ipsam manifestabit. Et ità pariter observavit *Gal.* ut ipse ait 2. *de loc. aff.* 5. Præterea natura est morborum medicatrix, nec morbi tempore otiosa est, nec ejusdem ministeria silent, & morborum solutiones molitur, nullis certis, sive dubiis adhibitis medicamentis. Hoc Celsi præceptum facilius est dictu, quàm exercitu, & non sine medentis infamiâ, & ægri pernicie experiri potest: è foro itaque medico, tanquàm perniciosum proscribendum est, quia ut inquit *Hip. Experimentum periculosum.*

Hæc maledicta cranii perforatio vulneratorum myriades Teutatæ immolavit, non exiguos implevit sarcophagos, & innumeras defunctorum animas ad Charontis Cymbam adegit, quam à Belzebub dœmoniorum principe, & humani generis hoste, nactam fuisse, & netariis consignatam chirurgis credimus. Omnis cranii fractura non est terebranda; ubi nàmque cranii fissura ampla, & dehiscens apparet, atque materia purulenta in qualitate requisita effluit, vel syphone exsugi potest, apertione non est opus. Sedes apertione non eget; aperta nàmque est, & ex apertione materia efluere potest. Parva contusio non semper tàm gravia secùm fert accidentia, quin trepanum multò graviora moliri possit; sanguis enim profusus quandòque tàm exiguus est, & patiens tàm validus, ut natura eum suâ sponte per re faciat, si ejus calor externo frigore non enervetur, quo in casu trepanum fermè id efficeret, estò maximam adhibueris solertiam. Si cranium depressum sit, terebratione non opus est, sed ut ad suum naturalem reducatur situm, sufficit, pro cujus reductione vulgares cucurbitulam applicant loco depresso cum magnà flammâ, & scarificatione qua frequenter adhibitâ os depressum attolli ferunt. Verùm nos nullatenus credere possumus cucurbitulam os depressum attollere posse, etiam si centies cucurbitulam adhibeant, inflammationem tamen ex hoc remedii genere pluries nos observavimus. Item os depressum fotu emollienti pluries ad elevationem imbuunt, sed frustrà; os enim nunquam emmolliri potest, ut ad suum redeat locum.

Sed si aliter cranii fractura cõtingat, ità ut ipsum cranium in minimas particulas sit fractũ, vel compressum, vel contusum in superficie, vel ad utramque laminã usque, vel os frontis, occipitis, parietale, atque petrosum, sive in planitie, vel suturâ; Vel sit rima recta, vel curva, lata, vel angusta, longa, vel brevis in uno osse, vel ab uno ad aliud per suturam transeat, vel fiat in unâ, vel utrâque lamellâ, sive manifesta, sive inconspicua, sive sedes teli sit in cranio soluto secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; sive os in ipsius naturâ maneat, vel succisum, ut adhuc hæreat aliquâ parte sano, vel totaliter recisum, vel quomodocumque, & in quacumque ejus parte continuum sit solutum nunquam curatio per trepanationem instituì debet.

vendebat enim pilulas de tribus, & publicè Theriacam conficiebat, vendebatque.

Sed ad crannii perforationem redeamus : Est hæc operatio anceps, & periculosum remedium, sæpiusque comitem sibi adsciscit mortem, vel saltim hæc chirurgia non absque gravi vitæ periculo exercetur: lethaliter itàque pernicioſa est, & perpetuò lethalia infert symptomata, ut inflammationem, cerebri concussionem, & cœtera, quæ omnia mortem intentant, sæpiusque in ipsâ chirurgiâ sub sceleratâ carnificis dextrâ ac tutùm, vel paulopòst cadit patiens, & quem non peremit vulnerans, chirurgus obtruncat. Undè versipelles chirurgi, ne fortè si patiens occurbiturus sit, & funus ipsis adscribatur, coram adstantibus semper se de periculo protestant, & funesta, ac certa se muniunt prognosi, & ex centenis quibusque vulneratis qui huic lanienæ se submittunt, omnes ferè moriuntur, & vix unus, quem æquus amavit Jupiter, evadit, vel quia temerarium chirurgi delictum tegere vult, ut non rarò solet. In desperatis casibus, ubi nulla salutis spes supereſt, vel in multis aliis morbis, à quibus sese extricare non possunt, ne ægrum medicaminum ope destituant, quia incertam morbi notionem possident, ad dubium confugiunt remedium potiùs, quàm ad nullum, ne insciti am patefaciant, fexale illud Celsi præceptum repetunt : *Anceps præstat, quàm planè nullum experiri remedium.* Aurea quidèm sententia, sed humano generi perduellis, & funesta, quæ vivos per summa pericula exercet, semivivos perdit, & in mortuos sævit. Fuit Celsus rudium vulgarium patronus, & humanæ cladis auctor : Reipsâ Cornelius Celsus variæ eruditionis vir fuit, & nullum penè disciplinæ genus intactum reliquit, Rhethoricam diligentius explicavit, de re militari diligentissimè scripsit, ex quibus ad nòstra tempora nihil pervenit, præter octo elegantissimos de re medicâ libros, qui medicorum manibus teruntur, sed nunquàm medicinam fecit, aliud est medicinam dictare, aliud illam exercere ; praxis nàmque à theoriâ longè abest. Si igitur Celsus nihil in praxi medicâ versatus fuit, falsum, & maximè ægrotis præjudiciale præceptum arbitramur : *Anceps præstat, quàm planè nullum experiri remedium.* Consultiùs, & optimè scripsisset : *Nullum planè præstat, quàm anceps experiri remedium* ; ubi enim morbi natura exactè non percipitur, incognita est, & nulla notio habetur, tunc nulla adhibenda sunt remedia, vel saltem quæ nullatenus nocere possunt, magnis interim vitatis præsidiis, non verò ambigua, quæ absque indicatione ad ignotam morbi essentiam collimare non valent, & potius lædere, quàm juvare possunt ; Undè *Hip.* ait : *In morbis, in hoc te exerceto, ut ni prosis, saltem non noceas.* Et *de victûs ratione* : *Inconstantes febres donec consistant, sinere oportet.* Et *Avicen.* 1. *quart. cap.* 1. scripsit : *Ignoras, quænàm sit ægritudo? Relinque eam naturæ, quoniam aut*

aut natura superabit ægritudinem, aut ipsam manifestabit. Et ità pariter observavit *Gal.* ut ipse ait 2. *de loc. aff.* 5. Prætereà natura est morborum medicatrix, nec morbi tempore otiosa est, nec ejusdem ministeria silent, & morborum solutiones molitur, nullis certis, sive dubiis adhibitis medicamentis. Hoc Celsi præceptum facilius est dictu, quàm exercitu, & non sine medentis infamiâ, & ægri pernicie experiri potest: è foro itaque medico, tanquàm pernicioſum proscribendum est, quia ut inquit *Hip. Experimentum periculosum.*

Hæc maledicta cranii perforatio vulneratorum myriades Teutatæ immolavit, non exiguos implevit sarcophagos, & innumeras defunctorum animas ad Charontis Cymbam adegit, quam à Belzebub dœmoniorum principe, & humani generis hoste, nactam fuisse, & netariis consignatam chirurgis credimus. Omnis cranii fractura non est terebranda; ubi nàmque cranii fissura ampla, & dehiscens apparet, atque materia purulenta in qualitate requisita effluit, vel syphone exsugi potest, apertione non est opus. Sedes apertione non eget; aperta nàmque est, & ex apertione materia effluere potest. Parva contusio non semper tàm gravia secùm fert accidentia, quin trepanum multò graviora moliri possit; sanguis enim profusus quandòque tàm exiguus est, & patiens tàm validus, ut natura eum suâ sponte per se faciat, si ejus calor externo frigore non enervetur, quo in casu trepanum fermè id efficeret, estò maximam adhibueris solertiam. Si cranium depressum sit, terebratione non opus est, sed ut ad suum naturalem reducatur situm, sufficit, pro cujus reductione vulgares cucurbitulam applicant loco depresso cum magnâ flammâ, & scarificatione qua frequenter adhibitâ os depressum attolli ferunt. Verùm nos nullatenus credere possumus cucurbitulam os depressum attollere posse, etiam si centies cucurbitulam adhibeant, inflammationem tamen ex hoc remedii genere pluries nos observavimus. Itèm os depressum fotu emollienti pluries ad elevationem imbuunt, sed frustrà; os enim nunquam emmolliri potest, ut ad suum redeat locum.

Sed si aliter cranii fractura cõtingat, ità ut ipsum cranium in minimas particulas sit fractũ, vel compressum, vel contusum in superficie, vel ad utramque laminâ usque, vel os frontis, occipitis, parietale, atque petrosum, sive in planitie, vel suturâ; Vel sit rima recta, vel curva, lata, vel angusta, longa, vel brevis in uno osse, vel ab uno ad aliud per suturam transeat, vel fiat in unâ, vel utrâque lamellâ, sive manifesta, sive inconspicua, sive sedes teli sit in cranio soluto secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; sive os in ipsius naturâ maneat, vel succisum, ut adhuc hæreat aliquâ parte sano, vel totaliter recisum, vel quomodocumque, & in quacumque ejus parte continuum sit solutum nunquam curatio per trepanationem instituì debet.

Primò, quia tali modo capitis vulnera curantes, chronicum reddunt morbum, censum constituunt quotidianum, pharmacando, sanguinando, extenuantem præscribendo diætam, cutem secando, ossa abradendo, & perforando, quibus cladibus vulneratos inaniter torquent, quos tandèm in lethi confinia alliciunt cum totali æris, & vitæ jacturâ. Horum vulnerum curatio per pauciora patrari potest, per ea medicamenta, quæ sanguinem stagnantem resolvunt, saniem generari non sinunt, vel generatam dissipant, & ossa dirimunt, vel per quoddam naturæ gluten combinant: incassùm itàque per plura fit supplicia. *Hip.* præceptum est, ut *blandè capitis vulnera tractentur*, & chirurgi debent esse pii, & nam impii, & barbari, qui ægrum torqueant, dilanient, excarnificent, & confodiant, non hæc quidèm erit medicina, sed carnificina, ubi enim omnia blandè tractari possunt, impium est aliter tractare. Si inevitabile mortis periculum adsit, piaculum est ægrum à morbo extinguì, quàm à chirurgo, ille enim comiter, hic verò immitius agit. Pium itàque est ægrum mori sinere, ubi nulla salutis spes affulget, quàm profanis faucibus orci eum eximendo, mortem accelerare, & in semivivum sævire: at si aliqua vitam tutandi spes relucet, impium est pietatis officium in ægrum exercere, ut si æger sphacelatum haberet pedem ex. c. pedem ad vivam usque carnem non secare non est pietas, sed impietas. Verùm in cranio terebrando, nullam habent certitudinem, sed conjecturis divinando procedunt, & perpetuò ægrum in mortis discrimen conjiciunt. Quandòque propter crassæ Minervæ chirurgorum caussam ars infamatur, & doctorum rudiumque studia miscentur in unum, estò versipelles vulgates certo mortis prognostico se muniant: si enim certum est mortis periculum, ad quid in morientem sævire absque ullâ salutis spe? *Contra*, nàmque *spicula mortis non nascitur medicamen in hortis, vulgò fertur.*

Secundò, cranium secant in capitis vulneribus ob sanguinem subter effusum, vel exindè in saniem degeneratum. Cæterùm nunquàm sanguis in duræ miningis parte superiori effunditur, quia ibi nullum vas sanguiferum adest, benè quidèm in duræ miningis parte inferâ multa sunt conceptabula sanguifera, & hæc rumpi possunt, & sanguinem effundere supra piam matrem, & hæc est ratio, cur cranium perforantes, nihil inveniunt, undè alibi vulneris minerâm lacere credunt. Sanguis supra duram matrem stagnare non potest, quia facile ad os petrosum labitur, & per aures eliminatur. Insuper sanguinem à pia matre effusum cranii perforatione, quomodò extrahunt? Præterea vulgarium ratio est infirma, nàm in aliis ossium fracturis hanc non exercet feritatem, tantùm in miserum caput spicula dirigunt. Fractæ costæ cutem, carnem, & os non detegunt, & hæc fractura propter saniem empyema inducere posset. Si maxil-

læ

læ inferioris, humeri femoris, tibiæ, & coetera ossa durissima (præter capitis ossa, quæ non ità dura sunt) frangantur, findantur, perforentur, vel comminuantur, chirurgorum nullus est, qui carnem secat, & ossa detegit, ad sanguinem, vel saniem eliminandam, quia, estò sanguis in istis partibus effundatur, vel sanies generetur, à calore absumitur, & resolvitur. Imò ossa fracta mediante callo coalescunt, & sensim adeò callus induratur, ut ossescat, ac si verum foret os. Est callus id, quod ossa ligat, & hoc est ossium nutrimentum, quod ex ossium nutritione redundat, illud expressum ex ossis fracti partibus ossium labiis inhæret, & sensim, ac sensim conerescit, & in osseam mutatur substantiam, quod os ambiens, & amplexans, ligat, si fractura adest; si rima, eam obliterat; si deperditum, illud reparat, & supplet. Si ergò in aliorum ossium fracturis trepanatio nullatenus fit, nec in cranio celebranda erit, & ut orumque eadem erit sanatio, cum una, & eadem sit ossium natura in toto corpore, & isdem natura operatur mediis, alias cranio foret incuria, & veluti injusta noverca, aliis verò ossibus pia mater. Verum ut in aliis ossibus, ita etiam in cranio natura callum obducere solet.

Pro sanguine sub cranio effuso, & grumato, vel lympha, aut nutrimento aliter degenerato, non desunt nobis medicamenta (ut in nostra curatione dicimus) tam interna, quàm externa tantâ subtilitate, volatilitate, & penetrandi energiâ prædita, quæ coagulata dissolvunt, attenuant, & ità in fluiditatem redigunt, ut intra conceptabula resorbeantur, quòd si ad resorbitionem inepta sint, per recluſos poros eliminantur, & hac de causâ tot futuris cranium natura cumulavit, quas in toto ossium genere anatomicus culter non detexit. Nec tot patulos meatus in toto corpore natura construxit, quot in capite, ut aures, oculos, nares, & os observamus, ut indè exoticum, & infestum deturbet. Si aliquod fracti ossis frustulum membranam pungat, vel ossicula sint soluta, & secreta, sedula natura tutius, minori negotio, quæ nunquam pro hominis salute otiatur, & nunquàm deficit in necessariis, à medicamentis adjuta vel foràs evomit per vias sibi notas, etiam si aliquo modo adhuc fixa sint, lentè adigit, & resistet symptomatibus, quæ violentas membranarum extensiones, & lacerationes, ut pluries observavimus, vel ea suo glutine scilicet mediante poro copulat.

Ablato osse, & detectâ membranâ, ut jàm sanguini stagnanti, vel saniei detur exitus, de medicamentis idoneis tractandum est, quæ duræ membranæ denudatæ applicanda sunt, de quibus non una est vulgarium medicorum cum antiquorum, tum recentium mens; quidam enim vehementer exsiccantia, alii humectantia, quæ hodiè digestiva vocantur imponenda esse volunt, sed non quærunt, an calida, vel frigida applicandâ

sint, & unaquæque sententia suos habet fautores. *Hip. lib. de Vulneribus capitis* imponi præcipit medicamentum, quod strenuè siccet, & detergat, quia inquit: *Oportet prohibere generationem saniei, & detergere membranam, ne putrefiat, bebesque fiat, nàm esset periculum de vitâ.* Ejusdemque opinamenti est Celsus, & Hippocratis mentem explicans inquit, quòd statim detectâ membranâ, oportet accipere spongiam aceto madidam, & ipsam detergere: quò fiet, ut sanguis flueret, sistatur, si aderunt sanguinis grumi, removebuntur; deindè applicandum jubet *Emplastrum viride cephalicum*, vel *emplastrum Philote* vocatum, vel *emplastrum Iudæi.* Insuper mandat, ut aliquod ex dictis emplastris in aceto dissolvatur, & madidis linamentis membranæ imponatur; postmodùm lanam succidam aceto imbutam supra linamenta imponamus: nàm lanæ ratione, si dolor aliquis aderit, sedabitur, & ratione aceti repelletur materia, ne fiat inflammatio: ità vult, procedamus ad carnis usque generationem.

Optima quidèm sunt medicamina à Celso præscripta, denudatæ meningi applicanda, sed nostris hiscè temporibus à retentiorum aulâ recesserunt, & alia potiora è penu chymico deprompta fuêre, prisca, & barbarica medicamenmenta vulgaribus usurpanda relinquimus, quia ipse barbari, quæ nec rusticus, nec equus, nec rudis asellus capite percussus constanter toleraret: acetum nàmque sanguinem coagulat, & e ns aciditas sanguini communicata pus generat, vel nunquàm acida sine noxâ in venas transeunt, & acore suo sub cranio membranas vellicat, lancinat, contrahit, convellit, undè dolorem, convulsionem, epilepsiam, aliaque prava excitat symptomata, quia cerebro, & partibus nervosis, sicut omnia acida, inimicum est, & præsertim membranosis, quæ exquisito gaudent sensu, nec est acetum, quod vermiculis non scateat, microscopii ope detegendis, & tandèm acetum non tantùm exsiccat, quin potius humectet. Et lana succida non tantum abest, ut asperitate suâ dolorem leniat, quin excitet, & exasperet ob fermentalem motum, quem particulis inducit. Nec aceti ratione materia repelletur, quin graviora superveniant accidentia.

Qui humectantibus, & lenientibus utuntur, oleum rosaceum efferunt, & hujus opinionis fuit *Gal. Aëtius, Paulus Aegineta*, & alii hujus farinæ auctores. De oleo rosaceo refert *Galenus*, quòd quandò Romam profectus est, ibi reperit omnes illos medicos oleo rosaceo utentes, vel sanguine columbino, quæ calida supra membranam instillabant, & se sexcentos eorum, quibus Romæ personata fuerint capitis ossa, nec quidquàm ab usu rosacei vitra columbæ sanguinem offensos: statuitque nihil melius inveniri posse, quàm ut osse perforato, optimo *rosaceo simplici, tùm rosaceo omphacino, tùm digestivis* utuntur medicamentis, nec dari dicunt

sunt præstantius medicamentum, quod ità nobis similis temperaturæ naturalem, & innatum calorem foveat, & corroboret, fluxiones inhibeat, intemperiem removeat, caussis dolorem efficientibus resistat: ac proindè cum præcipua medici cura sit inflammationem prohibere, & cum nihil magis ad excitandam inflammationem faciat, quàm dolor, medicamenta dolorem sedantia semper necessaria sunt, cujusmodi est oleum rosaceum, quod dolorem sedat, & inflammationem impedit: potiora igitur censent lenientia, & humectantia, siccis nàmque medicamentis vulnus increudesceret, & non parum molestis exhiberet.

Præstans reverà est medicamentum apud vulgares oleum rosaceum, imò est veluti familiarissimum in chirurgiâ balsamum, & ex vulgarium præscripto in omnibus domibus fit, & ad necessarios usus religiosissimè asservatur; hoc nàmque humectat, refrigerat, inflammationes inhibet, easque extinguit, fluxiones repellit, effectas roborat partes, tumores resolvit, modicè constringit, dolores demulcet, & vulneribus medetur.

Verumenimverò non tot sunt medicamentosæ dotes in hoc oleo, quod ex communi fit rosarum infusione, & expressione, quin tot maleficæ experiantur, & plures; primâ nàmque fronte in ore quandam representat dulcedinem, nihilominus tamen satis acre acidum in recessu habet, ità temperatum quidèm à pinguedine, qua istius acidi acrimonia palliatur, ut gustu se non patefaciat; nec tamen sub agninâ pelle diù delitescere potest, quin voracem lupum non se prodat: omnia metalla, excepto solo auro, corrodit. Siquis argentum, ferrum, vel cuprum, vel aliud quodpiam metallum in oleum immittat, videbit illi adhærentem rubiginem, quæ rubigo non est, sed metalli crocus ab olei acido corrodente. Hinc maximoperè delinquunt, qui gladios, aut alia instrumenta ex metallo quodam facta inungunt oleo communi, quippè quod magis, præter hoc quod lubricat, rubiginis auctor est, quam quod eandem arcere valeat. Potius inungendi sunt animalium sevo, sive sit commune, sive hirunum, quod præ coeteris ratione salis volatilis arcendi rubiginem vim habet. Quod dicitur de oleo communi, idem de omnibus aliis oleis intelligendum est. Præterea talia olea, quia acidum in se habent copiosum, hostilia sunt omnibus vulneribus, & ulceribus, & exindè telephia, chronica, & difficillima curatu fiunt, ob putredinem à copioso acido excitatam. Hanc olei aciditatem quisque in seipso experiri potest, si scilicèt gutta una in oculum incidat, quæ magis mordebit subtilissimam oculi tunicam, quàm gutta succi limonis, vel citrii. His habitis, non immeritò quoniam in se habet acidum oleum, contrarium, & inimicum vulneribus, quæritur primò, undè sit, quòd balsama, & unguenta vulneraria ingrediatur? Secundò, undè oleum hoc humorum acrimoniam

Unable to display this page

Porcinæ ana ℥. ij.
Deindè adde vini ℥. vj.
Coquantur ad vini consumptionem, & colentur. Postea adde.
Mastichi
Gummi elemi,
Resinæ pini,
Lithargyr. ana ℥. ß.
Rursus coquantur, donec subnigrum acquirant colorem, semper agitando, tandèmque addantur
Terebinth. claræ ℥. ij.
Ceræ q. s. f. empl.

Qui plura unguenta, & emplastra desiderat, videat apud *Andream à Cruce lib. 1. de Vuln. tract. 1. cap. 16.*

Pulveres parant ex herbis cephalicis, & vulnerariis, qui aliquam siccandi vim habent ratione propriæ naturæ, & membranam, & os in propriâ temperie conservant, quorum ejò variæ sint formulæ, brevitatis causâ hanc tantum apponimus, ut

℞. *Iridis,*
Mannæ thuris,
Aristoloch. long. & rotundæ,
Radicis panacis ana ℥. ij.
F. omnium pulv. subtilissimus.

Hoc vel alio pulvere totam membranam cooperiunt, & desuper filacia ponunt cum *emplastri de Betonicâ* vel *de Diapalmâ* superpositione.

Frigenda est membranas compressio, quam hæc, vel alia medicamenta inducere possunt, præcipuè quando magna membranæ quantitas detecta est, & ut hoc vitent incommodum, quidam cucurbitæ exsiccatæ frustrum supra detectam membranam ità adaptant, ut à lateribus ossi adhæreat, & in medio sui sit totum foraminosum, & foramen, sit æquale foramini ossis, & membranæ detectæ, & ità per cucurbitæ foramen medicamentum infundunt. Verum hoc cucurbitæ frustrum nullatenus intra vulnus incarnari, nec cicatrice obduci potest, quia extraneum est, & nisi è vulnere eximatur, vulnus sanari posse impossibile est, quia canaliculorum unionem impedit, & dato per impossibile, quod intra vulnus incarnetur, facilè putrescere potest, & ægrum in vitæ discrimen conjicere, & quem vulnus non peremit, cucurbita obtruncat. Ab isto cucurbitæ tumore ortum habuit vulgaris illa opinio, quòd qui loco ossis in capite habet cucurbitæ frustum, tale caput cucurbitinum appellant. Alii vulgares consultius operantur, & cucurbitæ loco subtilissimam ex auro, vel saltem ex argento laminam adhibent, sed ex auro meliorem censent, quæ lamina etiam perforata esse debet, ut medicamenta ad membranam pertingere possint, & sanies extrahi, & ossis lateribus incumbere debet, & reverà hujusmodi laminam necessariam dijudicant, ubi magna membranæ quantitas detecta est. Coeterum nec per hoc quod lamina sit ex auro, non erit vulneri extranea, & canaliculorum communionem non inhibebit. Sunt extranea in vulneribus physicum impedimentum, quo intercedente, vulneris coitionem succedere per medicamenta sarcotica possibile non est. Aliqui chirurgi, quia bardi, & vix chirurgiam à primo limine

ne salutârunt, facilè credunt, quod audiunt, vel exequuntur, quod legunt, si quandòque legere sciunt, & quia eorum judicium est limitatum, nimis creduli sunt, nec scrutantur, an extranea intra vulnus incarnari possint: audiunt quoque glandes plumbeas intra vulnus incarnatas fuisse, & eò magis in extraneorum incarnatione pervicaces redduntur, sed nesciunt has glandes naturam temporis curriculo ad corporis periferiam detrudere, & extra corpus elimina, re; ac proindè firmissimè credunt caput fieri posse cucurbitinum. Imò apud stolidum vulgus se frusti cranii defectus cucurbitâ refeciisse pejerant, & domi retinere ossium à cranio exemptorum coemeterium inaniter gloriantur. Alii chirurgi ciclici sciunt extranea tàm intra vulnera, quàm ulcera incarnari non posse, nec per hoc illa intrudere non se continent, ut sanationes protrahant, ægri crumenas digerant, & lautè vivant.

Si meninx corrumpi, vel purulenta evadere incipiat, illam detergunt *melle rosaceo, vel melle cum farinâ hordei, & succo apii.* Si verò tanta sit corruptionis vis, nec his facilè cedat, utuntur *unguento Ægyptiaco cum aquâ plantaginis.* Si dolor urgeat, *oleum rosaceum cum vino* miscent, & imponunt, vel idem efficit *oleum rosarum, & sanguis columbinus recens.*

Si pia mater simul læsa est, tunc per istam tenuissimam tunicam etiam cerebri substantia convulneratur, & iisdem remediis pro durâ matre utuntur in piâ, sed tunc nulla oleosa, vel pinguia adhiberi debent, quia in cerebri substantiâ corruptionem excitatura essent, sed solummodò *mel rosaceum, ac syrupum rosarum in* usu habent *cum unguenti, vel emplastri cephalici* superpositione. Ineptè credunt vulgares, si plenilunii tempore cerebro vulnus inflictum sit, signum esse lethale; tum enim cerebrum ostrearum more, & totum suum vas opplet, at non ità in plenilunio, quia tunc fidit, & contrahitur.

Verùm nos hanc vulgarium pilulam minimè deglutire possumus, est nimis crassa; multa nàmque in rerum naturâ lunaticè explicant, & ad lunæ quadraturam referunt; sic menstruales purgationes in junioribus Lunæ crescenti, in adultioribus decrescenti tribuunt. Sic à novilunio ad plenilunium Lunam nimias commotiones in corporibus humidis inducere. Ità enim in aëre pluvias, vel ventos, in mare tempestates excitare dicunt, & in echinis, cancris, aliisque testaceis, & crustaceis quoddam humiditatis augmentum (Luna nàmque præsidet aquis;) sicut & in plantis in plenilunio, quod in lunæ diminutione non observatur. In ò etiam in animalium corporibus, & præsertim humanis videmus his temporibus excitare catarrhos, & generaliter humidorum excrementorum exuberantiam, ac noctù somnum demere; & quod mirum est lunâ crescente, cerebrum in cranio, & medullas in ossibus crescere, decrescente verò lunâ, cerebrum, & medullas decrescere.

Optima

Optima quidèm sententia, sed rationes inlulsæ, & experientiæ ineptæ, quæ ingenuam non pacant mentem. Magister Aristoteles, & Dominus Galenus stultè periodi menstrualis caussam à lunâ mendicarunt, quasi luna aquis, corporibus humidis, præcipuèque fœmineo sexui præesset. Ista periodica sanguinis expurgatio non ad lunam, sed ad internam uteri monarchiam pertinet, ut fusius de morbis mulierum rimabimur, quia muliebris sanguis à recrementis expiari debet intercapedine, qua Luna per Zodiacum singulos metitur cursus. Luna non aggregat, vel hunc sanguinem extrudit menstruum, estò uteri cum Lunæ aspectibus coincidat, nàm coincidere utrique termino est per accidens. Si istam mulierum expurgationem Luna caussaret, saltèm omnes juniores, Lunâ crescente, & adultiores, Lunâ senescente, fere omnes menstruarent, ac Lunâ silente, menstrua feriarent, quod falsum ostenditur.

A novilunii aspectibus ad pleniluniun usque in corporibus humidis nimias induci commotiones, ut in aëre pluvias, vel ventos; in mare tempestates; in corporibus humanis catarrhos, & humidorum excrementorum congeriem excitari ipsa autopsia falsitate convincit, cum non tamen in his aspectibus, quàm in aliis contingant.

Ad id, quod dicunt echinos, cancros, astacos, cæteraque crustacea, & testacea esse plena, Lunâ crescente, & decrescente, esse vacua, respondemus hoc esse maximum præjudicium à vulgò introductum; nàm æquè in omnibus Lunæ aspectibus plena sunt, undè in apophthegma transiit ridiculum: *Quid Luna cum astacis?* Verum id contingit, ubi ingentem eduliorum copiam hæc aquatica animalia pro victitando habent; secus verò si incolant loca, in quibus ob victus parsimoniam parcè victitant, nàm in omnibus Lunæ aspectibus erunt inania. Verumenimverò negare non possumus plena interdùm inveniri Lunâ crescente, & senescente vacua; nàm hæc noctu victitant, quia eodem tempore cernunt, & lunæ lumen aquas plenius, & splendidius illuminat, semper crescendo ad pleniluniun usque ob majus luminis spatium, uberius utuntur alimento, ac proindè pleniora evadunt; lunâ verò senescente ob debile lumen debilis aquarum irradiatio succedit, & propter illuminati temporis angustias, paucius venantur cibarium, & parcius nutrita observentur.

Non fabulas de pleniori, & debiliori lunæ lumine canimus, sed astronomicè id probamus; Luna nàmque est globus quidam opacus, existens in coelo sub sole: undè quidèm à sole illustratur globi Lunaris medietas, quandò autem Luna opponitur soli, illa ipsa medietas, quæ illustratur, conversa est ad nos, & sic lumine plena refulget: quandò soli conjungitur, tunc medietas illustrata vergit ad superiorem coeli partem, ad nos autem versa est alia

obscura medietas, in omni demum statu medio conversa est ad nos partim medietas lucida, & partim obscura, & eò plus, vel minus de medietate lucida, quo plus recedit, vel accedit Luna ad solem, & quia infra quadraturas medias plus ad nos convertitur de parte obscurâ, & minus de lucidâ, ideòque appareat pars lucida corniculata. Hinc fit, quòd luna crescens sequitur solem, oriturque, & occidit post solem, quia nempè crescit recedendo à sole ab occidente orientem versus; decrescens verò præcedit solem, & oritur, & occidit ante solem; quoniam decrescit, accedendo ad solem ab occidente orientem versus. Ideò quoque luna crescens lucet vespertino tempore scilicèt post solis occasum: luna decrescens matutino scilicèt ante solis ortum. Insuper luna crescens vertit cornua ad orientem, quia pars illuminata est occidentalis ad solem conversa: luna decrescens vergit ad occidentem, quia medietas illustrata est orientalis, respiciens solem. Itaque à novilunio ad plenilunium pars illuminata respicit terram, obscura superiorem coeli partem; contrà in senescente pars obscura ad terram vergit, & illuminata ad superiorem coeli partem.

Objiciunt lunæ fautores ad suæ sententiæ confirmationem, experientiâ constare arbores, Lunâ crescente, incisas ob maximam succulentiam brevissimè cariem contrahere, Lunâ verò senescente, quia superfluo destituuntur humido, incisas perennari.

Non ità dicant, nàm falsum est, Lunâ crescente, incisas breviter cariari, decrescente, multos servari per annos; siquidem arbores hyberno tempore alimentum è terrâ non hauriunt, & earum anima torpescens non tantum feriari, verum extincta videtur, cum veluti inutilia cadavera omnium operationum specificarum expertes appareant, & tamen animâ non destituuntur, sed ab intus latente vivificantur. Hoc tempore, crescente, sive decrescente Lunâ, si arbores incidantur, diu constant. Verno tempore à radiis solaribus ad rectos angulos incidere incipientibus, arborum anima, aliàs torpescens, ad motum excitatur, alimentum è terrâ uberius haurire incipit, & act omnibus manifestis sese iterum prodit. Hoc, & ulteriore tempore incisæ arbores, quacumque Lunæ quadraturâ cariem contrahunt.

Ad id, quod dicunt de Lunâ crescente cerebri quantitatem augeri, & decrescente imminui, respondemus, quòd si verum hoc esset, animalium actiones singulis mensibus augeri, & imminui deberent ad hujus nobilissimi organi metamorphosim, sed nulla succedit. Præterea nulla autopsiâ hæc opinio firmari potest, quia unius ejusdemque animalis cerebrum duobus diversis Lunæ temporibus inspici, & ponderari nequit: & quæ in diversis subjectis fiunt diversis Lunæ temporibus cerebrorum demonstrationes, aut inspectiones, nihil certi eâ de re indi-

indicare possunt, cum quantitas cerebri in similibus animalibus, licèt sint ejusdem speciei, & magnitudinis, non necessariò semper æqualis sit, eo quod cranii capacitas in aliis paulò major, in aliis paulò, minor esse possit: atque hinc si diversitas quædam in cerebri quantitate appareat, illa non tàm sectionis temporibus diversis ad lunæ mutationem institutis, quàm naturalis conformationis diversitati, quæ à Lunâ minimè dependeat, adscribenda est. Ad hujus rei comprobationem adducemus observationem ab *Isbrando de Diemerbroeck anatomes lib. 3. cap. 5. de cerebro p. m. 351.* descriptam: Inquit enim *Anno 1661. mensibus Aprili, & Majo, unà cum chirurgis tractavi Ægidium Spruyt, nautam Ultrajectinum, in dextro bregmatis osse lapidis ictu graviter vulneratum, cum magnâ cranii fracturâ, & depressione: abstulimus ossa confracta ad latitudinem taleri imperialis majoris: postmodùm dura mater, contusione valdè læsa, eâdem magnitudine sponte separata, & exempta fuit, tenui meninge illæsâ manente. Cerebrum eo loco depressum mansit ad latitudinem minimi digiti, & totis duobus mensibus per quamcumque Lunæ mutationem, ne minimum quidèm cerebri incrementum, vel decrementum advertere potuimus, quantumcumque curiosè hanc rem observaremus: remansit continuè illa depressa cerebri pars in eodem statu, ac ne quidèm ad pili crassitiem per Novilunium, aut plenilunium cerebri quantitas adaucta fuit, nec in quadraturis quidquàm immutata: sed posteà carne ex tenui meninge largiter præter expectationem succrescente, viceque dura matris obeunte, & se cum carne ex diploide ortâ conjungente, desperatus æger, qui jàm cum Charonte de naulo paciscì credebatur, sanatus fuit.* Sed tandem ad nostram curationem deveniamus.

Explosimus fracti cranii tum trepanationem, tum meningum, & cerebri vulgarium curationem, nunc nostram in vulneratorum solamen citò, tutò, & jucundè, velint nolint vulgares, & ilia crepent, adducere operæpretium erit, sive sit contusio, rima, sedes teli, succisio, rescissio, & depressio in cranio; in his curandis duplicis generis medicamenta sunt necessaria, alia externa, alia verò interna.

Externa ea esse debent, quæ sanguinem per vicinarum partium substantiam subter effusum, vel grumatum, vel lymphamichorescentem, vel nutrimentum degeneratum ità attenuent, & in naturalem fluiditatem, & è quiete in motum adigant, ut à venis resorberi, & in vitæ gratiam redire possit; vel si ad resorbitionem ineptus sit, ea sint medicamenta subtilia, & penetrantia à circumferentiâ ad centrum, quæ ipsum attenuent, discutiant, poros ulterius explicent, & ad exhalationem fortius sollicitent. Vel si suppurari incipiet, quæ suppurationem inhibent, vel si in pus jàm degeneravit, ea medicamenta, quæ illud in halitus discutiunt, conducunt.

Cranii itàque fracturâ detectâ, quomodocumque fuerit sive contusio, rima, sedes teli, vel depressio

preſſio &c. abraſis capillis, & ſanguinis fluxu cohibito, ſi impedimento fuerint, ac tutùm quæ ſanguinem fluidum reddunt, vel attenuant, & reſolvunt, quæ ſuppurationem impediunt, vel pus genitum diſcutiunt, medicamenta ſequentia adhibemus, & cranii fracturas ferruminant, & vulnus adperfectam perducunt ſanitatem. Primò ergò fractura, & vulnus optimo *vino ſublimato* abluatur, deindè ejus cavitas, vel foramen imbuatur *Balſamo Samaritani, vel aquâ Reginæ Hung. vel oleo terebinth. deſtill. vigorato vini ſpiritu, vel balſamo proprietatis, vel balſamo artificiali, vel oleo momordicæ cum balſamo Peruviano temperato, vel oleo hyperic. vigorato cum ſpiritu terebinthinæ, vel cum balſamo de Capaibâ*, ſuperponendo filacia eodem medicamento humectata, cum *emplaſtri cephalici, vel de gumm. elemi, de bettonicâ, vel fodicationum, vel ſticlici, vel oppodeltoch malaxatorum cum balſamo Peruviano* ſuperpoſitione, debitis adhibitis faſciationibus. Item *unguentis vulnerariis, oleis, balſamis, & emplaſtris vulnerariis* in ſuis capitibus à nobis deſcriptis, & allatis quoque capite de peri cranii vulneribus, uti poſſumus ad totalem uſque ſanationem, ſed omnibus palmam præripit *balſamorum balſamus.*

Si tàm dura, quàm pia mater, vel ipſum cerebrum vulneratum ſit, iiſdem quoque inſiſtendum eſt remediis, & aliis, ut

℞. *Ol. terebinth.* ℥. ij.
Spiritûs vini,
Syr. de roſ. ſicc. ana ℥ j. *m.*

Cum his partibus quandòque leniùs agendum eſt, & foramini indicimus *oleum Appariçis Hiſpan. vel oleum ex ovorum vitellis, vel hyperici, vel momordicæ vigorato cum aliquot guttis balſami Peruviani.*

Vel

℞. *Ol. hypericonis,*
Lumbricorum,
Terebinthinæ,
Maſtich. ana ℥ j. *m.*

& calidè cum pauco goſſypio applica.

Si cerebri membranæ, vel ipſum cerebrum corrumpi; vel putrelagine obduci appareant, tunc id, quod corruptum, vel putrilaginoſum eſt, ſeparari debet, optimumque remedium erit *mel roſ. cum balſamo Peruviano, aliquot guttis olei ceræ, & ſpiritu terebinthinæ.*

Vel

℞. *Spiritûs vini* ℥. ij.
Mell. roſ. ℥. ß. *m.*

Si his lenibus medicamentis malum emendari nequeat, hoc majoris efficaciæ utimur, ut

℞. *Spiritûs vini* ℥. ij.
Mell. roſ. ℥. j.
Merc. dulc. ℥. ij *m.*

Vel ſequentem compoſitionem adhibemus, ut

℞. *Spiritus Vini* ℥. j.
Syr. abſinth. &
Mell. ros. ana ℥. ij.
Ung. Aegypt. magiſtralis ℥. ij. ß.
Sarcocollæ,
Myrrhæ,
Aloës ana ℥ j.
Vini opt. ℥. j.

Leniter, clauſo vaſe, bulliant, & colentur.

Interim vulneratus jubetur naribus, labiiſque compreſſis buccas fortiter

fortiter inflare, hoc enim conatu meninx dura nonnihil elevatur, & puri exitus magis patet, quod mollibus linamentis abstergendum est, & illud acidum sequenti medicamento temperetur, ut

℞. *Aquæ Reg. Hung.* ℥. j.
Mell. ros. ℥. ß.
Theriacæ ℥ jß.
Myrrhæ.
Aloës ana ℈. j. *m.*

Cum membrana denigrata, vel livida à sanguine grumefacto, vel à medicamentis, aëre, vel contusione aspicitur, tunc livor, & nigredo illa ab extrinseco dependet, superficialis est, & facili Marte propositis remediis eximi potest medicamentis volatilibus, ut *vini spiritu camphorato cum diascordio, vel aquâ calcis.* Si verò à caloris extinctione, si à putredine præsertim ab intrinseco gangræna est, & pessimum pro vulnerato præsagire possumus.

Cœterum dum curatio peragitur, si cranium ità depressum sit, ut cerebrum patiatur, per instrumentum corneum ad suum pristinum situm reduci, vel elevari debet, ne saltim cerebrum comprimat, & lædat. Si ossis fragmentum membranam pungens inveniatur, omni operâ membranam juvare tentamus, ut non nostrâ, sed naturæ vi separetur; natura nàmque fracta expellit ossa, & quæ expellere nequit, sive fracta, fissa, foraminata, contusa, vel discissa, suâ opificinâ ferruminat, & coalescunt, alligantur, & connectuntur mediante suo glutine scilicet pro osseo, qui ossium defectus reparat. Fit callus in osse non secus ac cicatrix in cute, nimirum ex succo nutrimentitio, quo ipsum os alitur, cœterum cum satis tenella fuerint ossa coalescere posse affirmat Gal. ut in pueris. Sed observatione dignum est, rarò venas, aut arterias ad adulti animalis ossa pertingere; quanquàm in recèns natis, atque tenellis animantibus non usque adeò rara sit venarum, aut arteriarum ad ossa pertinentium observatio. Undè colligimus ossa alio quidèm succo nutriri, qui minimè sanguis sit, sed succus potius per membranas, & nervos ad periostia delatus. Quamobrem ossa, (ut notavit *Arist.*) Si membranis, quibus amiciuntur, nudata fuerint, siderantur protinus, & contabescunt. Istud gluten, porus osseus, seu callus, quo cranii ossa ferruminantur, ferè quadraginta, aut quinquaginta dierum spatium suam acquirit perfectionem: quanquàm propter diversam corporum constitutionem ità certus dierum numerus definiri non possit; cum in juvenibus citius, in senioribus tardius absolvatur.

Hæc medicamenta externa optima sunt pro curandis cranii fracturis, meningum, & cerebri vulneribus, sed si externis interna maritentur, ocyus horum vulnerum perficietur curatio; ideòque tamen tàm externa, quàm interna, eandem energiam, & finem habere, & ad eundem scopum collimare debent, ut medicamentorum vis combinata fortior in his curandis affulgeat.

Medicamenta interna sunt dia-

phoretica, quæ sanguinem, cæteroíque succos torpidos, & stagnantes attenuant, subtiliant, volatizant, fluidiores reddunt, & ad liberiorem vertiginis motum adigunt, ac proindè optimè purificant, & ab omni scoriâ sulphureâ, salinâ, & mercuriali repurgant, & tandèm à centro ad corporis periferiam per transporationem insensibiliter eliminant, vel sensibiliter per sua emunctoria natura propulsat. Vel ea sunt, quæ acidum obtundunt, ebibunt, absorbent, cicurant, hebetant, pessumdant, vel destruunt. Hujus generis sunt alkalia tàm fissa, quàm volatilia, & oleosa. Vel ea sunt, quæ balsamicâ pollent energiâ, & balsamum nostrum radicalem in corpore ad suam temperiem reducunt, restituunt, & tuentur; ipsas fibras glutinant, & à corruptione, & mortificatione præservant, ac defectus, partium propriarum solutiones reparant. Hæc interna medicamenta sunt *antimonium diaphoreticum, sulphur auratum diaphoreticum, tinctura antimonii, arcanum reduplicatum, spiritus tartari, cornu cervi philosophicè præp. &c. sanguis hirci, sperma Ceti, mumia, oculi cancrorum, camphora, oleum tartari p. d. pulveres contra casum, & percussionem &c. Salia volatilia herbarum cephalicarum, & vulnerariarum, sal volatile succini, cornu cervi, balsamus Peruvianus, proprietatis, balsamus vitæ, elixir vitæ &c.* quæ propinari possunt cum *Syr. de symphyto, betonicâ, scordio, veronicâ, papavere erratico, de hederâ, stœcade, hypericonis &c. cum aquis appropriatis.* Ponuntur in tyronum gratiam aliquæ horum medicaminum formulæ, ut

℞. *Stibii diaphoretici, &*
Sulphuris aurati diaph. ana ℈. j.
& cum Syr. de carduo sancto formentur pilulæ iv. *& deaurentur pro duabus dosibus.* Item

℞. *Salis volatilis c. c. gr.* x.
Salis volatilis succini gr. v.
Benzoart. mineral. gr. iij.
C. c. philosoph. præp. ℈. j.
cum syr. de symphyto formentur pilul. ix. *pro tribus dosibus, & deaurentur.*

Vel

℞. *Sang. hirc. &*
Spermatis Ceti ana ℈. j.
& cum syr. de stœcade formentur pilul. iij. *& deaurentur.*

Vel

℞. *Mumiæ* ℈. j.
Ocul. cancr. ʒ. ß.
Camphoræ gr. iij.
Formentur pilulæ v. *cum. syr. de betonicâ, & deaurentur.*

Vel

℞. *Syr. de Papavere errat.* ʒ. j. ß.
Elexiris vitæ ℈. j.
Balsam. propriet. destill. ʒ. ij. ß.
Aquæ betonic. ʒ. iij.
Sumatur cochleatim.

Vel

℞. *Syr. de hederâ terrestr.* ʒ. ß.
Tinct. antimon. gutt. x.
Arcani reduplicati gutt. xii.
M. cum aqua bardanæ composita ʒ. iij.

Vel

℞. *Sang. hirc.* ʒ. j ß
Spermatis Ceti ʒ ß.
Ocul. cancr. ʒ. j.
Syr. de papav. errat. ʒ. ij.
Aquæ veronicæ ʒ. iv. *m.*
Detur cochleatim.

Inter

Inter medicamenta interna ad calculum potiones vulnerarias revocamus, & natura talibus adiuta potionibus prodigia operatur, & vulnera lethalia, quæ nullo prorsus modo sanari existimabantur, harum ope ad incolumitatem redacta fuere. Hæ nàmque potiones omnes succos excrementitios à colluvie vindicant, sanguinem eluunt, & ab omni scoriâ, & ichore repurgant, nutrimentum ab omni fœditate mundant, & abstergunt, ossium fracturas ferruminant, & deperditam carnis substantiam redintegrant.

Cæterum sunt quidam imperiti, & bardi chirurgi, qui vulnerarias potiones tanquàm futiles nihil vulneribus conferre posse opinantur his inconditis, & ineptis rationibus; insulsè nàmque existimant tale medicamen antequàm ad vulneratam partem deveniat, reliquas permeando partes, suas medio in itinere amittere dotes, & ad affectam partem effœtum, nullìusque roboris, & pretii tandèm pervenire; quia primò hæ potiones ad ventriculum descendunt, ubi, mediante digestione, alterationem, & permutationem subeunt, non tantùm in primis qualitatibus, verum etiam in universa substantiâ, deindè ad venas meseraicas se insinuant, & chylo confusæ ad hepar scandunt, & rursùs alia contingit mutatio, ibique cum sanguine confunduntur, tandèmque si ad vulneratam partem pertingunt, defessæ, enervatæ, & effœtæ deveniunt propter productas, & salebrosas vias.

Optimæ quidèm sunt rationes, sed à rancidâ Galeni doctrinâ depromptæ, ideòque insulsas, & pueriles arbitramur, quas vulgaribus relinquimus. Non productæ, & salebrosæ sunt viæ pro partium sustentatione, & pro medicamentosis virtutibus actuandis; siquidèm cibaria sive vegetabilia, sive animalia, sive virtutes in his medicatrices ventriculo ingesta, quia spirituosis, subtilioribus, & volatilibus scatent particulis, fermentationis motum subeunt, moventur, & à nexibus terrestribus, & ramosi quibus tanquàm compedibus coërcebantur, extricantur, & per fibras motrices in universum corpus disperguntur, absque eo quod in chylum elaborentur, (nos chylum diuturnâ peractâ inspectione in totâ viventium naturâ, non novimus, ut affatim in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib. 4. de Ventriculi actione* pervestigavimus) & nobis vires adiunt, ità ut longam inediam passi post moderatum cibum ocyus ab orci faucibus revocati videantur. Si famelici chyli genesim, ejusque commeatum post octo horarum spatium vivificantem auram expectarent, non pauci lethi vias percurrerent. Non Longuâ elaboratione, præparatione, & producto itinere per tot circuitus, & tubulos indigent nutrimentum, & virtutes medicatrices, ut nos vivificent, & sustentent, vel in salubrem statum reducant. Id experientiâ clarè liquet, nàm vinum, cerevisia, aliique liquores jàm fermentati, cùm potentur, sensibiliter Languentes reficiunt, & recreant

ant artus. Id insuper patet ex rerum essentiis, spiritibus, & salibus volatilibus, quisi in ventriculum non ingerantur, sed palatum tantum attingant, extemplò hominem vivificant, à lipothymiâ, & syncope eripiunt, & apoplexiæ reluctantur. Præterea lactans mulier post assumptum cibum, pauco interjecto temporis spatio, ubera lacte turgescere sentit. Ulterius apertè in lactantibus, etiam cujuscumque speciei observare est, ut in ovibus, capris, cœterisque viventibus, quarum lac, si ab ingesto cibo, post dimidiam horam gustetur, palato illius cibi saporem imprimit. Si lactens puer pharmacetur, matri pharmacum propinamus, matrisque Lac post mediam horam ab assumpto pharmaco perbellè purgatur. Siquis terebinthi resinæ unciam unam assumat, post horæ quadrantem ab assumptione, lotium tali odore imbutum sentiet. Sic vegetabilia, ex quibus vulnerariæ concinnantur potiones, multo alkali operantur, & quidèm volatili, quod omnem aciditatem, quam attingit, perimit, cujus rei alibi multas adduximus experientias.

Coeterum nonnulli ambigere solent, an ad partium affectarum alterationem medicamenta parari possint, quorum vis in medio itinere minimè infringatur? Et reverà in ventriculo primum omnia immutantur, sed non in primis qualitatibus, verum in universâ substantiâ. Et quemadmodum ex melle chymici amarissimum eliciunt succum, ità similiter in ventriculo mel facilè in amarescentem vertitur substantiam, quod est vulgò observatum; ajunt enim dulcia in ventriculo bilescere, Sed & rursus ea, quæ ex ventriculo per pylorum ad intestina detruduntur, valdè mutantur ex succorum permistione, qui per pancreatis ductum, & poros bilarios in intestinorum cavitatem eructant. Rursus & alia mutatio in corde contingit, ut verosimile sit ad caput u. g. non pertingere medicamentum nisi omninò in substantiâ mutatum ab eo, quod anteà fuerat devoratum, & hanc inquiunt esse caussam, cur affectus partium dissitarum difficiliùs curentur, quàm proximarum: sic ajunt difficilius esse vesicæ lapidem demoliri, quàm renum calculos. Quanquàm in hoc alia prorsus videtur esse caussa, nàm renum calculi ex materiâ frangibili sunt constituti: contrà verò in vesicâ lapis ex solidâ, durâtque materiâ compactus est, undè nec facilè scinditur, nec facilè atteritur: Cœterum vix ullam majorem mutationem recipiunt medicamenta à renibus in vesicam delata: Sed experientia tamen suadet mirabilem quandam in rebus energiam inesse, ut alia vesicam lædant, etiam si capiti, aut pedibus applicentur, ut cantharides; alia caput afficiunt, ut opium sive in ventriculum illabatur, sive naribus apponatur, sive etiam pedum plantis applicetur. Argentum vivum quacumque in parte applicatum nervos, membranasque afficit, pthialismum promovet, quomodò autem hæc fiant, nemo unquàm

quàm explicare satis protuit: vis, & effectus manifestus, est, caussa autem omninò incognita, sed hæc alibi explicabimus.

Meritò autem nonnulli dubitant, an semper in itinere medicamenti vis &, efficacia obtundatur: nàm potest contingere, ut illius qualitas nonnunquàm intendatur, quemadmodum fiet, si renibus frigidioribus medicamentum modicè calidum sit præscribendum: hoc enim ex transitu per jecur calorem potius comparabit, quàm amittet, præsertim si jecinoris temperatura aliquanto calidior extiterit. Quæ quidèm ità se habere concludimus ex Galenicæ doctrinæ fundamentis.

Medicamenta ea, quæ ex tenuissimis, & volatilibus constant particulis, longè coeteris præpollent in alterandis partibus remotis; nàm ea, quæ alterare apta sunt, nisi ad ipsam affectam partem perveniant, affectum suum minimè perficiunt. Crassis verò rebus ignava penetrandi vis est, quò circa diutius in itinere morantur, atque adeò vim suam amittunt, antequàm ad destinatum perveniant locum: sed ea, quæ ex tenuibus, volatilibus constituuntur particulis corpora, cum penetrationi sint aptiora, ad ipsas partes citius deferuntur, atque adeò vim suam minus mutatam, alteratamque conservant: cum igitur herbæ vulnerariæ plurimo constent alkali volatili, majori penetrandi vi præditæ sunt, atque adeò non mirum, si potiones in dissitas se insinuent partes. Cum hæ potiones ingerantur, aciditatem quamcumque primum in stomacho, deindè in primis viis, & tandèm aut etiam in vulneratâ parte enatam, aut auctam obtundunt, & corrigunt.

Verumenimverò harum potionum delectus habendus est in simplicibus, ubi opus est, u. g. si sordes mucilaginosæ, pus, ossicula fracta, & similia ex vulnere ejicienda sint, egregiè conducit in potione *Sanicula, artemisia rubra, veronica, consolida saracenica, pyrola, sabina &c.*

Advertendum insuper eadem potiones in omnibus partibus non æquè convenire, sed variandæ sunt secundum diversam partium naturam. In vulneribus itaque capitis, si cranium: vel cerebrum, aut ejus membranæ vulneratæ sint, quæ alias capiti conveniunt, ut *betonica, salvia, primula veris, pyrola, consolida, rosa rubra, veronica, verbena, sanicula, tormentilla, aquilegia, sampsucus, stœchas, lignum visci quercini, flores anthos &c.* Ex his parata potio vigoratur singulis hausti bus additione *Spermatis Ceti, oculor. cancr.* Cum hæ potiones, usurpantur, non opus est tot unguenta, emplastra, & balsama vulneri applicare, quoniam ipsa potio sponte succurrit naturæ in medendo vulneri.

Cap. XXXV.

De Cerebri fungis.

Solet & alter morbus vulneratis, vel contusis cerebri meningibus

Unable to display this page

Nescivêre hyemem, testâ vim ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.

Etenim cùm aër humidus esse cœperit, favilla, quæ cum fumo solet egredi, prohibita, ob aëris crassitiem in Lucernis residet, & quasdam veluti fungorum imagines imitatur. Ità igitur in discoopertâ, revelatâque cerebri membranâ, quædam priùs substantia gossypinæ lanuginis imaginem repræsentat. Deindè verò per halitum discussi vapores, fumique ob aëris frigiditatem in eâ substantiâ conglobati, paulatim ab interiori calore deuruntur, siccanturque, donec fungo quoque similis substantia appareat, alteratam esse ab aëre membranam significans.

Verumenimverò concedendum equidèm est ab humore superfluo per læsas membranas, quasi exsudante hujusmodi fungos generari, sed quòd materia ea ibi ab aëris frigiditate saltim detineatur, & à calore simpliciter exsiccetur, falsum est. Neque enim tàm citò hoc modo fungi generari, & incrementum sumere possent.

Cerebri fungi fiunt à violentâ membranarum dilatatione, aut laceratione post vulnerationem productâ, vel laxatione; ex his enim læsionibus succus alimentitius elabitur, & extra membranas detinetur, ipsis agglutinatur, ubi præcipuè læsæ membranæ non benè præservantur ab aëre ambiente, & in fungosam degenerat carnem, & ob cranium foraminatum in cerebri substantiæ similitudinem extra illud abit: est hæc caro mollis, rara, luxurians, albida, vel alterius, caloris, tenui pelliculâ obtecta; & quia his læsionibus quandòque accidit vulneratarum membranarum impuritas, vel ipsorum unguentorum crassamentum, ut plurimùm corruptionem, vel aliquam coagulativam nanciscitur acescentiam, unde ejusmodi fungi leviter irritati, facilè ob vim acidam corrosivam, in cancrum degenerant.

Prognosis.

Cerebri fungi periculosi sunt, & difficillimæ curationis, & plerùmque lethales, quia meninges post vulnerationem occultum fovent acidum, quare lacesciti non ægrè acescentiam coagulativam, postmodum corrosionem, & corruptionem concipiunt, & in cancrum transeunt. Quò firmius hi fungi meningibus adhærescunt, eò difficiliores sunt curatu, & quò majores, & ampliores illi sunt, eò periculosiores. Quò profundiores, eò difficiliores sunt curatu, & nisi funditus exstirpentur, majorem subeunt recidivam.

Curatio.

Pro fungorum cerebri curatione vulgares vitiosos, corruptosque humores ad cerebrum confluentes purgant, & affluxuros à capite revellunt, ne ulterius incrementum sumant; victum instituunt tenuem, venam secant, &

tandèm ipsum fungum siccantibus, & exedentibus absumunt medicamentis. Absumentia sunt *Sabina, hermodactyli combusti, aristolochia rotunda, radix angelicæ, caryophyll. lignum guajacum, ros marinus, summit. Sampsuci &c,* ut

℞. *Sabinæ* ℥. ij.
Ochræ ℥. j.
F. Pulvis.

Vel

℞. *Radic. caryophyllat.*
Angelicæ,
Calami aromatici ana ℥. ß.
Aristoloch. rotundæ.
Iridis florentiæ,
Signi guajaci ana ℥. ij.
Flor. Salviæ.
Roris marini ana p. j.
F. pulvis subtilissimus.

Deindè hoc superponunt emplastrum, ut

℞. *empl. de Betonicâ* ℥. iv.
Gummi elemi diss. in
Ol. ros. ℥. j.
Pulvis ros.
Myrtillorum,
Mastich.
Calami aromatici ana ℥. j. ß.
Cum s. q. ol. ros. m.

Verum putant vulgares supradictos pulveres ob siccitatem exsiccare, sed fungorum indicatio non est exsiccare, verum eos absumere; exsiccatur enim quod humidum est. Prætereà emplastri unctuositate humectantur pulveres, & eorum siccitas hebetatur. Si his lenibus remediis fungi non exsiccentur, ad acriora, & exedentia confugiunt; verum hæc gravia excitant symptomata, & ægrum in vitæ discrimen conjciunt. Vel si nimium incrementum sumant fungi, eos ferro excidunt. Vel ità ligaturâ filo serico radicem arctius vinciunt, ut nutrimento destituti decidant, siquid remanet, exsiccantibus absumunt; sed hic operandi modus dolorificus est, & gravia symptomata supervenire solent, & æger fungis strangulatus vitâ fungi necesse est. Si his reluctentur remediis, ad extremum remedium, ad ignem nempè actualem, deveniunt, sed ignis maximâ cautelâ administrari debet; ignis enim membranas inflammat, undè febris, & phrenitis supervenit: si verò cerebrum inflammetur, ejus inflammatio in gangrænam, & sphacelum terminari solet, ut inquit *Hip. 7. aph. 50. Quibus cerebrum sphacelo corruptum est, utplurimùm* (juxta nostram aphorismi correctionem cap. De sphacelo allatam) *intra tres dies pereunt.* Si durities aliqua, & malignitas adsit, quæ cancri naturam referat, tum lenioribus medicamentis fungus non cedit; acrioribus verò magis exasperatur, undè ejus curatio impossibilis censetur.

Cerebri fungos curamus, primò, tenui institutâ diætâ, ut nimia succi nutrientis copia minuatur, & ulterior excrescentia, quantum fieri potest, prohibeatur, deindè ea propinamus medicamenta, quæ fungorum impuritates, & crassamenta abstergunt, resolvuntque, ità sunt diaphoretica spirituosa, pluries à nobis recensita; postmodum acescentiam infungis alkalicis, & vulnerariis potionibus obtundimus, & cicu-

ramus.

ramus. Quò ad topica, fungum inſpergimus pulveribus abundantem humiditatem imbibentibus, fibras conſtringentibus, acidum abſorbentibus, & blandè fungum exedentibus. Hi pulveres parati poſſunt *ex ariſtolochiâ rotundâ, myrrhâ, tutiâ, lithargyrio aureo, lapide calaminari præp. ebore uſto, alumine uſto, ſaccharo calcis vivæ &c.* ità ut non modò minuatur ſuccus ſuperfluus, ſed ulterior quoque denegetur tranſitus, & via creſcendi occludatur, qua de cauſſâ, & emplaſtra imponenda ſunt vulneribus cranii dicata, quibus hujuſmodi exſiccantia, & exedentia fuerint intermiſta. Si hæc non multum profecerint. *Solvatur ſal ammoniacum in aquâ ſimplici*, & addatur pro re natâ *parum calcis vivæ*, & hac ſolutione crebrius tangantur fungi, vel *aquâ plantaginis cum alumine* optima eſt. Si hæc parum juverint. tangantur fungi *aquâ ſalis ammoniaci* n. d. vel inſpergantur *pulvere ſalis ammoniaci, ſabinæ, & vitrioli*, ac radicitus exterminantur, & cicaniſentur: Si ad cancri naturam accedant, ea, quæ pro cancri curatione conveniunt, uſurpentur medicamenta.

Egimus de capitis vulneribus, de iis nempè, quæ parti capillatæ infliguntur, nunc de iis, quæ partem glabram affligunt, dicendum ſupereſt. Pro facie hîc totum id, quod conſpicuum eſt, accipimus, conſtans fronte, auribus, temporibus, ſuperciliis, genis, buccis, labiis, mento &c. exceptis oculis, & naſo, de quibus peculiaria inſtituimus capita.

CAP. XXXVI.

De faciei Anatome.

DIcitur facies, quòd à brutis homines differre faciat, in iiſque celeſtem ſpiritum contineri judicet. Nominatur etiam vultus à voluntatis indicio, quod pro voluntatis varietate mutetur, aut voluntatem detegat. In humanæ faciei opoſicio maximam Conditoris providentiam admiramur, omnes nàmque facie impares effigiat, rariſſimique formâ ſimiles fortuitò reperiuntur, & quod maximè notandum, qui occiduam attingunt ætatem, venerandam conſequuntur faciem, undè *veneranda ſenectus*; quod non contingit in fœminis, quæ cùm ſenium leviter attingant, tàm turpes, deformes, ſpurcæ, monſtruoſæ evadunt, ceu de nuce Beneventanâ Striges, & fiunt vera amoris alexipharmaca.

Habet facies partes continentes, & contentas. Continentes ſunt vel communes, vel propriæ. Communes ſunt cuticula, cutis, quæ hic valdè tenuis eſt; pinguedo, quæ nulla in palpebris, ac naſo; panniculus carnoſus, qui infra oculos adeò tenuis eſt, ut deeſſe videatur; in fronte multo carnoſior, & adeò cuti annexus eſt, ut ferè ſeparari nequeat. Propriæ ſunt muſculi, oſſa, cartilagines &c. Contentæ ſunt oculi, aures, naſus, os, quæ ſunt ſenſuum organa, quæ in facie ſedem habent,

ut sensus visûs, auditûs, odoratûs, & gustus; Sensus enim tactûs peculiarem non habet sedem, sed per totum disseminatur corpus.

Dividitur facies in partem superiorem, & inferiorem. Superior, à capillis usque ad supercilia, frons dicitur, & hæc pars in corpore integro ad faciem refertur, cum tamen in Sceleto ad cranium pertineat. Inferior, à superciliis usque ad extremum mentum extensa, oculis, naso, genis, aliisque partibus describendis donatur.

Frons dicitur à ferendo, quod animi indicia, gravitatis, tristitiæ, hilaritatis generositatis &c. præsefert. Frontis cutis mobilis est, quia duobus musculis latis donatur, quos mebranam carnosam musculosam *Riolanus* appellat. Oriuntur à calvariâ prope suturam coronalem, & ad latera musculis temporalibus annectuntur, & superius quidèm in medio nonnihil distinguntur, sed inferius ità consociantur, ut unus musculus esse videatur terminant ad supercilia, quæ attollunt. Nervos habent à paris ramulo. Arteriolis donantur à carotidibus externis, venulis verò à jugularibus. Fibras obtinent rectas, atque hinc cutem rectà sursum trahunt, non verò transversas, & obliquas habent, ut *Columbus*, & *Aquapendens* sentit. De reliquis faciei partibus agemus in frà.

Cap. XXXVII.

De faciei Vulneribus.

In mirabili singularum humani corporis partium structurâ maximi Opificis sapientiam stupemus, sed in solo faciei opificio omnes contendisse nervos videtur; in eâ nàmque peculiarem pulchritudinem, & nitorem contemplamur, undè non ex eâ mirificum quid, mysterium, & divinum non advertimus. Totum hominem tanquàm in compendiosâ tabellâ comprehendimus. Si nobis fas esset, utique pro animæ domicilio faciem statueremus; ex sacris namque litteris *Gen. cap. 2. v. 7.* habetur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Magnum cum animo consensum habet facies, imò reliquarum omnium partium elegantiam, & dignitatem quasi in compendium trahit, ac simul etiam omnium reliquarum affectiones tanquàm in speculo exhibere videtur. Ex eâ nàmque non solum sanitatis, morborum, & imminentis mortis argumenta; verum etiam ipsius indolis morum, & animi affectionum nitidissima elucescunt indicia. Nàm in genis pudor, & terror, sic in oculis ira, gaudium, tristitia, odium; & imprimis amor se pandunt; ex fronte, gravitas, & humilitas; ex superciliis, superbia; ex mento, majestas; ex naso, sagacitas,

gacitas, vel ſtupiditas; ex faciei motu, ſapientia, vel ſtultitia, honeſtas, vel nequitia, urbanitas, vel incivilitas, reverentia, vel deſpectus, benevolentia, aut malevolentia; ex colore, totius corporis temperamentum dilucidè innoteſcunt. Prætereà in facie genus, ſexus, vita, ætas dignoſcuntur, & eâ homines à ſe invicem diſtinguntur. Eſt igitur illa certiſſimum animi exemplar, & eorum, quæ in abſcondito deliteſcunt, ſpeculum, in qui externi, internique ſenſus ſe produnt, & omnes internarum facultatum motus, ac perturbationes conſpiciuntur. Inſuper decora facies mutua commendatio eſt, nec in deformi facie venuſta anima reſidere poteſt. Inſuper magna hominis prærogativa præ cæteris animantibus ex ipſius facie elucet, quam ſummè Reverendus Creator ipſi non pronam, & ad terram demiſſam, ut brutis, ſed verſus cœlum verſam contulit, quò identidèm admoneretur homo ſe tantummodò ad hoſpitandum, & exulandum in mundo eſſe poſitum, non ad manendum hic æternùm, ac proindè ſibi perpetuò cogitandum eſſe de verâ, & futurâ patriâ, nempè cœlo, & ſpectare ei cœlum Deus voluit, ut ipſum, cecius illa ſedes eſt, quam oculis non poſſumus, animo ſaltèm contempletur: hominem igitur ex humo ſublevatum, ad ſui Artificis contemplationem, quod optimè ingenioſus Poëta, *Ovid. in Metamorph. lib.* 1. ſignificavit, in hunc modum deſcribens:

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram:
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Verum ſunt quidam homines, qui nominis ſui, & rationis obliti, oculos ſuos ab alto deiiciunt, ſoloque defigunt, quaſi eos homines, & non beluas eſſe natos pæniteat, & pecudum more viventes, ac Dei juſſa contemnentes, tàm egregiam, venuſtam, ſpecioſam, & ſpectabilem creaturæ faciem ſolerti Dei attentione formatum cultro vulnerare, vel novaculâ amputare, vel phialâ vitreâ atramento plenâ deturpare, vel ſtercore repletâ defœdare non verentur. O crudeliora feris immaniſſimis hominum genera!

Signa.

Faciei vulnera nullis peculiaribus indigent ſignis, quia viſui patent, diſtinguendæ tamen ſunt partes vulneratæ, an vulnus ſit in malis, vel in mento, vel in aliâ faciei parte. Prætereà facies cæſa perennem ſignificat infamiam; denotat nàmque utplurimum lenonem, undè quis poſuit ſignum in faciem ejus, & hoc morbo mulierculæ ſæpè laborare ſolent.

Cauſſa.

Pro faciei vulneribus violentam cognociſmus cauſſam, quæ partium

tium faciei continuitatem sejungit, & dissolvit, ità sunt instrumenta, quæ faciem cædunt, ut novacula culter, ensis, falx, vitrum &c. Vel quæ eam pungunt, ut sagitta, dentes &c. Vel quæ eam contundunt, ut fustis, lapis &c. Vel quæ eam perforant, ut globuli. Vel tandèm, eam rumpunt, ut lapis, ictus &c.

Prognosis.

Faciei vulnera periculosa non sunt, sed perpetuò turpia inflicti vulneris vestigia relinquunt, quæ faciem omnibus aliis corporis partibus pulchriorem valdè deturpant; attamen quandòque cæsi faciem præ mœrore, & indelibili characteris infamiâ, omnibus intuentibus expositâ tristantur in principio, quia inter homines probos versari verecundantur, attamen sensim, & sub vesperum versari incipiunt. Quandòque admodùm periculosa sunt, & mortem afferunt, hoc tamen infrequenter accidit. Pro rectâ horum vulnerum prognosi notamus, quòd alia sunt cava, alia admodum lata cum carnis deperditione, & hæc magni sunt momenti: alia sunt, in quibus ossa in frusta sunt comminuta, vel amputata, & hæc periculosa sunt. Alia levia, & curatu facillima, in quibus os nihil passum est, sed sola caro secta est.

In his vulneribus, quia cicatricis deformitas vix evitari potest, de eâ futurâ præsagiendum est, cujus caussâ tàm mulieres, quàm viri, quoties in facie vulnerantur, propter cicatricis metum atrocissimis ánimi perturbationibus excruciantur, & millies in die à chirurgis scisitantur, qualis, & quanta futura sit cicatrix sanitatis tempore, pro cujus vaticinio vulnera distinguere necesse est; si nàmque vulnus sit cum carnis, & ossis deperditione, cicatrix necessariò erit profunda; si cum osse ex suo loco moto, ità ut restitui non potuerit, cicatrix erit cava. Quò ad cicatricis qualitatem considerandum est instrumentum, quo vulnus illatum sit, an rubigine, vel fuligine, aut alio colore sit temeratum, an attramento, vel alio tinctu repletum; nàm semper cicatrix infecti instrumenti servabit colorem. Hinc reprehendamus oportet chirurgos illos, qui ad sistendum vulneris faciei sanguinem, gossypium combustum imponere solent, ex quo evenit, ut cicatrix nigra remaneat.

Curatio.

Si vulnus sit in genis, vel in mento, vel in aliâ faciei parte, primò sanguinem sistere debemus illis medicamentis, quæ in hoc *tomo cap.* 17. *De sistendo vulneratorum sanguine* descripsimus; deindè extranea è vulnere eximamus oportet, & siquid concreti sanguinis intra vulnus existat, detergatur, ne putrescat, & inflammationem excitet. His ritè peractis, tùm vulneris lábia ad mutuum contactum reducantur, reducta conserventur, & tandèm agglutinentur. Pro curatione itaque considerandum est, quousque sectio

ctio perveniat, an ad os, an ipsum Patiatur; Si patiatur, an sectum, dilatatum, vel fractum, & separatum sit aliquod frustum ab osse, & an os alicui parti hæreat: quòd si separatum, vel communutum sit, eximatur, & tunc cavas relinquit cicatrices: si carni hæreat, aut periostio, tunc componendum est, & in propriam sedem reponatur, nàm ità os agglutinabitur ossi subjecto per succrescentem porum sarcoticum; ità in cruris fracturis, in quibus in plures partes, & quandòque in modum farinæ comminuuntur, quòd omnes illæ partes medio callo osseo conglutinantur, observamus. Et idem quoque in faciei vulneribus cum ossis comminutione experimur. Unde aliqui bardi chirurgi perperàm ipsum os alicui parti adhærens forcipe amputant, & separant, sic namque vulnus cavum efficiunt, & cavas relinquunt cicatrices ut *Hip. 6. aph. 45.* inquit. Vulneris labia, ut ad mutuum reducantur contactum, & reducta conserventur, vulgares consuunt eâ sutura, qua consuuntur sacci, vel illâ utuntur pelliparíorum sutura, quam efficiunt acubus cuspide triangulari præditis, sub foramine concavatis, filo cerâ oblito instructis, & per utrumque labrum trajectis.

Cæterum sutura, quæ acu fit, cruenta, & dolorifica est, quaderè illâ sæpissimè chirurgi multos committunt errores; consuendo enim plus doloris excitant, quàm quòd vulnus ipsum fecerat, & qui crassioribus utuntur acubus, plus ex carne apprehendunt, quàm satis erat, & ità sæpè labra vulneris contorta, & convoluta relinquunt, ità ut non cutis cuti, & caro carni committatur, sed cutis inter carnem media constituatur; aut si hæc vitare velint, vix summo margine cutem apprehendunt, ut vulnus relinquatur cavum, & sutura paulopòst dissolvatur. Præterea in faciei vulneribus sutura putrescit, & mox decidit, & si iterùm consuas, denuò decidit, & tandem ipsum vulnus dehiscit: nàm semper idem recidit, sive suturam facias, sive intermittas, & ægri excrucientur. Insuper in iisdem vulneribus puncta deformitatem pariunt, & cicatricem valdè turpem reddunt, & utplurimùm suturæ ante vulneris agglutinationem ex quolibet levi motu rumpuntur, & corpora tenera suturam, quæ acu fit, non ferunt. Tandèm suturæ ad partem affectam dolores, inflammationes, & fluxiones concitant, & ad carnificum sutorum ingressum, & præsentiam exhorrescit natura.

Optima sutura per gluten inventa est, quæ sine ullo partis vulneratæ dolore, ullâ per acum divisione, & punctura vulneris labia adducit; tu ità que consonis instructus remediis, sine, ut natura sine errore suat, & curationem sine dolore efficiat; hæc nàmque singulis diebus sine acu, & filo fuit, donec ad vulneris labia, & extremitates perventum sit, & cicatricem angustam facit, non aliter ac si filo sutorio consuisses.

Sutura per gluten apud *Sennert-*

tum talis est apparatus : lintea comparantur valida, æqualia, mollia, quadrangularis, vel triangularis, vel alterius figuræ, prout vulneris situs, & membri, cui applicari debent, natura requirit, quæ in parte, quâ vulnus respiciunt, complicentur, aut suantur subtiliter, & fila per latitud nem eorum aliquoties traiiciantur. Linteis istis annectuntur ansulæ è filo duplicato, vel multiplicato, & contorto cerâ oblito, eâ distantiâ, quàm sututæ habere solent, aut etiam minore. Linteis istis inducatur glutinum è medicamentis adstringentibus, & viscosis compositum, qualia sunt *albumen ovi*, *bolus Armenus*, *thus*, *mastiche*, *sarcocolla*, *farina volatilis*, *gypsum*, *tragacantha*, *coralli*, *resina pinguis*. ut

℞. *Boli Armeni*,
Sarcocollæ,
Mastich.
Sang. drac. ana ℥. ij.
Cum ovi album. misceantur.

Vel

℞. *Farinæ volatilis*,
Mastich. ana ℥. ß.
Boli Armeni,
Coralliorum,
Sarcocollæ ana ℥. j.
Sang. drac. ℈. ij.
M. cum album ovi.

Et si metuamus, ne glutinum separetur, quod fit imprimis ob saniem è vulneribus effluentem, resina pini, vel piceæ reliquis admiscenda, quæ humiditatem non admittunt, ut

℞. *Sang. drac.*
Thuris,
Mastich.
Boli Armen.
Resinæ pini ana q. u.
Misceantur cum album. ovi.

Lintea hoc modo glutine inducta, & ansulis suis instructa, duo utrinque ad latera vulneris, pollicis distantiâ ità apponenda, ut ansulæ sibi rectà respondeant, & tamdiù relinquenda, donec glutino siccato lintea cuti fortiter adhæreant, quod quatuor, vel quinque horarum spatio fieri solet. Linteis cuti jàm tenaciter adhærentibus, ansulæ, seu fila mutuò colliganda, & constringenda, ut vulneris labia rectè uniantur. Quo modo sine omni dolore, sine cicatrice, & deformitate, quæ fit ex punctură acûs, labia vulneris adducuntur, & longiore temporis spatio, quàm suturâ, quæ fit acu, adducta, & unita servantur. Hinc saltèm incommodi habere videtur huc futuræ genus, quod ante sex, vel septem horas (citius enim non exsiccatur, ac firmiter adhæresit) nullius usus est. Verùm mora ista multum damni afferre non potest; quòd si aliquid damni metuatur, parari potest sequens *emplastrum nostrum glutinatorium*, quod valdè tenax est, neque humani corporis calore liquatur, ut

℞. *Resinæ pini*,
Colophoniæ,
Picis navalis,
Tacamahacæ ana ℥. ß.
Glutinis piscium ℥. ij. ß.
Solut. in decoct. nuc. cupress.
Hypocistid ℥. ij.
Radic. consolid. ℥. ß.
Aquæ è folliculis alni, &
Ol. Mastich. ana q. s.

Et

Et fis. a. empl. admodum tenax. Attamen vulnera cava non consuenda sunt nec futurâ per gluten, neque per filum, quia adest substantiæ deperditio, & si consuerentur, tota faciei cutis rugosa redderetur, & in parte vulneratâ fieret veluti loculus, & deformis, at ampla cicatrix, præterquamquòd gigneretur sinus, qui multum vulnerato, & chirurgo faceſſeret negotium.

Vulgares Galenici contuſo vulnere per acum, & filum quotidiè ipſum inſpergunt pulveribus ex *bolo armeno, aloë, thure, m ſtichs. & roſis*, ac ſuper imponunt linamentum ovi albumine imbutum, & ità ad quartam uſque diem procedunt, & cùm vident, quòd vulneris labia glutinari incipiunt, ſuturam cædunt, & *emplaſtrum Barbarum* imponunt. Alii utuntur *oleo maſtichino, vel roſaceo vel hypericonis* ad totalem uſque curationem. Si vulnus in buccæ cavitatem ità penetret, ut genæ pars tàm externa, quàm interna ſit cæſa, hoc decocto, quod conſolidandi vim habet, utuntur, ut

℞. *Radic. pentaphyll.*
Tormentillæ,
Conſolidæ majoris.
Roſ. rubr. ana m. j.
Myrtillor. ℥. ß.
Gummi Arabici,
Tragacanth. ana ℥. j.
Thuris,
Maſtich. ana ℈. ij.
Bolı Armen. ℥. j. ß.

Coque in ſuff. aquæ quantitate ad tertiæ partis conſumptionem, & cola; quod decoctum continuò ægèr aſſumat in os, & ſi anſtetum nimis videbitur, *Syr. de roſ. ſicc. vel diamor.* admiſcent. Si vulnus ſit cavum, medicamentis, quæ carnis generationem promovent, & cavitatem replent utuntur.

Conſuto faciei vulnere per gluten, ut ſuprà retulimus, & ad mutuum contactum ejus labiis adductis ad ſolutionis unitatem devenimus, cæterum obſervandum eſt, quòd ſi nimis arctè vulneris labia reducantur, & anſulæ nimis propè ad ſe invicèm ſint ſitæ; tunc ingens dolor ex impedito labiorum vulneris tumore exoritur, & pus in vulneris fundo genitum non recte egreditur, undè poſtmodùm vulneris fundus non probè mundificatur, & ex puris, vitioſi fermenti remanentis in parte vulneratâ abceſſus arcanus oritur, & ſucceſſivè non abſque pernicie ſe manifeſtatus, qui antequàm fiat, pus a re retentum cuniculos agit in partibus ſubcutaneis, eaſdem hinc indè exedit, & poſtmodum abſceſſum producit ſinuoſum. Præterea nimis propè ad invicèm labia adducta, balſamis applicandis ingreſſus inhibetur. Nec vulneris labia nimis laxa, & hiantia anſulis coërceantur, nam hoc modo ſita, in vulneris fundo ſanioſa, & purulenta materia congeritur, nec facilè ob ſuturas tergi poteſt, & ſic in ſinum degenerat. Inſuper ex vulnere in ulcus abit, & turpem inducit cicatricem. His animadverſis, extemplò ſolutæ unitati optimis medicamentis conſulendum eſt, hujuſmodi ſunt balſamea volatilia, & ſpirituoſa,

Unable to display this page

Secundum hanc noſtram interpretationem aphoriſmus videtur falſus; verumenimverò Hip. non intellexit juxta noſtrum ſenſum, ſed de coaleſcentiâ illâ per ſuccreſcentem carnem, quæ ſolutum continuum combinat: non enim partes oſſeæ, cartilagineæ, & nervoſæ mediante carne coire, nec regenerari poſſunt ſecundum ſubſtantiam, qualis eſt abſciſſa, cum ſint partes ſpermaticæ, reſarciuntur tamen & redintegrantur illo medio naturæ glutine, & callo, veluti vinculo quodam circumducto.

Faciei vulneribus ferè poſtremam addidimus manum, ſed utramque non abſoluimus paginam; multum nàmque moliendum ſupereſt, & quaſi nihil efficimus, niſi inflicti vulneris veſtigia, putà deformem deleamus, vel ſaltim corrigamus cicatricem, quæ ægro tanti eſt ponderis, ut vivat moriens, & moriatur vivens, quia inſidiosus amoris internuncius cenſetur, qui noſtro idiomate infidum denotat Lenonem. Verumenimverò quandòque vulnerum characteres in vultu accidunt in monomachiâ, rixâ, vel pugnâ, & etiam ſunt inglorii, & inertiam in vulnerato, & animi robur in vulnerante arguunt, & uſque vulnerato vulnerans fortior eſt, ut de *Caſtrico* fertur:

Quid te magnanimum, quid jactas, Caſtrice, fortem?
Quid capiti oſtentas vulnera facta tuo?
Arguit ignavum, & vilem numeroſa Cicatrix!
Vulnera qui inſligit, fortior ille facit.

Quæ quandòque gloriarum inſignia cenſentur, utplurimum animi imbecillitatem, & opprobrium deſignant. Non negamus tamen militares viros vulneribus gloriari, quia virtutis ſunt indicia, & ſpectabiliores judicantur, qui ex acie vulnerati redeunt, quam qui incolumes. Totum corpus unum fit vulnus, deindè una cicatrix, non tamen faciem inurat, tunc miles generoſus in recipiendo, quot pugnas narrabit, quot cicatrices oſtentabit, totidem præteritarum virtutum ſigna, & corporis decora referabit, & quidam poëta inquit:

Nil Laudabilius, quàm magna, & honeſta Cicatrix:
Virtutem teſtis muta, fidemque probat.

Verum ut verum fateamur glorioſius eſſe dimicare, hoſtes debellare, & non vulnerari putamus.

Succedit fœda cicatrix quinque de cauſſis, vel quia eſt cava, vel extuberat, & prominet, vel quia eſt malè colorata, vel dura, & rigida, vel eſt inæqualis: igitur aliæ cicatrices ſunt cavæ, aliæ elevatæ, & prominentes, aliæ malè coloratæ, aliæ nimis duræ, & aliæ inæquales, quæ omnes corrigendæ ſunt.

Balſamicis, & conſolidantibus coëunt tandèm vulneris Labia, & partes anteà ſeparatæ nutriuntur, nihilominus tamen cavitas, pro-

minentia, durities, & inæqualitas in consolidationis loco remanere solent, quas cicatrices appellant. Nàm dùm balsamus naturalis, seu nutritius successivè Labia unit, tamen fibræ cutaneæ nerveæ anteà separatæ vix adeò exactè sibi denuò circa extremitates junguntur, pori quoque, & meatus æquali tractu aliàs juxta se invicèm situati pervertuntur, & minus aptâ serie collocati ità inter se confunduntur, undè gluttinans succus nutritius in istis locis detentus, & implicatus, in ossibus callum, in partibus verò mollioribus cutaneis cicatricem talem constituit: idque eò magis quò adstringentia magis, & exsiccantia, cicatrisantia, vulgò appellata, fuerint; nàm hæc poros angustiando, fibrasque duriores, & minus tractabiles reddendo, tandèm insigniori cicatrici occasionem præbent, idque eò magis, quò asperior, minusque roscidus fuerit nutritius balsamus: nàm propter hanc ultimam caussam in adultis majores, magisque deformes nascuntur cicatrices, quæ in unionibus minus tales existunt: quià potius hi ipsi rectè tractati vix cicatricis vestigium relinquere solent.

Fit cava cicatrix ob chirurgi errorem, quandò medicamentis cicatricem inducentibus, & validè exsiccantibus utitur; aut cava ob ossis, vel carnis defectum redditur. Si ob chirurgi errorem cava fiat, cicatricem ipsam scarificari, & auferri oportet vel medicamento vesicatorio, vel exedente. Scarificatâ, vel exesâ cicatrice, vitatis cicatricem inducentibus, necessaria sunt medicamenta carnem gignentia ad cavitatis usque repletionem, quâ repletâ, nova cicatrix superinducatur. Si cavitas ab ossis, vel carnis copiæ defectu dependeat, difficillima est ejus reparatio, attamen carnem regenerantibus medicamentis tentari debet.

Si cicatrix prominens sit, deprimenda est *Laminâ plumbeâ mercurio illitâ*, alicujus ponderis, pluribus diebus supra cicatricem ligatâ, vel sæpesæpius aceti spiritu abluatur, vel sequenti aquâ:

℞ *Limones num.* v.
Vini opt. lib. iij.
Radic. virid. ari lib. j.
Alum. roc. usti ℥. vj.

Terantur radices, & limones in taleolas dissecentur, & misceantur, indantur alembico vitreo, & destilla S. a. hac aquâ stillatitiâ cicatricem madefac. Præstantius est *Lac. Virginum*, cujus parandi rationem tradidimus.

Fit rubra cicatrix secundum Galenistas à sanguine fervidiore, ob calidam hepatis intemperiem, & in faciei venas sub cicatrice diffuso, & ob suam crassitiem fixius stagnante; Nigra verò à succo melancholico ibidèm dispersо. Coeterùm cicatrix rubra pendet à cutis faciei texturâ attenuatâ, & ob arteriolarum capillarium extensionem sanguinem fundentium, qui per cuticulam suo transluceat colore; nigra verò cicatrix fit à cute asperâ, & hispidâ, in qua pori distorquentur, ac proindè luminis motum extinguunt, & ejus radios absor-

absorbent; & suffocant. Utraque igitur cicatrix ad pristinum, & naturalem colorem transferenda est, rubras cicatrices abigere possumus *aqua spermatis ranarum cum camphorâ*, vel *sulphur ligetur in petiâ, & per noctem in aquâ rosarum ponatur*, qua frequentius cicatrix abluatur; vel madefiat *succo bryoniæ, & perficariæ*. Vel abigi possunt *aquâ cosmeticâ mercuriali* compositâ *ex mercurio meteorizato, succo limonum, seminibus melonum, & cucurbitæ, camphorâ & albuminibus ovorum*. Aufertur his medicamentis, quia capillarium arteriarum, venarumque corrugationem efficere, & liberum sanguini commeatum præstare possunt. In cicatricis nigredine eò incumbendum est, ut cutis lævigetur, & pori in naturalem reducantur situm, id assequemur, si humore benigno, mitì, & velut oleoso impleantur, ità tensi fiunt, & totius cutis planitiæ lævissima, & candidissima apparet, omnia verò asperiora, & salina, quæ succum benignum ex cute exhauriunt, declinanda sunt. Conducunt externa cosmetica, inter quæ ex *Talco* parata extolluntur, & liquor talci magni æstimatur, de oleo hujus talci plures prostant descriptiones, verùm veram adhuc cum industria quærunt Chymici. Sequens topicum omnem nigredinem à cicatrice tollit:

℞. *Rad. ari*,
Bryoniæ,
Sigilli Salomonis recent. ana ℥. j.
Sem. fœnigraci pulv. ʒ. j.
Camphoræ ʒ. ß.
Simul contundantur, & affunde
Ol. tart. p. d. ʒ. iij.
Fiat expressio, applicetur cum petiâ bis in die.

Duræ occurrendum est emollientibus, ut oleum *ex vitellis ovorum, pinguedine humanâ*, quam admiscemus *cum oleo radicis cyclamini, vel radicis cucumeris asinini* ad callum resolvendum. Vel *oleo tartari p. d.* inungimus. Vel si valdè dura sit cicatrix, eam inungere debemus *oleo amygdalarum dulcium*, & deindè superponere *micam panis in aceto acerrimo maceratam*, nàm sic emollitur, & postmodùm attenuatur.

Si cicatrix sit rugosa, quia, malè consuta fuit, eam medicamento excedere, novam, ac lævem inducere, & demum eam emendare debemus.

Non est tandèm vilis chirurgus, nec sordidus tonsor, qui non se jactet ad cicatrices prorsus delendas arcanum possidere, verum non respondet jactantia factis. Annis elapsis cuidam eunucho una faciei pars incisa fuit, chirurgus, qui curæ se submisit, pollicebatur se nec nimium quidèm cicatricis vestigium relicturum, ægrotus, minimè verò id quidèm respondit, imò domine chirurge, te deprecor, ut latam infixi vulneris notam relinquas, nàm qui hanc faciei partem amputandam curavit, nisi stigma aspexerit, mihi alteram faciei partem amputari, vel forsan me tandèm jugulari curabit: ex hoc in aliquibus vulneris stigma non obolendum esse quandòque arbitramur, nec indè pejora eveniant mala.

CAP.

Cap. XXXVIII.

De Oculorum Anatome.

Oculi ab occulando, seu occultando dicti, eo quod sub palpebris occultentur, sunt visus organa, ex humoribus, membranis musculis, vasis aliisque partibus videndi gratiâ efformata.

Positi sunt in editiori corporis parte, ut tanquàm speculatores fortuitorum occursuum, quæ fugienda, quæ prosequenda, ex eminentiori loco melius prospiciant. Sunt nostri corporis lucernæ ardentes, quæ solis instar homini lumen præbent. Et sicut sol splendens macrocosmum illuminat, ità etiam oculi microcosmum illustrant.

Sunt oculi numero duo, tum ob majorem visûs perfectionem, tum ut uno læso, vel deficiente, alter vicem suppleret; objectum tamen unum est, quod videt uterque, non duplex.

Globosam, circularemque, obtinent figuram, ut tàm ad motum aptiores, si enim aliquem angulum in suâ figurâ haberent, ab illo maximè læderetur visio; quàm ad radiorum visibilium receptionem commodiores essent.

Color in homine aliquantulùm variat, estque in aliis cæsius, in aliis subflavus, in aliis niger, quæ varietas circum pupillam in iride maximè conspicua est, atque ab vuea colore procedit. In Sinarum regione incolæ nigros, in Tartaria autem virides habent oculos.

Oculorum magnitudo homini mediocris est, non omnibus quidem exactè æqualis, sed talis tamen, quæ recipiendis visibilium radiis sufficit. Interim exigua illa magnitudinis diversitas ad majorem, minoremque visûs firmitudinem non parùm confert: quippè majores, & prominentes oculi multo hebetiore visu præditi sunt, quàm minores, & in profundo reconditi, cujus rei caussâ videnda apud Opticos scriptores.

Maximus, & admirandus est oculorum inter se consensus propter nervos opticos in medullæ summitate sibi permistos, ac in medio connatos: nec non propter motorios è communi principio simul oriundos, atque hinc uno, præcipuè à caussis internis, malè affecto, mox condolet, languetque alter, & ab unius noxâ alter vix immunis servari potest.

Lucem aliquam congenitam in se habent, eamque mediocrem in homine, qui diuturnis actionibus in primis occupatur: majorem verò in iis animantibus, quæ nocturnis venationibus victum quærunt, ut gliribus, bubonibus, felibus &c. quorum clarè fulgentes oculi circumfusas evincunt tenebras.

Positi sunt oculi in suis domiciliis, quæ vulgò *orbitæ* nominantur, utrinque ad nasi latera sub osse frontis, ut viciniores essent suo principio scilicet cerebro, in quibus continentur ad sui tutelam, & defensionem ab externis injuriis, tanquàm in capsulâ, osseâ quidem,

ex

ex osse frontis, & genarum taliter constructâ, ut versus ullam partem ab extrinseco lædi possint: qua ratione etiam superpositas habuerunt palpebras.

Orbitæ investiuntur pericranio, cui adeps, musculorumque principia firmiter adnascuntur. In singulis tria sunt foramina. Duo posteriora, eaque maxima, & unum laterale minus. Posteriorum interius rotundum, nervo optico transitum præbet, exterius verò, ei à latere adstans, est fissura oblonga, per quam nervus motorius cum arteriis, & venis ad oculum progreditur. Laterale foramen, quod minus in angulo externo situm est, hoc sub osse cribriformi ad nasi interiora progreditur, atque indè lachrymas transmittit, & vulgò vocatur *foramen lachrymale.*

Ne per hæc foramina lachrymalia continuè lachrymæ effluerent, Summus rerum Opifex utrique caruncular glandulosam, & mollem imposuit, exiguis vasculis sanguineis, & nervulis ferè invitibilibus donatam, duobus insuper vasculis lympham vehentibus ab interiore glandulosæ carnis parte exeuntibus, & humorem ad oculi continuam humectationem sensim effundentibus præditam. Hæc glandulosa caro lachrymale foramen tegit, (à nonnullis *caruncula lachrymalis*, appellatur) & sic liquoris interni continuum exitum præbet: quousque ob nimiam ejus copiam nonnihil retrocedere, & sic isti liquori, id est, lachrymis, transitum prebere cogatur. Hæc caruncula quandòque ab aëre frigidò nimis contracta, vel ab acri humore erosa, vel exulcerata dictum foramen non satis exactè occludit, & lachrymarum eruptio non impeditur, ac proindè tunc voluntarius, & assiduus earum fit profluxus.

His orbitis contenti oculi majoris tutelæ gratiâ *palpebris*, tanquàm velaminibus conteguntur, quibus pulveres, molestique fumi, atque vapores ab iis excluduntur, nimiumque lumen, & aëris injuriæ avertuntur, & ad majorem claritatem carnea humectatur, abstergitur, & depuratur.

Constant exteriùs cute tenellâ, cui nulla substernitur pinguedo: interius pericranio tenuissimo, ac lævissimo, ad faciliorem motum, succingitur. Has partes media intercedit membrana, quæ hîc valdè tenuis est.

Minimos arteriarum ramulos à carotidibus accipiunt, minimasque venulas ad jugulares emittunt, nervulis verò à secundo pari donantur.

Duæ numero singulis oculis sunt palpebræ. Una inferior, & minor, cujus in homine minor est motus. Altera superior, motu celerrimo prædita, ipsi concesso à duobus musculis. Quorum primus dicitur rectus, quo mediante oculi aperiuntur, & attolluntur, oritur circa nervum opticum, & tendine in palpebræ extrema desinit. Alter orbicularis dicitur, qui deorsum movet, id est claudit, & tegit.

Palpebræ apertæ duos efformant angulos, quos *canthos* appellant. Horum externus est minor, inter-

nus est major, in quo caruncula glandulosa foramini lachrymali incumbit. Utriusque glandulæ usus est, Serosum lymphaticum humorem ex sanguine arterioso separatum, per tenuissimos lymphaticos tubulos oculis affundere, ad continuam eorum humectationem, carneæ tunicæ absterſionem, palpebrarum motum faciliorem.

Extrema palpebrarum duriora sunt, & cartilaginosa, sed molles istas cartilagines parvas, semicirculares Græci *Tarsos* vocant, latini *Cilia*, ad stabilem palpebrarum expansionem, exactamque commissionem. Harum superior multo Latior est inferiore, quibus pili infiguntur, qui ad definitam longitudinem excrescunt, quam ex naturæ lege non excedunt. His volitantia per aërem corpuscula ab oculis arcentur, & visus inductis leviter tenebris perfectior redditur: iis autem quacumque de caussâ sublatis remotiora exactè non internoscuntur, versus interiora verò conversis, gravis molestia oculis, cum visûs incommodo, infertur.

Majoris adhuc tutelæ gratiâ, superius ad oculorum, frontisque confinia, *supercilia* constituta sunt, crassiore cute, instar arcûs, prominula, pilisque pressulis, versus exteriora decumbentibus hirsuta, sudores, pulveres, & alia, quæ à capite defluunt, excipientia, ne in oculos delabantur.

Oculi visionis organa triplicibus constructa sunt partibus, quarum aliæ ad nutritionem, ut venæ, & arteriæ: aliæ ad motum efficiendum, vel facilitandum, ut musculi, adeps, glandulæ, & vasa lymphatica: aliæ ad ipsum visum faciunt, ut nervi optici, tunicæ, & humores.

Arteriæ sanguinem vitalem ad nutritionem oculorum, musculorum, glandularum, & adipis deferentes, partim sunt externæ, à carotidis ramo externo: partim internæ ab interno ejusdem ramo, plexum retiformem constituente procedentes.

Venæ externæ in oculi albo spectabiles, ad jugularis externam; ut internæ nervum opticum comitantes, ad ejusdem ramum internum emittuntur.

Moventur oculi humani quaquaversum sex musculorum ope, intra, orbitæ cavitatem oculis circumstantium: quorum quatuor majores recti, motum rectum sursum, deorsum, ad latera: duo multo minores obliqui, motum obliquum perficiunt, quibus omnibus adeps copiosus, tum ad facilitandum motum, tum ad oculi humectationem, calefactionem, Lævigationem interponitur.

Oriuntur omnes principio acuto è profundâ orbitæ parte, juxta foramen, ubi nervus opticus orbitam ingreditur, cujus membranæ adnascuntur, & desinunt in tendinem tenuissimum, corneæ adhærentem, in qua omnes tendines in circuitu simul injuncti, tunicam quandam tendineam constituunt, vulgò *innominatam* dictam, quæ latioris circuli instar oculo adnectitur, sed totum non ambit.

Primus musculus, superior, & crassior

crassior oculum attollit, vocatur *attollens*, quòd quia superbis hominibus frequens est, *superbus* appellatur.

Secundus ei oppositus in parte inferiore, seu humiliore, qua locatus est, vocatur *deprimens*, seu *humilis*, quia oculorum deorsum malas versus trahit.

Tertius in majori angulo positus *adducens* appellatur, quia introrsum nasum versus oculum adducit, quòd quia bibentibus, dum poculum inspiciunt, familiare est, hinc *bibitorius* dicitur.

Quartus *abducens* in latus, ad paruum angulum, *indignabundus* nuncupatur, quòd indignantium lateralem aspectum exprimat.

Ab his quatuor simul agentibus oculus introtrahitur, & motus sistitur, qui motus medicis *tonicus* dicitur.

Quintus, obliquorum prior, gracilis, teres, brevis, inferiore loco situs, & in extremâ inferioris obitæ parte, obliquè deorsum in gyrum oculum movet ad angulum externum.

Sextus, obliquorum alter, omnium tenuissimus, habens tendinem longissimum, oculum circumagit ad angulum internum Dicitur *trochleæ musculus*, quia per trochleam circumrotatur.

Hi duo postremi ob petulantium oculorum amasiam spectantium occultas illecebras, *amatorii*, à motu verò, quem peraguunt, *circumactores* nominantur.

Nervorum duo sunt paria, primum *opticum*, vel visorium, crassum, & porosum deferens spiritus opticos. Inseritur parte posticâ in centrum corneæ, & ad retinæ centrum penetrat. Secundum motorium, quod in membranas abit, & in quemlibet musculum ramum emittit.

Oculi bulbus construitur ex membranis, & humoribus, membranæ non nisi tres sunt, & tres humores.

Prima membrana, seu tunica ossi proxima *Adnata alba*, & Hip. & Galeno *Album oculi* appellata, & tenuissima pericranii supra sclcroticam usque ad circulum iridis expansio, oculum orbitæ, & interioribus ossibus conjungens, undè etiam *conjunctiva* dicitur. Est exquisiti sensus, arteriolis, venulisque multis conspersa: per quas arteriolas cum sanguinis fervidioris major sit affluxus, quàm per venulas refluxus, tunc ophthalmia generatur, cujus hæc membrana sedes est. Hæc tunica communis est, propriæ verò membranæ, seu tunicæ sunt tres, & remotâ hac adnatâ.

Prima se offert sclirotica, vel dura dicta, quæ à durâ matre ortum ducit. Hæc totum involuit oculum, estque crassa, dura, densa, æqualis posterius opaca, anterius instar pellucidi cornu transparens, pellucida, & polita, undè ea parte tunicam *corneam* vocant.

Secunda, & media, quæ præcedente multo tenuior est, à tenui meninge orta, & exilibus vasculis conspersa, & quia oculi humores sicut Chorion fœtum, amplectitur, choroides nominatur:

at anteriore parte qua crassior, & duplicata, atque ad radiorum lucis intromissionem in medio perforata est, & *Rhagoides*, seu *Vuea*, quia similis est spolio vuæ, detracto pedunculo, vel ab vuæ colore dicitur, quod tamen nomen sæpè etiam toti tunicæ adscribitur.

Portio illius per corneam transparens, vueæ tunicæ limbus varios habet colores, atque hinc à Cœlestis Iridis similitudine *Iris* appellatur: est tamen nunc nigra, nunc cœrulea, nunc cæsia &c.

Est autem uvea in mediâ anteriore parte fenestrata, seu perforata in hominibus foramine rotundo, in quibusdam brutis oblongo, seu ovali, quod latini *Pupillam* appellant.

Ex circumferantiâ uvæ oritur ligamentum, vel *Interstitium Ciliare* dictum, quæ sunt tenuia quædam filamenta referentia lineas nigras palpebrarum pilis similes, & crystallinum humorem cingunt, qui horum ope nectitur vicinis partibus.

Tertia *Retina*, ita dicta, quia æmulatur reticulum illud expansum, quod è fune pendulum eminus ad piscium capturam aquis iniicitur. Ejus substantia mollis est, atque mucosa, in qua cùm filamenta quædam tenuissima, tum vascula maximè tenella, è plexu choroide, & rete mirabili derivata, sanguinem ad ejus nutritionem deferentia, manifestè conspiciuntur. Hæc tunica est magis opaca, quàm lucida, mista obscuriori rubore, quia hic receptæ species sistuntur, & repræsentantur, tanquàm in speculo: mucosa tamen nonnihil, quo muco subindè albicat, ad specierum receptarum illustrationem.

Hæc Retina ulterius ambiens, in tunicam *Araneam* mutatur, vel Chrystalloidem, quia sui tenuitate araneorum telam refert, & est humoris crystallini propria tunica tenuissima, & pellucida, undè speculum dicitur.

Addimus tunicam *Vitream*, quæ vitreum investit humorem, & à crystallino separat.

In oculo tres observantur humores, aqueus, vitreus, & crystallinus: quorum hic nobilissimus est, & anima, atque *centrum oculi* quibusdam dicitur. Differunt hi oculorum humores, sed omnes sunt pellucidi, & colorum expertes, ac intra tunicas contenti, ubi aqueus imprimis anteriora occupat, vitreus posteriora, media crystallinus omnium sit minimus, vitreus quintuplo eo major, duplo verò superans aqueum.

Aqueus humor, tenuis, pellucidus, omnis coloris expers, & fluxilis instar aquæ, anterius spatium inter corneam, & crystallini sedem alluit, nullâque tunicâ propriâ comprehenditur, sed inter corneam, & uveam tunicam ante pupillam concluditur.

Aquei humoris usus est reliquos duos densiores humores, cum uveâ, retinâque tunicâ humectare, ac lævigare, & forsan etiam nutrire: ad hæc, corneum: ne rugosa, atque indè opaca fiat, distendere, luminis nimium splendorem infringere & radios visibiles

les dilatare. Si verò à puritate suâ recedat, & crassior evadat, tunc visus hebetatur, ut senibus contingit. Si particulæ aliquæ crassiunculæ in eo natent, tunc culices, muscæ, paleæ, aranearum telæ, aliaque similia ante oculos, oberrare, aut volitare videntur. Si illæ particulæ crassiores concurrant, & ità cohæreant, ut indè pellucida generetur, ante pupillæ foramen subsistens, tunc visus aboletur, propterea quod radiorum visibilium ingressus in crystallinum abarceatur: idque incipiens vitium latinis *suffusio* dicitur, consummatum verò *Cataracta* nominatur.

Vitreus humor similis est vitro fuso, non autem exquisitò pellucidus. Sed aliquo pacto vergens ad obscurum, quod factum est, ne iterum oculi lumen dispergatur, nullum habens opacum, à quo terminetur. Tenuissimâ pellucidâ tunicâ, vitrea dictâ, investitur, qua à reliquis duobus humoribus separatur.

Crystallinus humor à clarissimâ pelluciditate, crystalli instar maximè splendidâ nominatus, atque etiam glacealis dictus, eoquod purioris concretionis glacealem gemmam æmulatur, est absque omni alieno colore, ut omnes recipiat colores: duobus reliquis humoribus solidior, ac splendior est, è purissima, maximèque pellucidâ seminis parte genitus est.

In hoc humore primariò non fit visio, sed in Retinâ, corpore opaco, in qua species visibiles terminantur, & à crystallino humore repræsentantur, ut videre est in speculo, cujus crystallus tenui obducitur mercurio, ut in eâ objecta pingantur.

CAP. XXXIX.

De Visione.

EXplicatis, quæ ad anatomen pertinent, oculorum partibus, operæ pretium duximus aliqua de hujusmodi sensus operationibus vestigare; quare ad visionem explicandam accedimus. Quia verò, licèt unusquisque videat, attamen non omnes hujusmodi sensationis methodum animadvertunt, cognoscuntque, & totam philosophorum antiquitatem in eâ exponendâ ferè aut in errores irrepsisse, aut chymeras commentam esse cognoscimus; idcircò eorum placitis in medium deductis, novisque observationibus (quoad necessitas, brevitasque exigunt) consideratis, & selegimus amplectenda; quæ tum ad rationem, tùm ad experientiam magis facere comperiemus.

Nos non præterit, quæ inter *Peripateticos*, clamoribus cœlum ipsum penetrantibus, agitur famosa quæstio: An scilicèt visio fiat per extramissionem ab oculo ad objectum visibile, an per intramissionem specierum ab objectis visibilibus in oculum; & licèt hujus quæstionis exagitatio aut nihil eorum scientiæ conducat, aut primum: Nàm neque in eo: quod intrà, vel extramittitur, conve-

Unable to display this page

radii lucis ex rebus in oculos refracti, seu reflecti; vel effluvia ex ipsis corporibus continuò profilentia, vel species vulgò dictæ. Non primum, ut enim infrà evidentius patebit lucis radii objecta se solis in oculorum fundo depingunt, & idcircò voluntaria sunt, quæ de lucis utriusque occursu compactione, cæterisque commentus est Plato. Non secundum, ea enim per aërem dispersa tantum abest, ut visionem efformentur, ut nec lyncæos quidèm oculos offendant. Non tertium, species nàm quæ secundum vulgi acceptionem intellectæ fieri non possint, ut inferius constabit.

Stoici, ut refert *Gal. 3. de Placitis cap. 16.* putârunt ex oculis radios prodire nonnullos objecta quælibet pertingentes, quæ ubi contigerint, ità intenduntur, ut conum veluti efforment, cujus cuspis sit in oculorum superficie, & in re ipsâ. Id totum baculi exemplo declarant; sicut enim baculi instrumento cœcus mollia, dura, lutum, lapidem pannum &c. contacta cognoscit, ità & oculi radiis prædictis mediantibus album nigrum, flavum, viride &c. colorata discernunt.

Sed hoc placitum vergit ad improbabilitatem: Admissis enim hujusmodi radiis ex oculo prodeuntibus, conoque efformato, inexplicabilis remanet visionis efformatio; etenim si visio conficitur in oculo, aliquid in eundem immittatur oportet, aliàs fieret, ut quolibet tempore, & etiam in tenebris videremus obscurioribus, ubi ex oculis etiam radii exeunt, & rem pertingentes, conum efformant, & tamen aspicimus nihil. Præterea unde tanta in ocellis radiorum immensitas, ac particularum effluentium ad radios illos efformandos copia, ut ad cœlos usque protendantur, conumque illum stabilem reddant ad videntis arbitrium? Ad hæc, cum radii hujucemodi è corpore non prosiliant luminoso, tantâque careant effluviorum abundantiâ, qui fit, ut novis non succedentibus corpusculis avolantium particularum defectum suppientibus, conus perdurare adeò valeat? Quòd si corpusculorum successionem admittant, undè quæso, hæc successivitas, ubi tot spiritus, innumerabilesque elaborantur? Quo pacto cohærent, per corporis alicujus interpositionem recisi, quomodò coununtur? Insuper vel visio perficitur in re, quam conus contingit, vel in oculo. Non primum, quia contingeret, ut extra oculos videremus; non secundum, quia in oculis nihil adjicitur, per quod hæc compleatur sensatio, & si absque addito videre possemus, dormientes etiam conspiceremus.

Neque dicant radios regredi post rei explorationem; tùm quia eum Pythagoricis convenirent, tum quia radii illi pedibus carent, & alis, nec mathematica phantasticari possunt machinamenta radios ducentia, & reducentia; cum etiam quia, qua cognitione, aut vi magneticâ ducerentur, ut egressi regrederentur, cum præterea sciamus particulas hujusmodi eâ

eâ donatas esse naturâ, ut libertatem aliquandò nactæ amplius irretiri non queant.

Peripateticorum opinio est: ab objectis aliquid per medium proportionatum produci ad oculos usque, quod recipientes oculi & moveantur, & patiantur; hac verò interpositâ passione visio constituatur. Illud autem aliquid putant substantiale non esse, neque corporeum quid, sed merum accidens.

Horum philosophorum consuetudo cùm in terminorum nihil significantium illusione consistat, plura agglomerant, sed neque rem, neque modum contingunt; immò pro intellectûs adæquatione eundem distorquent, aut in dubitationum pelago demergunt.

Primò, dubitare nos cogunt: quid sit illud aliquid, quod ex visibilibus producitur objectis.

Secundò, quodnàm illud sit medium proportionatum, & quo medio, seu instrumento proportionetur.

Tertiò, qui sit motus in oculum à medio impactus, & quid efficiat, in qua oculorum parte motus ille imprimatur, in musculis nempè, in membranis, tunicis, humoribus &c.

Quartò, quænam sit passio in oculo, ex cujus impressione visio efformetur.

Quintò, an visio, quæ ab hac passione producitur, dicendâ sit actio, vel passio, vel actio, & passio oculi simul, vel aliquid ab utraque distinctum.

Sextò, quo pacto hæc crassio possit producere visionem.

In hoc dubitationum Oceano, quis veritatem nacturus expiscabitur? Sed hæc omnia Peripateticis dentur. Verùm intelligere quis unquàm poterit, illud aliquid ab objectis productum merum esse accidens? Quodnàm agens ex objectis educit, in qua substantiâ subjectatur, cùm ex objectis ad oculos migrat, quibus pedibus ad oculos progreditur? Præterea hoc accidens, quod oculos movet, & efficit, ut patiantur, vel oculos contingit, vel non. Si secundum, certè nec movebit, nec passione illos affici & quacumque, non enim capiendus se offert modus, quo aliquid ab extrinseco, ut dicunt, sine contactu moveatur; si primùm jàm accidens illud, quod tangit, corpus erit ex Lucretio:

Tangere enim, & tangi nisi corpus nulla potest res.

Quòd si corpus, necessariò substantia, non igitur merum accidens.

Præterimus, quæ de speciebus intexunt, quas vocant intentionales, & cum realibus confundunt accidentibus, verè tamen intentionales, extra enim intentionem, seu mentem esse non agnoscunt aliud. Sed datâ illius termini explicatione, (pro intentionalibus nàmque intelligunt incorporeas) quo pacto accidens incorporeum poterit afficere subjectum. At datâ jàm hujusmodi affectione; hæ species, quomodò

ab

ab objectis avolant, quà transeunt, quo Ariadnæ filo ad oculum rectà ducuntur, ubi subiiciuntur transeuntes, oculum pertingentes quomodò se insinuant, cum aliquandò totius Urbis species aspiciuntur? Sed hæc omnia etiam concedantur. Quæso hæ species quid efficiunt, quid operantur, qua methodo visionem peragunt? Sed ad alios transitum faciamus.

Democritus, atque *Epicurus* opinati sunt specierum, imaginum, seu simulacrorum ab objectis prodeuntium receptione visionem perfici. Quantum verò rationi, & experientiæ hæc maximorum philosophorum sententia innitatur, intellectis speciebus juxta germanam sapientum significationem, ex sequentibus manifestè patebit. Pro his omnibus verò.

Præ notandum ducimus omne sensorium per contactum perfici, ità ut omnimodo remoto contactu, omnimoda etiam auferatur sensatio; etenim, per immissionem particularum in organo, earundem verè patitur impressionem, & recipit; in hoc enim sentientis facultatis natura posita est, ut absque receptione, & passione aliquid vel minimum agere non possit: qua propter ex diversitate modi cerebrum contingendi, objectorum etiam varietas persentiscatur. Hæc probabilitas non solum experimentis verum etiam ratione, & analogiâ se convincitur; scimus nàmque sensus omnes non sine quopiam eosdem percellente sensationem complere.

Præsciendum etiam ex opticis, lucis radios, aut ab objectis reflexos, aut ab iisdem refractos, intra oculorum cavitatem, & signanter in Retinâ adeò objectorum, undè refringuntur, vel reflectuntur simulacra delineare, velut si intra oculos eosdem depicta ab excellentissimo artifice forent.

Hæc sententia à *Sapientissimis viris Democrito, & Epicuro* insinuata, & fuit ab incomparabili *Viro Renato Des-Cartes* observationibus, experimentis, & rationibus illustrata, ut fatuos quoque, ac mente captos ad sui evidentiam trahat. Patet enim experientiâ rerum extra cubiculum in luce positarum, ex quibus radii refringentes in cubiculum obscurum per foramen insinuentur; etenim radiis ingredientibus papyrus oppositа rerum externarum picturam excipiet. Idipsum manifestius reddetur, si oculo magni alicujus animalis capto, musculisque ac membranis circa fundum denudato (firmis, solidisque persistentibus humoribus) membranarum demptarum loco, charta aliqua substituatur; enim oculus in obscuri cubiculi foramine appositus juxta naturæ situm, ut radios per pupillam excipiat, ex rebus extrinsecis refractos, & intus transmittat; nàm rerum extrinsecarum imagines in papyro substitutâ describet, quod idem assequeris convexâ lente in foramine appositâ.

Cum igitur innotescat per radiorum lucis intromissionem in oculo, rerum imagines, seu species depingi investigandum se offert,

quonàm pacto per hanc specie-cierum, seu simulacrorum immissionem visio conformetur.

Opinamur itàque primò præter præfatam simulacrorum immissionem in oculorum fundo aliquid aliud exigi ad visionem efformandam; Videmus enim hunc eundem radiorum ingressum, rerumque externarum picturam ab oculo, & in oculo etiam mortuo compleri omni prorsus visione remotâ.

Neque dicas disparitatem adesse, quia vitalitas oculi viventis supplet omnem defectum lentis convexæ & oculi demortui, nàm

Opinamur secundò oculo vitalitatem efficere, ut imago in oculi fundo depicta, & signanter in retinâ nervis opticis adhærente, ità nervos moveat eosdem, ut eorum motu ad cerebrum communicato sensum excitet, vulgò dictum, communem, seu imaginationis sedem: atque hoc etiam citra visionis effectum fieri putamus; cùm enim apertis oculis, & abstracti aliquid cogitamus, rerum imagines per radios, & oculos feriunt nostros, & in retinâ pingunt, & nervos movent, & simulacrâ eadem in imaginativâ communicant, & tamen non videmus. Præterquam quòd per omnem sensationem hujusmodi motus, imagineſvè, quas vulgus phantasma in sensu communi, & in imaginativâ per nervorum cuique sensationi aptorum motum excitantur, & tamen dicere, quòd per quamlibet sensationem videamus, erroneum erit.

Opinamur tertiò imagines illas, seu phantasmata in imaginativâ excitatas, sive ita subtiles existant ut D: Augustinus vocaverit spirituales, vulgus verò philosophorum ab intellectu agente spiritualizatas appellaverit, sive quocumque modo moveant cerebrum, si ad animum non pervenerint, ità quòd illum advertere faciant, nullam visionem perficere. Totum id evidenter convincitur experientiâ; nàm mentem cuilibet sensationi non applicantes, nullo pacto sentimus.

Opinamur quartò tum visionem, de qua loquimur, cum & quemcumque ex quinque sensibus nostris in solâ animi nostri advertentiâ compleri, nàm advertentes tantum omnium muneribus sensationem, organorum functiones percipimus.

Hinc constat Cartesii opinionem, qua cætera, præter hominem, bruta animalia Authomata struit machinamenta, maximum habere probabilitatis pondus.

Pro explendis virtutis amantium votis subnectendus hîc esset modus, quo noster animus ad imagines hujusmodi, seu ad motus nervorum, & cerebri, quæ omnia corpora sunt, possit advertere, ut sentiat, intelligatque, sed cum hæc sint extra nostram digressionem animasticis explanandam relinquimus. Pro rei tamen tantillâ explicatione utemur Theologorum paritate: Inquiunt hi Angelum, seu aliquam aliam substantiam spiritualem, & intellectivam lapidi, vel alteri corpori quoquomodo præ-

præsentem cum lapidem, tum corpus quodcumque advertere, cognoscere, & comprehendere; quis ergò ibit inficias nostram mentem, angelorum instar, substantiam spiritualem, & intellectione dotatam, immortalemque posse cerebri, sensuumque, internorum idola, motusque per suam intimam præsentiam advertere, comprehendereque? Sed ad oculorum vulnera transitum faciamus.

CAP. XL.

De Oculorum Vulneribus.

SUnt oculi duo frontis sidera, imò duo magna Luminaria, quæ universum microcosmum suo irradiant fulgore; undè propter hominem oculi, & propter oculos cætera à summo Opifice condita sunt, ut immensum ejus amorem comtemplari, & admirari possit. Si à nativitate cœcus esset homo, neque admirabile cœlum, Lucidissimum solem, formosam lunam, radiantes stellas, necnon mundi elementa, & omnia ex indè exorta perciperet. Profectò itàque tot multa, quæ de Universo disceptantur, tot, tantæque obstrusarum rerum notitiæ, quas summi Viri nostræ advexerunt ætati, tot denique novatum artium inventa, & admiranda cœlo, terrâ, marique deprehensa oculi nobis attulerunt. Oculi certè sunt duæ pretiosissimæ hominis gemmæ, lucis specula, & ipsa corporis Lux, sicuti quoque Dominus noster *eos Lucernam corporis* vocat. Quidam in eâ fuerunt sententiâ, ut pro animæ sede caput assignârunt, & exindè alii glabram capitis partem, putà faciem, & hinc alii demùm in oculis animæ domicilium collocare voluerunt, & reverà anima, seu vita, ut Jo: habetur: *Et Vita erat lux*, quæ est de luminis naturâ, in nullâ aliâ meliori sede collocari potuit, quàm in oculis, qui sunt corporis Lucerna. Oculos inter principes humani corporis partes meritò collocamus; in oculis nàmque tanquàm in terso speculo animi pathemata intuemur, quæ humanum alterant corpus, ità sunt amor, odium, audacia, reverentia, gaudium, mœstitia, afflictio, excandescentia, furor, verecundia, ultio, misericordia, cogitatio &c. Quantum suo Creatori ingratus debet homo, quòd cœcum illum non creârit! Nec pro tanto munere debitas ei gratias refert. Cuncta primò ignoraret, deindè nec suum discernere cibum, potum, vestes, & pedepressum ambulando præcipitia internoscere, neque pro eis comparandis laborem subire etiam posset. Quis omnia bona enumerare, vel recensere posset, quibus ingratus homo, mediantibus oculis, fruitur? Tandèm visionis ratione mors distinguitur à vitâ, & omnia mortem intentarent, denique potius mortuus, quàm vivus esset, & tamen vivus in tenebris, & umbrâ mortis. Visione abolitâ, quanta infortuniorum Lerna nascatur, dicat *Samson à Philisteis, & Polyphemus ab Ulisse* ex-

cœcatus. Dicat *Beliſarius*, cui utrumque oculum Juſtinianus eruendum juſſit: quare cùm aliter ulciſci non poſſet, exiguum extra Urbem extruxit tugurio lum, ubi per omnem vitam à prætereuntibus ſtipem emendicavit: illud identidèm repetens: *Da obulum Beliſario, viator, quem invidia, non culpa cœcavit.* Quot languorum myriades in oculis ingratus ſuſtinet homo, ut gratiorem ſe reddat pro tanto collato munere; non aliæ principes humani corporis partes patiuntur, non caput, non cor, (excepto tamen uno Galeniſtarum hepate, quia non eſt malum in corpore, quod non faciat hepar) non ſtomachus, non uterus, quot tantilla tolerat pars; ideòque in oculorum affectibus percurandis, peritus debet eſſe medicus: eſt tantum horum affectuum negotium, ut totum hominis ſtudium ad ſe trahat, & priſci hanc cognoſcentes difficultatem, oculorum curandi rationem tantùm aliqui profitebantur, & ocularii medici vocabantur, ex quorum ſanatione non minimam aſſequebantur gloriam. Cæterum nunc noſtro ævo quiſque leviter medicinâ imbutus omnibus medetur morbis, ſed nullum curat. Non impræſentiarum de omnibus oculorum affectionibus tractamus, nàm de his alibi, ſed tantum de oculorum vulneribus.

Signa.

Oculorum vulnera nullis particularibus indigent ſignis, & non ægrè à bardo chirurgo, ſolâ oculari inſpectione, & ægri relatione dignoſci poſſunt.

Cauſſa.

Cauſſæ ſunt res externæ violenter in oculum intruſæ, ejuſque continui unionem ſolventes, ſive ſint perforantes, ut gladius, ſtylus, ſagitta, acus, ſpina ſubula, vitri fruſtum, & quicquid pungere, vel perforare, & terebrare poteſt; ſive ſecantes, ut culter, enſis &c. Sive contundentes, ut pugnus, lapis, baculus, pertica, flagrum, fuſtis, & fortiter, & impetuoſè oculo impulſa.

Prognoſis.

Oculorum vulnera ità curatu difficilia ſunt, ut in quavis aliâ corporis parte non ſint ità curatu ardua ſicùt in oculo; tùm ob partium nobilitatem, quæ ſanationis auget difficultatem; tùm propter exquiſitum ſenſum ratione multorum nervulorum, & membranarum, ex quibus conſtat, ob quem non poſſunt applicari medicamenta, pulveres inſpergere, balſamis humectari, & ſimilia, quia ſtatim ſuccedit dolor; tum propter maximum conſenſum, quem oculi muſculi, & membranæ cum cerebri tunicis, & facilè ſummus excitatur dolor; tum propter humores contentos admodum lubricos, ità ut ſi tunica, intra quam continentur, diſrumpatur protinus effluunt. Præterea tanta eſt oculi, & ſuarum partium puritas, ut

ut siquid in ipso præter naturam contineatur, cœcus evadat homo. Insuper tot arteriolas, & venulas per se ipsum oculus habet disseminatos, ut etiam vix vulneratus, vel leviter contusus, fieri non potest, quin inflammetur, & in tumorem elevetur. Tandèm difficillima sunt oculorum vulnera curatu, quia oculi fluxionibus tum à capite, tum à toto corpore recipiendis, quacumque aliâ parte sunt obnoxii, Verumenimverò si vulnera non totam dilaceraverint tunicam, id est, si non tàm altè penetraverint, aliqua curationis spes affulget; Si verò cornea fuerit rupta, & aqueus humor effluxerit, nulla salutis spes supereſt Si vulnus sit angustum, minus periculi habet, si ad uveam procedit, incurabile est.

Curatio.

In vulnerum oculorum curatione vulgares ferè semper ejusdem lateris phlebotomiam pra mittunt, cum vix initio aliud efficacius auxilium ad sanguinis fluxum, & indè facilè subsequuturam inflammationem inhibendam reperiatur. Postmodum purgantia præcipuè bilem usurpant, ut & medicamenta bilem alterantia, refrigerantia, & caput respicientia, cum bilis aliorum humorum ad caput sit vehiculum. Statim ipsi oculo interceptionis, & repercussionis gratia medicamenta adhibent *ex ovi albumine benè conquassato cum aquâ rosarum, cui boli Armeni, terræ sigillatæ, olei rosacei, & pauxillum aceti rosacei* addunt.

Vel

℞. *Album. ovor. num.* ij.
Conquassentur cum aquâ
Tormentillæ, &
Rosarum ana ℥. j.
Adde aluminis, &
Croci ana ℈. j. *m.*

Hæc eadem repellentia temporibus, & fronti etiam imponunt. Ad inflammationem arcendam, & dolorem demulcendum, *cataplasma ex melilоti. & capitum papaverum decocto, in cujus portione humectetur mica panis cum pauco croco*, adhibent. Vel *cataplasmate ex mucilagine, sem. lini, cydoniorum, psyll.* utuntur. Cœterum si contingat dolorem non remitti, ad leviora recurrunt narcotica, & præsertim ad *collirium, quod paratur ex aquâ solani, rosarum, plantag. & sief albo cum opio.* Dolore sedato, vulneris consolidationem procurant his, & aliis medicamentis, ut

℞. *Sief alb. Rhasis sine opio* ℥. j. ß.
Aquæ rosar. ℥. j. ß.
Album. ovor. ℥. ij.
Tutiæ præp. ℥. ß.
M. in mortario marmoreo.

Vel

℞. *Gummi Arabici aquâ ros. diss.* ℥. iij.
Cremoris rad. consolid. mai. ℥. j.
Pulv. subtilis thuris,
Aloës lotæ ana ℈. j. *m.*

Post septimum diem magis siccantia, & detergentia adhibent, ne caro crassa, sed tenuis generetur, ut

℞. *Myrrh.*
Sarcocoll. lacte nutritæ ana ℥. ß.
Tutiæ præp. ℥. j.
Mell. ros. q. s. f. linimentum.

Vel si propter excrementorum re-

dundantiam caro mollis excrescat, ut multoties contingere, solet, exsiccetur *pulvere alum. roc. tutiæ, sacch. & ossis sepiæ, addito modico Calcanthi rubri loti.*

Henricus Heerius mirabilia, sed non credenda narrat in oculorum vulneribus, etiam effusis oculorum humoribus, de succo vesicularum ulmi vernali tempore reperibili, humorem tum aqueum, tùm vitreum æquè in gallinis, ac puellâ quadam se restituisse putavit, cum tamen ipsa forsan natura fecerit, quod ipse hoc succo fecisse existimavit. Sed revera ut vera dicamus, mera impostura est, quod ipse scribit. Refert suprà notatus author *observ. oppidò rarar.* 4. se cum Lithuano quodam aliquandò iter fecisse, qui ab omnibus medicis agyrtis, vetulis, veneficis, chymicis, in totâ, quam obierat Europâ, & Asiâ, secreta (ut vocabat) plurima collegerat; atque eum gallum gallinaceum sibi obtulisse, & jussisse, ut oculum galli sæpius occultissimo scalpello punctum, interque digitos pressum, orbitæ oculi reponeret. Quod ubi fecisset, affundisse Lithuanum illum guttas duas liquoris, qui mense Majo in vesicâ ulmi reperitur, obligatumque capite gallum cistæ inclusisse, & post horas octo eduxisse, utroque oculo ità sibi simili, ut sectum oculum nullus à sano posset distinguere. Hoc quamvis pro ludrico, & forsàn magico, habuit Henricus ab Heer, accidit tamen posteà, ut puella acu fortè fortunà ità oculum læderet, ut humor aqueus, & pars vitrei efflueret. Tunc ergò hunc ipsum liquorem, vulneribus sanandis aliàs utilem, sub quartam pomeridianam, applicavit, & sub mediam noctem linteum admotum, si siccaretur, eodem novo liquore imbui jussit. Manè (testatur Deum, & fidem) oculum externum sanum offendit, sed visu privatum, ità quidèm, ut vigesimo pòst anno nullus excœcatum oculum à vidente discernere potuerit, imò illa multis annis cum marito ejus rei inscio vixerit. Credat Judæus apella his Henrici observationibus, & non nos, qui nimis scrupulosi sumus, & ægrè aliorum ineptiis assentimur.

Quò ad nostram de oculorum vulneribus curationem, primò ea in sex rerum nonnaturalium regimine versatur; eligatur itaque aër temperatus, fumi pulveris, & ventorum austrinorum expers. Æger in cimmeriis collocetur, & Lumen fugiendum, quia oculos vulnerati ab omni lumine vehementer læduntur, debilibus existentibus spiritibus in oculis, undè luminosa omnia intensiora removenda sunt.

Cibi sint boni succi, & facilis coctionis, acidum, & acre angue pejus, quia nervoso generi hostile; item vaporosa, ut allia, cæpæ, sinapi, & porra vitentur.

Motus, & quies sint moderati, attamen quies magis quàm motus prodest; omnes autem motus oculis damnum inferunt, hinc oculus vulneratus non moveatur à sano, ea propter tutius est, ut ambo obuelentur oculi.

Somnus, & vigilia etiam moderamen

ramen habeant, verum vigiliæ magis nocent, & æger non dormiat in latere, cujus oculus afficitur.

Excreta, & retenta debito tempore suo fungantur munere. Veneris connubia exulent.

Animi pathemata proscribantur, & animus tranquillus conservetur, & liberetur à motibus impetuosis, & præsertim à mœrore; hic enim Lympham conturbat, & plus justo reddit salinam, & lachrymarum profusio excitatur, quæ malum adauget.

Venæ sectio vulneratis oculis minimè prodest, imò visum debilitat, nec oculi habent ampla vasa disseminata, sed exiliſſima. Medicamentum purgans commotionem humoribus inducens, eos reddit effrenatos, & acriores, qui aliquo modo læsos oculos lædere possunt.

Pro nostrâ itàque curatione dicimus, quòd vel vulneratur oculi palpebra, & hæc vel superior, vel inferior; tunc adhibeatur sutura per gluten, & sic quod vulneratum est, coit mediante ovi albumine optimè conquassato cum tantillo croci pluries adhibito, deindè medicamentis agglutinantibus curatur.

Si solus oculus sine palpebrâ, vel cum vulneretur, tunc oculi vulnus vel est leve, vel aliquantisper profundum, in externâ membranarum parte, internâ manente incolumi. Si itàque, ità se habeat vulnus, ut cornea tunica vulnerata sit sedulò tractari debet, quia hæc tunica nervea est, ac proindè vacare debemus, ut succi nutritii, sanguinis, & lymphæ cyrus restituatur, & acidum in his excitatum temperetur, & cum hujus vulneris sanatio in partis membranosæ coitione consistat, ea soli naturæ committenda est, cui id est opus: Si igitur succus nutritius, sanguis, & lympha optimè constitutus sit, tanquàm balsamus soluti continuitatem procurat, si verò hi succi suam non conservent crasim, chirurgus, qui est balsami conservator, hunc ad suam temperiem restituat, eas amovendo causſas, quæ eum intemperare, degenerare, vel corrumpere faciunt, & interim aërem extetnum, & lumen ab oculorum vulneribus arceat; ille enim magis lædit, quia inest aë i acidum vulneribus maximè, & acor semper est partibus nervosis intensior, quàm aliis. Ad hunc scopum obtinendum, potionibus vulnerariis, quæ maritentur herbis ocularibus, & illis medicamentis, quæ corruptionem ab acido inductam abstergunt, vel resolvunt, hæc erunt omnia alkalia, & diaphoretica, & tandèm illis, quæ partes membranosas consolident, talia sunt balsamica, utatur chirurgus.

Si vasa sanguifera simul læsa sint, sanguinis profusionem cohibent muci languinosa, *ut mucilago seminum cydoniorum, psyllii, radicis consolidæ majoris, ovi albumen, tragacanthum, gummi Arabicum &c. ut*

℞. *Mucilag. psyllii* ℥. ij.
Rasuræ rad. consolid. maj. recent.
℥. iv.
Ovi albumin. ℥. iij.
Gummi Arabici ℥ ß

Mix

Unable to display this page

etiam si humor aqueus effusus sit, nàm in cataractarum depositione accidit aliquandò, ut in acus extractione aqueus exeat humor, & membrana rugas contrahat, & tamen non succedit cœcitas: humorem enim aqueum à naturâ restaurari per proprios ductus, modò caveatur, ne per vulnus elabatur, non infrequenter tamen hoc accidit, modò tamen ne vitreus, vel crystallinus prorumpat humor, ideòque in vulneribus corporis oculi ad profunditatem usque perpetuò indubitata subsequitur cœcitas,

Si aliquod corpus pungens in oculo relictum sit, ut sæpè contingere solet, illius extractionem tentare debemus, ità tamen ut sine dolore fiat, quod si fieri nequeat sine magno dolore, vulneri id imponendum est, quod dolorem lenit, & laxandi vim habet. Vulgares oleum affundunt rosaceum, verum hoc non solum in oculum vulnerato, sed etiam sano magnum dolorem, & ardorem excitare solet, ut quiquis in suo oculo sano experiri potest. Utuntur *foliorum malvæ, & violarum cum lacte decocto*, vel *seminum peponum, portulacæ, & cucurbitæ emulsione*; inquiunt enim horum seminum lac relaxare, inflammationem inhibere, nec adstringendi vim habere, sed pro extrahendis extraneis è vulneribus vide *caput XVI. hujus Tomi.*

Ad aqueum humorem restituendum, nil aliud usu pa idum venit, quàm remedium molliceadstringens, & nullum aliud quam quod vulneris labia mucedine quadam obliniat, & viam elabenti humori aqueo præcludat, ne aqua denuò progenita à circulatione per vulneris foramen elabatur, & postmodùm inflammatio, & suppuratio arceatur. Hinc varia adstringentia in oculo imponenda sunt, ne id effluat, quod motus restituit. Ad hunc humorem aqueum retinendum valet *liquor vesicularum ulmi*, vernali tempore repertus, in oculum instillatus. Ad idem valet *aqua Reginæ Hung. cum oleo rubro saturni, cum tantillo aquæ chelidoniæ.* Item *infusio lapidis medicamentosi in aquâ fœniculi cum quintâ essentiâ emphragiæ.* Similiter *essentia myrrhæ, vel balsamus proprietatis.* Sunt multorum authorum observationes oculos vulneratos cum humoris notabili effluxu linguæ linctu curatos fuisse: sed hæc est canina curatio, nempè more canum, qui suâ linguâ vulnera curant. Verum annis elapsis quidam Empiricus chirurgus *Franciscus Porco* cognomento vocatus qui omnia vulnera linctu linguæ, & labiorum suctu, veluti incantamento curabat. Hic externis interna adhibenda sunt ad curam externam, ut potiones vulnerariæ, admistis herbis ophthalmicis, nec his potionibus *cancrorum oculi* desint, & *coralliorum magisterium.*

Oculum vitreo, vel crystallino humore orbatum posse recuperare visum impossibile judicamus, cum humores hi inspissati sint, nec regenerentur; quòd si non effluxerint per angustum vulneris orificium, opaci reddentur è plurib

incongruis particulis in illos delatis, hinc obscuritates exurgent, & irreparabilis cœcitas, & estò multi authores medicamenta describant, & varias curationes feliciter actas adducant, comiter imponunt. Nullâ arte, & ratione horum humorum restitutionem in integrum fieri posse, quàm principaliter à naturâ dicimus, adjuta tamen medicamentis traumaticis oculi spiritibus amicis, & specificis, prohibitis inflammatione, & suppuratione.

Cap. XLI.

De Aurium Anatome.

Quemadmodum oculi à summo rerum Opifice in sublimi corporis parte appetendarum, fugiendarumvè rerum exploratores collocati sunt: sic ad sapientiæ, disciplinarumque perceptionem, à lateribus iis aures, imminentis boni, malique, quod ob tenebras, vel interjecta crassiora corpora, vel nimiam distantiam conspici nequit, speculatores, in sublimi loco positæ, ut saltim per aëris commoti fluctus in sublimi diffusos facilius percipiunt.

Sunt duæ numero aures, & utrinque temporum regioni unam apposuit rerum Creator, ut dextrâ, & sinistrâ corporis parte soni audiendi melius perciperentur, & ut unâ fortè læsâ, altera hoc munere ad necessitatem fungeretur.

Aures vel sunt externæ, & oculis conspicuæ; vel internæ, & abditæ intra ossis petrosi cavernas reconditæ. Externa pars, instar vanni expansa, quæ non est primarium, sed adjuvans auditûs organum, sonos prima colligens, ac suscipiens, vocatur auris: ejusque superior pars *Ala*, vel *Pinna*; inferior mollis est, & propendens dicta *Auricula inferior*, *lobus*.

Magnitudo auris hominis satis exigua, figuraque semicircularis, & concinna variis protuberantiis, & cavitatibus elaborata, in quibus exceptus cum aëre sonus non statim prolabitur, aut diffluit, sed nonnihil sistitur, & simul infringitur, ut deindè rectius, & minus impetuosè in cavernas auris internas succedat.

Ambitus auris exterior à tortuositate dicitur *Helix*, item *Capreolus*, & altera ei opposita *Anthelix*: quæ verò tempora spectat, quia à nonnullis instar barbæ hirci pilosa est, *Hircus*, vel *Tragus* dicitur: eique opposita, cui infima auricula appendet *Antitragus* appellatur, quæ & ipsa in quibusdam pilosa est. Cavitas interior juxta meatum auditorium, ubi sordes flavæ, & amaræ gignuntur, *Alvearium* nuncupatur.

Partes quibus constat auris externa, vel sunt communes, ut cuticula, cutis, membrana nervea, & in inferiore lobo pauca pinguedo: vel propriæ, ut musculi, vasa cartilago.

Cutis tenuissima est, paucæ carni adhærens cum firmâ cartilagine: eique ut volâ manûs, membrana nervea validè connectitur. In lobo ità commiscetur cum carne,

ut

ut subpinguis, carnosa, & fungosa existat: hinc mollis est, atque flexilis lobus, ut sine magnâ molestiâ perforari possit; undè etiam à quibusdam ornamentis appensis decoratur.

Primus musculus communis est auri, & utrique labro, estque pars musculi primi moventis genas, & faciei cutem, aurem deorsùm ad latus trahens, ejusque radici sub lobo implantatur, diciturque quadratus.

Secundus proprius est, & anterior, musculo temporali incumbens à fine musculi frontis, tendinosus in auris superiorem partem inseritur, ut sursum, & antrorsum aurem moveat.

Tertius posterior supra mammillarem processum oritur ab occipite, principio angusto, deinde latior redditus, & velut in tres partes divisus, aurem posterius adit, ut eam trahat ad posteriora, & nonnihil altiora.

Quartus à mammillari processu ortus latus, paulatim angustiatur, donec in tendinem abeat. Hinc musculus potius triplex est, quia tribus insertionibus donatur, omnes tamen ex uno loco confusi prodeunt.

Musculi in iis hominibus, quibus aures moventur, rectè conspicui, sunt communes, vel proprii, horum tamen rarissima quædam exempla colligit *Schenckius lib. 1. observat. tit. de auribus.* In plurimis verò non moventur aures ob musculorum parvitatem. In asinis, equis, bobus, aliisque brutis hi musculi magni, conspicui, & sæpè plures sunt, undè ista animalia aures validius movere, & muscas, aliaque molesta abigere queunt, quia manibus carent, non sicut homo, qui manicus id efficere potest.

Triplicia vasa auri implantantur. Venæ minimæ habentur à jugularibus. Arteriæ à carotidibus. Nervi parvuli duo à posterioribus, totidemque à lateribus, à secundo pari cervicali.

Cartilago auris, est substantia, quæ ossi petroso alligatur per ligamentum validum à pericranio natum. Est ex substantiâ cartilagineâ, nàm si facta fuisset ex substantiâ osseâ, facilè frangi poterat, si verò fiebat ex carne, non poterat detineri expansa, & patula.

Exterius auribus adstant variæ glandulæ crassæ, & insignes, quæ *Parotides* dicuntur, licèt hæc vox etiam de tumoribus intelligatur, suntque non tantùm pone aures, ut vulgus putat, verum etiam sub auribus, & ad utrumque latus, sed non supra. Inter has duæ insignis magnitudinis reperiuntur, sibi invicèm propè accumbentes, quarum minorem, & anteriorem *Conglobatam*; majorem verò, quasi ex plurimis glandulosis fragmentis compositam *Conglomeratam* appellent anatomici, Hæ glandulæ vasa ascendentia fulciunt; & quia etiam serosos humores ex sanguine arterioso separatos suscipiunt, ac per quædam lymphatica, & salivalia vasa demittunt, multamque pituitosam saburrham interdum coacervant, hinc *Cerebri*

emunctoria inepte appellantur. Sunt & aliæ multæ glandulæ in toto spatio, quod est sub maxillâ inferiore, in quibus *Scrophulæ*, similesque generantur affectus, quæ tamen *parotidum* nomine non designantur, sed jugulares appellantur, glandulæ. Harum magnus est numerus, sed magnitudo exigua. In animalibus nonnullis, ut porcis Sylvestribus, vulgus in deliciis habet, vocantque lacticinia, & animellas.

Auris externæ usus est primò, ad ornatum. Secundò, ad cerebri tutelam, ne ab aëre subitò irruente lædatur. Tertiò, est ad auditûs organum, sed non principale, verùm adjuvans. Intus latet verum organum, uti & olfactus. Et quemadmodum naso præciso, olfacere tamen possumus, licèt imperfectè: sic etiam auribus penitus ad radicem excisis, audire, sed obtusè, confusè, & cum murmure, vocesque articulatas instar fluentis aquæ, aut cicadæ resonantis, ut notum est iis, quibus aures exsciss. Imò alterius auris non absciss. actio auditoria læditur, nisi foramen absciss. obturetur.

Usus ergò auris externæ est promptius, & rectius sonos recipere, & per aërem vagantes tanquàm in sinu colligere, ut citra violentum impetum ad tympanum pertingant, prius in infractibus viæ obliquitate moderati. Hinc, ne appulsi soni præterlabantur, bruta aures circumagunt ad sonos, & voces. Hinc *Adrianus Imperator*, quò acutius audiret, manus cavas auribus obtendebat, quod & surdastri factitant. Hinc etiam *Scythæ* aliqui, quibus propter frigus aures commoriuntur cochleæ testam auribus admovent, ut in cavitate facilè concluſus aër suscipiatur, & ità melius audiunt. Hinc exactius audiunt, quibus aures extetius prominent, & si non nimium tàm ex longo decubitu, quàm nutricum ligaturis aures depressas haberemus, rectius audiremus.

Auris interna in petroso ossis temporum processu continetur, partim ad majorem tutelam, ut ob loci duritiem à fortuitorum impetu minus læderetur, partim ad meliorem soni conservationem, cui hic locus, ob siccitatem, & duritiem, erat aptissimus.

In hac quamplurimæ considerantur cavitates, quarum quatuor propriis insigniuntur nominibus, ut *Meatus auditorius*, *Tympanum*, *Labyrinthus*, & *Cochlea*: Item *Membrana tympani*, *Duo musculi*, *Quatuor ossicula*, *Aër congenitus*, & *Vasa*.

Meatus auditorius vocatur antrum illud, quod ab auris extremæ conchâ incipiens, versus interiora tendit, tenuique cute, ac pericranio ad oras usque tympani vestitur. Tortuoso ductu, seu foramine sursum nonnihil ascendit, tùm ut siquid extrinsecum in hunc meatum tenderet, facilè declivi tramite deorsum ferri posset: tum etiam, ut sordes, quæ ex cerebro per aures expurgantur facillimè possent delabi. Ratione ejus obliquitatis hoc foramen nominatur etiam anfractus; factus est autem

ità

ità obliquus, ut aëris commoti vehementer impulsio nonnihil infringatur, sicque minus tympanum feriat. In hoc meatu colligitur humor quidam flavus, biliosus, amarus, crassus, & viscidus, à cerebro expurgatus, à mollioris ceræ similitudine priscis *Cerumen* dictus, à cujus etiam malleo colore ipse meatus *Alveare* vocatur.

Circa finem hujus foraminis auditorii, membrana, sive pellicula quædam nervosa, orbicularis, & pellucida situ ex obliquo in pronum despiciens, apparet, instar velamenti auris interni, & quoniam distensa est ad modum tympani, communiter *Tympani membranula* appellatur. Non oritu à pericranio, ut *Iulio Casserio* placuit, nec à piâ, vel durâ matre, nec à ramulo nerveo quintæ conjugationis expanso originem ducit, ut aliis placuit, sed à periostio suum cognoscit ortum. siccissima est, ut melius personet, sicca nàmque ad sonum optiora sunt. Pellucida, & subtilis est, ut soni facilius transmittantur ad aërem congenitum; nàm quibus ab ortu crassior est, *Surditate* laborant incurabili, ut & ii, quibus exterius adnascitur tunica crassior; & si à nativitate, muti simul manent, quia voces inauditas nec animo concipere, nec linguâ proferre possunt. Si verò interius mucus apponatur, vel humor crassior affluat, *gravis, & difficilis* oritur *auditus*, aut *surditas* curatu difficilis. Si tenuis affluat humor, oriuntur *aurium tinnitus, & murmura*. Hæc tandèm nervosa est, ideòque exquisiti sensûs, ut nec stylum immissum, nec acres ferat humores, est & robusta, ut duret adversus injurias externas; læsa enim vel erosa, vel disrupta *surditatem*, vel *auditûs difficultatem* inducit, quod experiuntur, quibus ob vehementem aëris sonum, à tormentis, campanisve læditur, vel in natationibus rumpitur: ad cujus tutelam intus addita sunt tria ossicula quorum, malleus firmiter adhæret tympano, & duo musculi. Hujus membranæ usus est meatum auditorium claudere, & aërem congenitum ab extrinseco separando intus cohibere. Deindè interiora tueri à pulvere, aquâ, animalculis &c. Ut autem clarius resonet, ejus dorso chorda non aliter tensa est, quàm nervus militari tympano. Duobus exilibus musculis donatur ad motum ossiculorum. Horum unus externus è superiore, atque interiore sinu meatûs auditorii latiore principio exortus, sensimque contractior factus, ac subtilissimo tendine membranæ tympani contiguus, ad malleolum usque fertur, membranam cum malleolo sursum, extrorsumque nonnihil extendens. Alter musculus est internus, in osse petroso situs, & circa conjunctionem lapidei processûs cum osse cuneiformi exortus, nonnunquàm simplici, sed plerumque duplici tendine ad malleolum progreditur, & uno ejus processui elatiori, altero ejus cervici inseritur, mallei caput obliquè antrorsum trahens, & ad interiora ab incude deducens.

Ablatâ prædictâ membranâ in conſpectum venit ampla illa cavitas, quam recentiores Tympanum appellant, cujus interior ſuperficies multis colliculis, ſinibuſque inæqualis eſt.

In hoc tympano mox conſiderandi offeruntur quatuor exigua, dura, & denſa oſſicula, *Malleus, Incus, Stapes, & os orbiculare. ſeu ſquamoſum.* Quæ licèt membranis, ſeu perioſtiis deſtituta ſunt, tamen circa extremitates, quibus committuntur, ad nexûs ſimilitudinem, obvinciuntur ligamento exili, procedente ab eo ligamento, quod membranæ tympani, ſicut nervus tympano bellico prætenditur, atque hinc chordæ, vel filii nomen acquiſivit.

Primum oſſiculum, quod vel à formæ qualicumque rudimento, vel potius ab uſu *Malleum* nuncupant capitulo rotundo incudis cavitati laxiore ligamento inarticulatur, & hinc in cervicem attenuatu. Ulterius verò progrediens, inſtar caudæ reflexæ, firmiter ultra medium membranæ tympani adhæret, ac circa medium proceſſibus duobus donatur: uno brevi, cui muſculi interni tendo adnectitur, altero longiore, ſed magis tenui, qui tympani orbitæ incumbit, & tendini muſculi auris externi alligatur.

Secundum oſſiculum *Incudis* nomine, abuſu, inſignitum, & dentem molarem duabus radicibus præditum aliquo modo referens, malleolo ſubjacet, ejuſque caput ſuperiori parte leni ſinu excipit: inferiore verò duos habet proceſſus: unum brevem tympani ſpecui poſteriori: alterum longiorem, per ligamentum laxiuſculum, ſed firmum, ſtapedis capitulo devinctum.

Tertium oſſiculum *Stapes*, à figuræ ſtapedis equeſtris ſimilitudine dictum, cochleæ inſiſtit, & feneſtræ ovali figurâ, ambitûſque ſimilitudine reſpondet, cui per ambitum undique lento, laxoque vinculo alligatur, & impelli quidèm intra ſinum ſuum queat, attolli verò, & educi citra vim non poſſit. Superiore parte inſtar arcus convexum eſt, cujus crura duo minutiſſima, nonnihil ſinuata, baſi tranſverſæ inſeruntur. Vertici verò, ſeu ſummitati verticis inſiſtit capitulum minutum, planum, & rotundum, quo incudis apophoſi ligamento laxiuſculo annectitur.

Quartum oſſiculum per exiguum, & rotundum eſt, atque hinc *os orbiculare* nominatur. Hoc ſtapedi, quâ incudi committitur, per tenue ligamentum ad latus adnectitur.

Inferius, interiora verſus, è tympano ad palatum meatus patet rotundus, qui inter duos faucium muſculos delatus, partim in palati tunicam craſſam, prope radicem uvulæ, ubi os palati ſuperioris deſinit, inſeritur: partim in naris ſui lateris cavitatem amplo, & cartilagineo fine, mucoſâ narium tunicâ tanquam janitore obducto ingreditur. Per hunc humiditates præter naturam in tympano collectæ ad palatum effluunt, & ſonus in ore excitatus nonnihil aurem ſubit: quam ob cauſſam, hebetioris auditûs homines ore aperto, &

expi-

exspiratione cohibitâ melius audiunt, ut *Virg. Aeneid.* 1. inquit:

Conticuêre omnes, intentique ora tenebant.

Hinc in aurium morbis hic canalis benè notandus est; quippè per illum crassi humores masticatoriis feliciter ejiciuntur, & nonnunquàm sternutatoriis excutiuntur, quod præter rationem ipsa quoque probat experientia.

In medio cavitatis tympani duo foramina reperiuntur, quorum majus, & altius circiter in mediâ concameratione constituum, & stapedis basi clausum, ab ovali figurâ, *fenestra*, vel *fenestrella* ovalis nominatur, & parte posteriore in labyrinthum se aperit insigni amplitudine. Alterum, quod minus, humilius, & rotundum *fenestra rotunda* dicitur. Hoc semper apertum manet, nec ab ullo corpore operitur, & in duos canales, squamâ osseâ divisos, scinditur, quorum unus cum fenestrellâ ovali cochleam aperit, alter labyrinthum, & aëris expurgationem efficiunt.

Est autem *Labyrinthus* cavitas tympano longè minor, quam ob semicirculos osseos excavatos, tenui membranâ succintos per circuitus in eandem cavitatem redeuntes Labyrinthum appellant. In hanc cavitatem ovalis fenestrella patefecit, præter quam, adhuc aliis quinque foraminibus pervia est, quorum unum in cochleæ latioris gyri finem sese aperit: per reliqua, quæ adeò exilia sunt, ut vix capillum admittant, nervi acustici tenuissimæ fibrillæ, ad membranam internam succingentem procedunt.

Cochlea, à cochleæ in spiras contortæ similitudine nominata, labyrintho minor, sed insignis tamen cavitas est, gyris duobus, interdùm tribus, vel quatuor cochleæ in modum circumflexa, tenuissimâque membranâ succinta, in quam, ut in priore, per tria, quatuorvè minima foraminula tenuissimæ nervi quinti paris fibrillæ ingrediuntur.

In his abstrusis cavitatibus aër continetur purus, ac subtilis, quem multi statim ab ipso ortu inditum, ac ex semine genitum putârunt, eumque propterea *Aërem insitum, congenitum, & implantatum* vocârunt. Verum cum partium spermaticarum difficilis sit regeneratio, hic autem aër calore circumstantium partium continuè dissipatur, hic quoque continuâ regeneratione opus habeat; cum etiam hic aër nullâ continuitate cum ullis solidis partibus cohæreat, sicut spermaticæ partes omnes inter se cohærent, dici non potest eum aut tanquàm spermaticam aliquam partem isto loco detineri, aut è semine genitum, & ab ortu implantatum esse. Hinc nonnulli statuendum existimant, illum non differre ab aëre externo, nisi quod multo purior, & tenuior sit. An non posset commodè dici, hunc aërem esse spiritum animalem, per nervum in dictas cavitates effusum? Quippè aëreus, purus, & subtilis est, sicut ille spiritus: utriusque eadem conservationis, & refectionis est ratio: uterque per-

perpetuò succesſivè diſſipatur, & generatur: deficiente ſpiritu, mox perit auditus, fortè quod etiam in aurium cavitatibus mox deficiat hic aër, qui internum eſt auditus medium, ſine quo nihil audiri poteſt.

Diſtribuuntur per internum auditus organum arteriolæ, venulæque plurimæ ab internis, anterioribuſque ramis arteriæ carotidis, & venæ jugularis profectæ, quæ dictarum cavitatum ſecreta loca variis propaginibus perreptant.

Ad ſenſum nervi inſeruntur. Mollior nervi quinti paris portio in meatum oſſis petroſi poſteriorem delata, ad cochleam, & labyrinthi circulos progreditur, utrobique audiendi munus perficiens. Prætereà accedit ramus à quartâ nervorum conjugatione productus: is in tympano progreditur, eique ſenſum, & muſculis movendi facultatem tribuit.

Hæc quo ad partem aurium anatomicam; nunc noſtram methodum ſectantes, ad ea progredi curabimus, quæ ad hujus organi ſenſationem conducunt.

Cap. XLII.

De Auditu.

IN hac materiâ quamplurima occurrunt conſideranda, primò, in quanàm hujus organi parte auditûs ſenſatio compleatur. Secundò, quodnàm ſit medium, quo auditus perficiatur. Tertiò, perpendendus eſt ſonus, quovè modo aëri communicetur, ubi incidenter de Echo, ejuſque multiplicatione; & in hac tertiâ conſideratione aliquæ explanantur difficultates ad ſoni notionem facientes.

Pro eo igitur, quod primo conſiderandum propoſuimus, quamplurimæ ſunt philoſophorum opiniones, quas ſummis labiis libare, tacitâ ſuorum patronum nomendaturâ, incongruum non exiſtimamus. Aliqui putârunt in externâ auris cavitate auditum perfici; at in hujus placiti omni probabilitate expertis impugnatione tempus terere indignum ducimus; conſtat enim apud omnes hac parte naturam fuiſſe uſam, ut infundibuli inſtar aër illam percutiens facilius ad auditorios perveniat receſſus. Alii opinati ſunt ſenſationem hanc peragi in ſpecu auditorio; ſed decipiuntur, ſpecum enim hujuſmodi ad hoc inſtitutum fuiſſe cognoſcimus à naturâ, nempè ut per illum ſonus traducatur; & halitûs effluvium perenne exiſtat. Nonnulli arbitrati ſunt ſtapedem, malleum, & incudem auditionis ſedem eſſe; ſed toto errant cœlo; ſcimus enim non poſſe ſenſationem haberi abſque nervorum miniſterio, quibus oſſicula carere comperiuntur. Quamplurimi, immò tota vulgarium grex ſtabilliunt aërem innatum, ſeu inædificatum ad hujuſcemodi ſenſorii complementum à naturâ fuiſſe inſtitutum; verùm hi omnium maximè decipiuntur, & Primò, in aëre, quem vocant, innato, ſeu congenito; non enim ità innatus, ac congenitus à naturâ

naturâ talis est aër, ut si idem, ut dicant, numero non sit organum integrum dici non possit; eo namque extravasato, alius substituitur. Secundò, quia si aër ille sensationi hujusmodi opitularetur, non alio forsan modo id efficeret, quàm sonum excipiendo, ac nervis communicando, soni enim medium, veiculumque proportionatum, ut videbimus, præter aërem dignoscismus nihil. Præterea, licèt aër ille ad auditionem existimetur necessarius, attamen organi non est pars constitutiva; verum admisso, quòd pars extiterit, nec meo auditus conficietur, cùm ex nervis non constituatur, qui sensationem perficiunt quamcumque cerebro communicantes motum illum ab extrinsecis subjectis per organum receptis, nervisque impressum, ut suprà diximus, cum de visione; quapropter.

Opinamur auditionem in cochleâ, ejusque fundo, addito labyrintho, compleri, cùm ibidem nervus adsit, qui cum à cerebro originem ducat, eidem cerebro soni habitam impressionem deffundere potest, ubi animus, tanquàm in throno existens, advertere facilius ad suas operationes functionesque non retardatur.

Quò ad secundum pertinet, nempè quodnàm sit medium, quo auditus perficiatur;

Putamus aërem unicum esse medium, quo sonum percipimus quemcumque, constat id evidenter, cum enim corpus sonans, vel vox animalis in aërem diffunditur liberum, apertumque, facilius audimus; cum verò in cubiculo clausi undique reperimur, & sonus extrà fit aliquis, si rimas habeat cubiculum ità, ut aër externus cum interno contrahat communicationem, aliquo modo sentimus; si nullis obvium sit rimulis, nec ullam admittat aëris exterioris cum intrinseco participationem, modo prorsus nullo persentiscimus; rimarum autem appellatione, non eas, quæ in fenestris, portisque siccitate gignuntur fissuræ, hiatusque intelligi volumus, sed &, quæ in maris, vitrorum commissurâ, telis, chartisque accidunt, vel scissiones, vel pororum deobstructiones, hisque similia, quæ omnia licèt nostris invia sint oculis, attamen sono obvia redduntur. Hinc

Colligimus paulò infra aquæ superficiem sonum percipi nullum, quia licèt intra aquæ porulos aliquis insit aër interspersus, attamen quia cum exteriori, & cum interspersò per aquas non invenitur continuatus, sonum concipere, ac diffundere non potest; & quamquàm urinatores paulò sub superficie aliquantulum percipiant sonum, id accidit ex eo, quia aër aliquantis per aquæ corpus subit: unde fit, ut ità tenuis, atque momentaneus hujusmodi persentiscatur sonus, ut illicò evanescat. In profundo autem maris nullo pacto auditur, uti refert *Illustrissimus Gassendus* de urinatore in camp nâ urinariâ ad decem orgyas in fundo maris immerso.

Ex his patet, murmur, quod intra domum audire solemus ex bel-

bellici tormenti, aut tonitrui tremore incussum, posse ex aëris inclusi motu progigni, eodem ferè modo, quo ex aëre intra tintinnabulum incluso producitur.

Superest nunc, ut de sono aliqua notemus, & quod ad ejus spectat rationem *ex Philosopho in 2. de animâ cap.* 8. habemus: *Sonum esse aëris motionem.* Cum eodem coincidunt Stoici asserentes: *Sonum esse aëris ictum*; utrisque etiam adstipulari videtur *Plato ab Aul. Gellio relatus in lib.* v. *Noctium Atticarum cap.* xv. Sic enim definivit sonum, nempè: *Aëris, validamque aëris percussionem.* Hæc autem placita, licèt non multum à veritate dissideant, attamen ità generaliter, ut dicunt, prolata sunt veritatis expertia; etenim scimus ex Meteoris ventum aëris esse motum, & quamquam aliquandò cum ipso vento, seu aëris motu sonum stridulum percipiamus, nihilo tamen minus in ventis tenuioribus aërem percuti, moverique cognoscismus, & soni speciem nullam persentimus. Ut igitur tantorum philosophorum absconditam aperiamus veritatem, cum Recentioribus.

Opinamur sonum in motu aëris tremulo, ac undulationi consimile consistere.

Antequàm nostram hanc opinionem probemus, operæ pretium duximus modum ostendere facillimum hujus tremuli motûs, atque undulationis ideam efformandi: Consideremus itàque aquæ quantitatem in aliquo ampliori stagnantem loco, & in stagni hujus margine positi lapillum in aquam decidentem immittamus; illicò vibrationes circulares, rotasque (vel melius, propriusque loquamur,) crispationes in aquæ superficie observavimus innumerabiles, undequàque se diffundentes. Harum crispationum, rotarum, ac undulationum vibratarum instar aërem moveri intelligimus, cum sonus efficitur, atque communicatur.

Quod autem in hoc aëris motu tremulo, atque undulatione sonus consistat, multa id confirmant experimenta, & primò se offert plectrum; hoc enim colophoniâ delibutum, cum supra fides ducitur, asperitate suâ, ac spissis veluti denticulis chordas exagitando, motum in illis inducit talem, ut tremore, vibrareque comperiantur; quia verò aër chordis undiquè adjacens fidium recipit tremorem, fit, ut ipse quoque ad earum motum contremiscat, particulisque aëris sibi continuò succedentibus, eundem participet tremorem, & hæ aliis, aliisque, donec vel in aëris vastitate deficiat, & evanescat, vel à corpore solido impeditus, regrediatur; & quoniam hujuscemodi motus aëris est sonus, accidit, ut aures feriens, audiatur, in aëris vastitate diffusus, euanescat, à corpore solido regrediens, fiat echo.

Alio hoc experimentum confirmatur experimento: Nàm fidibus sevo, pinguedine, vel oleo illitis, licèt plectrum pice gravidum superinducas, nullum percipies

pes sonum; pinguia enim & oleosa fidium poros, ac plicaturas obstruentia colophoniæ particulis asperioribus locum obducunt, ubi impressæ vellicationem, ac vibrationem in illas incutiant, & tremore ablato, sonus etiam auferatur oportet; quod ut clarius innotescat.

Hoc alio, facillimoque uti poterimus experimento: fidium sonantium, vibrantiumque motum digitis compescamus superpositis, & sonus illicò emorietur. Signum evidentissimum, soni naturam à motu tremulo penitus pendere, dùm motu posito, sonus etiam admittitur, motu verò ablato, sonus etiam ominò evanescit.

Insuper pulsanti campanæ aliquis propinquus pileum manu teneat, vel ipsâ manu pilei tremorem à motu aëris tremulo in eundem pileum incussum animadvertet. Quæ cùm ità sint, affirmemus oportet nostræ probabilitati innixi, sonum ab aëris motu tremulo suam habere naturam. At ex hac nostrâ hypothesi.

Intelligimus primò soni propagationem consistere in successione; cum enim ab uno in alium diffundatur locum, necessariò successionem admittere est opus.

Ex hac autem notione cognoscimus primò, eum, qui proprior est corpori sonanti, aut loquenti citius audire, qui verò remotior est, tardius percipiet; etenim successivus est sonus.

Cognoscimus secundò rationem, cur longè à corpore absentes sonoro ictum videmus illicò, sonum verò post temporis tractum persentiscamus; nàm cum sonus sit de naturâ successivorum, quodlibet instans motûs aëris debet correspondere cuilibet instanti temporis. Undè quò remotior erit loci intercapedo, eò plura requiruntur temporis intervalla, ut ad terminum perveniat: Contrà verò quia lucis radii, vel à corpore lucido prodeuntes, vel ab objectis retracti, vel à rebus reflexi undique dispersi comperiuntur, id verò visio, quæ per iradiationem perficitur illicò, & ubique habetur, cum ubicumque radios obviam euntes offendat.

Intelligimus secundò modum, quo Echo efformetur, ac etiam multiplicetur; etenim cum sonus per omnem partem, quà aër liberior speciatur, diffundi possit, fit, ut aliquandò solidum offendens corpus, illudque penetrare non valens, retrocedat, quapropter ibidem communicans sese, ubi originem habuit, ab iisdem audiatur iterum, à quibus genesim recognovit, & ità simplex fit Echo. Quod si hic etiam in aëris vastitate non evanescat, sed in aliud irrumpat corpus solidum soni subtilitati invium, regredienſque ad partem procedat oppositam, undè retrogressus est, tunc eodem se audientibus communicans modo, eadem reperitur vox, quæ totidèm poterit multiplicari, donec amplius non revertatur ob sui inanitionem.

Sec hîc explicandus etiam videtur modus, quo voces abeuntes, & redeuntes, seu rotæ illæ, aut

aëris undulationes, & crispationes sibi invicem in progressu, & reditu occurrentes, neque interrumpantur, neque aliæ aliis sint impedimento. Pro quo clarissimum proponimus, simillimumque exemplum: In oppositis stagnantis aquæ marginibus positi lapillos in aquam rectà descendentes proiiciamus, & ex utràque parte undulationes rotæ instar se dilatantes percipiemus, ac unamquamque illatum ad appositas usque ripas continuari citra interruptionis, aut dissolutionis periculum; Quùmque aër aquæ instar fluidus, immò fluidior sit, tenuiorque, accidit, ut undulationes in eum impressæ ob ictûs compactionem, eodem modo absque interruptione continuentur.

Intelligimus tertiò, quo pacto sonus, etiam ab existentibus in obliquo à corpore sonante, audiatur. Ex eo enim quod aeris undulatio, quæ sonus est, undique diffundatur, fit, ut quò eadem pertingat etiam & sonus; & quia non solum in directo, verum etiam in obliquo crispatio extenditur, in obliquo etiam percipiatur sonus.

Nonnulla alia essent hic explicanda de sono, ejusque proprietatibus; verum, quia nos de hac re incidenter sermonem instituimus, hæc dicta sint satis.

Cap. XLIII.

De Aurium Vulneribus.

COmmuni vulnerum infortunio subjacent aures, & cùm auditûs organum maximâ ex parte intûs reconditum maneat, auris externa externis patescit injuriis; hinc evenit vulnera magis auri externæ, quàm internæ infligi. Antiquitùs aurium abscissio adulteris pœna fuit, & huic Deiphobus obnoxius fuit, de quo apud *Virg. 6. Aeneid.* Legitur:

populataque tempora raptis
Auribus

prominet nàmque in auribus vena quædam, quæ sperma reddit prolificum, cujus abscissione hoc petulantium genus meritò emasculatur, ne ejusmodi pessimorum hominum posteritas ulla relinquatur, quòd si fieret, liberos generaret, & pessimorum parentum pessimæ essent soboles. Item aurium abscissio in quibusdam regionibus fuit furum supplicium; sed accidit casus, ut quidam Siculus, manibus aptus furtum commisisset, conjectus in carcerem, a Judice ad aurium abscissionem damnatus fuit, & cautè à satellitibus in forum lætâ fronte ductus, innumerâ virorum, ac mulierum frequentiâ spectante, semotis hinc indè laterum capillis, qui aures cœlabant. fævus carnifex prensas aures forcipe detruncare incassùm molitur, abjecta

abjectâ primâ, & accitâ alterâ, post conatum geminum, ità impossibilis fuit aurium abcissio, ut tota multitudo unanimiter conclamaret, aliquod inesse prodigium, & parùm abfuit, quin sontem ex carnificis manibus extorquerent, re tandèm meliùs inspectâ, inventæ fuêre aures artificiales, tenaci glutine adhæsæ, ex personarum materiâ, vulgò carta pista, efformatæ; nàm alibi in patrati furti pœnam illi propriæ aures abscissæ fuêre. Quot fuerunt risus, cachinni, vociferationes, festivi crepitus, & sibili in illo jocoso spectaculo, explicare magnæ molis est. Versutum furem impunem Judex satellitibus comitatum jussit exterminandum.

Signa.

Non indigent aurium vulnera, vel earum abcissio aliis signis, nisi ipsa autopsiâ.

Causæ.

Sunt aurium vulnerum, vel earum abcissionum causæ, quæ earum continuitatem solvere, vel eas abscindere valent, ut ensis, culter, novacula, vel aliud instrumentum.

Prognosis.

Aures præcisæ faciem deformant, estò capillis obtegi possint, nihilominus illi, quibus ad radicemusque obtruncatæ sunt, non perfectè audiunt, sed obtusè, & voces magis confusè, instar sonitus aquæ fluentis, aut cicadæ resonantis cum murmure quodam percipiunt, quia cum aëre sonus statim prolabitur ob cavitatis carentiam ad illum colligendum. Vulneratur, & rumpitur quidèm interdum etiam tympanum, & tunc immedicabilem adducit surditatem.

Curatio.

Aurium vulnera eodem modo, ac narium curantur, verum si aliqua auriculæ pars sit discissa, vel appensa hæreat, vel totaliter amputata, dummodò non sit emortua, vulgares suturâ acu, & filo factâ utuntur; verum si sutura facienda sit, acus cartilaginem non tangat, abit enim in gangrænam: si verò auris cutis consuatur, putrescit mox, & cadit, estò per breve tempus inhærere videatur. Non possumus non increpitare sordidos chirurgos, & tonsores pediculisecas, qui se nasum triduò antè abscissum, & serò in nive repertum, digitos etiam præfectos, caput à trunco secure ademptum, aures à felis faucibus ereptas restituisse gloriantur. Non displiceat interum audiri historiam nostro proposito cohærentem à *Paracelso* relatam de quodam tonsore chirurgo Galenistâ, inquit enim: *Ego quoque memini, cum apud Forum Iulii essem, me tonsorem vidisse, qui magnâ omnium admiratione, cuidam, cui auris præfecta erat, eam cemento adglutinarit, verum gloria ea brevis, & inanis fuit: nàm altero post die, suppu-*

rata, statim decidit, ipseque vulgi fabula factus est. Abscissa restituere membra sunt divini Medici artificia, ut de *Malchi aure à Divo Petro* amputatâ, & à *Christo Domino* restitutâ, ceu habetur in Evangelio secundum *Lucam cap. 22. nu. 50. & 51. Et percussit unum ex illis Servum Principis Sacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram. Respondens autem Iesus ait: Sinite usquehùc. Et cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.*

In vulnerum aurium curatione quod libet vinculum est hostile, cum itàque fiat, neque nimis laxum, quia non sinit agglutinationem perfici, nec medicamenta actuantur, quia molestiam affert, dolorem commovet, pulsationem incitat, & inflammationem accendit. Cataplasmata, quæ onerosa sunt, prorsus exulent, quia noxia sunt, abscessum excitant, mucosas reddunt, & earum suppurationem suscitant, quæ partibus cartilaginosis infensa est. In aurium itàque vulneribus abstineamus ob omni cataplasmate, quod onere nocet, vel molestiam infert; adhibitâ igitur suturâ ex glutine primò, tantum medicamentis utimur, quæ protinus vulnera curant, & præcipuè balsamica latè à nobis descripta, & præ omnibus hic balsamus est optimus, quem nos magnificimus, quo in omnibus vulneribus quocumque modo inflictis magno cum successu utimur, ut

℞. *Aquæ Reginæ Hung. lib. ß.*
Balsami Peruviani ℥. j.
Ol. Apparic. Hisp. ℥. jjj. *m.*

Ut verò aurium vulnera in suo naturali statu conserventur, inter caput, & aures gossypium opponendum est, & in oppositò latere cubandum, & debita linamenta cum fasciis adaptanda sunt.

Cap. XLIV.

De Nasi Anatome.

EST nasus aliud sensûs organum, datus homini, & animalibus quadrupedibus viviparis, qui in editiore corporis parte suam habet sedem, ut ascendentes invisibiles exhalationes, & vapores melius susciperet, & eorum particulas per nervos odoratorios, tunicæ interiori insertos ad sensorium commune deferret, mentique judicandos exhiberet, atque sic homo res appetendas, vel fugiendas, quæ visui non objiciuntur, nec auditu percipiuntur, cognosceret.

Nasus est faciei pars protuberans, olfactui inserviens, & in respiratione aëri transitum præbens, necnon cerebri excrementa, per ossa cribriformia depluentia emittens.

Magnitudo variat, uti & figura, nam alii maximum, alii parvum, alii simum, alii aquilinum habent nasum, verum quò concinnior est in figurâ, magnitudine, & colore, eò plus ad faciei pulchritudinem, & venustatem confert.

Dividitur nasus, sicut & auris, in externum, & internum, internus habet ossa, & nervos cum processibus mammillaribus; externus

ternus dicitur extrinsecus in partem superiorem, & inferiorem.

Pars superior, quæ ossea est, & immobilis, dicitur *Deorsum nasi*, ejusque pars acuminata, *spina*. Inferior pars cartilaginea est, & mobilis, cujus ima extremitas dicitur *Nasi globus*, *& orbiculus*, ex cujus solo tactu virginem corruptam judicamus: laterales infimæ partes *Alæ*, *& Pinnæ*: pars carnosa in medio prominens, labio vicina, *Columna* appellantur.

Intrinsecus dividitur nasus per *Septum* in duo foramina, vel sinus, quos *Mares* vocant: ut uno foramine obstructo, altero inspirare possimus, utroque verò obstructo, os narium vicem præstat. Quodlibet foramen rursus dividitur circa nasi medium in duas partes: una sursum ascendit ad os spongiosum, altera supra palatum obit in fauces, & oris interiora. Hinc potus per nares aliquandò effluit, & naribus injecta, naso clauso per os elabi solent. Hinc etiam excrementa crassiora dum deorsum feruntur ad nares, in os delabi possunt, aut screatu eò attrahi, & per os expurgari, vel in stomachum descendere.

Constat autem nasi substantia ex cuticulâ, cute, musculis, ossibus, cartilaginibus, vasis, & tunicis.

Cutis admodum tenuis est, & pinguedine caret, ne nimium excrescat, hæc cutis tàm firmiter cartilagini, & musculis adhæret, ut integra, & illacerata separari vix possit: sub septo in columnâ multò crassior, & fungosior reperitur, ut cartilaginem æmuletur, & interius pilis investitur, qui *Vibrissæ* dicuntur, & impediunt, quo minus in inspiratione culices, paleæ, aliaque similia, versus interiora facilè attrahantur.

Musculi sunt *octo*, quorum beneficio motus perficitur, & cuique alæ quatuor inseruntur. *Quatuor ad dilatationem* faciunt, dum alis, vel pinnis sursum tractis, narium foramina aperiunt, & *totidem ad constrictionem.*

Duo primi dilatantes, qui carnosi, oriuntur ab osse malarum, juxta labiorum musculum, quem tertium constituunt. Inseruntur partim in labii superioris partem, partim in pinnam exteriorem.

Duo reliqui, qui ferè triangulares, initio acuto, & carnoso, nascuntur à frontis futurâ, juxta foramen lacrymale, & nasi spinæ, aliisque implantantur.

Duo primi constringentes, qui parvi oriuntur carnosi circa pinnarum radicem, trasversim feruntur, & angulis alarum inseruntur.

Duo reliqui firmissimi sunt, & membranosi, latentes sub tunicâ narium parte interiore. Oriuntur ab ossis nasi extremitate, & pinnis implantantur.

Superiorem, & immobilem nasi partem expansam sustinent *ossa*, eaque vel propria, duo scilicet lateralia, & unum internum medium, quod nasum in duas dirimit partes. Dicitur *os spongoides*, *spongiosum*, *vel spongiforme* in mediâ frontis basi situm, & narium cavitatem opplens, dicitur etiam *Ethmoides*, *Cribriforme*, *vel cribrosum*, quia

pars

pars ejus interior, quà capiti jungitur, multis foraminibus, cribri instar, sed tortuosis, & anfractuosis, non rectis pervia est, atque hæc pars propriè est, & dici debet cribrosa.

Cartilagines substantiam constituentes inferioris partis nasi sunt quinque. *Duæ supremæ*, Latiores nasi ossibus adhærent, & quò magis descendunt, eò molliores fiunt, adeò ut nasi extremum, substantiam habeat, quasi partim cartilaginosam, partim ligamentosam. *Tertia* inter has media, septum constituit, vel interstitium inter utrumque nasi foramen. His apponuntur *duæ aliæ* pinnas constituentes, & per membranosa ligamenta colligantur.

Venas ex jugularibus, & *arterias* à carotidibus recipit.

Ad sensum musculorumque motum, *Nervus* utrinque unus à tertio pari per foramen commune ad majorem oculi angulum in tunicam nasi internam, & ei subjectam carnem papillosam abit, in quam spiritus animales, ad olfactûs sensum perficiendum effundit, atque indè ulterius ad ejusdem musculos progreditur.

Narium interior amplitudo investitur tenui membranâ, quæ à durâ matre, per foramina ossium cribriformium, vel per foraminula palati erumpente oritur, & tunicæ oris, palati, linguæ, laryngis, & œsophagi communis esse, vulgò traditur: Sed in naribus tenuior est, & exquisiti sensûs, nàm irritata sternutationem facit. Hæc membrana, quâ parte ossibus cribriformibus adhæret, exilibus foraminulis, seu propendulis tubulis pertusa est, ad cerebri excrementorum transitum.

Sub illâ membranâ latet caro quædam tenuis, mollis, & papillosa, quasi ex multis papillulis coagmentata, quæ in hominibus valde difficulter, in vitulis, aut bobus paulò facilius invenitur, quamvis non sine molestiâ. Hujus papillulæ parte anteriore minores, versus posteriora verò majores protuberant, & à paucis sunt observatæ, à nonnullis pro exilibus glandulis habitæ.

Externi nasi usus est: Primò, ut per eum aër intret in cerebrum utque pro spirituum animalium necessitate. Secundò, ut per eum aër in pulmones intret pro flammulæ vitalis accensione. Tertiò, ut per eum odores ad mammillares usque processus deferantur. Unde quibus nasus ad radicem dissectus est, vel non olfaciunt, vel imperfectè. Quartò, ut cerebri excrementa per eum, ceu canalem, effluant. Qui ultimus secundarius est, quia multos novimus, qui nunquàm per nares aliquid expurgârunt. Quintò, ad vocem quoque aliquid confert. Tandèm Sextò, ornatum faciei addit. Unde quia ad ornatum plurimum confert, chirurgia Cuttorum nata, circa renascendum nasum occupata, de qua chirurgus Tagliacozzus.

Cap.

Cap. XLV.

De Olfactu.

CErtum est nasum esse odoratûs organum, verùm cùm ille ex multis, variisque partibus constet, quæ omnes simul isti muneri præesse non possunt, diu, multùmque inter doctores dubitatum est, in qua nasi parte odoratus perficiatur.

In vasis sanguiferis, ac lymphaticis, ossibus, aut cartilaginibus illum non fieri apud omnes inconfesso est.

Fuêre aliqui qui per peculiares, & alterius naturæ nervos naso insertos, & specificos etiam spiritus animales per istos nervos influentes odoratum perfici credidêrunt. Sed non observârunt, quòd omnes totius corporis nervi in compositione, seu constructione vix aliter differant, quàm quod alii sint majores, alii minores, alii Longiores, alii breviores, alii molliores, alii duriores: quod tamen qualescumque fuerint, omnes uni, eidemque muneri inserviant, scilicet viæ sint, perquas spiritus animales deducuntur. Prætereà etiam non considerârunt, quòd illi spiritus, per quoscumque nervos delati, nullo modo sunt diversi, nec alterius constitutionis, qui per hos, quàm qui per alios nervos, ad has, aut illas partes influunt; sed ejusdem sint substantiæ, & naturæ, per quoscumque nervos, & in quascumque partes defluxerint. Denique non animadverterunt, quòd diversitas operationum, quæ eorum ministerio perficiuntur, non procedat ab eorum, aut nervorum eos vehentium diversitate, sed à diversitate constitutionis partium, in quas influunt: sic in oculo visum, in musculo motum, & in cute sensum tactus faciunt. Igitur ut in naribus odoratum faciant, debent iis necessariò etiam specificæ aliquæ partes inesse, in quibus, mediantibus illis spiritibus non simpliciter tactûs, sed odorum, ut odorum suaveolentium, fœtidorum, rosaceorum, camphoraceorum &c. perceptio, & distinctio sit.

Galenus olim processûs papillares esse nervos odoratorios, & proxima olfactus organa perperàm sancivit, nàm Primò, nullam habent similitudinem cum nervis. Secundò, amplam habent cavitatem, qualis in nullis nervis invenitur. Tertiò, ex medullâ oblongatâ, omnium nervorum principio, non oritur. Quartò, ex crassâ mininge, & cranio non elabuntur, neque ullos funiculos nerveos in narium membranas emittunt, sed tantum pituitam per ossis ethmoidis foraminula ad narium ossa deponunt. Prætereà nervosum organum excrementis scatens ad hunc usum ineptum esset, sicut in omnibus aliis nervis etiam contingit, quorum usus à pituitæ affluentis humectatione, & obstructione impeditur: in his autem ductibus humores pituitosi ferè semper, modò majori, modò minori

minori copiâ inveniuntur, idque etiam in canibus, acutissimo odoratu, præditis, in quibus tamen olfactum hinc non impediri experientia docet. Neque etiam in homine ob hanc pituitam modicâ quantitate illic hærentem imminuitur olfactus; verùm si tanta ejus copia in interiori fungosâ narium substantiâ colligatur, ut eam instar spongiæ intumescere faciat, hincque narium membranæ, cum nervis iis insertis, comprimantur, ac libera inspiratio per nares (sine qua non fit ullius odoris perceptio) impediatur, tunc odoratus imminuitur, & impeditur, quemadmodum id in coryza fieri notum. Liquet igitur hos processus non esse nervos odoratorios, sed ductus evacuandis excrementis dicatos. Hinc ex antedictis patet, odoratum non fieri in peculiaribus aliquibus nervis, sed in specificis quibusdam partibus, in quas nervi suos spiritus infundunt: quæ partes certè non possunt esse processus papillares, cum illi neque spiritus vehant, neque in sese ullos nervos recipiant, vel admittant.

Plurimi alii judicârunt odoratum fieri in membranâ nares interiores investiente, eamque, præ aliis membranis specificam aliquam constitutionem adeptam esse, cujus ratione odores discernit. Verum, cum membranæ sint organa tactûs, non verò odoratûs (qui sensus à tactu longè differt), & tactus quidèm faciat ad perfectionem odoratûs, quod tactu privatum etiam non adoraret, sicut oculus tactu privatus non videret: cumque aliud sit sentire, & distinguere odorem rotæ castorei, moschi, camphoræ, rutæ &c. sicut in oculo aliud est videre colores, aliud sentire asperitates, & dolores; satis patet membranam, quæ est organum tactûs, non esse adæquatum organum odoratûs. Nàm organum tactûs, qua tale non distinguit odores, aut colores, sicut etiam organum odoratûs, visûs, qua tale non inducat de asperitate, dolore &c. Hinc dici non potest, quod membrana, quæ nares investit, sit alterius naturæ, & temperiei, quàm aliæ membranæ: nàm si hoc verum esset, (quod primò probandum foret) tunc eatenus acutiore, vel obtusiore tactu prædita esse posset sed tamen non distingueret, aut dijudicaret odores. Denique, si illa membrana odoraret, & sicut communiter traditur, communis, ejusdemque essetsubstantiæ cum membranâ oris, palati, linguæ &c. quare etiam in illis partibus non haberet illum odorandi usum, quem in naribus ei adscribunt?

Hæ sunt circa odoratûs organum sententiæ, & cum ex modò relatis nulla rem aut tetigerit, postremò etiam nostra adjicienda est. Nos igitur in naso verum odoratûs organum esse censemus tenuem istam carnem papillosam, sub interiori narium tunicâ sitam, quæ non habet aliam sibi similem in toto corpore, cujus papillulas nervorum odoratoriorum fines ingrediuntur: eodem modo sicut gustûs proximum organum sunt papil-

papillulæ sub extimâ linguæ membrana sitæ, & visûs proximum organum est tunica retina. Non quòd velimus in hisce organis singulorum objecta percipi, sed singulis organis illatam à suis propriis objectis motionem, seu alterationem, mediantibus nervis, & spiritibus in cerebro percipi, & à mente indicari.

Posito igitur, quòd in papillosâ illâ carne sub interiori narium internatum tunicâ constitâ, olfactus consistat, cujus Lamellas nervi olfactorii ingrediuntur, nunc explicandus remanet modus, quo odoratûs sensatio fiat.

Supponimus itàque olfactûs sensum ob analogiam cum cæteris, per solum contactum haberi; cum enim pati aliquid necesse sit ad hoc, ut rem, à qua afficimur, percipiamus, nec alius possit passionis actus excogitari præter vellicationem, quæ contactu perficitur, fit, ut solo contactu odores persentiscamus.

Undè oritur Longè à veritate dissidere eos, qui odores in merâ constituunt qualitate; hæc enim vel corpus erit, ut contactum efficere valeat, & idcircò substantia; vel corpore erit expers, & contingere non valens, sensum etiam producendi impotens erit. Sed ut ad rem nostram redeamus.

Considerandum erit ab omnibus corporibus effluvia particularum quædam emitti vel ex eorum corruptione resoluta, ut in cadaveribus, rebusque aliis corruptis, vel ex eorum fermentatione extricata, ut in fructibus jàm maturis, floribusque; vel ex partium ab assiduo motu interno, extrinsecoque subtiliatarum, & è poris avolantium insensili transpiratione, ut in viventibus, cæteris que corporibus. His ergò effluviis aër inspiratus, atque inspissatus statim ac nares per inspirationem subintrat, ità Lamellas vellicat prædictas, ut motum nervo olfactorio communicans, & per nervum cerebro, animus odorem animadvertat.

Quia verò non solum odores sentimus, verum etiam eorum diversitates cognoscimus, idcircò eorundem varietatem quo pacto discernamus enucleare operæ pretium erit. Pro quo

Supponimus ex Physicis atomos, seu corpuscula variis à primâ rerum genesi donatas fuisse figuris; alias enim intelligimus rotundas, alias quadratas, alias triangulares, pentagonas, alias exagonas &c. Harum congeries, dùm per aërem diffusa nares ingreditur inspiratione, secundum figurarum diversitatem, diversum etiam contactum efficiat necesse erit; quò enim ad rotundiorem vergunt magis figuram, eò placidiorem in parte contactâ producere contactum consiteamur oportet; quò verò acutiorem præseferunt configurationem, contactum etiam punctiosiorem, atque âsperiorem producant erit inconfesso. Igitur quæ particulæ ità contingunt, ut contingendo emulceant, grati vocantur odoris; quæ autem ità nares afficiunt, ut punctionem excitent, nimiumque lamellas percellant, ingratum generant odorem.

Hic autem pororum partis contactæ, necnon earundem partium constitutio, atque structura in considerationem veniunt non vulgarem; etenim multoties fit, ut lamellarum prædictarum pori vel arctiores inveniantur, vel latiores, undè particulæ odoratoriæ si earundem poris non conformentur, sed poros distendant, vel pungant, odor aliàs gratus, ingratissimam inducit sensationem. Sic experimur quotidiè moschi odorem gratissimum, aliquibus, & præsertim mulieribus regulariter detrimento, ac fœtori potius, quàm solatio esse: Sic canes nostris cum solatio vescuntur excrementis, quæ nobis olent quàm pessimè: Sicque iidem in corruptorum cadaverum sanioſis voluntur reliquiis, à quibus cùm nos, tum cætera abhorrent animalia. Ex hac insuper partium conformatione.

Fit, ut quæ ab olfactu sentiuntur particulæ, alios non afficiant sensus; hæ enim ità à naturâ sunt conformatæ, ut prædictarum lamellarum poris conformentur, & aliarum partium poros aut ingressum habeant, & regressum nullum, aut ità eorum configurationibus sint pori patentes, ut nullo facto contactu liberè progrediantur, & sic licèt inspirati aëris particulis odoriferis referti pars asperam subintret arteriam, nullam tamen odoris producunt ibi sensationem.

Pro hujus materiæ summario complemento explicandum ducimus, quidnam pro olfactu aëris inspiratio, & respiratio operentur; pro cujus solutione.

Supponimus ex dictis in Theoriâ Medicâ, in qualibet aëris inspiratione primum Diaphragma, thoracemque dilatari, ut pulmonum sub se contentorum extensioni locum præbeant opportunum, deindè pulmones ipsos aërem per asperam arteriam in eosdem immissum recipere, semet dilatando; in respiratione verò primum pulmones restringi, aërem receptum expellendo, posthàc autem thoracem, & diaphragma: quia verò aër hujusmodi pulmonibus immissus, vel per os, vel nares ingressum obtinet, regressumque ad asperam arteriam (cum illis nàmque convenire adhuc dubitamus, qui capras per aures etiam aërem inspirare, ac respirare insimulant) accidit; ut in tali aëris immissione, & remissione nares etiam internæ quodammodo distendant, atque coarctentur, cumque hujusmodi dilatationes, & restrictiones absque pororum restrictione, ac ampliatione contingere non queant, oritur, ut in pororum dilatatione major habeatur olentium particularum ingressus (diximus olentium particularum, non quia cum vulgaribus sentiamus odores esse mera appellata accidentia; hæc enim non admittimus, sed olentes vocamus particulas, quæ per contactum officiunt talem sensationem, quæ odor appellatur.) Exquo

Fit, ut eò major percipiatur odor, quò magis dilatantur narium externarum pori ad halitus olentes.

per-

percipiendos ; quapropter , qui odoribus quam maximè affici desiderant , rem , undè odoratæ exhalant particulæ , fortius inspirare satagunt.

Ut autem de odoribus ad hanc sensationem pertinentibus aliqua summatim delibemus , opinamur odores nil aliud esse , quàm corpusculorum è corpore prodeuntium affluxus : hæc autem corpuscula pro magnitudinis , figuræ , motusque varietate sicuti diversimodè lammellis narium internarum proportionem habere comperiuntur , ità variè olfactum afficiunt ; undè ex diversâ hac affectione varietatem odorum discernimus , ut superius notavimus.

Quòd verò in corpusculorum affluxu odor consistat , evidenter constabit , si ea perscrutemur , quæ ad eos facere videntur ; Qui enim fit , ut contra ventum ambulantes odorem persentiscamus à vento aërem agitante translatum , secundo autem vento non percipiamus , nisi quia ventus aërem movens , corpuscula etiam odora per aërem disperſa secum ferat. Id etiam convincitur ex corporum illorum combustione , quæ vulgò odora dicuntur , ut sunt thus , Styrax , moschus , Zibectum &c. his nàmque igni superpositis , halitus particularum per aëra disperditur , qui aërem complens , omnes illum inspirantes afficit.

Neque obstat hujusmodi halitum ab aliis corporibus exhalatum non sentiri ; facilè enim contingit , ut quandòque ità tenuis hujusmodi sit halitus motumque in organo imprimat adeò exilem , ut discerni ob tenuissimam vellicationem non possit ; vel ità poros narium internarum à mucis , quamque vocant pituitam obstructos inveniat , ut transitum ad narium lamellas obtinere non valeat , ut in corizâ ; vel tandèm in narium internarum poros dilatatos ità offendat , ut liberè per eos transiens , nec organum contingat , vel ità insensibiliter tangat , ut minimè percellat.

Ex hoc autem deducimus instrumentum , mediumvè ad halitus hujusmodi promovendos , excitandosque ignem esse , aut calorem ; cum enim ignis particulæ , seu caloris corpus aliquod ingredientes , & moveant seſe , suoque motu corporis particulas excitent ad motum , fit , ut ex tali excitatione tenuiora corpuscula ab eodem prosiliant , perque aërem dispersa cum eodem inspirentur. Ex quo

Colligimus primò aromata , aliaque ligna odora eò olere perfectius , quò eorum succus à calore magis depuratus , defæcatusque facilius in halitum exhalabilis redditur odorum ; undè , quæ alibi ab Arabiâ adolescunt hujusmodi arbores , ubi calor adeò vegetus non est , aut nihil , aut longè minus olent , quorum ratio est , quia calor abundans aqueum humorem absorbens , vinculum tollit particulis , easque ad promptiorem exhalationem disponit : ubi verò calor tenuis invenitur , aqueum non ità potest exsiccare humorem , ac propterea corporis particulæ

sub aquâ irretitæ cum evolare non possint, nec olfactum poterunt aliquo modo afficere.

Colligimus secundò, fructus immaturos, floresque ad perfectionem non adhuc deductos, aut omni prorsus expertes esse odore, aut quàm parùm olfactum afficere; etenim non rectè fermentati, sulphureque (ut cum Spagyrius loquamur) ad fluorem non adhuc redacto fieri non potest, ut eorum particulæ, à sale indigesto fixatæ extricentur, exhalentque; peractâ verò fermentatione, sulphureque, ac spiritu jàm exaltatis, quia corpuscula veluti per calorem subtiliata, facilius avolant, idcircò odorem producunt. Ex hoc autem

Cognoscimus fructus in loco frigido, siccoque retentos diutius perdurare; nàm frigus vincitas detinens particulas, motumque earum impediens, fructuum avertit fermentationem, maturitatem, & corruptionem; locus autem siccus in caussâ est, ut omni ascetitiâ humiditate remotâ, ex qua vel fermentatio, vel fibrarum relaxatio &c. proveniunt, diutius conserventur.

Colligimus tertiò, corpora istiusmodi, vulgò dicta odorifera, podetentim imminui ex assiduo particularum ab eis avolantium effluxu, moleque, ac pondere decrescere; Experientiâ enim duce, animadvertimus pomorum jàm maturorum cortices post tempus aliquod aut crispari, aut indurescere, florum verò vividitatem flaccescere, hebetarique; nàm avolantibus particulis spirituosioribus, à quarum congerie, motuque vividitas oritur, crassisque remanentibus, quæ fixiores sunt, fructus floresque aut constipantur, aut flaccescunt, hebetanturque, ac proindè colore, odoreque fiunt expertes, ac corruptioni faciliori obnoxios.

Colligimus quartò, corpora olentia eò diutius perdurare, quò stipatius, strictiusque occludantur; etenim particulis ex corpore odoro avolantibus, exitumque non offendentibus, ut ibidèm permaneant oportebit. Id totum convincitur ex eo, quod aromatarii moschum, ambarum, zibettum, aliaque hujus generis servare volentes in gussypio involvunt, atque in vase plumbeo, stanneo includunt, ut exhalationis libertatem avertant.

Quamplurima essent de hac re consideranda; at quia hujus loci non est ea fusius pertractare, idcircò hæc prælibasse sit satis.

Cap. XLVI.

De Nasi Vulneribus.

Quò nasus concinnior est in figurâ, magnitudine, & colore, eò plus ad faciei pulchritudinem, & venustatem confert, quapropter nonnullis faciei sol appellatur, quòd sicut sol suo lumine macrocosmo singularem splendorem, & pulchritudinem confert, ità nasus suâ pulchritudine microcosmum illustrare videtur,

tur, undè nasus non minima est pulchritudinis portio, redditque hominem præ membris faciei cæteris formosum, & est membrum deconis. Undè qui magnum, & oblongum obtinent nasum, deformes sunt, & *Martialis lib.* 13. de irrisoribus loquens, inquit:

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.

Verum aliqui ex nasi magnitudine de membri genitalis mole, & magnitudine judicare audent. Sed hæc regula, ex nostris observationibus, utplurimum est mendax, hoc unum tamen dicimus, quòd homines, qui prægrandem habent nasum genialibus illecebris obnoxii sunt. Idem de fœminis dicimus, nàm quæ magno, & oblongo præditæ sunt naso, ad luxuriem sunt propensæ; & hac de caussâ legimus *Heliogabalum Imperatorem* omnis generis lasciviæ studiosum, nasutorum congregasse manipulos, ut secum in turpi certamine arma Aphrodisia strenuè pertractarent. Cæterum ex nasi magnitudine melius hominis iracundiam hariolari possumus. Sicut ex nasi magnitudine, & longitudine hominis deformitas, ità etiam ex ejus mutilatione major exoritur turpitudo; scribitur nàmque in Chronicis Anglis, virgines ejus loci, tempore belli cum Danis, nasos sibi amputasse, ut ab irruentium Danorum militum impetu, pudicitiam sartam, tectam, hac deformitate conservarent. Nasi abscissio adulterii pœna fuit apud Ægyptios, quam etiam Hierosolimitanis minatur Dominus apud *Ezechielem cap.* 23. Sed immeritum supplicium, quia nasus nullam habet cum instrumentis generationi inservientibus sympathiam, & adulterium minimè naso utitur, potius peccant pudenda, hanc pœnam, quàm nasus, subire deberent. Quidam maritus cum domi adulterum comprehendisset, ne inultus remaneret, nasum illi obtruncavit, quem *Martialis lib.* 2. *ep.* 83. deridens, ait:

Fœdasti miserum, marite, mœchum,
Et si qui fuerant, prius requirunt
Trunci naribus, auribusque vultus;
Credis de satis esse vindicatum?
Erras.

Hoc idem infortunium Deiphobus tulit, quia erat Helenæ adulter, de quo sic cecinit *Poëta 6. Æneid.*

Truncas inhoneſto vulnere nares.

Merita est itàque adulterii pœna nasi detruncatio, quia sicut nihil est, quod naso faciem honestet, sic nihil est, quod magis deturpet; quamobrem illius detruncatio appposita, & congrua est adulterii pœna alienum honorem, & existimationem deturpantis. Verum enimverò si hoc supplicii genus hisce nostris temporibus nimium esset in usu, certè vel nullus esset adulter, vel ferè omnes exiguo tempore naso mutilati essent, ut quidam Poëta inquit:

Si mœchis nasum mos esset tollere nasum,
Multis per mundum sine naribus esset eundum.

Ex-

Ex hac nasi mutilatione orta fuit Curtorum chirurgia, quæ tota circa regenerandum nasum versatur, de qua Tagliacozzus primus scripsit.

Signa.

Nasus vulneratus, vel mutilatus signis non indiget, nàm ex ipso visu facilè cognoscitur.

Causæ.

Nasi vulnerati, vel obtruncati causa est externa violentia, ut gladius, culter, novacula, vel aliud instrumentum.

Prognosis.

Si una nasi pars ab altera pendeat, vel si pendula parvæ adhæreat pelliculæ, tàm alicui nasi parti, quàm labio superiori, facilè agglutinatur, sive os, sive pinnæ sectæ sint. Si autem nasus totaliter amputetur, & in terram incidat, ac non refrigescat, semper tentanda est agglutinatio, & si non succedat, nullum habetur incommodum, sin contrà, habetur intentum; si verò frigescat, nulla agglutationis spes supereſt, & imperfectus habetur olfactus, nec à naturâ præcisus nasus regeneratur, unum tantum restat, ut arte reparetur ex brachii patientis carne, vel palliativè scilicet ex naso arrificiali. Si tantum vulneretur, faciliter curatur.

Curatio.

Si nasus vulneretur, ut aliarum partium vulnera curandus est; Si verò anterior illa pars, quæ cartilaginea est, ità vulnerata sit, ut parum naso hæreat, vel de labio superiori pendeat, vulgares statim futurâ utuntur, attamen cartilago ipsa non est acu perforanda. Nos autem nec morâ ab abscissione futurâ ex glutine utimur, & interim abscissam fovemus partem, ne refrigeretur, & emoriatur, quam postmodum emplastris glutinatoriis, ne decidat, unimus, & firmamus, & emplastris stipticis, & consolidantibus, ac balsamicis, interveniente cuticulâ, denuò agglutinatur, nulla enim in toto corpore pars facilius, ut nasus, agglutinatur. Ut nasus commodius tractari, & emplastra firmius adhære possint, æger supinus decumbat, & per os respiret, & ne aliqua carnis excrescentia in parte internâ oboriatur, quæ meatum illum angustiorem reddit, & loquelam depravat, turunda decenti unguento illita, vel emplastrum in canalis formam, vel fistulæ efformatum nari inseratur.

Si autem nasus planè amputatus sit, & nulla supersit agglutinationis spes tunc reparandus, & reficiendus est Curtorum chirurgiâ, sunt nàmque (sed fuerunt) aliqui chirurgi in nostrâ Calabriâ, & propriè Postropheæ, qui nasum amputatum efformare solent, modus autem nasum efformandi talis est: scarifiant partem nasi relictam,

ctam, postmodum brachii cutem ad sanguinis effusionem, & apponunt, ligantque nares illi scarificatæ parti brachii, & ità relinquunt, quousque simul agglutinata fuerint; tunc aliquid carnis à brachio resecant, & vulnus curant, ac ex carne illâ relictâ ad nares, nasum efformare incipiunt.

Mireficam refert historiam *Ioan. Bapt. Helmont. de Magneticâ vulnerum curatione §. 21. Bruxellensis quidam in pugnâ nasum amisit, adivit chirurgum Tagliacozzum Bononiæ degentem, ut nasum præstolaretur: & cum incisionem brachii sui timeret, bajulum ad hoc conduxit, è cujus brachio nasum tandèm date pretio eruit. Mox tredecim circiter menses, à reditu in patriam repentè nasus insititius friguit, & abindè aliquot diebus, putrilagine cecidit. Cujus rei inopinum casum investigantibus inventum fuit, eodem fortè momento, quo nasus friguit exspirasse bajulum. Superstities sunt horum testes oculati Bruxellæ.* Verum si Bruxellensis ex sui brachii carne nasum eruisset, utique nasum insititium non amisisset; pars nàmque illa apposita eâdem gaudebat quadrâ cum reliquâ, qua extinctâ, nasi vitam extingui necesse fuit. Hic autem nasum efformandi modus ex proprii brachii carne doloroſus est, & nimium denasatum excruciat, & ad nasum reparandum âliquod requiritur tempus, præcipuè ut fibræ exactè invicem respondeant, & succus nutritius cum spiritibus animalibus per tubulos commodè distribui queat, & tandèm non erit verus nasus ex carne fictus, qui tamen faciē exornat.

Hic nasus ex proprii brachii carne efformatus ità unum cum reliqno fit, & tenaciter naturæ glutine ei adhæret, ut nullâ vi extirpari possit, non aliter ac si proprius esset; undè quidam nobilis Vir, cui in Monomachiâ, cum nasus amputatus fuisset, & ex propriâ carne eum assequutus, verebatur nares emungere, ne nasum evelleret, undè sudarioli angulos in turundæ formam in narium sinus ad mucum abstergendum immittebat, qua re cognitâ chirurgo, & interrogatus, cur nares aliorum more non emungeret? Respondit, ne eximeretur nasus. Tunc chirurgus, apprehenso illius naso, per totam domum eum distraxit, & demisit.

In veri nasi defectu, nasus artificialis substitui potest ex auro, vel argento efformatus, sed præstat ex chartaceâ materiâ maceratâ, vel ex personarum materiâ, vulgò carta pista, aut ex cerâ, aut ex conglutinatis linteis confectus, fucatus eodem pigmento, quo proximè ad carnis colorem accedat, qui ad occiput, vel aures filo serico est revinciendus, vel melicis glutine apponitur. Non credimus autem nasum artificialem tàm affabrè fieri, & gestari posse, ut firmiter adhæreat, & hæc impostura non facilè omnium oculis pateſcat.

Cap. XLVII.

De Oris Anatome.

Os duplices habet partes, externas circa os, & internas alias in ore, quas sigillatim proponere oportet.

Partes externæ circa os variæ sunt. Superiores partes sub oculis inter nasum, & aures, & mentum expansæ, *Genæ* dictæ sunt, quia in his pili gignuntur. Hæ genæ dividuntur in partem superiorem, & inferiorem. Superior sub oculis inter nasum, & aures leviter prominens, ac rubens, ab Hip. *faciei circulus, & malum, seu Pomum faciei* nominatur; ab aliquali similitudine cum malis, quò ad formam, & colorem, malæ nominantur. Hæc à Plinio *Pudoris sedes* censetur, quod ea pars in pudore protinus erubescat. Inferior pars laxior, quæ à retento spiritu inflari potest, ut apparet in tibicinibus *Bucca* vocatur. Cavitas labro superiori sub septo nasi impressa, & dividens appellatur *Philtrum* quasi amabile. Istius verò labii utrimque à cavitate ad latera prostans pars, Mystax appellatur.

De Labiis.

Sunt labia duo, superius, & inferius, quorum midiâ rimâ os clauditur. Horum partes externæ prominentes *Prolabia* appellantur, & quæ in commissurâ rubent, *Prochoma* græcè dicuntur. Inferior pars sub inferiori labio in acutum protenditur, *Mentum*; carnosa sub mento pars, Buccula veteribus appellatur.

Labia constat ex carne molli, & fungosâ, cui cutis cum musculis ità exactè miscetur, ut cutis musculosa, vel musculus cutaneus esse videatur.

Tegunter tunicâ ori, œsophago, & ventriculo communi, undè in vomiturientibus inferius labium tremit.

Nervorum propagines exquisitum sensum labiis conferunt: arteriæ verò à propinguis locis inter cutem, & carnosam membranam dispersæ sanguinem tribuunt, cui debetur purpureus ille labiorum color, & splendor, pulchritudinis, ac sanitatis nota. Arteriis immiscentur venulæ, superfluum sanguinem ad venas proximas deferentes.

Data sunt homini labia, ut os claudant, & dentes, partesque interiores tueantur ab externis injuriis; ad edendi, bibendique commoditatem; ad vocis, & loquelæ aliquam formationem; ad salivæ retentionem, vel rejectionem; tandèm ad ornatum.

Os græcis *Stoma*, modò dicitur rima illa, quæ inter labia constituitur, modò tota cavitas ad fauces usque conspicua. Altiori loco, in mediâ scilicèt faciei parte sub naso locatum est, ut assumpta non solo gustu, sed etiam odore quodammodò cognoscerentur, & & declivi viâ facilius ad ventriculum descenderent. Tota interna oris

oris capacitas succingitur tunicâ, quæ in capacitate intra dentes crassior, ac in palato rugosa: extra dentes verò in gingivis & labiis tenuior existit, estque tunicæ gulæ, ac ventriculi continua; unde vulgò communis esse dicitur, cùm tamen in linguâ, & palato constitutionem peculiarem habeat, ab aliis tunicis diversam.

Usus primarius est, ut in eo alimenta tanquàm in infundibulo recepta, ità masticentur, & præparentur, ut per œsophagum commodè ad ventriculum descendere, & in eo facilius digeri possint. Secundarius usus est, ut in respiratione aëri ad pulmonem commeanti transitum, & excrementis pulmonum, capitis, ac ventriculi per screatum expuitionem, & vomitionem exitum præbeat; denique ut ad vocis tonum aliquid faciat.

Constat os ipsum partim ex partibus osseis, ut maxillâ superiori, & inferiori cum infixis dentibus; partim ex carnosis, ut labiis, musculisque labiorum, buccarum, & maxillæ inferioris.

De Buccarum, Labiorum, & Maxillæ inferioris Musculis.

Musculorum paria duo sunt buccis, & Labiis communia, duo ab utrâque parte.

Primus est latus ille musculus, qui à figurâ *Quadratus* appellatur, estque tenuis, & membranosus sub colli cute jacens, cuti valdè adhærens, ac proindè eum à cute non distinxerunt Veteres. Oritur lato principio circa claviculas, & posteriorem colli partem; fibris verò obliquis implantatur in mentum, labia, & nasi radicem, aliquandò ad aurium radicem progreditur, & quibus talis contingit insertio, illi hujus musculi beneficio aures movere possunt. Hoc musculo convulso, fit spasmus Cynicus.

Secundus musculus quadrato subjacens, buccam constituit, ideò *Buccinator* dicitur, & totam buccarum sedem complectitur. Rotundus est circuli instar, & à maxillæ superioris longitudine ferè totâ exortus, in inferioris maxillæ longitudinem, & gingivarum radices inseritur; variis fibris intertextus, quia tenuis, & membranaceus est; tunicæ oris internæ investientis adeò arctè connatus, ut inseparabilis sit.

Hujus musculi usus est, buccas cum labiis movere estque dentibus instar manus, dùm huc illuc ad dentes cibos propellit, quò exactius comminuantur.

Propriorum musculorum solis labiis inservientes sunt quinque paria, & unus musculus orbicularis.

Primum par à maxillâ superiori, ubi genarum cavitatem efficit principio lato, & carnoso enatum, variisque fibris præditum, obliquè deorsum in priora fertur, & in labii superioris latus utrimque inseritur, idque sursum, & extrorsum movet.

Secundum par à cavitate malis subjectâ, carnoso, sed gracili, ac tereti principio ortum, multâ-

que pinguedine obvolutum, in frenum, ubi labia conveniunt, implantatur, motumque prioris adjuvat.

Tertium par carnosum, & tres, extrinsecus à processu jugali ortum, & obliquè per genas descendens, in labii utriusque confinio terminatur, quod ad latera sursum versus abducit.

Quartum par à maxillæ inferioris humili parte ad menti latera, carneo, latoque principio, nonnunquàm ad medium mentum protenso, sursum progreditur, sensimque angustiatum, obliquè in labium inferius prope finem inseritur, idque obliquè, deorsumque, extrorsumque trahit.

Musculus orbicularis, & constrictor, qui utrique labio communis, est ille, qui labiorum propriam figuram, mollemque substantiam constituit, & labium utrumque in oris circuitu efformat, totumque os sphincteris instar ambiens, & labia ad se mutuò adducens, fibris orbicularibus constringit, & cuti rubicundæ firmiter adhæret.

Musculi maxillæ inferioris (hæc enim movetur, superiori immobili) validissimum in ciborum contritione motum perficientes, masticatorii, molares, & manducatorii nominantur, eorumque quinque numerantur paria.

Primum par *Crotaphites*, seu *Temporale* dicitur à situ, quia temporum cavitatem occupat. Hoc omnium maximum est, validius, & robustius. Majus tamen, & robustius in aliis animalibus, ut leonibus, lupis, canibus, porcis &c. quæ morsu forti uti debent. Temporalis usus est initio inferioris maxillæ, quam movet, & sursum trahit, adeòque os claudit; & quidèm in processu acuto finitur, tendine nervoso, brevi, & valido, oritur vero à temporibus initio lato, carnoso, & semicirculari, sensimque descendendo coarctatur. Nervi utrinque tres in unum musculum inseruntur, duo ex tertio pari, tertius ex quinto. Quamobrem læso, vel contuso hoc musculo, periculum magnum adest conclusionis, & tandèm mortis, præsertim si afficiatur inferior pars magis nervosa. Et ob hujus distensionem Hip. lethalem pronunciavit maxillæ inferioris luxationem, nisi statim reponatur.

Secundum par *Digastricum*, *Graphoides*, & *Biventre* appellatum, quia in medio extenuatum duos quasi ventres habet, prope mammiformem processum oritur, atque circa medium, ubi ad maxillæ inferioris flexionem curvatur, in corpus tendinosum angustiatur: hinc rursus carnosum factum, interiùs parti anteriori, mediæque menti adnectitur, & maxillam deorsum trahendo, os aperit, cujus maxillæ nimius descensus ab annexo ligamento impeditur. Ad dictam actionem melius perficiendam, cum hoc pari, officii similitudine, concurrit par quadratum ante descriptum.

Tertium par, *Laterale*, *Masseterium*, & *Manforium primum* dictum, partim carnoso, partim nervoso principio à maxilla superiori,

riori, & osse jugali validèque connectitur, eamque, ob fibrarum diversitatem, antrorsum, retrorsum, in latera movet, ac quasi circumagit.

Quartum, par *Mansorium alterum*, *Pterygoides*, *& Alare internum* nuncupatum, quod crassum, & breve est ab ossis phœnoidis processibus aliformibus internis nervosum producitur, & carneum, amplum, ac crassius redditum, lato robustoque tendine in partem inferiorem, ac posteriorem interni lateris maxillæ inferioris defertur, quam sursum trahendo, actionem temporalis adjuvat; præterea maxillam extrorsum conversam retrorsum agit.

Quintum par *Pterygoides*, sive *Alare externum* dictum, & in ossium temporum cavitate humiliori situm, ab osse sphœnoide, & processu alari externo, gemino principio, partim nervoso, partim carnoso prodit, & aliquo ductu in maxillæ inferioris cervicem, ac illius capitis internam sedem inseritur, atque maxillam antrorsum movet, & abducit.

De Maxillis, & Dentibus.

Duæ inveniuntur maxillæ, una superior contimens totum illud spatium, quod à superioribus dentibus inclusivè usque ad supercilia; altera verò inferior reliquam faciei partem continens, quæ est mentum versus. Prima immobilis est, secunda mobilis; utriusque usus est tum ad formandam faciem, tum ad cibos masticandos, quæ ratione inferior præcipuè facta est mobilis, superior verò non movetur, ne motu ejus visum deturparet. Superior maxilla constat ex tredecim ossibus, quorum sex ponuntur in parte dextrâ, & sex alia in sinistrâ, & unum in medio, omnia verò potius per harmoniam, quàm per futuram conjunguntur. Inferior verò maxilla duobus constat ossibus, quæ in mediâ parte menti uniuntur per intermediam cartilaginem, ut in tenellis puerorum ossibus est observatum, procedente verò ætate, & cartilago durescit, & ossibus similis evadit.

Utrâque in hac maxillâ tum inferiori, tum superiori dentes, ità dicti, quasi edentes, per Gomphosin articulantur, & tàm à nervis, qui in ipsorum radicibus inseruntur, quàm à gingivarum carne firmiter continentur: qui dentes conferunt non solum ad masticandos cibos, sed etiam ad efformandam vocem, præterquamquòd ad oris ornatum etiam conferunt, ut alibi diximus. Sunt numero utplurimùm triginta, vel trigiata duo hoc est, quindecim, vel sexdecim in unâ maxillâ, totidemque in altera, & istorum triplex est differentia.

Quidam vocantur *Incisores*, & sunt quatuor anteriores in qualibet maxillâ, & ità sunt dicti, quia cibos incidunt.

Alii appellantur *Canini*, eo quod basim habent latam, & supremum acutum, quomodò sunt canum dentes & isti duo sunt illi, qui à lateribus incisorum existunt, & deserviunt ad hoc, ut si quoddam

inciſoribus incidi non poteſt, ab iſtis frangatur. Hos vulgò *oculares dentes* nominant, eorumque extractionem periculoſam cenſent, quia nonnulli ſibi perſuadent earum radices uſque ad oculos pertingere; cùm tamen ſuperiores ſuis radicibus vix alarum naſi oram inferiorem tranſcendant, & inferiores deorſum ab oculis longè recedant. Alii tamen, cum *Laurentio*, credunt, nervi oculos moventes portiunculam in hos dentes ferri, quod etiam minimè verum eſt.

Cæteri dentes obtuſi, & magni *Molares*, ac *Molitores* appellantur, quia cibos inſtar lapidum molarium conterunt, & poſtremi duo ex his molaribus appellantur *Dentes Gemini*, *Morum*, *ſenſûs*, *intellectûs*, *& ſapientiæ*, quia adnaſcuntur maximis cum doloribus circa vigeſimum primum, vel ſextum, vel trigeſimum ætatis annum, quo tempore homo ſapere incipit.

De Gingivis.

Partes in oris cavitate contentæ variæ ſunt, inter quas primò occurrunt gingiviæ duæ, quas conſtituit caro dura, & immobilis dentes, valli inſtar, cingens, eoſque in ſuis alveolis ſtabiliens, & in edentulis aliquid etiam ad ciborum conſtritionem faciens: qua vel exeſâ, vel nimis relaxatâ, vel nimis exſiccatâ, dentes vacillant, aut excidunt.

De Palato.

Palatum eſt ſuperior oris pars, leviter concava; forni is inſtar, unde *Oris cælum*, *& Teſtudo* dicitur, eſtque cerebri baſis, oſſe ſphœnoide formata, à faucibus ad dentes uſque extenſa.

Conſtat ex oſſibus, carne peculiari, & glanduloſâ, ſeu ex conglomeratis exilibus glandulis conſtructâ, & tunicâ craſſâ, multis minimis foraminulis, ſalivalem aliquem liquorem è palati glanduloſâ ſubſtantiâ tranſmittentibus donata, quibuſdam in locis rugoſâ, cum tunicâ reliquas oris partes inveſtiente continuâ, undè etiam vulgò gulæ ventriculoque communis dicitur, quamvis conſtitutionem peculiarem habeat ab aliis tunicis diverſam, cujus ratione guſtum unâ cum Linguâ perficit, eumque in finem nervis à quarto pari donatur.

Palati uſus eſt, partim guſtum cum linguâ perficere, partim vocem infringere, & perfectiorem reddere: atque hinc illi, quibus hæc pars infelici ulcere exeſa eſt, guſtum habent imperfectiorem, & raucam, atque ingratam vocem edunt.

De Vvula.

Uvula, aliis *Uva*, *Gargulio*, *columna*, *columella*, *& Gargareon* dicta, eſt caruncula rubicunda, fungoſa, longiuſculâ, ſuperiùs aliquantulum lata inferius obtuſè acutâ, à palati medio, juxta narium meatus in os, ſupra laryngis rimam inter amygdalas procedens. Hanc putant aliqui anatomici nil aliud eſſe, quam oris interiora

teriora vestientem membranam reduplicatam. *Riolanus* carnem potius credit à musculorum extremitate, qui ad corpus feruntur exsurgentem.

Mollissimâ, laxâque pelliculâ à palato demissâ investitur, & à pituitosis defluxionibus facilè intumescit, ac prolongatur, qui affectus *Uvulæ laxitas* appellatur.

Huic *Riolanus*, & *Vesslingius*. musculorum duo paria, externum, & internum, ad suspensionem, levemque motum, adscribunt. Horum tamen opinionem solummodò conjecturalem esse docet autopsia, cum tales musculos in eâ parte demonstrare difficillimum foret; cum etiam uvula iis non indiguerit ad suspensionem, ut neque ad motum voluntarium, qui nullus in eâ parte animadvertitur. Præterea *Riolanus* uvulæ duo ligamenta lata tribuit, alis vespertilionem expansis similia. Verum & hæc non minus quàm dicti musculi, conjecturâ potius, quàm demonstratione probantur: nisi fortè quis posteriorem membranosam palati partem, ex qua uvula propendet, pro ligamentis habere velit.

Varius est uvulæ usus, primò, aëris frigidioris inspirati impetum nonnihil frangere, ne in pulmones subitò irruat, eosque lædat. Secundò, impedire, ne humores per palati superiora descendentes, rectà in laryngem copiosi incidant, sed deglutione retrorsum actâ uvulâ, unà cum eâ versus œsophagum deflectantur, & in eum decidant. Tertiò, impedire, ne potus ex ore in nares regurgitet. Quartò, ad vocis tonum aliquid conferre: sed de his fusius alibi diximus.

De Faucibus.

Fauces impropriè de toto oris hiatu dicuntur: propriè verò designant posterius, & inferius spatium, ubi linguæ, & asperæ arteriæ extrema, nariumque foramina per palati posteriora descendentia concurrunt, quod ore aperto, & linguâ depressâ conspicitur, & Hippocrati Isthmin, per metaphoram, ab angustiâ dicitur: quia isthmus propriè terræ angustum tractum inter duo maria significat: & sic in faucibus uvulla, tanquàm terræ tractus in medio faucium hiatu propendet, quam tamen uvulam non appellant isthmum, sed ipsum hiatum faucium, in quo uvula pendet, cùm tamen adipsam uvulam nomen illud pertinere deberet.

Faucium usus est, illa, quæ in ore assumuntur transmittere, & deglutire, quæ actio tribus musculorum paribus pharyngi cum œsophago communibus.

De Osse Hyoide.

Os hyoides ad firmiorem linguæ structuram, motumque facilem, fulcimenti gratiâ ei substernitur, ideòque antequàm linguæ anatomen aggrediamur, de hoc osse aliqua præmittimus.

In faucibus os est, quod à formâ græcæ literæ υ dicitur *Hyoides*, Ipsi-

Unable to display this page

ore sub palato. Numero unica est. In homine oblonga, lata, & crassa, & ad radicem quidèm crassior, in extremitate tenuior, & acutior; magnitudinis tamen mediocris ori respondens, quæ si nimia sit, ut moveri expeditè nequeat, blæsi fiunt, & balbutientes, de quo morbo diximus, & si nimiâ mollitie, humiditateque abundet, ut in infantibus, minus rectè articulatæ voces proferuntur. Aliquandò in portentosam magnitudinem adeò excrescit, ut ore non capiatur, ut de tumore linguæ notavimus.

Lingua posterius ossi hyoidi, laryngi, itèm faucibus, & tonsillis nectitur, ut ne plus justo in omnem regionem moveretur, inferius in medio ejus corpore ligamento valido, & membranoso ad robur, & stabilitatem, itèm ad insertionem propriorum musculorum summus rerum creator prospexit. Hujus ligamenti extremitas mediocri laxitate donata, *Frenulum* dicitur, cujus nimia brevitas liberum, & convenientem linguæ motum haud rarò, præcipuè in infantibus cohibuit, sicque loquelam, & lactis suctionem impedivit; qua de caussâ Chirurgi illius sectionem in primâ ætate frequenter instituere coguntur. Cujus sectio, licèt facilis sit, tamen in eâ observandum, ne per imprudentiam, vel ignaviam vicini, linguæque substrati nervi incidantur, ex quorũ læsione repentina linguæ convulsio supervenire solet.

Arterias duas majusculas recipit à carotidibus, totidèmque venas ad jugularium externarum ramum interiorem emittit *Raninas* vulgò dictas sub linguâ insigniter conspicuas, quo loco in faciuium affectibus secari nonnunquàm solent.

Nervi linguæ inseruntur tàm motorii, quàm sensifici, crassius par interiora porreptans, à septimâ conjugatione; Tenujus par per exteriora tunicæ linguæ, à quartâ conjugatione oritur.

Substantiam obtinet peculiarem, quæ caro est peculiaris, qualis nulla alia (estque gustûs organum,) interim mollis, laxa, rara, & spongiosa, ad imbibendos sapores humore aliquo vectos. Geminâ contegitur membranâ, unâ exteriori, crassâ: alterâ interiore, tenuiore.

Hæc membrana crassa, vulgò ex crassâ meninge producta censetur, & communis ori, palato, & laryngi traditur. Verum, cùm totam linguam undequaque non investiat, sed per ejus planitiem dumtaxat, usque ad radicem, & fauces extendatur, neque ad inferiorem linguæ partem, & œsophagum perveniat, sed ejus interiori tunicæ solummodò uniatur, illique etiam in linguâ & palato aliam esse substantiam crassiorem, alterius naturæ, satis liqueat, nullam ei cum œsophagi, & laryngis membranis communionem esse, plus satis patet.

Sub dictâ crassâ membranâ latet altera interior, tenuis, & mollis, non superiori solùm planitiei strata, ut modò dicta crassa, sed totam linguæ substantiam undequàque proximè circumdans, & plurimas exiles prominentes nerveas

papillulas, ex eâ protuberantes, in crassæ incumbentis membranæ poros latiusculos inserens.

Linguæ præcipuæ humanæ substantia fibris tenuibus prædita est, & propter illam tenuitatem putârunt antehàc nonnulli rudiores Anatomici, linguam fibris prorsus carere. Tàm vario, & obscuro modo hæ fibræ sibi invicèm intermiscentur, ut earum in situ ordinem explicare admodum difficile sit.

Spigelius linguæ copiosissimas fibras advertens, pronunciavit linguam esse musculum. *A Spigelio* non longè dissentit *Laurentius Bellinus*, qui præter fibras, etiam admirabilem motus varietatem, & rapiditatem considerans, dicit illam esse musculorum invicèm cocuntium contextum. Sed neuter horum satis benè observasse videtur, tot diversas, sibique mutuò diversimodè impositas, ductibusque contrariis intertextas fibras musculorum actioni (quæ est attractio) inservire non posse, cum unius fibræ tractio ab alterius operatione impediatur, nec in tantâ oppositionum, & impositionum contrarietate ulla sit, quæ musculi officium linguæ conferre possit. Cùm etiam solæ fibræ non doceant partem aliquam esse musculum, cùm etiam ventriculus, intestina, vesica urinaria, aliæque plures partes habeant omnis generis fibras satis conspicuas, & copiosas, & tamen musculorum ordini accenseri non possint, nec debeant. Præter validissima argumenta totam musculosìtatem linguæ penitus convellunt. I. Nullus musculus propter seipsum est conditus, sed propter partem aliam per se ad arbitrium immobilem, ut eam scilicèt moveat: atqui lingua, si musculus foret, propter seipsam condita esse deberet, cum nulli corpori inseratur, ut illud moveat. II. Nullus musculus alteri musculo inseritur, ut eum moveat: atqui linguæ alii musculi inseruntur, qui eam movent: igitur ipsa non potest esse musculus.

Movetur lingua in quamcumque regionem, idque beneficio, partim illorum musculorum, quos cum osse hyoide communes habet, ut diximus: partim singularibus, ac propriis quinque musculorum paribus.

Primum par, *Styloglossum* veteribus appellatum, à styli formi appendice natum, circa medium in utrumque linguæ latus inseritur, eamque attollit, & introrsum ducit.

Secundum par *Basioglossum*, & *Ypsiloglossum* dictum, è basi ossis hyoidis prodiens, in medio linguæ finitur, eamque rectà intrò trahendo deprimit.

Tertium par, quod *Geniogloſſum* nominant, ad menti medium internâ sede oritur, mediæque linguæ infetius insetitur, quam exserit: hocque, ut etiam præcedens par, hìc illìc inscriptiones habet, ac si plures essent musculi.

Quartum par, à cornibus ossis hyoidis prognatum, atque hinc *Ceratoglossum* vocatum, lateribus linguæ inseritur, eamque, si ambo simul agant, rectà deorsum

versus

Unable to display this page

carnosæ ab aliis animalis partibus dissideant, quia lingua parenchyma est, aliæque partes non sic; ex eo enim fieret, ut pulmo, jecur, cor, aliaque ab antiquis insulsè nimis appellata parenchymata, gustarent, tum chyli, & sanguinis, cum aliorum succorum cum chylo, & sanguine circulantium sapores. Felices existimaverimus medicos, si aciditatis, acredinis, aliorumque morborum caussas in iisdem visceribus stabulantes, per eorum sapores dignoscere eis fuisset datum; non enim tot indies à sepulcris occluderentur hominum cadavera.

Quod attinet ad linguæ poros latiores à naturâ ad eum finem efformatos, idem *Isbrand.* docet linguæ carnem musculis stipticiorem esse; at admissâ linguæ carne spongiosiore, an pori latiores, vel strictiores gustum efficiant? Non sanè. Hi enim philosophi non in poris, sed in linguæ carne gustatum ponunt. Sed ut horum improbabilitas magis elucescat, paulò altius cum *Diemerbroeck* rem trutinemus: Omni certitudine certius est omnem sudorem aut acidum, aut salsum, aut salsoacidum esse, uno ictero excepto, cujus sudor (ut dicunt) amarior est ob flavæ bilis dispersionem per totam cutem. Hoc posito, sudores hujusmodi jàm per carnis poros ad cutem usque, ejusque superficiem extimam transeunt, & licèt aliquis particularum sudoris exeuntis vellicationem, punctiones, mollitiemque in earum transitu aut dolorifico, aut molli persentiscat, attamen vel unus inveniri non est, qui sudorum aut amaritudinem, aut aciditatem, aut salsedinem in eorum exitu animadvertat; quapropter pororum laxitas, aut stipticitas ad finem gustandi, commentum est potius, quàm requisitum opportunum.

Omittimus ejus partis oppugnationem, qua sapores in merâ qualitate constituunt, nàm pluries in aliis sensationum sermonibus expugnavimus, & inferius explicando tangemus.

Quod spectat ad ultimam eorum opinionis partem, scilicèt de liquore ad gustûs perfectionem necessario, inferiùs patebit illorum deceptio; non enim humor est in poris detentus, sed saliva à glandulis emergens salivariis. At alios observemus.

Putârunt alii gustûs sensum in linguæ membranis perfici. Sed hi quoque non parùm decipiuntur; hæ nàmque linguæ membranæ eandem cum cæteris totius corporis membranis constitutionem habent, naturamque; cur igitur, quæ in linguâ residen, sapores discernunt, non verò quæ in oculis, auribus, intestinis &c. præterquamquòd hæ partes membranosæ contactu solum rerum diversitates discernunt, scilicèt ut mollia, dura, frigida, aspera &c. nonautem amara, dulcia, salsa &c. & licèt aliqui ex his opinentur aliam esse membranarum linguæ, quàm cæteri corporis dispositionem; attamen hac diversitate admissâ, fieret, ut tactum acutiorem haberent, aut obtusiorem, non verò gustum.

Non-

Nonnulli in tonsillarum glandulis gustum statuerunt, aliqui in omnibus glandulis in ore consitis, ac linguæ, aut appositis, aut circum positis.

Sed hæc hypothesis longè à veritate dissidet; observamus enim ex omnibus linguæ partibus ejus apicem omnes excellere in gustus energiâ, qui tamen à tonsillis remotior est, glandulisque; necnon ubi tonsillæ, aut glandulæ sunt confertiores gustus percipitur obtusior, nàm glandulæ ad lymphæ, succorumque expurgamentum intentæ, sensu ornantur obtusissimo, cùm assiduè humoribus scateant, & gustûs sensatio inter exquisitiores ponatur.

Opinantur tandèm ex Recentioribus quàmplurimi nerveas papillas ex tenui membranâ interiori emergentes, & in poros exterioris crassæ membranæ se insinuantes gustatui sedem suppeditare, quorum opinamentis subscribere non dubitamus his rationibus ducti, &

Primò: Ubi major harum papillarum nervearum habetur in linguâ confertio, ibi major, promptior, & acutior percipitur gustatus, ut in linguæ apice periculum facimus, atque in planitie; ubi verò nullæ inveniuntur tales papillæ, ibi nec ullus percipitur gustus, uti subtus linguam, & in ejus frenulo est observare.

Secundò, in iis palati partibus, ubi hujusmodi nerveæ concurrunt papillæ, gustus etiam percipitur, saporesque discernuntur; undè ergò dubitandi erui potest occasio in illis papillis gustatum non constituendi, si eis positis in quolibet loco, sapor sentitur, iis ablatis, nulla est saporum discretio.

Sed ut rationes experimentis comprobemus, æquibonique consulimus, aliquid intensè sapidum, V. G. aloë, aut sal in diversis linguæ partibus applicare; etenim juxta nervearum papillarum majorem confertionem, aut minorem, vel nullam earum inexistentiam, nunc acutiorem, nunc tardiorem, nunc nullum percipiemus saporem. Remanet ergò in papillis nerveis gustatûs sensum collocandum esse: sed his libatis, ad modum, quo gustatûs sensatio peragitur progrediamur.

Fit igitur gustatio, quoties corpus, quod vulgò sapidum dicitur, salivario humore subactum intra linguæ poros insinuans sese, nerveas papillas offendit, easque aut vellicat, aut pulsat, aut mordet, aut pungit, aut titillat, aut mulcet, aut stringit, aut irritat, aut alio quovis modo ità afficit, ut affectus idem cerebro communicatus, sensuique vulgò dicto communi, animum advertere faciat de saporis qualitate.

Hæc autem affectuum diversitas vel oritur ex variâ particularum corporis sapidi configuratione, vèl ex diversâ linguæ, pororumque ejus structurâ; undè.

Primò fit, ut qui amarus unicè est sapor, & minimè gratus, ob partium figuram, & pororum cum eisdem conformitatem alteri efficiatur gratissimus. Hinc

Secundò fit, ut ægri à cibis, aliàs eisdem gratissimis, fastidio,

ac nauseâ afficiantur ; etenim cum morbus corporis crasim pervertat, athonamque linguam reddat, idcircò ciborum particulæ, quæ aliàs cum linguæ poris proportionem habebant, pro subjecti indispositione, amissâ proportione, ingratum generant contactum, quare pro solatio, dolorem, mœrorem, nauseamque inducunt. Hinc

Tertiò fit, ut pueri, ac delicatiores dulcioribus, robusti, & rustici acutioribus oblectentur cibis ; illi enim cuticulâ, fibrisque scatent delicatioribus, magisque ductilibus, & propterea corporum dulcium particulis emulcentibus, utpotè eorum ductilitati respondentibus affecti, sensationem percipiunt leniorem, maximèque gratam ; Hi autem crassiori cuticulâ, fibrisque præditi solidioribus cibos appetunt sapidiores, quorum particulæ cutem, fibrasque penetrantes non moveant tantum, verum etiam vellicent, mordeantque, ut sensationem producant, quapropter acidis, piperatis, salsisque afficiuntur quammaximè. Hinc

Quartò fit, ut lingua aliquo vel amaro, vel acido, vel salso imbuta sapore, succedaneos cibos præteritis consimiles persentescat ; nàm prægustatorum ciborum particulæ quodammodo papillis nerveis insinuatæ, adhærentesque, per aliorum ciborum particulas advenientes moventur ità, ut easdem papillas moveant, vellicentque, & sic eandem faciunt persentiscere sensationem ; undè post aceti usum, vinum epotum, licèt exquisitius, acescere sentitur. Hinc

Quintò fit, ut quæ judicantur gustus fallentiæ, tales reverâ aliquandò non sint ; etenim non in organo, sed in caussâ deceptio adhærere poterit ; sic tertianâ exquisitâ laborantes cùm amaros sentiunt cibos, non decipiuntur in amaritie, quam verè persentiunt : cum enim cibi salivâ intermiscentur, quæ flavâ, amaràque bile scatet, verè amari gustántur, falluntur verò, amaritudinem in edulia refundentes, cum tota amarities in salivâ consistat. Hinc

Sextò fit, ut quammaxin è decipiantur philosophorum grex asserentium : sapores esse accidentia realia in rebus ipsis inhærentia, meraque qualitates, cùm totum contrà ex præjactis rationibus venire comperiamus.

Sed ad hujus sensationis materiam aliqua de saporibus prætexere ad studiosorum operæ pretium existimamus.

Itàque pro hujus rei notione supponimus *Democritum* duo saporum genera constituisse, scilicèt suavem, qui dicitur dulcis, & insuavem, qui juxta varium affectus insuavis modum, dicitur amarus, salsus, acidus, acerbus, acris, austerus, oleosus, adstringens, & insipidus ; suavem appellavit saporem, quandò corporis cometi particulæ ità cum poris linguæ proportionem nanciscuntur, ut invicèm conformentur, & propterea linguam tangentes leniant commodè, emulceant leniter, pla-

placidèque afficiant; insuavem verò, cum cibi corpuscula ità poris linguæ difformantur, ut ipsos subeuntia, aut pungant, aut mordeant, aut acutè vellicent, aut distendant, aut incidant, aut dilanient, discerpant, aut restringant &c. Quapropter ex motus diversitate à particularum contactu in papillis inductâ, varius denominatur sapor.

Hanc solidissimam tanti philosophi opinionem totis viribus per sophismata curat *Aristoteles* in impossibilitatem trahere, hisque argumentis destruere conatur.

Primò opponit: A gustatu potius, quàm ab oculo rerum figuras dijudicatum iri. Secundò contrarietatem, quæ solum in generatione cognoscitur, inter figuras non esse admittendam. Tertiò, ex infinitâ, id est, innumerabili figurarum varietate infinitos quoque assignandos esse sapores, quod experientiæ, ac rationi repugnare docet.

Sed non frivola tantum, verum etiam futilia hæc Aristotelis sophismata à recentioribus censentur; nàm ad primam oppositionem.

Dicimus, ab oculo dijudicari figuras rerum visibilium, non verò corpusculorum, quæ gustatum afficiunt. Sic etiam tactu asperam, acutam, lenem, mollemque figuram, vel non videntes animadvertimus. Ad secundam

Dicimus, in rerum generatione nullam concipi posse contrarietatem; supponimus enim ex Physicis, Generationem esse motum localem, fierique ex ovo matris à maris semine fœcundato, atque excitato; benè tamen in figuris contrarietatem admitti posse; Quis enim inficias ire poterit acutum obtuso, rectum obliquo, gibbum plano, asperum leni adversari? Ad tertiam

Dicimus, ex innumeris particularum cibi commistionibus innumeros etiam oriri posse sapores, licèt horum innumerabilitas ad novem reducantur principaliores ab solertissimo Vuillisio, & ut rem hanc exemplis comprobemus; nonnè dulcia dicuntur Mel, saccharum, lac, vinum, caro, sanguis, fructus maturi &c? Quis autem dicere ausus fuerit unquàm eandem esse lactis, & mellis, carnis, & sacchari, vini, & sanguinis, ac fructuum maturorum dulcedinem? Insuper coquos aditos ab Aristotele voluissemus; hi enim ex unâ eâdemque re innumera sciunt edulia præparare ad gulæ irritamentum aptissima, semperque diversa, & constat nobis ex solis gallinarum ovis centum numero cibos diversissimos à coquo quondam paratos brevi fuisse.

Scimus à chymicis ad salia refundi saporum omnium genesim, tum quia sapida omnia salis in se portionem continent ignis vi extrahibilem, eoque abstracto, insipida redduntur, eoque admisto, sapida iterum fiunt; cum etiam quia humidum est omnium saporum vehiculum, in quo salia diluuntur, ut in papillis sese insinuent.

Horum tamen opinioni acquiescere penitus nequimus. Cur enim solis

solis salis particulis nerveas papillas vellicantibus omnium saporum diversitates referamus, cum certò sciamus salium corpuscula semper eâdem figurâ prædita adinveniri, præcipuè cum diluuntur, quo circà semper eundem imprimunt contactum, & per consequens eundem saporem; & licèt non ad solum salem communem saporum referant diversitatem, sed ad omnium salium species, attamen ex his tot emergunt sapores, quot reperiuntur salium species variatæ etiam ex eorum commistione, cum tamen multo plures, ne dicamus innumerabiles, indies periclitamur.

Præterea pomum gustamus acerbum, eundemque jàm maturatum, certè idem est in pomo acerbo, maturoque sal, licèt sapor sit omninò diversus.

Neque ad rem facit effugium asserentium, in fructibus maturis sal defœcatius inveniri, in acerbis verò impurius; ex hoc enim fieret, ut præter salem aliquid aliud cum sale intermistum sapores constitueret: at posito, quòd solus sal sapores progignat, sive quòd impuritatibus sit intermistus, sive quòd impuritatibus sit expers, organum tangendo sapores producit, cum itàque ab iisdem particulis idem semper habeatur contactus, licèt magis, aut minus efficax, semper eadem habetur sensatio, estò acutior, aut obtusior, eò magis quod sal non nisi dilutum linguæ poros ingreditur, papillasque vellicat nerveas; sive igitur quòd purum sit, sive quòd impurum, cum non puritas, vel impuritas contingat, sed ipsum sal, fit, ut semper eodem modo contactum perficiat.

Ad hæc salis defœcatio, & exaltatio salem non variat, sed eum ab impuritatibus emundans, subtilianque ejus naturam, configurationemque non mutat, sed efficit, ut defœcatum majori energiâ, fœculentum minori activitate operetur, ex hac autem majori, vel minori operatione non nascitur, nisi aut major, aut minor saporum intensio, non verò eorundem diversitas.

Quò ad saporum diversitates ad solertissimum *Thomam Willisium* lectores remittimus, ipse enim simplices sapores ad novem refert species superius recensitas, & enucleat.

Præter simplices, innumeri reperiuntur sapores dicti compositi, palatoque gratissimi, uti sunt compositio ex acido & dulci, qualis est confectio Citro-saccharata; ex dulci, & acerbo, seu ex dulci, & adstringente, qualis est Diacydonialis, prunique Sylvestres conditi; ex dulci, & unctuoso, uti lacticinia, saccharata, & ex his non absimiles counciones. Sed de his hactenus.

Post faciei, ejusque partium vulnera, secundum nostrum morem de colli, asperæ arteriæ & œsophagi vulneribus tractemus oportet, sed non sine harum partium anatome, undè

CAP. XLIX.

De Colli Anatome.

Est collum appendix ad medium ventrem, ceu medium quoddam inter caput & thoracem; vel est pars corporis caput sustentans.

Dicitur collum à colendo, quia coli, id est exornari solet, ut clarè patet in mulieribus, quæ hujus pulchritudinem exornare student, ut torquibus, monilibus, margaritis, coralliis, amethystis, adamantibus, & auro mirum in modum exornant. Vel dicitur collum à colle, nàm à corpore exurgit, ut à reliquâ terrâ collis.

Collum oblongum est ob vocis modulationem. Hinc animalia, quæ veram non edunt vocem, ut pisces, ranæ, collo carent, & hinc caput, immoto trunco, non movent; quæ verò maximam edunt vocem, ut grues, anseres &c. longissima habent colla.

A Veneris usu collum crassescit, quia calor distendit asperam arteriam, carotides, & jugulares. Undè veteribus Romanis familiaris erat colli commensuratio, ex qua postridie nuptiarum, puellam integram, vel corruptam cognoscebant, ut ex *Mercuriali* discimus ità scribente: Adnectam huic, & aliam antiquorum mulierum consuetudinem à plerisque ignoratam, nec scitu indignam. Etenim dum Virgo rupta primâ nocte cum marito concubitura erat, colli mensuram filo circumdato capiebant; postero manè eandem filo collum mensurabant: quod si latius quàm ut filo comprehenderetur, inveniebant, defloratam esse eâ nocte pro certo habebant: Si verò nihilo majus evaserat, adhuc pro integrâ habebant. Atque hujus consuetudinis præ cæteris meminisse videtur *Catullus in Nuptiis Pelei, & Thetidis* sub his versibus:

Non illam nutrix oriente luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.

Neque id absque ratione factum videtur, ut memoriæ proditum est ab *Arist. 7. de hist. animalium cap. 1.* præcipuè vox mutatur in asperiorem, & minus acutam, quo tempore coitus inchoatur, & qui vocem conservare velint, à coitu ipsis abstinendum sit: Undè facilè coniici potest, instrumenta voci famulantia, quæ intra collum posita sunt, primo coitu dilatari, & consequenter collum augeri, forsan quòd semen dum ab universo corpore, & præsertim à capite secundum Hippocratem, & alios veteres per colli vasa præcipitatur, vias illas vi quadam cogat, atque ampliores reddat, vel quòd corpus in primo coitu magnoperè agitatum, ubique, & maximè circa collum spiritibus, & humoribus diffusis repleatur, atque in majorem mollem attollatur. Miror tamen medicos nostros de hujusmodi signo ad corruptas mulieres dignoscendas inter alia nihil

posteris reliquisse: quoniam si proposuissent, forsan *Sinagrius ille Veronensis Episcopus*, quem in hac re damnavit *D. Ambrosius lib. 8. epist. 114.* ad virginem stupri accusatam coarguendam minimè genitalia secreta inspici jussisset, sed hoc facilè, atque aliis honestioribus argumentis veritatem consequi potuisset, quibus usum esse oculatissimum, & diligentissimum Democritum verisimile est, quandò, ut refert apud *Laërtium Athenodorus*, puellam Hippocratis comitem primâ die conspicatus, ità salutavit: *Salue Virgo*, postero die verò, quòd cognovisset ex adspectu solo eam fuisse illâ nocte vitiatam, hunc in modum appellavit: *Salve mulier.*

Addimus & nos aliud, & majus infallibile defloration is, vel virginitatis signum, quod quisquam etiam in seipso experiri potest, quo ex colli commensuratione virginem à muliere quocumque tempore discriminamus: Sume filum conduplicatum, hoc collum circumda, nota quousque mensura pervenit, pars fili designata à primoribus dentibus fortiter constringatur: tunc duplicatum filum explica, si caput transgreditur absque offendiculo, & laxè, defloratam judica, sin vel supra frontem, vel ad futuram usque coronalem pervenit, nec ullo modo, etiam vi caput traiicit, Virginem esse pro indubitato habeas. Hoc nos millies experti sumus, & nunquàm mendax deprendimus, & etiam facto de virgine experimento, & hæc talis erat, filum enim non transibat, deindè à primo coitu, repetito experimento, laxius transibat, nec capitis capillos attingebat.

Colli usus est primò, propter œsophagum, asperam arteriam, & pulmones. Undè animalia, quæ pulmonibus carent, ut pisces, carent etiam collo. Secundò, ut partibus anterioribus, humero, cubito, manui, diaphragmati nervos præbeat: has enim partes habent tantum illi, qui collo gaudent.

Posterior colli pars, etsi una cum anteriore, colli nomine designetur, propriè tamen cervix dicitur. Partes autem colli vel sunt externæ, ut cuticula, cutis, & membrana carnosa, itidèm communis, & musculorum propria. Vel internæ, ut vasa percurrentia, aspera arteria, & œsophagus.

Colli musculi primariò collum, & secundariò caput movent, utrinque sunt quatuor, quorum ope collum versus anteriora latera, & posteriora movetur. Duo primi flectunt collum, & duo reliqui extendunt.

Primi, duo *longi* sub œsophago latitant. Hi à quintâ, & sextâ thoracis vertebrâ carnosi oriuntur, & sursum ascendentes tendine acuto in primæ vertebræ cervicis processum extuberantem simul implantantur, rarius occipiti prope magnum ejus foramen adnectuntur. Usus est, cervicem rectà anteriora versus flectere, & unà caput: si verò unus agat, inclinatus flectit.

Secundi, *Scaleni*, qui latera magis occupant, & carnoso principio

pio

pio à primâ costâ prodeuntes, in omnes transversos processus vertebrarum colli, primâ, & secundâ nonnunquàm exceptâ, internè inseruntur, & præcedentium motum adjuvant. Habent hi musculi foramen peculiare, & per quod arteriæ ad brachium descendentes, & venæ ab eodem ascendentes transeunt.

Tertii, duo *Transversales*, in dorso siti. Hi à radicibus processum sex vertebrarum superiorum thoracis orti, sensimque carnosiores reddit, omnibus processibus transversis vertebrarum cervicis externâ sede adnectuntur, & cervicem in posteriora, vel uno solo agente obliquè retrorsum flectunt. Inter hos nervi medullæ spinalis è vertebris colli exeuntes, feruntur.

Quarti, duo *Spinati*, qui longi, & ampli totam cervicem inter spinas occupant. Oriuntur à septem thoracis, & quinque vertebrarum colli spinis, sibi invicèm accumbentes, & solis spinis distincti, ac in spinæ secundæ vertebræ cervicis totam inferiorem sedem implantantur, atque unà cum transversalibus cervicem ad posteriora, vel obliquè flectunt.

Habet collum suas venas, quæ dicuntur Jugulares, quia à jugulo ad colli latera ascendunt, & sunt vel internæ, vel externæ.

Externa, quæ aliquandò vel in ortu, vel in medio ductu duplex sub cute sursum repens prospicit partibus externis capitis, faciei, colli, & faucium. Nàm sub radice auris dividitur in ramum interiorem, & exteriorem. Interior adit musculos oris, faucium hyoidis &c. Exterior sub aure glandulis suffulta bipartitur; una soboles fertur in faciei anteriora, nasum, & buccas, atque in frontis medio cum alterius ramo juncta constituit venam frontis, quæ incidi solet. Altera per latus fertur, ac tempora, & occiput. Interim hi rami variè in facie, & vertice miscentur.

Interna jugularis in homine ob cerebri copiam major est, contra verò in brutis. Apoplecta dicitur, & ad tracheæ latus ascendit, cui propagines mittit. Ad calvariæ basim pertingens parte posteriore dividitur in duos ramos. Unus major retrorsùm fertur, cum arteriæ carotidis ramo minori, per ossis occipitis foramen, quod pro sexto pari nervorum factum, & duræ matris sinum intrat. Alter minor per tertii, & quarti paris foramen ingressus, in crassam meningem absumitur.

Habet collum & suas arterias, quæ carotides appellantur, & sursum ad caput ascendunt rectà secundum tracheæ latera, jugularibus internis connexæ: nàm internæ venæ non comitantur arterias. Ubi ad fauces veniunt, antequàm cranium ingrediantur, dant ramulos laryngæ, & linguæ: deindè divisio fit in ramum exteriorem, & interiorem.

Exterior gracilior, prospicit buccis, & faciei musculis; deindè ad aurium radicem finditur in duos ramos: Unus ad aures posteriora mittitur, undè rami duo maxillam inferiorem intrantes

proſilabio, & omnibus inferiorum dentium radicibus ; alter ad tempora, frontem & faciei muſculos.

Interior ad oſſi, ſphœnoidis ſellam ſub durâ matre pertranſit, rete mirabile conſtituit, deindè duram matrem pertranſit, & duplicem de ſe mittit propaginem. Primam minorem cum nervo optico ad oculos. Secundam majorem ad glandulæ pituitariæ latus aſcendentem, & per piam matrem, cerebrique ſubſtantiam diſtributam.

Nervos habet ex pari vago, & ſpinali medullâ.

Collum ſeptem habet vertebras. Prima *Atlas* dicitur, cui caput tanquàm paruum mundum ſuſtentare videtur, quod ſibi incumbit, ſpinâ caret, ne parvi muſculi capitis à ſecundâ vertebrâ oriundi, in extenſione capitis lædantur. Subſtantiam habet tenuiorem, ſed denſiorem. Excipit, non excipitur : undè ſinum habet cartilagine obductum, ad excipiendum ſequentis vertebræ dentem.

Secunda, Epiſtropheus dicitur à vertendo ; nàm ex medio ejus corpore aſſurgit appendix rotunda, & oblonga inſtar dentis canini, circa quam caput cum primâ vertebrâ rotatur. Hinc dicitur appendix illa dens : imò tota vertebra Hippocratiità dicitur, ex cujus luxatione ſæpè vult fieri anginam inſanabilem. Dentis ſuperficies aliquo modo aſpera eſt, quia indè prodit Ligamentum, quo occipiti alligatur ; cui etiam ſolidum, tereſque ligamentum, nervi figuram referens, & miro artificio contextum circumducitur, ne comprimatur medulla. Cum prima verò jungitur hæc ſecunda vertebra ligamento lato in orbem circumjecto.

Tertia dicitur *Axis*, reliquæ nomine carent.

Cap. L.

De Colli Vulneribus.

MAximi momenti ſunt colli vulnera, cùm caput ſuſtentet, quo vulnerato, fulcro hæret infirmo, & præcipuè ſi muſculi, nervi, arteriæ, & venæ vulnerati ſint, vulneratus jàm mortis falci collum ſubmiſit.

Signa.

Colli vulnera quò ad externam faciem in ſenſus occurrunt, nec aliis indigent ſignis ; internæ verò partes non niſi accurato anatomici ſcrutinio pateſcunt, & ſymptomatum examine reſerantur.

Cauſſæ.

Colli vulnera violentam agnoſcunt cauſſam, inſtrumenta nempè, quæ collum, ejuſque partes ſcindunt, pungunt, vel obtuſè contundunt, & alia, quæ hujus continuitatem ſolvere poſſunt.

Prognoſis.

Vulnera colli non poſſunt non eſſe lethaliter periculoſa, præſertim ſi muſculi, vertebræ, venæ, & arteriæ majores, ſpinaliſque medulla notabiliter ſint vulneratæ ; tunc

tunc enim quodlibet ejus vulnus valdè malum, & periculosum est, & magnis doloribus comitatur, ac proindè quibuslibet pravis symptomatibus, quæ ulli vulneri supervenire solent, obnoxium. Quandò collum vulneratur, vulnus illud vulneri capitis periculoso æquiparatur; per collum enim medulla spinalis, quæ est cerebri pars, recutrit. Tanta est cerebri, colli, & medullæ spinalis convenientia, ut eorum vulnera æqualiter sint periculosa, & iisdem remediis tractari debent. Si lædantur musculi, vox & capitis motus violatur. Si colli, & spinalis medullæ vulnus profundiùs penetret, mortiferum est; statim nàmque à vulneratione medullæ dorsalis omnes partes infra vulnus sitæ omnem motum, ac sensum amittunt, quoniam ipsis spiritus animalis à cerebro per nervos descendens intercipitur, & ex eo patet, quòd lanii, cùm bovem, bubalum &c. mactare volunt, illa resecant, vel pungunt vasa, & statim animalis corpus resoluitur. Si spinalis medulla in alterâ parte tantum, dextra, vel sinistra vulneretur, illius lateris fit paralysis. Si externæ colli partes vulnerentur, etiam maximam faciunt difficultatem, non tantum ratione partium, quibus constat, quantum partium illarum mollitie, & laxitate, ob quas in collo colligi materia, & abscessus fieri potest. Proindè nemini suadendum est, ut ullo modo in ejusmodi vulneribus benè sperari juberet, vel curationem aggredi vellet, nisi cum lethalis periculi vaticinio; & cum etiam hinc eluceſcat, hanc partem nullam apertionem, vel divisionem ferre posse; multò minus chirurgo id licet, ut specilli intrusione profunditatem, vulneris conditionem scrutari, vel tentis, & consuitione illud excruciare vellet; nihil enim aliud violentâ tali instrumenti circumactione fit, quàm vulneris, eorumdemque symptomatum renovatio, quæ talem vulnerationem sequuntur, fugienda itàque est talis revulneratio, quæ naturæ tàm infensa est, ac ipsum vulnus.

Curatio.

In colli vulneribus vulgares primò poscâ, vel albumine ovi sanguinem sistunt, deindè venæ sectione sanguinem detrahunt, & alvum purgant, postmodum vulnus acu resarciunt, non aliter ac si esset vestis discerpta, & foraminulum relinquunt, ne sanies colligatur. Supra suturam pulverem agglutinantem aspergunt, ut

℞. *Pulv. ros. rubr.*
Myrtillorum,
Santali alb.
Gallarum,
Boli orient. ana ʒ. ß. m.

Post quem vulneri *oleum rosaceum vel myrtinum* infundunt, desuper plumaceolos vino austero madidos imponunt, & æqualiter ligant, & constringunt. Et quia in collo sunt partes laxæ, & ampla vasa per quæ copiosa materia, & spiritus fluere solent, & ità facilè inflammatio succedere, ut id avertant, partes omnes circumjacen-

tes *oleo rosaceo, vel myrtino*, vel utroque simul misto inungunt, & hoc modo laxitas illa stipatur, humor repellitur, & spiritus, qui ad vulnus fluunt, retrocedunt. His per septem dies adhibitis, ad exsiccationem, & cicatricis generationem *emplastro barbaro* utuntur.

Veræ curationis cardo in eo consistit, si qua exigua salutis spes illucescere potest, & internæ colli partes non sint vulneratæ, ut protinus sanguis cohibeatur, & deindè *balsamo proprietatis, vel artificiali, vel Samaritani, vel balsamo ex aquâ Reginæ, balsamo Peruviano, & oleo Appariciis compositio, vel ex oleo terebinthinæ, hyperici, & Lumbricorum misto, vel oleo momordicæ*, vel alio à nobis alibi descripto, vel emplastro vulnerario utamur cum suis plumaceolis, & decenti ligaturâ. Post aliquot dies vulneri consolidato *emplastrum Oppoteldoch, vel Stictieum* ad totalem usque curationem superponimus, quod etiam urgenti dolore sæpius renovamus. Ad præservandum à paralysi sæpè dorsi spina *Galbaneto Paracelsi, vel oleo Lumbricorum* calefacto inungatur.

Cap. LI.

De Asperæ Arteriæ, & Laryngis Anatome.

Aspera arteria, dicitur aspera ab inæqualitate, & ad arteriarum lævium differentiam, aliis *fistula, vel canna pulmonis*, veteribus *arteria* dicta est, eò quod aërem contineat, quibusdam *spiritalis fistula*, quòd eâ spiritus reciprocus trahatur; est canalis, qui à faucibus ad pulmones descendit, eosque plurimis ramis ingreditur, per quem inspiratus aër hauritur, & exspiratus idem cum vaporibus, ac fuliginibus redditur ad sanguinis circulationem, & sonoræ vocis productionem, cujus caput *Larynx* dicitur: reliquum verò *bronchus* appellatur, eò quod à potu irrigetur. Aliquid potus in tracheam, & pulmonis ferri perperàm probat *Hip.* quia nihil per asperam arteriam penetrare potest, quod tussi perpetuâ, antequàm penetret, non ejiciatur, ut præcipuè observamus, dum bibimus, si casu aliquid humoris in eam defluit: falsum igitur, quod asseruit *Hip.* dum inquit: *Totum, quod bibitur, sive maximam illius partem in pulmones penetrare per asperam arteriam.* Neque exemplum observatum in mactato recèns porco, in cujus pulmonibus materia ità colorata reperitur, quale statim anteà ab eo hausta, quidquam probat, nàm dum excarnificatum moritur animal, dolotis vi multa aguntur præter omnem illius animalis naturam.

Sita est in anteriore colli parte, œsophago incumbens, & sic ab ore ad pulmones descendens. Ad quartam thoracis vertebram in duos ramos dividitur, quorum uterque sui lateris pulmonem ingreditur. Illi iterum in duos alios subdividuntur, & hi rursus in alios, donec tandem in parvos ramos intret arteriæ, & venæ pulmonariæ

radices diſperſos, ac cum veſiculis pulmonis continuos, in eaſque patentes deſinant. Appellantur hi rami, quouſque majuſculi ſunt, *Bronchia*. Magnitudo variat pro ætatis, ſexus & temperamenti diverſitate.

Componitur ex ſubſtantiâ anterius cartilaginea, ut non concideret, ſed ad ſpiritûs, aëriſque liberam reciprocationem perpetuò aperta ſervaretur: poſterius membranoſa, ne œſophagi dilatatio corporis durioris incubitu impediretur.

Cartilaginoſa portio non continua, ſed ex plurimis veluti annulis compacta eſt, quorum ſuperiores majores ſunt. Hi annuli æqualiter à ſe invicèm diſtant, & poſterius, qua parte gulæ incumbunt, inferiore circumferentiæ parte deſtituuntur, membranoſâ ſubſtantiâ defectum ſupplente: reliqui pulmonis parenchyma ſubeuntes, integri manent, nec amplius ſemilunares ſunt, ſicut in ſuperiore parte, ſed variis figuris conſtructi, rotundi, quadrati, aut triangulares; & quò longiùs parenchyma ingrediuntur, eò magis membranoſi, minùſque duri, arteriis ſimiles, ac veſiculis pulmonis continui fiunt. Omnes autem dicti annuli majuſculi per carnoſa ligamenta ſibi invicèm exactè connectuntur, minimi per ſolas membranas cohærent.

Aſpera hæc arteria duplici *Membranâ* conſtat. Una externa, quæ ſubtilior eſt à pleurâ provenit, & cartilaginum ligamentis firmiter devincta. Altera interna, quæ craſſior, & denſior, palatoque continuâ eſt, ſenſu exquiſito, ad moleſtorum perceptionem prædita, à durâ meninge originem habet. Hæc oblinitur pingui, & mucoſo humore, ad prohibendam exſiccationem, & ut lenior evadat ſonus: quo humore à catarrhis acribus abroſo, aut aliâ quacumque de cauſſâ æquali reddito, vox rauceſcit: à nimio autem calore, ut in febribus, exſiccato, clangoſa editur.

Venas habet à jugularibus externis; arterias à carotidibus; & nervos à recurrentibus ſexti paris.

Uſus primò eſt in reſpiratione, ut per eam fiſtulam aër à pulmonibus, ceu follibus, recipiatur. Indè bronchiis impeditis in aſthmate ſibilus ille fit, quem aër reciprocans, quia liberè ferri non poteſt, facit.

Secundò, ejus uſus facit ad vocem, unde Hippocrati organum vocale dicitur.

Tertiò, in exſpiratione: primò ut per eandem fuliginoſa excrementa ad os, & nares excernantur, ob quem uſum eo artificio oſculaſperæ arteriæ coëunt, ut fuliginibus pateat ſolis exitus, non verò ſanguini, niſi per vim, & cum tuſſi adacto.

Quartò, ad ſanguinis vitalis, & cordis refrigerationem, & ventilationem mediante aëre.

Putarunt Veteres aëris uſum eſſe à naturâ inſtitutum pro cordis refrigeratione, & impoſſibile eſſe viventem non reſpirare, & ſublatâ reſ-

respiratione, vitam auferri; attamen hoc suas habere videtur difficultates. Quippè multoties contingit in maximis ægrotationibus, ut universo corpori, & ipsi etiam cordi calor deficiat, sed interea æger sine respiratione diutius perdurare non potest; non itaque videtur omninò necessarius aëris usus ad cordis æstum temperandum. Præterea in hypocaustis, & æstuariis tantus aliquandò percipitur calor, ut ova possit dura efficere, quò circà calor in his locis existens major, utique erit, quàm cordis calor: quod vel ex eo etiam confirmari potest, quia aër è corde respiratus in hujusmodi æstuariis apparet manibus, cœteriſque membris veluti frigidus. Atqui in hiscè hypocaustis homo vivere potest spatio unius horæ, imò amplius, sine ullâ notabili noxâ: igitur non videtur aëris usus in respiratione esse institutus propter cordis refrigerium. Cum præsertim sine respiratione homo vix ad tantum pauca minuta vitam prorogare valeat.

Verum ut aliquid verosimilius de respirationis usu definire possimus, subiicienda erunt nonnulla ex anatome infrà dicenda. Scire autem primum oportet animalia omnia, quæ pulmonibus prædita sunt, habere duas cavitates, seu duos in corde ventriculos, quorum alter, qui ad latus dexterum vergit, appellatur dexter, alter verò, qui medium ferè locum occupat, vocatur sinister. Pulmonibus quidèm instructa sunt omnia fanè animalia terrestria majora, & omne avium genus: ex aquatilibus autem Delphines, Phocæ, & omne cetaceum genus habent pulmones. Porro pulmonibus carent pisces reliqui, serpentes, & pleraque insecta, quibus etiam unicus tantum cordis ventriculus ineſt, qui per mediam ferè ipsius cordis longitudinem protenditur, quanquàm *Arist. lib. de part. animalium* scribit animalia maxima, ut elephas, boves, & similia tres habere cordis ventriculos, mediocria, ut homo, sus, canis duos, & minima unicum tantum. Verumtamen Zootomia suadet contrarium; nàm profectò nullum animal tres habet cordis ventriculos. Potuit autem Aristoteles, aut quivis alius author ex hujus observatione hæc scripserat, decipi, putans sinistram cordis auriculam, quæ in magnis animalibus valdè ampla esse solet, ventriculis annumerari debere. Sed neque omnia minora animalia unicum dumtaxat habent cordis ventriculum: nàm quævis vel minima avicula duobus instructa est cordis sinubus, sive ventriculis. Contrà verò Thynnus, & maximi quidam pisces unum habent cordis ventriculum. Illud certè verum est, quod ab authoribus plerisque scribitur animalia omnia pulmonibus prædita duos habere cordis ventriculos, cœtera verò unicum.

Præterea ex anatome sciendum, cor cujuscumque animalis pulmonibus instructi habere quatuor vasa, hoc est venam cavam, venam arteriosam, arteriam venosam, & arteriam magnam, sive aortam.

Hæc

Hæc autem vaſa inſtructa ſunt undecim valuulis, ſeu oſtiolis. Valuulas recentiores anatomici nuncupant quasdam pelliculas, ſive membranulas, quarum munus eſt impedire ingreſſum, vel egreſſum ſanguinis, aut alterius humoris; nàm quemadmodum in majori pilâ luſoriâ ineſt foramen cum internâ pelliculâ, quæ aëris ingreſſui cedit, egreſſui verò reſiſtit, ità ſimiliter in venis animalium, & in vaſis cordis ſunt ejuſmodi valuulæ, quarum hæc diſpoſitio eſt: Ubi vena cava in dextrum cordis ſinum ingreditur, hoc eſt in auriculâ dextrâ cordis ſunt tres valuulæ, quæ ſanguini liberum præbent ingreſſum in cor, impediunt autem egreſſum. Rurſus in venâ arterioſâ inſunt aliæ tres valuulæ, quæ ſanguinis egreſſum è corde permittunt, prohibent verò ingreſſum; præterea in arteriâ venoſâ ſunt duæ valnulæ liberum præbentes introitum ſanguini, & impedientes egreſſum, tandèm in illâ aortâ ſunt tres aliæ valuulæ, quæ permittunt egreſſum ſanguinis è ſiniſtro cordis ventriculo, ac prohibent regreſſum.

Quibus poſitis, facile erit explicare verum ſanguinis motum, tranſitumque per cordis ventriculos, hunc autem omniù primus innuiſſe videtur *Eriſiſtratus apud Galenum*, ſed & illum ſubodorati ſunt alii ſcriptores, ut *Andreas Ceſalpinus*, *Realdus*, *Columbus*, *Aſellius*, & fortaſſè alii, ſed primus omnium perfectè demonſtravit *Gulielmus Harvejus* diligentiſſimus arcanorum Naturæ obſervator. Hic autem ſanguinis motus ad hunc ferè modum ſe habet.

Sanguis per venam cavam fluit *in* dexteram cordis auriculam, & inde in dexterum ventriculum: atque intereà ventriculi cordis dilatantur: deindè verò conſtringitur cor, ut propterea ſanguis in dexterum ventriculum illapſus protrudatur, cùmque nequeat in venam cavam regredi ob valuularum obſtacula, ingreditur in venam arterioſam, quæ ex uno veluti trunco in ſurculos innumerabiles per univerſam pulmonis ſubſtantiam repentes diſſeminantur: Intereà inſpiratus aër tunc per pulmonis bronchia fertur, pulmones ipſos dilatat, atque adeò conſtringit, premirque ramos prædictæ venæ arterioſæ; quamobrem ſanguis neceſſariò propellitur in ſiniſtram cordis auriculam, undè defluit in ſiniſtrum cordis ſinum. Tunc verò ſiniſter cordis ventriculus ampliatur, iterumque poſteà conſtringitur, quare ſanguis neceſſariò è ſiniſtro cordis ventriculo propellitur per aortam, arteriaſque ad omnes ferè corporis particulas pertinentes. Eodem autem tempore ſanguis ad utramque cordis auriculam confluit, & ſimiliter ambo ventriculi eodem temporis puncto dilatantur, atque conſtringuntur.

Ex his liquet inſpirati aëtis uſus; ſanguis enim è dextro cordis ventriculo in pulmones protruſus ibidèm ſtagnaret per mollem pulmonum ſubſtantiam, niſi intereà inſpiratus aër bronchia pulmonis inflando, ſanguinem in ſiniſtrum cordis ſinum propelleret; nàm profectò propulſione illâ ceſſante, ſanguis in pulmonibus uberius

confluens restagnaret, & dexter cordis sinus unà cum suâ auriculâ multo sanguine infarciretur, atque interea sinister cordis ventriculus inanis fieret, nullusque adeò sanguis per aortam in arterias universi corporis propelleretur, quò circà partes vitali calore destitutæ, protinùs langueſcerent, undè mors necessariò consequeretur.

Hujus rei veritatem exemplis, & observationibus illustrare possumus, primò enim animalia pulmonibus carentia non indigent respiratione, quia nimirum unicum habent cordis ventriculum; quamobrem sanguis è venâ cavâ in cordis cavitatem illapsus facilè in ipsius cordis constrictionem protruditur in aortam. Hìc autem notandum est, animalia, quæ carent pulmonibus vocem non habere, præter ranas, quæ pulmonum loco duas habent vesiculas cum duabus fistulis, quæ asperæ arteriæ vice funguntur.

Secundò idem comprobatur ex cordis in fœtu structurâ; fœtus enim in utero matris nequaquàm respirant, imò cùm valdè tenellus est, tenuissimo quodam liquore circumfunditur, & ità membranis involvitur, ut nullo modo aëri pateat ingressus, quemadmodùm & in pullis in ovo conclusis est observare, quoniam igitur fœtus in utero existens non respirat, nequit propterea in illo sanguis è dextro cordis ventriculo in sinistrum per pulmones protrudi: undè aliam viam sibi natura paravit in transitu sanguinis per cordis ventriculos, nimirùm insunt in fœtu duo aliæ peculiaria vasa, seu tubuli, per quos sanguis è venâ cavâ in sinistrum cordis ventriculum, & ex dextero cordis ventriculo in aortam, non trajecto pulmone perlabitur. Illis itàque qui in utero matris hærent, datum est posse sine respiratione vivere, & pulmones in non natis ab omni prorsus munere feriantur. Postquàm autem animantes ex utero matris prodiêre, statim incipiunt respiratione uti: quare sanguis è venâ cavâ in dexterum ventriculum influit, & hinc per pulmones in sinistrum propellitur. Undè fit, ut memorati duo tubuli, qui in fœtùs corde observantur, post egressum ex utero incipiunt exarescere, ità ut processu temporis omninò exsiccentur, & obliterentur, ut contingit etiam funiculo umbilicali. Anates verò, anseres, lutræ, cartores, phocæ, & complura animalia à Græcis amphibia dicta, quòd tum in sicco, tum etiam in aquis vivere possunt, per omnem vitæ cursum integra retinent duo illa vasa, quæ in fœtu inesse diximus: ac propterea hujusmodi animalia diu sub aquis sine spiritu vivere possunt, nàm etsi respiratione interdum priventur, adhuc tamen pervius est sanguini transitus. Hinc autem manifesta esse potest illius pulcherrimi problematis solutio, quod in suâ *Zootomiâ Democreteâ* proposuit *Clarissimus Marcus Aurelius Severinus*; cur scilicèt anseres collotenus prehensi non suffocentur: hujus rei veram causam Vir Doctissimus ignorasse videtur:

detur: inquit enim id contingere, quia propter lubricitatem nequeat aſpera arteria omninò præcludi. Sed enim anſeres toto vitæ curriculo, ut dicebamus, integra ſervant memorata vaſa. Fortaſſis autem inſignis ille urinator nimirum *Cola* cognomento *Piſcis*, cujus meminêre *Iovianus Pontanus*, *Alexander ab Alexandro*, *Petrus Meſſina*, & alii, amphibiorum inſtar toto vitæ ſpatio vaſa retinuit, ac propterea à more piſcium magnam vitæ partem degere in mari, & ad pelagi fundum urinando penetrare potuit. In Indiâ occidentali paſſim urinatores margaritarum oſtreis venandis intentos per horam integram ſub aquâ latitate certum eſt. Ità & Ægyptii urinatores ſunt perfectiſſimi, & urinando deprædantur, Nàm ut liquet ex deſcriptione peregrinationis Hieroſolymitanæ *Nicolai Chriſtophori Radzivilii*, ſub aquis latitantes non contenti terreſtri furto, quicquid arripuerint, in aquam protrahunt, & auferunt: & frequenter hominem in ſpondâ navis cubantem arripiunt, atque demerſum vitâ, & veſtibus ſpoliant: ut navigantes armati ſæpè totâ nocte vigilare cogantur. Et ibidem magno numero piſcatores in aquam ſe demergentes manibus piſces capiunt, & cum geminos manibus extrahunt, tertium ore adferunt. Id autem fieri poſſe facilè ſibi perſuadebit, qui cum *Iulio Cæſare Arantio* celebertimo Anatomico obſervarit modò multum etiam in quadrimulis, quinquennibus, imò grandioribus natis pueris tales ductus integros, incolumeſque fuiſſe ſervatos, undè veriſimile eſt prædictos pueros potuiſſe diutius vivere ſine reſpiratione, hîc dicimus poſſe hominem, ſi à primo ortu educari, ut poſſit deindè per omne vitæ curſum amphibiorum more vitam degere. Quod quomodò in opus deduci poſſit, explicat *Thomas Cornelius in ſuis Progymnaſmatis.*

Aſperæ arteriæ caput, ſeu principium ori continuum *Larynx* appellatur, quæ eſt vocis organum: ejus ſitus eſt in collo, & quidèm in medio, & unica eſt, ut una vox edatur.

Figuram habet ferè circularem, anticâ parte extuberantem, poſticâ nonnihil depreſſam, ut gulæ cedat in deglutitione præſertim.

Magnitudo ejus pro ætate, ſexu, & temperamento variat; nàm in juvenibus larynx anguſta eſt, undè vox acutà: in adultioribus ampla, undè vox gravis evadit, quo etiam facit Laryngis Longitudo, aut brevitas.

Laryngis partes, & circa eandem ſunt: muſculi, cartilagines, membranæ, vaſa, & glandulæ.

Primo omnium occurrunt *muſculi*, qui cartilagines movent, quos obtinet Larynx, ut voluntario motu moveatur, cum vocem pro arbitrio edamus.

Sunt humanæ Laryngis muſculi non niſi tredecim, quatuor communes, & novem proprii. Communes ſunt, qui in laryngem implantantur, ab eâ tamen non oriuntur, & finiuntur. Propriis à Larynge oriuntur, & in eâ finiuntur.

Communium par primum *Sternohyoïdes*

nothyroides appellatum, à superiori, atque internâ sterni parte ortum interne ad Latera cartilaginis scutiformis inseritur, & dùm scutiformem detrahit, rimam coarctat.

Secundum par, quod superius, *Hyothyroides* appellatum, ab inferiore sede ossis hyoidis ortum, in basim scutiformis inseritur, eamque attollendo, rimam dilatat.

Propriorum musculorum par primum originem ducit ab annulari cartilagine, & in scutiformis latera desinit, atque hinc *Cricothyroides* anticum nominatur, & cartilaginem nonnihil obliquè deorsum movere putatur. Usus est annularem cartilaginem ad scutiformem trahere, ut inungatur.

Secundum par carnoso principio posterius procedit ab annulari, & in guttulis, seu aitænoidis partem inferiorem nervoso fine inseritur, ac cartilaginum duarum atytænoidum diductione laryngem aperit. Anatomicis communiter *Cricoarytænoides* posticum appellatur, *Casserius* hoc par *Cucullare* vocat.

Tertium par *Cricoarytænoides* laterale dictum, superius ab annularis lateribus ortum, glottalis lateribus ad articulum inseritur, cartilaginum obliquâ diductione laryngem aperiens.

Quartum par intrinsecum, & valde latum *Thyroarytænoides* nuncupatum anterius, & interius à scutiformi prodit, & desinit in latera glottalis, quam constringens, laryngem recto ductu claudit. Hoc par si in anginâ inflammetur, eam lethalem facit, cùm exactè rimulam claudat.

Nonus musculus (aliis quintum par *Arytænoides* dictum) oritur à posticâ guttalis lineâ, & fibris transversis delatus in ejusdem latera inseritur, & arytænoidem cartilaginem constringens, laryngem recto ductu claudit.

Epiglottis in homine nullis datur musculis manifestè conspicuis; nàm voluntariè in eo non movetur, ut *Ioan. van Horne* negatur, sed assumptorum pondere, & linguæ retrorsum tractione duntaxat deprimitur. In brutis verò majoribus, quæ ruminant, & ferè perpetuæ ciborum ingestioni inhiant, ac epiglottidem prægrandem habent, musculis donatur manifestis; quorum alii ab hyoide oriuntur, & basi epiglottidis inserti, eam attollunt: alii inter epiglottidis tunicam, & cartilaginem siti eam detrahunt, & sic laryngem claudunt.

Cartilagines laryngis sunt quinque, quæ in senescentibus aliquandò ossium instar indurantur; undè aliqui suffocationis periculum in patibulis declinaverunt.

Prima cartilago *Thyroides*, vel *scutiformis*, scutalis, clypealis, peltalis &c. à formâ, quia quadrata ferè, intus cava est, foris gibbosa, & prominens, magis tamen in viris, quàm mulieribus; quia harum collum exæquant glandulæ, pulchritudinis ergò, ad Laryngem positæ. Protuberantia illa in collo anterius conspicua, dicitur *Pomum Adami*, quia vulgò in Adami faucibus pomi fatalis partem ex pœnâ divina remansisse, atque indè cartilaginem hanc distentam

ſtentam protuberaſſe, eandemque hæreditario jure ad poſteros tranſlatam fuiſſe. In medio diſtinguitur Lineâ, undè duplicem alii conſtituêre, cum reverà duplex rariſſimè inveniatur. In angulis ſuis proceſſus habet, ſuperius duos longiores, quibus oſſis hyoidis inferioribus lateribus ligamenti ope jungitur: inferius duos, quibus inferiori cartilagini adhæret.

Secunda *Cricoides* ſeu *Annularis* dicitur, quia rotunda eſt, annuli inſtar, & totam laryngem ambit.

Tertia, & quarta aliis unica, ſed ſi membranâ exuitur, apparebit eſſe geminam. Dicitur *Arytanoides*, ſeu *Guttalis*, quia proceſſus ſibi mutuò juncti formam gutturnii, vel ollarum partis, quâ aquam effundimus, referunt.

Quinta eſt *Epiglottis* ad radicem linguæ ſita, glottis, ſeu rimulæ operimentum, quo tegitur, ne inter deglutiendum, cibus, potuſvè in aſperam arteriam delabatur, quamvis non tàm exquiſita ſit commiſſio, quin humorum aliquid blândè ſecundum parietes tracheæ ſe inſinuare poſſit. Undè in affectibus thoracis eclegmata, & tabellas præſcribunt vulgares in ore, reclinato capite tenendas, donec liqueſcant, ut portio aliqua per tracheæ parietes defluat. Verum credat hoc, qui vult, non nos, qui nimium ſcrupulis angimur, præſcribimus tamen tabellas, & eclegmata, ut vulgo imponamus, quia populorum morbis veſcimur. Hoc unum ſcimus, quòd epiglottis ſubſtantia reliquis cartilaginibus mollior eſt, figura hederæ folium, vel Linguam referens, undè nonnullis Lingua dicitur. Aëri tantum patet aditus, & dum veſcimur, & bibimus, rimam tegit, & claudit, ne ex cibo, potuvè in tracheam aliquid decidat, ſed clauſâ epiglottide, in gulam cibus, & potus abeant. Aperitur in riſu, undè eo momento ſorbentes, à riſu ſibi caveant. Quòd ſi caſu mica panis, vel gutta potûs incidit, vehemens tuſſis, & moleſta excitatur, quæ perſeverat, donec, quod indebitè ingeſtum eſt, rejiciatur, quòd ſi non eveniat, mors præ foribus adeſt. Provideant igitur helviones ne inter hanc, & rimulam cibus, potuſvè ſe inſinuet, aliàs ſuffocationis periculum ſubeunt. Nota eſt *Val. Max. lib. 9. cap. 12. de Anacreonte* hiſtoria, qui cùm ſeniles vires ſucco paſſæ uvæ refert: unius acino, qui faucibus hærens, nec demitti, nec revocari poſſet, guttur premente, ſuffocatus obiit. Item *Fabius Senator* in lactis hauſtu uno pilo ſtrangulatus eſt.

Utrinque *membrana* ori communi alligatur, quali etiam lento humore perfuſa ſuccingitur laryngis interna cavitas, & extrà quoque larynx obvoluitur.

Venas habet larynx à jugulari externa; *Arterias* à carotidis ramo majori; *Nervos* vocales dictos pro motu muſculorum, à ſexti paris ramo recurrente.

Glandulæ adſtant duplices, aliæ ad laryngis ſedem altiorem, videlicet ad uvulæ latera, & dicuntur tonſillæ, de quibus egimus ſuo loco, quæ ſpongioſæ cum ſint, cerebri humiditatem ſuſcipiunt,

quam in ſalivam convertunt, cujus gratiâ humectantur fauces, larynx, lingua, & œſophagus: quamvis, & ad guſtum, qui ſine madore non fit, faciat. Sunt hæ glandulæ circa linguæ radicem, & communi oris tunicâ teguntur, & venas à jugularibus accipiunt. Aliæ adſtant inferiori laringis regioni utrinque una, magna, & fungoſa, per quam diſſeminantur venæ ex jugulari externâ. In fœminis magis conſpicua eſt, in homine magis carnea.

Uſus eſt humiditate viſcoſâ, & pingui laryngem irrigare, ut cartilagines ad motum aptiores fiant, & vox ſuavior reddatur: quod imitantur ii, qui fiſtulas oleo inungunt.

Laryngis uſus eſt eſſe vocis organum.

Cap. LII.

De Aſperæ Arteriæ Vulneribus.

NEceſſarius eſt ad vitam tuendam cibus, & potus, & nihilominus ſine his diutiſſimè vivere poſſumus, imò ſtupendas de horum longâ abſtinentiâ legimus hiſtorias; attamen ſine aëre, quem ſpiritu ducimus, vix ad paucula temporis momenta vitam protrahere poſſumus: ideòque ſi reſpirationis organum, quod ad vitæ conſervationem magis eſt neceſſarium, ejus continuitas diſſolvatur, & depravetur, conſuetus aëris tranſitus denegetur, ſubita mors vulnerati tabernam pulſat.

Signa.

Aſperæ arteriæ vulnera nullo indigent ſigno, cum viſui pateant, & ex vulnerati relatione opiparè comprehendantur. Si verò ambigimus, an vulnus ad aſperæ arteriæ cavitatem irrepat, id facilè manu, candelâ, ſpeculo, vel aliâ re vulneri admotâ, dùm æger loquitur, & omninò ex aeris per vulnus exitu cognoſcitur.

Cauſſa.

Tracheæ vulnera violentam ſibi aſciſcunt cauſſam, putà inſtrumenta pungentia, ſcindentia, vel contundentia, ut tela, ictus, morſus, & alia, quæ hujus fiſtulæ pulmonalis unitatem ſolvunt.

Prognoſis.

Vulnera aſperæ arteriæ periculo ſunt pleniſſima, & plerumque lethalia; hæc nàmque pars ob: ërem hauriendum, & emittendum, & loquendum irrequieta manet, & conſolidatio non ità facilè obtinetur, & præſertim ſi vaſa jugularia ſint diſſecta, ſanguinis profuſione in tracheam ſuffocatur æger. Si ipſa ſubſtantia cartilaginea integrè per tranſverſum diſſecta ſit, nullâ arte denuò connectitur, nec coaleſcit. Si verò vulnus inter duos annulos incidat, aliquandò ſanatur. Interdum etiam tumor, & inflammatio accedit, reſpiratio intercipitur, & hinc gangræna, & ſphacelus, quæ ægrum ſubito jugulant.

Curatio

Curatio.

Vulnerum aſperæ arteriæ curationem quod attinet, vulgares primò ſanguinis fluxum ſiſtunt vulneratam partem pulveribus adſtringentibus aſpergendo, ex *maſtiche, bolo, farinâ volatili, crepitu Lupi, cornu cervi uſto, pilis leporinis, ſanguine draconis*, & ſimilibus; deindè Labia cutis diſtantia futurâ conjungunt, & *emplaſtrum Barbarum* extrà adhibent. In ore verò intus vulneris glutinationi ſubveniunt, frequenter aliquid medicamenti detinendum, quod liquatum ſenſim per aſperæ arteriæ viam prolabatur, idque facilius ſuccedet, ſi æger reſupinatus cubat, ità ſunt Diatragacanthum frigidum, diacodium, looch ſanum, & expertum, vel ſimilia. Vel

℞. *Spec. diatragac. frigidi* ʒ. j.
Gummi Arabici,
Boli Armeni ana ʒ. ß.
Rad. conſol. ſub cinerib. cocti. ʒ. j.
Syr. myrt. q. ſ. *f. electl.*

Vel

℞. *Conſ. roſ. rubr.*
Rad. conſol. mai. ana ʒ. j.
Boli Armeni,
Spec. diatragacanth. frigidi,
Gummi Arabici ana ʒ. ß.
Syr. de roſ. ſicc. q. ſ. *f. electl.*

Optima quidèm ſunt hæc medicamenta Lambitiva, & tabellæ, ſed aſperæ arteriæ vulneribus nequicquàm proſunt; vulgares nàmque has excogitârunt impoſturas in catarrhis ad expectorandum humorem in pulmone contentum, ejuſque aſperitates leniendas, ſed nullius momenti ſunt hæc medicamenta juxta eorum excogitationem, nàm nihil per aſperam arteriam in pulmones delabitur, ſed per œſophagum in ſtomachum deſcendunt, quòd ſi fortaſſè eveniat, tunc tanta excitatur moleſtiſſima tuſſis, ut niſi res indebitè ingeſta eliminetur, hæmoptyſis, vel ſuffocationis periculum impendeat. Prætereà demus per epiglottidem in aſperam arteriam quid eclegmatum delabi, (ſed hæc deberent eſſe eclegmata vulneraria, qualia non ſunt, quæ à vulgaribus præſcribentur) in parte vulnerata remoram non contrahunt, non actuantur, nec ſoluti unitatem moliuntur, ideòque futilia.

Pro vulnerum aſperæ arteriæ curatione ſecundum noſtram ſententiam dicimus, quòd ſi hæmorrhagia adſit, in eâ ſiſtenda, ſolo *ſpiritu Vini rectificato* externè applicato utimur, quo nihil ſecurius. Non improbamus *Aquam arterialem n. d.* ſed ſummâ ſolertiâ applicanda eſt, quia ſiquid in tracheam illabatur, tuſſim excitare, & malum peiorare poſſet. Pro vulneris conſolidatione, ſine futurâ, & labiorum conglutinatione, *epithema calidiuſculum ex ſpiritu Lumbricorum, & vini camphorato* imponatur, quo prudenter adhibito, hæc vulnera coaleſcunt, & feliciter curantur; vel noſtro balſamo ex *Aquâ Reginæ Hung. oleo aparicis, & balſamo Peruviano* commodè agglutinatis promoveri poteſt; vel *emplaſtro ſtictico, vel Oppoteldoch*, dummodò trachea non nimiùm læſa, aut planè diſ-

discissa, aut per transversum dissecta sit, & tamen has observavimus curationes, vel cartilagines, & ligamenta sint totaliter destructa.

Interim aër, in quo degit æger, sit purus, & serenus; nocet enim nebulosus, ac pluviosus, vel acido nitroso nimis refertus. Cibi sint liquidi, & qui facilè digerantur, vitentur acida, salina, acria. Potus sit tepidus ex decocto herbæ Theæ, frigidus nàmque nocet. Somnus legitimo tempore concilietur, sicut nec vigiliæ protrahantur. Quies optima est, declinet à verbositate, & taciturnitatis sit amans. Alvus debito tempore onus deponat. Animi pathemata reprimantur, exulent suspiria; anxietas, & molestia tanquàm maximi coagulatores, & acidi auctores, hilaritas magis prodest.

Non desint interea *potiones vulnerariæ*, quæ maximoperè succos acidos mitigant, absorbent, & vulneris curationem accelerant, *ex radice consolidæ majoris, hederâ terrestri, stellariâ, alchimillâ, sanicula, pilosellâ, & summitate hyperici.* Hæ potiones edulcorari possunt *Syrupo de symphyto, vel de hederâ terrestri, vel syr. florum hyperici*, & in unaquaque dosi addi potest *antimonium diaphoreticum, vel tinctura antimonii guttas* xx. *vel oculi cancrorum, vel balsamus Peruvianus, vel per retortam trajectus*, ut liquidior reddatur.

Non profectò hîc alto sub silentio præclara vulneris asperæ arteriæ prætereunda est observatio: *Michaël Pignasco* genere *Lusitanus*, Neapoli 111. Kal. Maii anno 1692. non tantum vulnus in mammâ sinistrâ penetrans passus, verum etiam, quod magis refert, aspera arteria in gutture sub larynge vulnerata fuit, & ita præcisa, ut cum marmure, & sibilo aër explooderetur; ulterius venæ jugulares, & arteriæ carotides una dissectæ fuêre; undè vulneratus exanguis, & jugulatus in Sanctissimæ Annunciationis Xenodochium pro urnâ potius, quàm pro vitæ recuperandæ expectatione delatus fuit. Rem nostro sæculo inauditam, & omnem fidem superantem narramus, verum in narratione, ne mendacii insimulemur, pavemus, sed enim, quia observatio recens est, sunt oculati testes, tum in chirurgiâ tyrones, tum admodum exercitati, tum tandèm Xenodochii, ut interim nobiles omittamus viros, qui hujusmodi curationis fideles spectatores, & nos ab omni convicio expedient. Jugulato benigno vultu fors arrisit, & tulit, ut in *Caroli Prudentis*, salutares incideret manus, qui propinato sub aurorâ, & solis obitu sequenti medicamine, ut

℞. *Syr. de betonicâ* ℥. j.
Stibii diaphoretici ℥. ß.
Quint. essent. puleg. gutt. x. *m.*

Asperæ arteriæ, venis jugularibus, & arteriis carotidibus *balsamo Samaritani misto cum Regina Hung. aquâ* applicato, viginti unius diei intervallo, redivium studio, & peritiâ pristinæ sanitati integrè restituit. Si jugulatus in alius chirurgi ejusdem Xonodochii, vel alterius incidisset ungulas non aliter ac per fecalem carnificis dexteram obtruncatus occidisset. Solus *Carolus Prudens* est vulnerum, cæterorumque

rumque morborum chirurgicorum Averruncus, & quasi divini Æsculapii alumnus, cui nullus pernicioſus reluctatur languor; est noſtri qui Proto-chirurgus, cæteroſque chirurgos poſt ſe veluti cancros balena trahit.

CAP. LIII.

De Oeſophagi Anatome.

OEſophagus, Latinè dicitur *Gula*, aliis *Via ſtomachi*, eſt canalis rotundus, ſeu fiſtula, vel infundibulum ventriculi, quod alimenta ab ore ad ventriculum deſcendunt.

Situs ità eſt, ut initium habeat in faucibus, ubi dicitur Pharynx, & ab his rectà deſcendat in ventriculum ſub tracheâ. Ubi verò ad quintam thoracis vertebram pertingit, aortæ per medium latæ cedendo dextram verſus inclinat; poſteà rurſum ad ſiniſtram arteriam magnam conſcendit, & per diaphragma uſque in ventriculi os ſiniſtrum, unà cum nervis binis à ſexto pari oriendis.

Venas habet paucas à cavâ, azygo, intercoſtali, & jugularibus. *Arterias* ab intercoſtalibus & carotidibus internis. Faucibus, & laryngi cohæret, per oris tunicam, ipſi, & ventriculo continuam: tracheæ verò vertebris, aliiſque vicinis partibus jungitur membranas ex dorſi ligamentis ortas.

Glandula parte poſteriore adnaſcuntur, quæ humorem ſuppeditant ad inbuendam cavitatem pro faciliori deglutitione. Hæ glandulæ nonnunquàm ab humorum affluxu ità intumeſcunt, ut nimium comprimant, & anguſtient œſophagum, ſicque potui, & cibo, omnique alimento tranſitum præcludant, hominemque fame, & ſiti perimant.

Subſtantiam carnoſam, & membranoſam obtinet, ut commodè extendi, & concidere poſſit, & eſt tribus tunicis conſtata. Harum prima exterior, & ventriculo communis eſſe dicitur: manifeſta tamen intereſt differentia, cum hæc œſophagi oriatur à pleurâ, altera ventriculi à peritonæo. Secunda, quæ media, eique propria, eſt valdè craſſa, mollis, & carnoſa, inſtar muſculi perforati, rotundis, tranſverſiſque fibris, ſibi invicèm ex oppoſito obliquè occurrentibus, & decuſſatim interſecantibus, atque impoſitis pertexta. Tertia interna, atque etiam propria, membranæ os, fauceſque ſuccingenti continua, tenuis, dura, & nervoſa eſt: hanc alii rectis longiſque, alii tranſverſis, & circularibus fibris donatum eſſe tradunt; verum hæ adeò exiles, & tenellæ ſunt, ut de iis haud facile ſit judicare.

Movetur œſophagus tribus muſculorum paribus, & ſphinctere proprio.

Primum par, quod *Cephalopharingæum* nominatur, à capitis, cerviciſque confinio dimiſſum, amplot fibrarum plexu in unicam œſophagi expanditur, eamque ſurſum elevando, fauces in deglutitione conſtringit.

Secundum par, *Sphœnopharingæum* dictum, à sinu alæ internæ ossis cuneiformis procedens, lateribus œsophagi, & palati obliquè implantatur, easque partes ad recipienda alimenta dilatat.

Tertium par. *Stylopharingæum* appellatum, ab acuto styliformi processu oritur, teretique corpore descendens, in gulæ latera exporrigitur, eamque cum priore pari dilatat.

Sphincter gulæ, qui etiam *Oesophagiæus* musculus nominatur, ab utraque scutiformi cartilagine natus, sphincteris instar œsophagum ambit, eumque constringendo cibos deorsum pellit.

Usus œsophagi est, ore assumpta deglutire, quæ actio peragitur fibris, & præcipuè dictis musculis. *Galenus* hanc actionibus naturalibus tribuit: verum cùm deglutitio ex arbitrio pendet, (deglutimus enim quandò volumus, & lubet) & peragitur motui voluntario inservientibus instrumentis, nempè musculis, meritò animalibus actionibus annumeranda videtur, & quamvis inserviat usui naturali, scilicet nutritioni, tamen non minus animalis est, quàm respiratio, quæ etiam nutritioni famulatur, & tamen est animalis.

Cap. LIV.

De Oesophagi Vulneribus.

EST œsophagus via, per quam cibus, & potus ex ore in ventriculum demittitur, quæ actio, ut diximus, mediante sphincter peragitur, & est animalis, deglutimus enim quandò volumus, & libet, & ad quamlibet cibi, & potûs importunitatem, juxta nostræ voluntatis libidinem aperitur. Inservit etiam œsophagus, ut iis viam sternet, quæ à stomacho per vomitum reiiciuntur. Ad has peragendas sine impedimento partes, œsophagum à morbis immunem esse par est, sed cum hic quandoque suos patiatur manes, ad cibi, & potûs immissionem, vel ad illorum, quæ stomacho molestiam pariunt, ineptus redditur. Nostro examini œsophagum vulneratum inpræsentiarum, ne à nostro deflectamus instituto, submittimus.

Signa.

Oesophagi vulnus ex caussâ violentâ prægressâ, ipsâ continui quum interiorum, tum exteriorum partium solutione, vel vulneris inflicti situ, præcipuè si stylus immittatur, & vulnus exploretur, & interdum hæmorrhagiâ, facilè liquet; Vel ex ossiculo, aut spinâ deglutitâ; vel vomitu, qui sequitur, & quod cibi, & potus aliquid per vulnus excerni solet.

Caussæ.

Vulnerum œsophagi caussa est continui solutio à vi externâ facta.

Prognosis.

Oesophagi vulnera maximè sunt periculosa, præcipuè si magna sint, &

& tubuli, ac fibrillæ longitudinales, ac circulares majori ex parte discissæ, & ruptæ fuerint, undè pars necessariò collabitur, & suo munere fungi nequit. Si magna inflammatio accedit, œsophagum angustiat, & denegato alimenti transitu, vel cibus, & potus per vulneris foramen excernatur, æger inedia, & virium prostratione in mortis angone versatur, vel quod pejus est, si asperæ arteriæ viam comprimat, penè actutum ægrum suffocat, & strangulat. Ossicula, vel spinæ deglutitæ, & œsophago infixæ, asperam arteriam comprimunt, & suffocationis periculum inducere possunt. Interdum ex longâ contrectatione inflammatio excitatur, & æger inediâ perit.

Curatio.

Pro vulnerum œsophagi curatione, ante omnia sex res non naturales optimè disponantur, & primò Aër sit temperatus, quia sanguinis, reliquorumque succorum circulationem, & insensilem transporationem promovet; frigidus verò vitetur, quia succos incrassat, eorũque circuitum remoratur, & acidũ multiplicat. Cibi fugiantur solidi, fluidi optimè nutrientes conducunt, ut caponum, vel pullorum jura consumpta, herbis sale volatili præditis condita, quæ si æger deglutire nequeat, per syringas, vel alia instrumenta ad hunc finem inventa indantur. Potus sit tenuissimus, & congruit ex potione vulnerariâ bochetum, vel decoctum herbæ Theæ, quod calidiusculè assumatur; vinum ob acidas particulas, quas irretitas continet, prorsus exulet. Motus obest, quies prodest. Vigiliæ nocent, & somnus juvat. Alvus suo satisfaciat muneri, alias clystere exagitetur. Animi pathemata, quantum possibile est, rectæ rationis habenis subigantur, lætitia, & tranquillitas sit ægri præcipua salutis basis; dum enim animus anxiis nimium fluctuat curis, ac mortis pavore, spiritus incrassantur, & humores iis destituti coagulantur, & torpent, ac parti facilè paralysim inducere possunt.

Oesophagi vulnera aliarum partium more curant vulgares; hoc tamen discrimine intercedente, quod non solum medicamenta extrinseca applicant, verum etiam deglutienda exhibent. Externa sunt linimenta, & unguenta vulgò digestiva dicta, quæ vulneri superponunt, & talia esse debent, quæ ventriculum non lædant, ut

℞. *Syr. de ros. siccis* ℥. ß.
Boli Armeni ʒ. j.
Masliches,
Sang. Dracon. ana ϑ. j.
Vitell. ovi dimidium
Terebinth. Cypriæ q. s. ad incorporandum.

Medicamenta deglutientia sint talia, ne, si in ventriculum delabuntur, ei nocent. Ità sunt *syr. de ros. sicc. de succ. myrtillor. tragacanth. gummi Arabicum*, *bolus Armenus*. Vel sequens formant electuarium ex herbis adstringentibus, & sarcoticis, quales sunt *equisetum*, *sanicula*, *consolida*, *Centaurium*, *caryophyllata*, *balsamina*, *tormentilla*, *quas pulverisatas cum melle coquunt in*

electuarium in frequenti usu habendum. Vel dant hunc potum:

℞. *Pilosellæ*,
Caudæ equinæ,
Achimillæ ana m. ß.
Radic. consolid. maj.
Pentaphyll.
Tormentill. ana ʒ. j.
Balaust. ʒ. ß.
Sem. coriandr. ʒ. ij.
Cinnam. ʒ. iij.
Coque in s. q. aquæ hordei, f. colat. in diss.
Cons. rosar. rubr. ʒ. j.
Coletur, quæ colatura non solùm ægro exhibent, sed etiam vulneri injiciunt.

Oesophagi vulnerum curationem externam, & internam instituimus; externè *balsamum vulnerarium n. d. ex aquâ Reginæ Hung. ol. Apparicis, & balsamo Peruviano* cum filamentis, & plumaceolis vulneri imponimus ad totalem agglutinationem, vel *balsamo artificiali* utimur; pro pauperibus autem *oleo hiperici, terebinth. lumbricorum, & mastich.* calidè uti possumus. Postmodum *emplastrum stitticum, vel Oppoteldoch* ad cicatricem usque. Internè potiones vulnerarias manè, & serò commendamus, *ex radic. symphyti, tormentillæ, herb. scordei, dictamni, sanicula, stellariæ, pyrolæ, & vincapervincæ*, ac in unaquaque dosi quidpiam *de ocul. cancr. vel antimonio diaphoretico, vel balsamo Peruviano rectificato ad guttas* xx. addimus; possunt hæ potiones *Syr. de flor. hyperic. Symphyto fernel. vel hederâ terrestri* edulcorari, & cochleatim per modum eclegmatis assumi debent, ut sensim per œsophagum descendant, & partem vulneratam obliniant. Ex potionum vulnerariarum residuo, novæ aquæ affusione, & ebullitione, pro potu ordinario parari potest bochetum.

Si res deglutitæ, ut osficula, & spinæ tenaciter adhærentes in gulâ, vulnerum in caussâ sint, prius extrahantur, & deindè vulnera nostrâ methodo internis remediis curanda sunt.

Cap. LV.

De Anatomicâ Thoracis, ejusque partium historiâ.

PErlustravimus supremi ventris, nempè capitis anatomen, nunc ordo nos admonet, ut de medii ventris, putà thoracis anatome agamus. Medius autem venter, vulgò Thorax dicitur, & est illa cavitas, quæ superiùs claviculis, inferiùs diaphragmate, utrinque costis, parte anticâ sterno, posticâ dorsi ossibus circumscribitur. Pars anterior dicitur *Sternum*, & pectus, posterior dorsum; Laterales latera. Putârunt aliqui Hip. anatomes nescium fuisse, quia scripsit hepar in thorace locatum esse, verum non intellexerunt imum ventrem sub thoracis nomine esse complexum.

Thoracis figura quodammodò ovalis est, quanquàm non exactè, Hip. testudini assimilat. In homine anteriore sui parte protuberantior, sed in sterni medio planior, circa latus globosa à costarum flexu, in dorso depressior.

Magni-

Magnitudo in genere variat pro vario caloris gradu; ex thoracis enim amplitudine cordis calorem metimur.

Subſtantia ejus externa partim eſt oſſea, partim carnea. Non totus carneus eſt hic venter, ſicut infimus, primò, quia non continet partes, quæ inſigniter diſtendi debeant. Secundò, ne pinguedo nimia ibi generaretur, & reſpirationem impediret. Ex parte tamen carneus, quia partes continet, quæ moveri debent, ut cor, & pulmones. Et tandem ob cauſſam non totus oſſeus eſſe debuit, quemadmodum calvaria; ex parte tamen oſſeus ad nobilium partium munimentum; nàm ejus uſus eſt partes continere vitales.

Sunt thoracis partes vel continentes, vel contentæ. Continentes ſunt vel communes, vel propriæ. Communes ſunt *cuticula*, *cutis*, de qua notandum, quòd medii ventris cutis ſub axillis piloſa eſt. Hi pili ſubalares dicuntur: utiles ſunt, ne partes illæ in brachiorum motibus atterantur, cum maximè, & citiſſimè ſudent, quia dicuntur cordis emunctoria, & ejuſdem recipiunt excrementa. Pectus in nonnullis calidioribus, & cordatioribus eſt piloſum. *Pinguedo* in thorace (ſi mammas excipias) non tanta reperitur, ne ejus pondere reſpiratio impediatur. Ob partem enim ejus oſſeam, non tanta materiæ pinguedinis copia affluere potuit, ut in imo ventre, qui totus carneus eſt, undè hic ſemper pinguiſſimus: medius venter medio modo ſe habet: caput minimè pingue. Illa thoracis pinguedo flavior nonnihil apparere ſolet ob ſubjectarum partium vitalium calorem, cum ipſa pinguedo alioquin alba ſit.

Partes propriæ continentes ſunt *muſculi thoracis*, *oſſa varia*, *ſternum*, *dorſales vertebræ*, *coſtæ*, *ſcapulæ*, *claviculæ*. Item *mammæ*, *diaphragma*, *pleura*, *mediaſtinum*.

Contentæ ſunt viſcera, & vaſa. Viſcera ſunt *cor cum ſuo pericardio*, *pulmo cum trachææ portione*, *œſophagi major pars*. Vaſa ſunt *rami venæ cavæ*, *& arteriæ magnæ*, *thymus* multaque alia minora vaſa.

De Mammarum anatome Laconiſmum ſequentes, egimus *Tomo 2. de Ulceribus cap. 45. De Mammillarum, & Papillarum Ulceribus.*

De Thoracis Muſculis.

Thoracis muſculi proprii utrinque ſex numerantur.

Primus *Subclavius*, ſub clavicula ſitus, ſpatium inter claviculam, & primam coſtam replet. Et hic eſt primus, qui thoracem diſtendit.

Secundus, *Serratus anticus major*, magnus eſt, latus, & undique carneus, cum abdominis obliquo deſcendente ſerratam efformat compagem. Oritur carnoſus ex baſi internâ ſcapulæ. Porrigitur tendine ad coſtas, quas attollit.

Tertius, *Serratus Poſticus ſuperior*, minor, ſub Rhomboide in dorſo inter utramque ſcapulam habitat. Oritur à ſpinis, inſeritur quatuor ſuperiorum coſtarum tribus inter-

vallis, tripartitus, & eas costas sursum trahit.

Quartus, *Serratus Posticus Inferior*, major, est membranosus, & latus ferè in dorsi medio, sub musculo latissimo, seu anisalptore, à spinis vertebrarum dorsi inferiorum ortus. Inseritur ad costarum inferiorum intervalla, veluti in digitos divisus, & inferiorem thoracis partem dilatat.

Quintus præcedenti substernitur, & aliis putatur communis esse tàm dorso, quàm thoraci. Dicitur *Sacrolumbus*, quia oritur ab ossis sacri posteriore parte, & Lumborum spinis. Inseritur costis inferioribus. Usus est thoracem extendere, & erigere.

Sextus, *Triangularis*, sic vulgò dictus, etsi verum triangulum non efformet, parvus est, & subtilis, in macilentis vix carnosus, intrà sub sterno latitat, ex cujus parte inferior ortum habet. Undè *Sterni* musculus commodè appellari potest. Inseritur obliquè cartilaginibus inferioribus, quas adducit, & thoracem constringit.

De Scapulæ Musculis.

Scapula præterquam quòd ab humeri musculis per accidens movetur, etiam peculiares habet motus, putà antrorsùm, retrorsùm, sursum, & deorsùm, qui quatuor musculorum beneficio perficiuntur.

Primus *Serratus Minor* dicitur, qui musculo pectorali substratus, à costis superioribus quatuor, primâ exceptâ, quasi digitatim exoritur, & scapulæ ad processum coracoidem inseritur, eamque antrorsum ad thoracem adducit.

Secundus, *Trapezius*, aliis *Cucullaris* dicitur, quia cum suo pari dorsum tegens, monachi cucullam aliquo modo refert. Ortum sumit ab occipite, & apice quinque spinarum colli, octoque, vel novem superiorum thoracis: indè versus scapulam angustatus procedens, in ejusdem spinam totam, summum humerum, & claviculæ latiorem partem implantantur, atque scapulam propter variam exortum, variasque fibras diversimodè movet, sursum, deorsum, rectè, obliquè, prout modò hæ, modò illæ fibræ contrahuntur.

Tertius, *Rhomboides* à figurâ quadrilatera dicitur, tenuis, & latus est, sub cucullari latens, carnosus, & latus, mergit à spinis trium vertebrarum inferiorum colli, & trium superiorum thoracis, atque in exterum basim scapulæ inseritur, eamque nonnihil obliquè sursum ad posteriora trahit, & dorso applicat.

Quartus *Levator*, aliis *Patientiæ* musculus, quia elevant scapulam, quibus ex voto res non succedunt, qui à transversis processibus secundæ, tertiæ, & quartæ vertebræ colli, diversis principiis circa medium, coëuntibus, prodiens, lato, carneoque tendine scapulæ angulo elatiori, & inferiori infigitur, eamque sursum versus anteriora trahit, & cum humero attollit.

His musculis scapula per se, & brachium per accidens movetur: sicut scapula per accidens à brachii musculis.

De

De Dorsi, & lumborum Musculis.

Movetur spina dorsi antrorsum, retrorsum, ad latera, & circulariter, ut in histrionibus infinitos motus dorsi videre licet. Nàm in omnibus vertebris offeruntur tendines, ac si plures, & infiniti essent musculi, quos tamen tendines multi anatomici ad unum musculum referunt magnum, dicuntque unum musculum habere multos tendines. Communiter autem quatuor paria dorsi constituunt; ubi notandum est, quòd si alteruter agit, spinam in latus moveri; si totum par, flecti, vel extendi.

Primum par *Quadratum* appellatur, quod constituunt duo musculi triangulares, qui cum simul juncti quadraturam aliquo modo exprimant. Hi lati, & crassi ab ossis Ilii cavitate posticâ superiore, ossisque sacri parte laterali internè prosiliunt, & in transversas vertebrarum apophyses, usque ad ultimam costam carnosi inseruntur, atque lumborum vertebras antrorsum, vel alterutro agente, obliquè antrorsum ad latera flectunt.

Secundum *longissimum* dicitur, oritur ab extremo ossis sacri, & Ilii secundum longitudinem spinæ, usque ad processus mammillares prope ossa temporum extenditur, & singulis vertebrarum lumbalium, ac dorsi processibus tendines largitur, ac cum sacro Lumbo, & semispinato usque ad infimam dorsi vertebram ferè confunditur versus superiora separati: atque hinc multi istos tres, quia difficulter separari queunt, pro uno habent musculo. Usus thoracem, lumbos, & eorum vertebras extendere.

Tertium huic subjectum est, & *Sacrum* appellatur, quia ab osse sacro posterius oritur, & in duodecimæ vertebræ thoracis spinam, ac plerumque in lumbalium quoque vertebrarum spinas, & obliquos processus variis tendinibus finitur, priorumque actionem adjuvat.

Quartum *Semispinatum*, oritur, ubi præcedens desinit, omnes vertebrarum thoracis spinas amplectitur, & desinit in spinam primæ thoracis vertebræ. Usus est thoracem erigere.

De Musculis Intercostalibus.

Intercostales musculi ità dicti sunt, quia costis intertexuntur. Sunt autem toti carnei numero quadraginta quatuor, utrinque viginti duo; undecim externi, & totidem interni. Nàm semper inter binas costas, bini musculi sibi invicèm incumbunt: undecim autem utrinque costarum intervalla.

Externi oriuntur à superiorum costarum inferioribus partibus & obliquè versus posteriora descendentes, inseruntur in inferiorum partes superiores. *Interni* è contrà. *Externi* desinunt in cartilagines; Interni & costarum, & cartilaginum spatia implent.

Fibras habent obliquas, & se mutuò Xiasticos intersecant instar literæ X. quia alias breves sunt musculi ob intervallorum parvitatem. Hinc in Empicorum apertione,

ne, facienda est sectio rectà secundum fibrarum ductum, & non transversa.

Vasa acceperunt varia ; *Venas* ab Azygo, & intercostali superiore utroque ; *Nervos* à sexto pari, junctos illis, qui è medullâ dorsi prodeunt.

Usus est thoracem dilatare, & contrahere ; Externi æmulantur tractum subclavii, costas attollendo, & thoracem constringendo, faciuntque ad expirationem. Interni costas abducunt, & thoracem ampliando, ad inspirationem faciunt.

De Thoracis ossibus.

Planis ossibus thorax est constructus ad eorum munimen, quæ in ipso continentur, nempè *Claviculæ, scapulæ, Vertebræ, Costæ, Os sternum, & Cartilago ensiformis.*

De Claviculis.

Claviculæ ità dictæ, quod thoracem claudant, & clavis instar scapulam cum sterno claudant, & firment. Sunt autem duo ossicula, quorum utrimque unum transversum pectori superiori imminet, inter humeri articulum, & ossis sterni summitatem. Substantiam obtinet crassam, & fungosam, quæ facilè ab externorum violento incursu frangitur, sed propter laxitatem facilè rursùs coalescit per collum. Hæc æquè ossea est in infantibus, atque in adultis. Figuram aliquantulum flexuosam, ob longam literam latinam S. aliquo modo referentem : in viris tamen, ob brachii validiorem motum, magis intortam, quàm in mulieribus. Extremorum uno, eoque rotundo, adhærent summitati ossis sterni, altero planiore cum scapulæ processu connectuntur, ubi humeri Summum producunt. Utraque autem extremitas cartilagine obducta est, atque illa unctuosâ cartilagine intercedente per valida ligamenta nexu laxiore articulatur. Clavicularum usus est ad quoslibet brachii motus firmiores, facilioresque reddendos, atque hinc pleraque bruta iis destituuntur, utpotè quæ manuum operâ non utuntur. Attamen reperiuntur in iis, quæ anterioribus pedibus, tanquàm manibus, aliquid apprehendunt, ut in simiâ, sciuro, & echino.

De Scapulis.

Scapulæ os, Græcis *Omoplate*, quod humeri latitudinem constituat, & Barbaris spatula, utrimque una costis dorsalibus superioribus instar scuti incumbit, estque os latum, ac tenue, præsertim in medio, sed in processibus crassum, quodammodò triangulare, intus nonnihil concavum, exterius gibbum, non tàm ad thoracis posterioris tutelam, quàm ad humeri tutam cum claviculâ articulationem, & musculorum implantationem comparatum. Sita est scapula inter primam, & quintam thoracis vertebram, tarò ad sextam pertingens. Tres habet eminentias. Prima per medium ejus

corpus

Unable to display this page

Unable to display this page

sternum in medio perforatum est.

Hæc si nimium introrsum premantur, & curuetur non sine ventriculi, vicinarumque partium damno, undè singultus, atrophia, aliique graves oriuntur affectus. In senibus interdùm ossescit, quod deprehendit *Pavius* in quodam, qui gravi asthmate diù laboraverat.

Exteriùs in regione hujus cartilaginis cavitas quædam conspicitur, quam Græci *Cardian*, latini *Scorbiculum*, vel *Foveam cordis* vulgò appellant, quia cor pericardio inclusum, & diaphragmatis centro nerveo connexum, ei interius cono suo proximè adstat.

Usus sterni est, primò, ut ab externis injuriis Clypei instar cor defendat. Secundò, ut mediastinum sustineat. Tertiò, ut costas inter se colliget.

De Diaphragmate.

Diaphragma dictum est à distinguendo, latinis *Septum transversum*, quia transversim corporis nostri truncum in duos ventres dirimit. A Græcis antiquioribus *Phrenis*, id est Mens appellatur, quòd eo affecto, mens, & sensus perturbentur ob consensum cum cerebro, & in ejus inflammatione paraphrenitis contingat. Est diaphragma musculus partes naturales à vitalibus secernens, liberæ respirationis instrumentum, quia musculosum est, & præter hæc ad majora munia destinatum est diaphragma.

Situs ejus est transversus, & quia nonnihil deorsum inclinat, obliquus. *Figura* propemodum circularis est. *Numero* unicus est hic musculus, ob actionis unitatem, utrique lateri communis, sed magnus. *Magnitudo* respondet amplitudini transversi imi thoracis, quæ est inter vertebras dorsi infimas, & costas.

Constat diaphragma duobus præcipuis partibus, unâ nerveâ in centro sui collocatâ, quæ proprio nomine *Centrum nerveum* nuncupatur; alterâ carnosâ, quæ à dicto nerveo centro usque in costarum ambitum est continua. Centro nerveo inflicta vulnera instantaneam irreparabilemque mortem cum immediata cadaveris refrigeratione inducunt: sed in carnosâ parte inflicta vulnera non sunt lethalia, ut multa extant exempla. Membranâ vestitur duplici, quarum superior pleuræ expansio est, cui mediastinum, & pericardium firmiter cohærent. Inferior peritonæo accepta fertur.

Pervium est circa medium, dextrorsum pro venæ cavæ, sinistrorsum pro gulæ, & nervorum stomachicorum transitu. Quantum ad arteriam aortam, illa non perforat diaphragma, sed vertebris incumbens, quasi semiciculo quodam comprehenditur.

Arterias duas, *Phrenicas* dictas, à conjuncto sibi arteriæ magnæ trunco consequitur. Duas quoque venas *Phrenicas* dictas à venæ cavæ trunco habet.

Nervi per totam ejus substantiam sparguntur, delati ex spinali medullâ colli, inter quartam, & quintam vertebram: quod ipsi

proprium, nec aliis partibus internis sub claviculis commune. Feruntur autem per thoracis cavum, & stabiliuntur à mediastino. Et quia diaphragmatis nervi ramulis in maxillarum, & labiorum musculis divaricatis permiscentur, hinc in percussione diaphragmatis risus oritur, sed non verus, verum *Sardonius* dictus; quia unà facili musculi convelluntur, & maxillis, labiisque agitatis, risus apparet.

Diaphragmatis usus est. I. Musculos abdominis adjuvare in compressione, ad excrementorum, & fœtûs exclusionem; nàm à superiore parte intestina deorsum trudit. II. Distinguere imum ventrem cum partibus naturalibus, à medio cum vitalibus, ne ab ignobilioribus partibus frequentes vapores ad nobiliores partes, ut cor &c. ascendunt. III. Esse infimi ventris respiratorium, dum hypochondria ventilat. IV. Ad respirationem facere.

Insignis ille *Sebastianus Bartholus*, mens Præceptor (cujus nomen nunc in æternâ benedictione est) diaphragmati nobiliorem tribuit usum in Paradoxis exercit. 4. nempè in centro nerveo animæ, seu vitæ domicilium constituit, multis rationibus, & experimentis fretus; & reverà diaphragmati quamoptimè quadrat vetustissimum ejus nomen, Phrenes scilicet quod apud Græcos idem sonat, ac mens, sive interior animæ fundus.

De Pleurâ, Mediastino, & Thymo.

Pleura est membrana valida, dura, & alba, costis, eorumque musculis subtensa, thoracis cavitatem intrinsecùs succingens. Peritonæo quodammodò crassior, & robustior est; oritur à tunicis, quæ nervos intercostales ex spinâ dorsi egredientes tegunt. Ideò in dorso crassior est, cujus vertebris quasi inseparabiliter adhæret. In thoracis morbis sæpè fit duplo crassior: licèt alii dicant eam adeò attenuari, ut vix conspici queat.

Duplex est ubique, ut inter duplicaturam vasa ferri queant. Pars exterior, quæ thoracem respicit, durior est, & crassior; interior costis alligata, tenuior. Inter has sæpè materia pleuritica colligitur, quam sententiam nos in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib. 2. cap. 1. De Pleuritide* exposuimus. Interius, quà pulmonem respicit, lævis existit; parte autem exteriore magis aspera, musculis mesopleuris, costis, sterno, & vertebris dorsi firmiter cohæret, ossibus tamen non immediatè, sed intercedente periostio, quo proximè vestiantur. Intrinsecus, modò in uno, modò in utroque latere, interdùm nerveas fibrillas ex se emittit, quarum interventu multoties pulmo in sanis pleuræ annectitur sine ullo respirationis incommodo. Superius, & inferius variis foraminibus pervium est, ad arteriæ magnæ, venæ cavæ, aliorumque vasorum transitum.

Venas habet à venâ sine pari, & inter-

Unable to display this page

netur. *Oritur* ad cordis basin, ex communibus à pleurâ desumptis tunicis exterioribus, illam ad pericardii efformationem deponunt. Quinque habet *foramina*, nempè pro venæ cavæ introitu, & exitu, & pro reliquorum vasorum trium egressu. Exterius mediastino plurimis fibrillis adhæret, eique circa basin cordis conjunctum, continuumvè cernitur, ubi arteriis, venisque majoribus transitum concedit. Inferiore parte diaphragmatis centro nerveo adhæret. *superficies externa* est fibrosa, *interna* lubrica, & utraque sine pinguedine. *Venulas* habet à phrenicis, & axillari. *Arterias* adeò exiles obtinet, ut vix conspici queant: fortè quia aliàs cordi vicinum est. *Nervos* minimos recipit à recurrente sinistro, & sexto pari versus cor transeunte.

Usus I. Cordis esse domicilium firmum, ne illud in motu duriores tangat partes. II. Ut in eo contineatur, & ab externis injuriis tutelam quamcumque consequatur.

Humor serosus in Pericardio continetur, vel aqueus urinæ instar, limpidus, nullius saporis ingrati particeps, in naturaliter constitutis corporibus rubicundus. Humor hic in omnibus animalibus naturaliter constitutis, tàm vivis, quàm mortuis reperitur, imò etiam in fœtu, ut ex vivorum, & mortuorum dissectionibus patet, in aliis plus, in aliis minus, in hecticis exiguus est, & flavescens. In mortuis copiosior est, quia tunc spiritus plurimi in refrigeratis partibus densantur in aquam. Hujus liquoris diuturnior defectus siccitatem, & tabem non semel induxit. Deficit autem cum per pericardii vulnus, exulcerationem, aliamvè continui solutionem, cordis ille sudor in eo condensatus effluit, nec in eo detinetur. Observatum tamen à practicis, cum per vulnus pericardii elapsum, postea occluso vulnere, fuisse regeneratum, cujus rei plurimæ describuntur historiæ & exempla.

Hic liquor semper paucior, & magis rubicundus est in hominibus calidæ temperaturæ; contrà verò is copiosior, magisque aquosus, ac pallens semper observatur in naturis frigidioribus, in quibus à pravo victu, morbosâ constitutione, aliisvè caussis, calor debilis evaserat, undè crassiores è cordis substantiâ propulsi vapores in pericardio majori copiâ condensati, ac collecti, & sufficientis caloris defectu minus discussi fuerant. Hinc hujus liquoris uberior proventus est in mulieribus, quàm in viris, pueris, & senibus, quàm in juvenibus ob caloris debilitatem observatur. In morbosis hujus color magis aqueus, interdum urinæ, interdum aquæ turbulentæ omninò similis sæpè invenitur.

Undè oriatur, variorum variæ sunt opiniones. Hip. ex potu, cujus aliquam partem ioris modo ex asperâ arteriâ in venosam penetrare vult. Alii ex salivâ delabente ex glandulis linguæ in trachæam, inde verò in arterias, & cor. Quidam ex cordis adipe, agitatione in aquam converso. Nonnulli ex aëris inspirati crassiore portione in

aquam

aquam conversō. *Nicolaus Stetonis* illum ex lymphaticis quibusdam vasculis in pericardium deponi suspicatur, alii aliis caussis oriri arbitrantur. Ultima, & hæc est vera generatio, ex vaporibus cordis forās à motu, & calore protrusis, ac in pericardio nonnihil condensatis genitum liquorem oriri putat.

Vulgus medici ex Galeni sententiâ communiter tradunt istius liquoris nimiam copiam cordis palpitationem facere, & indè suffocantem mortem sequi; sed in magno versantur errore, nàm in omnibus iis, in quibus post mortem in pericardio humoris istius aquei major copia reperta fuit, anteà dum morbosi viverent, nulla omninò cordis palpitatio, sed contrà pulsus languidus, & rarior inventus fuit. Neque etiam à copiâ istius liquoris tanta fit pericardii angustia, ut cor se in eo liberè movere nequeat, atque hinc palpitet; sed contrà, semper animadvertimus, pericardium hinc adeò latum, laxumque reddi, ut cor in eo multo facilius moveri possit, quàm in pauco liquore. Ità ut hujus liquoris copia palpitationem minimè faciat, eaque potiùs excitetur à quovis liquore, etsi pauco, dummodò præter ordinem plurimùm, & raptim dilatari, vel acrimoniâ, putredine, aliavé vellicante qualitate cor infestare, idque ad tam molesti hostis expulsionem incitare possit.

Hujus liquoris usus est extrinsecùs cor humectare, & lubricum facere, ac illius motum facilio-rem reddere, nimiamque siccitatem prohibere. Item ut cor innatando, minus grave fiat, & in nullam partem impingat.

Non solum in pericardio, sed etiam in thoracis cavitate humor aqueus reperitur, similis cruori aquæ permisto, quo thoracis partes obliniuntur, ne nimium calefiant, & exsiccentur. Hinc latere *Salvatoris* aperto sanguis, & aqua effluxerunt, ut habetur *in Evangelio secundum Io. cap. 19. sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis, & aqua.*

De Corde.

Cor à currendo ob motum nomen desumpsisse videtur. Est cor divinum membrum, & omnium membrorum maximè Princeps, quinimmò humanum præ omnibus rebus in hoc mundo creatis prærogativam, ac principatum tenet. Sedet in puppi, & microcosmici regni clavo, ac omnium partium corporis Monarchiâ potitur. Est præterea omnium viscerum Monarcha, sol microcosmi, actionum vitæ principium, calidi, & spiritûs vitalis scaturigo, ac primum nostri corporis mobile: quo vigente, naturales omnes functiones vigent, quo languente, languent, quo deficiente, penitus languent. Quippè in hoc continetur totus fomes, & naturalis caloris focus, ut ex eo patet, quòd omnes corporis partes frigore rigeant, ad quas sanguis è corde propulsus pervenire nequit, quandòque is sanguis frigidior est,

qui

qui diutius ab hoc fonte, & loco abfuit; quod denique caloris dispendium in nullâ aliâ, quàm hac corporis parte reparare possit. Quæ omnia sensus testatiora facit, quippè digito in cor animalis vivi dissecti immisso, tàm eximius in eo calor sentitur, qualis similis in nullâ aliâ parte reperiri potest.

Nullum animal, quod sanguinem habet, corde carere potest, & estò multa de cordis absentiâ apud *Schenchium*, & alios legantur exempla, tamen inter delira recensemus fabulamenta. Ex veteribus nonnulli mentis sedem in corde collocârunt, (quod tamen secus habet) factum est, ut cor pro mente positum inveniamus, & hinc excors, & vecors, quasi sine corde, idest sine mentis incolumitate denotat.

Ex cordis læsione animal ferè statim moritur, quia vitæ fons est, & spirituum vitalium officina, & per arterias à se ortas, per totum distribuit corpus; non tamen ex quavis læsione illicò moritur animal. Omnis enim generis morbos cor patitur, putredinem in febre putridâ apud Galenistas, tabem, inflammationem, erysipelas, ulcera sordida, & cava, tumorum varia genera, carnis excrescentiam, hypothymiam, syncopen, palpitationem, vermiculos, & hic virginibus plerisque familiaris est vermis cordis, nimirum juvenum amor, cui cura per Mercurium convenit; Mercurius enim in formâ juvenis pingitur, ità ut nulla alia sit contra hunc cordis vermem medicina, quàm Mercurius mortificatus, sive juvenis illaqueatus vehiculo nuptiarum exhibitus. Vulnera quoque ad tempus patitur, de quibus in sequenti capite dicemus.

Numero cor unum est, & ejus *situs* est in medio thorace, pericardio, & mediastino circumdatum, mucrone ad sinistram nonnihil, propter diaphragma, reflexum, eoque nullis vicinis partibus alligatum, sed ex solis vasis ad basin ingredientibus, & egredientibus, quibus unitur, suspensum; ejus tamen pulsatio magis sentitur in sinistro latere infra papillam, quia sinister ventriculus versus anteriora thoracis eminet cum aortâ, quæ simul feriunt latus sinistrum: hinc vulgus putat cor in sinistro residere latere, & practici sinistro lateri epithemata applicant.

Figuram cor obtinet pyramidalem inversam, seu potius turbinatam; cujus ratione dividitur in basin, seu partem latiorem, & apicem, vel conum, seu partem strictiorem, quæ in mucronem acuminatur.

Magnitudo pro ætatis, & temperamenti ratione variat; quæ tamen in homine, quoad corporis proportionem major est, quàm in aliis animalibus. Ordinaria longitudo in adultis est ferè sex digitorum transversorum, latitudo quatuor. Observatum est quoque illud in hominibus calidioribus, & audacibus minus, ac densius, in frigidioribus verò timidis, majus, ac mollius esse. Sic etiam in aliis pavidis, & ignavis animalibus, prægrande; audacibus verò pusillum,

lum, aut mediocre cor esse solet.

Substantia est caro, græcè dicitur *Parenchyma*, firma, crassa, densa, in dextro latere tenuior, & mollior, in sinistro crassior, densior, in mucrone spissior, ac densior: ad finem tamen mucronis, ubi sinister ventriculus desinit, tenuis, utpotè ex interioris, & exterioris membranæ concursu maximè constans.

Tunicâ propriâ tenui, sed validâ, densâ, & vix separabili extrinsecùs investitur, ad visceris firmitudinem, quam communem habet cum magnarum arteriarum tunicâ tenui: sicut etiam tenuis pellicula ventriculos interius investiens, continua, & communis est cum tenuissimâ illâ pelliculâ, quæ tanquàm levis cuticula arterias investit: atque hinc verosimile est, arterias tunicas has mutuari à corde, sicut nervi duas tunicas mutuantur à cerebri meningibus.

Hinc tunicæ exteriori ad humectationem, ne ex motu cor exsiccetur, & ad venas circa cor inungendas, *Adeps* durior circa basin accrescit. Hic nonnunquàm tantâ copiâ in brutis cor obvolvisse deprehensus est, ut olim, testantibus historiographis, non semel haruspicibus imposuerit, qui viso tanto adipe, victimis cor deesse putarunt.

Rarissimum est cor pilis refertum reperiri, illud tamen à nonnullis observatum. Tale in *Hermogene* Rhetore visum fuisse refert *Cœlius Rhodiginus*. Sic etiam scribit *Plutarchus* cor hirsutum fuisse repertum in *Leodinâ*, ut & in *Lysandro Lacedæmonio*. Idem in *Aristomene Messenio* compertum fuisse refert *Valerius Maximus lib.* 1. *cap.* 8. *de Miraculis* 15. Inter recentiores *Benevenius*, *Amatus Lusitanus*, & *Antonius Mureus* hoc se in latronibus quibusdam insignibus vidisse testantur. Tales verò homines sunt audacissimi, calidissimi, & callidissimi, atque utplurimum scelerati.

Per exteriora parenchymatis sparguntur *Vasa Coronaria* dicta, quia coronæ instar cordis basin cingunt, & sunt arteriæ, & venæ.

Arteria Coronaria duæ sunt, ab aortæ principio, antequàm pericardium egreditur, eò demissæ, quas in exortu, valvulâ sanguinis regressum impediente, donatas esse, nonnulli arbitrantur. Hæ cor ambiunt, multosque ramulos à basi ad conum exporrigunt, quorum plures, amplioresque in sinistro latere conspiciuntur. *Usus* est earum sanguinem spirituosum, mox è ventriculo sinistro egredientem ad cordis parenchyma advehere.

Venæ coronariæ itidem duæ sunt (rarò una tantum,) quæ sicut arteriæ, cor in orbem amplectuntur, & venæ cavæ inseruntur, ac sanguinem à nutritione residuum, è multis minoribus ramulis, à cono ad basin ascendentibus susceptum, in cavam effundunt.

Nervulos habet à sextâ conjugatione obscuros, triplici loco insertos: uno, qui terminatur ad ipsum cor: altero, qui in auriculas: tertio inter vasa ejus majora, ad facultatem sensificam, non motri-

cem, quia dissecto nervo, cor tamen movetur. Nervos plures cor non habet, sed magnum fibrarum contextum nervis similium, quas pro nervis accipiens *Aristoteles*, dixit cor esse nervorum principium.

Primarius cordis *usus*, est nullus alius, quàm ut sit animæ instrumentum, sanguinem venosum ab auriculis acceptum in arterias urgens, & transmittens, cujus ea ministerio toti corpori vitalitatem dispensat, potiusque pro juvamine auriculis adjungi, ut viribus pollens majoribus, auricularum defectum suppleat.

Cordis primaria actio est, ut sit caloris fons, undè in totum dispergatur, quo partes calefiunt, animantur, & sustinentur. Syncope id docet, & alii cordis defectus, quibus intercepto cordis calore labescunt membra, & calore destituta torpent. Undè cordialia prosunt, quæ excitant calorem cordis torpentem. Vivorum sectiones quoque demonstrant cor calidum esse: imò cor animalis exemptum, nuperque mortuum, digito calido, vel aliâre calente impositâ, ad se redire videtur, & moveri. Itidèm spiritum vitalem, & sanguinem perficere, elaborare, & distribuere. Tandèm cordis *usus* est, I. Perpetuò moveri, ut sanguinem, & singulas partes à putredine conservet. II. Ut sanguinis calorem, & elaborationem juvet. III. Lumen vitale accendat, & suscitet. IV. Singulis partibus vitalitatem mittat. Is motus cordis pulsus dicitur, qui continuus est, & nunquam cessans, vulgò distinguitur in *Systolen*, quà cor ad susceptì sanguinis expulsionem se coarctat, & fit tensio in angustum, ut sanguis è dextro ventriculo per venam arterialem in pulmones effundatur, & ex sinistro per aortam in universum corpus; & *diastolen*, quà ad eundem suscipiendum se relaxat, ut hauriatur sanguis per venam cavam in dextrum ventriculum, & per venam arteriosam in sinistrum. Inter systolen, & diastolen quies, & morula quædam intercedit, quæ *Perisystole* dicitur, & fit, quandò sanguis ingressurus est ventriculos, vel egressurus, adeò exigua est in sanis, ut distingui non possit, at in moribundis satis manifesta est.

De Cordis partibus.

Cordis partes extrinsecus conspiciuntur, ut auriculæ; aut intrinsecus, ut *ventriculi*, seu duæ cavitates, *septum* distinguens, & *Vasa* cum valvulis.

Auriculæ sunt veluti processus, vel appendices cordis, ab utroque latere ad cordis basin circa ventriculos, ante orificia vasorum materiam ventriculis invehentium sitæ, ità dictæ sunt non ob auditum, sed ob figuræ aliquam similitudinem, quam cum auribus habent; nàm ex basi longâ desinunt in mucronem obtusum, & cavitatem habent, ut sinus ante cor producantur.

Numero duæ sunt, dextra major, & sinistra minor; illa venæ cavæ, cum qua commune quasi corpus constituere videtur, apposita

posita est : hæc arteriæ venosæ.

Substantia auricularum est peculiaris, qualis nulla in aliâ parte ; sunt tamen tenues, & molles ad faciliorem dilatationem, & contractionem ; nervosæ ad robur, & firmitudinem. Sinistra verò durior est, paulò carnosior, & crassior, non ità tamen ut cor, sed proportione quadam cordis ventriculis respondent.

Dilatantur, & contrahuntur, ut cordis ventriculi, sed diverso tempore ; nam semper diastole ventriculorum concurrit cum systole auricularum, & vice versâ, ut ex vivorum anatome liquet : quæ etiam docet, illas, deficiente jàm cordis motu, adhuc paulisper palpitare, & quasi ultimò mori.

Exterius rugosa apparet earum superficies, quæ tamen in repletis & extensis lævis est.

Utraque concava, fibrisque nervosis, ac firmis, quasi columnis, interius instructa est ; inter quas foveæ profundiusculæ conspiciuntur, in sinistrâ plures, in dextrâ pauciores.

Harum *usus* est, sanguinem è vasis invehentibus primò recipere, leviter fermentare, & præcipitare, sicque præparatum in ventriculos demittere, ne subitò in cor irruat, undè cordis læsio, & animalis suffocatio. *Vvalæus* putat esse mensuras sanguinis è vasis invehentibus ad ventriculos delati. Secundò, Vasa, quibus apponuntur tutari. Tertiò, Hip. esse cordi loco flabelli, & refrigeratorii.

Cordis *cavitates*, sive ventriculi, sinus, thalami, specus &c. duæ tantum reperiuntur, dextra, & sinistra, superficiem habentes internam inæqualem, & asperam, maximè verò sinistra.

Foveæ multæ in illis sunt efformatæ à carnosis fibris ; in dextro plures, sed angustiores, in sinistro pauciores, sed profundiores, ut receptum contineant sanguinem : hinc in constrictione cordis vivi minores fiunt, in dilatationes ampliores.

Foveas constituunt, & obvallant carneæ particulæ dictæ, modò rotundæ, modò tenuiores, in dextro ventriculo quinque, aut plures, in sinistro duæ tantum conspectiores, sed crassissimæ. *Vsus* illarum aliquibus est, ut sint cordis ligamenta.

In cordis ventriculis interdùm varia p. n. generantur, non parva sanitatis impedimenta, quæ tamen in ægrotantibus à medico sciri, aut cognosci nequeunt. Polypum pituitosum in sinistro ventriculo à se inventum scribit. *Tulpius*. *Vesalius* refert in sinistro cordis sinu glandulosæ, seu nigricantis carnis uncias duas reperisse in homine, ante mortem habitu utcumque melancholico existente admodum vigili, & pulsu miris inæqualitatibus prædito. *Benevenius* frustum carnis instar mespili, & in alio callum obduratum magnitudinis nucis observavit. *Nicolaus Massa* sanioſum apostema cum totius auriculæ sinistræ exulceratione invenit. *Matthias Cornax* putredinosam exulcerationem cum multâ sanie ; *Erastus* concretionem pituitosam, flavescentis instar medullæ,

Salius Horſtius vermem alatum; *Marcus Aurelius Severinus noſter* vermes obſervavit; Calculos cum abſceſſu in muliere calculoſâ *Hollerius*, & piſorum quantitate *Vuierus*, *Bauhinus* fruſtula adipoſa, & *Wormius* ex utroque ventriculo carunculas quaſdam interius albicantes, exterius rutilo colore emergentes. *Iſbrandus Diemerbroeck* in cujuſdam juvenculæ cadavere, quæ vivens conqueſta fuerat de ſummâ cordis anxietate, & palpitatione, ac lipothymias ſæpè paſſa, fruſtum adipoſum dextrum ventriculum ferè replens, & aliud parvum in ſiniſtro ventriculo, ambo firma, quæ digitorum frictione non diſſolvebatur, invenit. Hæc vivens de nullo alio malo, quàm de prædictâ maximâ cordis anxietate, & palpitationibus, ac lipothymiis ſæpè recurrentibus, conqueſta fuerat, quam ob cauſſam bardi medici illam ſæpè levi eſpilepſiâ ſine convulſionibus, vel hyſtericâ paſſione laborare judicaverant.

Inter utrumque cordis ventriculum *Septum*, vel interſtitium mediat, quod craſſum eſt inſtar alterius paretis ſiniſtri ventriculi, concavum parte ſiniſtrâ, dextrâ gibboſum, cavernoſum, & foraminibus plenum; quæ cavernæ ampliores ſunt dextrorſum, extremos verò fines ſiniſtrorſum nullo modo pervios cernere licet.

Hinc antiquorum patet error, qui per ejus poros latiores ſanguinem è dextro in ſiniſtrum ventriculum tranſmeare ſcripſerunt; ut & ingenioſa quorundam Neotericorum fallacia, qui ut antiquorum ſententiam re quaſi demonſtrent, & probent, ſtylis fortius immiſſis ſeptum perforantes, ſe manifeſtos in eo poros, ac tranſitus invenire, imperitioribus perſuadent. Certè ſi tales in eo eſſent pori, ſolicita natura in fœtibus fruſtrà condidiſſet *foramen ovale* in cordis baſi, & vas illud medium, quod arteriam pulmonalem cum aortâ conjungit, quippè non opus fuiſſet his viis, ſi ſanguis per ſepti poros è dextro in ſiniſtrum ventriculum commeare potuiſſet. Hoc foramen ovale in fœtu amplum eſt, & in adultis uſum non habet, nàm intra paucas hebdomadas ità coaleſcit, & aboletur, nullum ejus veſtigium uſpiàm appareat: quippè rariſſimè in adultis pervium eſt, patulum reperitur in anatibus, caſtoribus, lutris, phocis, aliiſque amphibiis animalibus, quæ diutulè ſine reſpiratione ſub aquis degunt, & collotenus prenſa difficilè ſuffocantur. Patulum etiam reperitur in celeberrimis urinatoribus, ut diximus.

Dexter ventriculus tenuior, amplior, major, & non exactè rotundus, ſed ferè ſemicircularis eſt, neque ad mucronis finem pertingit. In eo ſanguis venoſus, adm.ſſus per auriculam mox attenuatur, & ſpirituoſus redditur, & ſic in verum ſpirituoſum ſanguinem convertitur.

Hunc ſanguinem venoſum recipit à venâ Cavâ, quæ maximum eſt totius corporis vas membranoſum, tunicâ ſimplici, ac molli conſtans, & in progreſſu, tutelæ gratiâ, partium proximarum involucris inductum. In hoc vas, ſicut

sicut omnia flumina in mare aquam, ità omnes corporis venæ sanguinem effundunt cordi referendum, & in eo de novo concoquendum, & dilatandum. Hæc vena vasto, & patente orificio inseritur ventriculo cordis dextro, & cum eo tàm exactè unitur, ut ab eo integra separari nequeat.

Huic orificio circulus membranaceus adnascitur, qui statim finditur in tres valvulas membranosas, introrsùm spectantes, vulgò *Tricuspides* appellatas. Hæ valvulæ in ventriculi dilatatione patentes, sanguinem è cavâ admittunt: in contractione verò occlusæ, & concidentes, regressum sanguinis è ventriculo in cavam, eodemque momento etiam illapsum novi sanguinis è cavâ in ventriculum prohibent. Qui sanguis tunc è dextro ventriculo propellitur in pulmonem per *Arteriam pulmonarem*, quæ est alterum vas magnum ei parte superiore annexum, quod venam arteriosam majores nostri malè appellârunt, cùm nullam venæ similitudinem habeat, ut patet. I. Ex ejus substantiâ, scilicet duplici, & crassa, firmâque tunicâ, & quòd ab arteriæ Aortæ substantiâ non differat. II. Ex usu, quia sanguinem spirituosum, ac fervidum deferre debuit. III. Ex motu, quia pulsum edit, sicut reliquæ arteriæ, ut vivorum animalium sectiones docent. Hujus orificio adstant valvulæ tres membranosæ, foràs spectantes, *Sigmoides*, seu *Sigmoideæ* appellatæ, à figurâ antiquæ Græcæ literæ Sigma, quæ olim instar latinorum C, scribebatur. Hæ impediunt, ne sanguis ad pulmonem impulsus, in pulmonum depressione, cordisque dilatatione, rursus in eundem ventriculum delabatur.

Per hoc igitur vas in dextram, sinistramque pulmonis partem sanguis è dextro cordis ventriculo largiter effunditur, cujus quidem nimium quid pulmonis nutritioni impeditur, sed maxima pars in ramulos venæ pulmonaris, cum arteriæ ramulis per anastomosin junctos, ac per utrumque pulmonis lobum, instar tenuissimi retis, unà cum arteriæ ramulis dispersos impulsa, ad auriculam, & ventriculum cordis sinistrum, per venæ pulmonariæ truncum defertur.

Sinister autem cordis ventriculus dextro angustior est, sed multò carnosior, crassior, durior, & longior existit, subrotundam habens cavitatem usque ad mucronem pertingentem. In hoc sanguis, pulmonum inspiratione refrigeratus, iterum fermentatur, dilatatur, ac spirituosus, summamque nanciscitur perfectionem. Hunc autem sanguinem ulterius perficiendum recipit, ut jam dictum est, per *Venam Pulmonariam*, quæ vas est amplum ex pulmone descendens, ventriculi parti superiori insertum, eique continuum, quod antiquitus *Arteria Venosa* nominatum fuit, sed malè, cùm non arteria, sed vena sit, ut patet. I. Ex ejus simplici, mollique tunicâ, aliis venis simili. II. Ex usu cum non spirituosum, ac fervidum, sed aëris frigidi inspiratu refrigeratum, & temperatum sanguinem subministret. III. Ex eo

quod non pulset, sicut reliquæ arteriæ.

Hujus orificio *Valvulæ* duæ membranosæ apponuntur *Mitrales* dictæ, quia simul junctæ mitram Episcopalem aliquo modo referunt. Hæ magnitudine, & formâ à valvulis tricuspidibus parum, aut nihil ferè differunt, & versus interiora ventriculi spectant, sanguinis fluxum ex isto ventriculo in pulmonem impedientes. Eum in finem ad majus robur, plurimis carneis ex planationibus, ac filamentis longioribus annectuntur binis, aut ternis crassiusculis, & carnosis lacertulis, seu columnulis, ex septi inferiore parte sursum assurgentibus, quas musculos, & ista filamenta tendines esse nonnulli arbitrantur.

Sanguis in hoc ventriculo perfectus expellitur in ei insertam, & continuatam *Arteriam Aortam*, seu *Magnam* omnium arteriarum, exceptâ pulmonariâ, & asperâ arteriâ, radicem substantiâ solidiore, ac duriore, & geminâ tunicâ, internâ densiore, externâ tenui præditam, vicinarumque partium tenui membranâ, roboris, ac tutelæ gratiâ, investitam. Ad hujus exortum valvulæ tres, extrorsum protensæ conspiciuntur, antiquis *Semilunares*, à semilunæ formâ dictæ, sigmoideis omninò similes. Hæ sanguinis ex aortâ regurgitantis impetum sustinent.

De Pulmone.

Pulmo, Græcis Pneumon, à pneo, respiro dictus, quia animalibus in aëre viventibus, & respirantibus datus est: est nàmque membrum ad vitam maximè necessarium, quo nullus homo carere potest absque vitæ extinctione, sine pulmone respirare non possumus, nec ullum verbum proloqui. Est medii ventris viscus respirationi inserviens, ad sanguinis è dextro cordis ventriculo propulsionem, & vaporum multorum expulsionem conditum.

Situs est in pectoris, vel thoracis cavitate, magnitudinem habet insignem, ità ut in aëris spiratu distendatur, & maximam thoracis cavitatis partem repleat.

Dividitur pulmo in partem dextram, & sinistram, beneficio mediastini intercedentis, quas singulas multi pro singulis pulmonibus habent, & describunt, atque hinc illi non de uno pulmone, sed de pulmonibus in plurali numero loquuntur. Alii singulas partes appellare malunt duos pulmonis Lobos. Harum partium quælibet rursus in locum superiorem, qui brevior; & inferiorem, qui major, rarò in tres dispescitur lobos.

Singulæ partes ungulæ *bovis figuram* obtinent. Extrinsecus, quà costas, spectant, gibbam; interiùs verò, quà cor molli amplexu comprehendunt, cavam.

Suspensus tenetur pulmo ex asperâ arteriâ, se in mediam ejus substantiam insinuante, atque illa mediante collo cohæret.

Substantia ejus videtur quidèm carnosa, & è sanguine, prout etiam lien, & hepar conformata; at *Marcellus Malpigius* acutissimus pulmo-

pulmonis scrutator, altiùs rimando singulari suâ solertiâ comperit ejus substantiam longè aliam esse, nempè pulmonum corpus meram vesicularum congeriem esse, quod etiam rationi consonum est, supernatant enim aquis instar inflatarum vesicularum, cum aliæ partes carneæ submergantur, undè constat, undique eos aëre turgere, aëremque cysticulis, seu vesiculis inclusum esse, aliàs expansio, & supernatatio in aquis esse non posset. Constat igitur pulmo parenchymate molli, spongioso, raro, ac vesiculoso, ex levissimis, tenuissimisque membranulis, cum interiore tracheæ tunicâ continuis contexto, quæ membranulæ extensæ, ac situatæ, infinitas vesiculas orbiculares, & sinuosas, totius parenchymatis substantiam constituentes, efformant, ità sitas ut à tracheâ mox ex unâ in alteram patens sit aditus, & tandèm omnes terminantur ad membranam continentem, seu investientem. Hæ in pulmone bubulo, vel ovillo, ex animali recenter evulso, vel inciso, vel lumini obverso microscopiis conspicuæ evadunt, & aëre turgidæ observantur, præcipuè circa extimam superficiem, quamvis etiam circa interiora, inflato pulmone, satis pateant, & sectâ qualibet parte mox è levi extensâ membranâ efformatæ, ac nerveo quodam tenuissimo reticulo colligatæ conspiciantur. Quomodò se habeant harum vesicularum cavitates, describit Malpigius his verbis: *Post lobos occurrunt observanda interstitia, non undequaque nudæ cavitates, & interceptainania spatia; plures enim habent extensas membranas, modò sibi parallelas, modò angulares, quæ non tantum ab extremâ superficie lobulorum lateraliter positorum, verùm & ab internâ lobulorum substantiâ propagantur. Inter hasce membranas excurrunt plurima vasa minima à lobulis egressa, quæ in eosdem oppositos egrediuntur. Hisce membranis recipitur, & ejicitur aër, veluti in amplioribus sinibus, qui mutuam habent communionem, ut aër ex unâ in aliam comprimi possit, ità ut interstitia sint eadem membranea vesiculæ pulmonum, diaphanæ tamen, & tenuissimæ.*

Sunt igitur omnes vesiculæ continuæ cum interiore tracheæ, & bronchiorum tunicâ, atque hinc ex asperâ arteriâ in bronchia, & ex his in vesiculas patens via est, aërem ultrò citròque commeantem transmittens. Sed annè vesiculæ ità sint dispositæ, ut ab unâ parte aër ingrediatur, ab alterâ egrediatur, ab alterâ egrediatur, vel an per easdem vias ultrò citròque commeet, vel annè etiam aliquæ sint, quæ aërem aliquandiù contineant, & reservent, exactè discerni nequit: saltèm quod totus inspiratus aër non illicò expiretur, sed in vesiculis, & anfractibus (qui nunquàm vacui inveniuntur) plurimum adhuc remaneat, docent pulmones canum vivorum apertorum, in quibus post expirationem adhuc plurimum aëris supereſt: itèm mortuorum pulmones, in quibus semper plurimum aëris continetur, qui manuum pressione exprimi potest. Est itàque pulmo aëris sedes, seu habitaculum.

Hic

Hic aër in pulmone detentus ei confert mollitiem, & cavitatem summam, maximèque necessariam, ne sanguifera vascula pondere premerentur, sed semper permeabilia manerent, in iisque sanguis (qui è dextro cordis ventriculo in subtilem halitum attenuatus, propter summam levitatem ad sinistrum ventriculum è pulmone ascendere non potest) tanquàm per mediam aëris regionem transiens, condensaretur, & sic per venam pulmonarem ad cordis sinistrum ventriculum promptius defluëret.

Præter autopsiam, pulmonis substantiam totam esse vesiculosam, docet etiam ratio; nàm multoties sputa rotunda, crassa, & fœtida, vomicæ, folliculi, vermes, calculi, aliæque res præter naturam in pulmonibus gignuntur, ut multa observationum exempla testantur, & nos quoque multoties in praxi vidimus, & cum tussi rejectas, & post mortem in dissectione repertas: quæ certè non in vasis sanguiferis, nec etiam in bronchiis, (suffocationem enim, asthma violentum, perpetuamque tussim induxissent) sed necessariò in hisce vesiculis gigni, ac longo tempore contineri debuerunt, & potuerunt.

Dicta vesiculosa substantia extrinsecùs investitur membranâ tenui, lævi, ac porosa. Ejus porositas facilè apparet, si folle fortiter inflatur pulmo, sæpè enim usque adeò dilatantur pori, ut manifestè oculis conspicui evadant, nec tamen aër per poros membranæ investientis in thoracis cavitatem exit; undè certum judicium est ipsos poros ità esse sitos, & quasi valvulis munitos, ut forinsecùs aliquos subtilissimos liquores intromittant, intrinsecùs verò aërem foràs non emittant, ut patet in empyicis dissectis per injectiones abstergentes amaras in thoracis cavitatem intrusas, qui amarum saporem ore perceperunt, nec pus in thorace propter crassitiem tussi evacuari potest, quia pori non sunt satis lati ad recipiendum; præterquamquòd pulmo deberet esse in pus immersus, aliter pus non attingens, impossibilis esset attractio.

Pulmo plerùmque pleuræ connexus non recipit; ità dicimus, quia multoties illi, nunc toto ambitu, nunc aliquâ parte fibrosis nexibus alligatur, & in sectionibus invenitur ferè tertiæ hominum parti hanc connexionem contingere: nàm valdè multa occurrunt cadavera, in quibus pulmo per innumeras fibrillas pleuræ firmiter alligatur: imò multa, in quibus ipsa exterior pulmonis membrana pleuræ maximâ sui parte adhæret immediatè, nec qui talem habent connexionem, salutis, vel respirationis incommodum persentiunt, sed inculpatè vitam degunt, & hi faciliùs, & frequentiùs in pleuritidem incidunt, quàm alii, quibus pulmo liber reperitur, & durante pleuritide, si suppuratio accederet, etiam pus sanguinolentum, & sputa purulenta ex latere affecto facilius, & citius expuere; in aliis verò, quibus pulmo à pleurâ liber est, pleuritidem

minus

minus frequenter contingere, eamque, si ad suppurationem deveniat, nihil ejici, & rarissimè solui per puris expuitionem, sed plerumque in Empyema mutari. Ratio hæc est, quòd in priore casu pus ex pleuræ apostemate possit immediatè defluere in ipsam pulmonis substantiam ei adnexam, atque unà cum pleurâ, fortè ob viciniam, nonnihil quoque inflammatam, & sic expui; in posteriore verò non possit non defluere in thoracis cavitatem, è qua non facilis in pulmonis poros detur introitus.

Magnus dolor punctorius est in pleuritide, quia pleura afficitur, sed in peripneumoniâ tantum obtusi sentiuntur dolores, quia interior pulmonis substantia inflammatur, quæ est penè sensus expers, quòd si quandòque dolor punctorius hanc comitetur affectionem, magna est inflammatio & ad nervulos broncheos à sexto pari se extendit. In Phthisi verò, quæ est pulmonis ulcus, nullus percipitur dolor, quia sensim fit, & substantia vesicalis afficitur.

Pulmonis substantia triplicibus interrexitur vasis, quæ non parum ad ejus robur faciunt. Primum, & omnium maximum vas aëri, & vaporibus crassis vehendis dicatum, est *Trachea*, seu *Aspera Arteria*, multis productionibus prædita, de qua diximus.

Secundum, & tertium sunt duo ampla vasa sanguifera, scilicèt *Arteria*, & *Vena Pulmonaris*, quæ in minimos, ac penè invisibles, nec nisi per microscopium exactè consi-

picuos ramulos fissa, & inter se mista, per totam vesiculosam substantiam instar artificiosissimi retis, decurrunt, mutuis anastomosibus innumeris inter se hiantia.

Si ab humoris acris erosione, magnâ tussi, vel aliâ violentâ causâ istorum vasorum apertio alicubi contingat, tunc sanguis ex iis in vesiculas, & ex his in bronchia profluens, sputo ejicitur, & hæmoptysin, & temporis progressu phthisin parit; undè sæpè phthisici inopinâ morte occumbunt, quia erosis vasis majoribus, effuso sanguine cor obruitur.

Cap. LVI.

De Thoracis Vulneribus.

Summus rerum Opifex thoracem variis osseis præmunimentis undequàque munivit, ut ab omni instrumento incidendi, & perforandi vi præditò sarctum, & tectum eximeret. Prisci homines fortiores, & robustiores erant, quàm non sunt nostri ævi homines, & tamen illi galeâ, thorace æneo, vel Loricâ, & clypeo tecti, sarissâ vel ense dimicabant; isti imbecilliores, & ferè infirmâ valetudine, aperto pectore, & nudis ensibus, monomachiam exercentes, cominùs conferunt manus: nec mirari subit, quia quò robur Languet, eò cœca temeritas intenditur, & quò temerariores, eò viliores. Inpræsentiarum thoracis vulnera tutiùs curamus, ut ejus continui solutioni medicamen-

Unable to display this page

quum, aut tortuosum sit, aut costa aliqua fracta, vel depressa, aut musculi hominis situm ab eo, quem habebat, dum vulnus acciperet, varient, & vulnus tegant, tunc difficilis aderit respiratio, & aër non egreditur; hæc itàque per aërem exploratio fallere potest, imò nec specillum adigitur. Si aër per vulnus cum strepitu efflatur, certum signum est vulnus penetrasse, & his modis explorari potest: inprimis si os, & nares comprimantur tàm fortiter, tunc spiritus per vulnus exhalat, itèm si admota ardens candela extinguatur, si impositæ turundæ rursus ejiciantur, si lanæ, vel gossypij floccus, vel filamenta subtilissima, vel pluma imposita ventilentur, & agitentur.

Posito ex dictis signis, quòd vulnus in thoracis specum irrepat, adhuc ambigimus de internarum partium læsione, nempè de asperâ arteriâ, pulmone, corde, vel venâ cavâ, vel arteria magnâ, diaphragmate, vel aliâ parte, quæ certis, & propriis cognoscuntur signis.

Si aspera arteria vulnerata sit, parum sanguinis effluit, dolor in dorso percipitur, vox fit rauca, & tussis acris molestat.

Si pulmo vulneratus sit, cum penetrante thoracis vulnere maximâ spirandi difficultas incedit, continua tussis, & cum tussi spumans ex ore sanguinis rejectio, & ex thorace rubeus, & spumans sine dolore effluit sanguis, verum maximi interdum dolores circa latera thoracis, & pulmonis, & præcipuè in eo latere, ubi est vulnus, succedunt. Cervicis venæ turgidæ sunt, linguæ color immutatur, facies modò rubicunda, modò pallida videtur, & si vulnus profundum sit, pallida perseverat. Cum vesiculosa pulmonum substantia vulnerata est, nec cruenta expuitio, nec tussis urget, quia sanguis in thoracis cavum destillat: sed respiratio est difficilis, caloris, & frigoris vicissitudo, propter halitus è corde, qui statim discutiuntur, crebra faciei characteris mutatio. Vasorum vulneratorum signa sunt, sanguis spumosus, interdum niger effluens, perpetua tussis, sicca, vel humida, nisi virium imbecillitas, aut pulmonum oppressio à sanguine adsit, aut nisi superficiarium, ac leve sit vulnus.

Cum cor vulneratum est: sanguis ater, & crassus effluit, inquiunt nonnulli, si vulnus ad cordis ventriculos usque pervenit. Verum hoc signum non est certum, quia si vulneratum sit cor in ventriculum sinistrum usque, sanguis, qui effluet erit tenuis, & floridissimus; si verò vena cava vulneretur, sanguis effluet niger, & crassus, non tamen dicendum erit cor esse vulneratum, quare signum fallax est, cum cor vulnerari possit vulnere non penetrante ad ejus ventriculos. Aliud signum à loco adducunt, nàm quoties vulnus est profundum, & in sinistrâ thoracis parte, cor vulneratum est, quia vulgò cor in sinistrâ esse putatur; verum cor in medio est, & tantum ejus mucro ad sinistram inclinat. Vulnerati cordis signa ex sævis

symptomatibus, quæ læsam cordis actionem, & naturam consequi solent, sumuntur. Primum, est sudor frigidissimus; quoties itaque vulnus in thoracis cavum penetrat, & sudor frigidissimus accedit, cor vulneratum esse indubitatum indicium est. Secundum, est magna extremorum artuum frigiditas cum frigidissimo sudore conjuncta, pro certo habetur vulnus ad pericardium, & cordis substantiam usque penetrare. Tertium, est syncope minuta, quia parùm durat, & citò repetit: Si ergò cum sudore frigidissimo, & extremorum frigiditate æger octies, vel decies, unius horæ spatio in minutam labitur syncopen, necessariò cor vulneratum esse oportet. Quartum, est pulsus & omnium virium retractio; si itaque pulsus desinit, vel formicularis est, vel languidus, & omnes vires deficiunt, cor vulneratum esse judicia. Quintum, est, quod vulnerato corde, sine magno sanguinis fluxu, mors repentina accedit, quæ ad medicum non spectat; evenit tamen aliquandò, ut cor vulneretur, & subita non succedat mors. Si tandem cum his signis sanguis vel niger, vel rubicundus effluat, vulnus erit in dextro, aut sinistro cordis ventriculo.

Vena cava, & arteria magna si vulnerentur, cognosces ex maximo sanguinis fluxu, & si vulnus fuerit in latere dextro, & vulnerati cordis non adsint signa, sanguis effluit crassus, & niger, vulnerata est vena cava; si autem in sinistro, & deficit pulsus, sanguis effluens est tenuis, & rubicundus, vulnerata est arteria magna. Quandòque sanguis in thoracis specu colligitur, & grumescit, tunc cognoscitur ex motu, gravitate, & rugitu. Interdum in thoracis cavitate non continetur sanguis, sed sanies, & etiam cognoscitur ex rugitu, pondere, gravitate, spirandi difficultate, febre, & fœtore, qui vel in sanie, quæ aliquandò egreditur, vel in filamentis impositis percipitur, & tunc æger factus est empyematicus.

Diaphragma vulneratum cognoscitur primò quidem à situ, nam si vulnus sit circa mendosarum costarum cartilagines, & in thoracis cavitatem penetret, vulneratum est diaphragma: si etiam vulnus sit in parte superiori, & deorsum versus desinat, perforatum esse diaphragma conjectari necesse est. Secundò, si maxima, & frequens sit anhelitus difficultas. Tertiò, si adsit tussis dolorosa, resonans, aspera, & veluti ranca, ità ut thorax resonet. Quartò, dolores, punctiones, & gravitates mendosas obsident costas. Quintò, est febris valdè acuta, quæ ferè statim succedit, quia nulla pars est, excepto superiori ventriculi orificio, quæ magis cum corde consentiat, quàm diaphragma. Sextò, mentis alienatio, vel delirium, sive phrenitis, quia diaphragma est mentis sedes, & ipso læso, mens læditur. Ultimum signum est cibi fastidium, & si cibum capiat æger, animo deficit propter maximum inter diaphragma, & ventriculi os consensum; undè patiente diaphragmate, ventriculi os compa-

citi

tur. Tandèm, si diaphragmatis pars nervea, id est centrum nerveum vulneretur, statim moritur æger, quod ad medicum non spectat.

Causse.

Thoracis vulnerum caussa immediata est continui solutio in thorace ab externâ vi producta: & omnia illa instrumenta, quæ sunt rigida, & mucronata, ut gladius, pugio, culter, scalpellus, stylus, sagitta, hasta, acus, glans plumbea, vel ferrea, sunt caussæ mediatæ, quibus thorax vel superficie tenus tantum vulneratur, vel profundè transfoditur, ut vulnus in ipsam penetret cavitatem, & contentas in ea partes simul afficiat.

Prognosis.

Vulnera cuncta thoracis interna admodum periculosa, & difficillimæ sunt curationis ob viscera maximè principalia in eo contenta, quæ esto non vulnerentur, nihilominus tamen à proximis partibus læsis, facilè per sympathiam, id est, consensum unà irritantur; verum si vulnerentur, maximum periculum, vel ipsa mors succedere solet, tum quia in interiore pectoris vulneratione sanguis in thoracis cavitatem defluit, ibi facilè in grumos concrescit, putrescit, & periculosa excitat symptomata. Præterea thorax in continuo est motu; nàm cor continuò movetur, corde moto, movetur membrana inter sepiens, arteria magna, vena cava, pulmones, diaphragma, & omnes partes moveri necesse est, vulnera autem quælibet quiete, & tranquillitate ad suam sanationem indigent. Insuper solus thorax præ omnibus aliis partibus est magis aëris injuriis obnoxius, nàm continuò attrahitur sive frigidus, sive calidus; frigidus est vulneri infensus; calidus ad inflammationem facit. Addimus tandèm, quòd thorax omnibus aliis partibus est inflammationi aptior, quia caloris habet focum, id est intra se cor, quo fit, ut semper æstuet. Hæc prognosis, quam attulimus, generali modo se habet, undè ad particularem pro uniuscujusque partis exactâ prognosi descendimus.

Thoracis vulnera non penetrantia sunt aliis periculosiora, estò interna viscera non sint læsa, quia externus aër per vulnus non alteratus ingreditur, internas offendit partes, & aëre interno, ac calore exspirante virtus debilitatur. Et cum vulnus penetrare non possit, nisi pleura perforetur, illa verò densa, & exquisito prædita sensu sit, ac reliquis thoracis partibus communis: dolores, spirandi difficultates, inflammationes, & febres excitantur.

In curandis thoracis vulneribus maxima requiritur sedulitas, quia ut plurimum vel jugulant, vel facilè in fistulas, vel in empyema degenerant; & reverà thoracis vulnera aut immediatè occidunt, ità ut agere Deo gratias debet ille, qui potest ad cœlum manus prius-

quàm moriatur attollere, vel in empyema, & deindè in mortem desinunt, vel succedit fistula, à qua, si aër egrediatur, mortem accelerat.

Accidit quandòque, ut externum vulnus non consolidetur, & in sputo tamen adhuc sanguinis notæ appareant, id evenit, quia internæ partes non sunt consolidatæ, è quibus cruoris, & saniei aliquid in thoracis cavitatem defluit, undè empyema generatur. Insuper *Hippocrates de morbis lib. cap.* 18. inquit: *Et quidem & interna, & externa pars simul fuerint sanata: sanus penitus homo evadit, Si verò externa quidèm sanata fuerit, interna verò non, suppuratus fit. Et si etiam sanata simul sint interna, ac externa pars, cicatrix autem intus debilis fiat, & aspera, ac livida; rеulceratur quandòque, atque sic supuratus fit. Rursus exulceratur etiam; siquid amplius laborârit, & si attenuatus fuerit, & si pituita, aut bilis ad cicatricem affixa fuerit, & sic alio morbo correptus attenuatus fuerit.*

Vulnera lateralia, vel in dorso periculosiora sunt, quàm in parte anteriore; à tergo enim inflicta plus inferunt periculi, quàm à parte sterni: nàm lateralia quamvis sint superficialia, periostium facilè in consensum trahunt, & hinc inflammatio, pleuritis &c. In dorso, quia plures, & majores nervi, ac tendines sunt, ibique transit vena cava, arteria magna, aspera arteria, œsophagus, & omnia spiritualia organa dorso alligantur. Si thoracis vulnera in dorsum penetrent, utplurimum periculosa, & ægri circa 7. 11. 14. superveniens erysipelas, moriuntur. Vulnera quò propiora spinali medullæ, eò periculosiora sunt. Hæc vulnera sclopeto inflicta, plus damni inferunt, quàm alia. Si plus aëris ex vulnere, quàm ex asperâ arteriâ egreditur, lethale habetur. Hæc vulnera punctim inflicta plus alunt periculi, quàm cæsim facta.

Convulsio in thoracis vulneribus pernicioſa est; denotat nàmque spiritus, seu humores tenuissimos esse nimis acres. Si vulnera hæc cum intensâ febre, inflammatione, & dolore sint, malum est, si verò prava non superveniant symptomata, sanitatis recuperandæ spes affulget.

Magna pulmonis vulnera, & præcipuè si magna vasa, & bronchia læsa sunt, plerumque lethalia; parva verò, & ubi insignia vasa non sunt læsa, & si satis periculosa sunt, sæpè tamen curantur, & sæpius in phthisin, morte ipsâ peiorem abeunt. Si pulmonis vulneri inflammatio accedit, exigua spes est de ejus curatione; quia pus, quod generatur, sine tussi expurgari non potest, quâ vulneris conglutinatio impeditur.

Vulnera, quæ ità pericardium lædunt, ut aqua effluat, semper sunt lethalia, estò *Benevenius de abdit. morb. cauſſ. cap.* 5. se jactet, quendam in pericardio vulneratum suâ curâ convaluisse, & *Cardanus in comm. ad* 18. *aph. lib.* 6. *Hip.* refert, se partem pericardii vidisse ablatam, ægrumque tamen sanatum, sed suspiria alta duxisse, nec multis annis supervixisse: sit fides penes hos authores.

Cordis

Cordis vulnera necessariò lethalia sunt, quia caloris nativi focum, & spirituum vitalium officinam lædunt, & quidèm vulnus magnum, & profundum, & quod in ejus ventriculos penetrat, subitò necat; quod verò exiguum, & in carneâ cordis substantiâ subsistit, neque ad ventriculos penetrat, non ità, multo pòst ægrum tollit. Ventriculis enim apertis, subita fit sanguinis arterioſi effusio, spirituumque vitalium dissipatio, idque magis, sinistro ventriculo aperto. Si verò vulnus in cordis substantiâ substiterit, homo quidèm totam diem interdum vivere potest, mox tamen utpotè in loco calidissimo, & sanguine, ac spiritu turgente, inflammatio, & hinc syncope, ac mors succedit. Neque compertum est unquàm quenquam corde vulnerato evasisse. Etsi verò observatum sit, in corde tumores, & ulcera reperiri: tamen ista cum sensim fiant, vita aliquandiu cum iis consistere potest, etsi tandèm & ipsa homini mortem afferant. Vulnera verò, cum subitò cordis œconomiam subvertant, principalia enim viscera, & nobiliora continui solutionem substinere non possunt, cum iis vita persistere non potest. Hinc *Aristoteles lib. 3. de partibus animalium cap. 4.* scribit: *Cor solum viscerum, atque omnium corporis partium, nullum vitium patitur grave; idque rectâ ratione. Cum enim principium corrumpitur, nihil est, quod cæteris, quæ indè pendent, præbere possit auxilium.* Et imprimis, ut dictum est, sinistro cordis ventriculo, qui sanguinis, & spiritûs vitalis officina est, vulnerato, æger mox perit. Si autem dexter ventriculus vulneretur, ægrum aliquàndiu vitam protrahere posse multæ testantur historiæ.

Vulnera, quæ venam cavam, & arteriam aortam in corde, vel venam arterioſam, & arteriam venoſam in pulmone, earumque grandes ramos lædunt, lethalia sunt, & quidèm rectè, nàm sanguinem sisti posse impossibile est, & sanguine, ac spiritibus vitalibus effusis, vires illicò dejiciuntur, & sanguis in thoracis specum effusus exitum non habet, undè vulneratus à sanguinis effusi copiâ necessariò suffocatur.

Diaphragmatis in parte carnoſâ vulnera periculoſa sunt, sanantur tamen aliquandò; Si verò circulus nerveus læsus fuerit, lethale: supervenit enim delirium, respiratio difficilis, febris convulsio, & visus Sardonicus, ut ridendo ægri moriantur. Cum enim diaphragma nervos ex tertiâ, & quartâ vertebrâ accipiat, hi verò cum ramulis in musculos, qui maxillas, & labia movent, propagatis permisceantur, si, quâ parte ad diaphragma perveniunt, fuerint convulsi, secum ramos illos musculorum faciei, & labiorum contrahunt, quibus maxillæ, & labia hinc indè præter voluntatis imperium agitata speciem risûs excitant, qui inter signa lethalia refertur, ut habetur ex *Hip. lib. 5. de morbis popularibus 34. Tychon in obsidione circa Datum à catapultâ percussus est in pectus, & paulò pòst risus erat circa ipsum tumultuosus. Videbatur*

autem,

autem mihi medicus eximens lignum, reliquisse aliquid de spiculo in septo transverso. Et quum ipsi videretur: ad vesperam infusum per clysterem adhibuit, & pharmacum deorsum purgans dedit. Noctem primam transegit molestè. Statim verò ubi dies illuxisset, & medico, & aliis melius habere videbatur: (erat enim quietus) prædictio facta est, quòd ubi convulsio fieret: brevi esset moriturus. Sequenti itaque nocte molestè habens, insomnis, pleriumque in ventrem decumbens: tertiâ oriente die convellebatur: & tunc mortuus est.

Curatio.

In thoracis, & partium in eo contentarum vulneribus, maxima de sex rebus nonnaturalibus dictis habenda est ratio, & inprimis aër frigidus, ceu pestilitas vitandus est, & omni dexteritate à vulnere arceatur: sit temperatus, & potius ad calidum vergat, ubi vulneratus degit. Diæta quanti sit ponderis experientia docuit; constat enim vulneratos in victu, & potu delinquentes ex vulneribus simplicibus in lethalia incidisse. Vulnus ergò quò levius, simplicius, & superficiale est, eò largius alimentum permittendum est, contrà, quò gravius, & penetrans, ac gravioribus stipetur symptomatibus, eò victus tenuissimus in principio præstat, donec inflammationis terminus præterierit. Conducunt jura carnium, pullorum, & caponum consumpta. Proscribantur omninò acida, acria, quia humores coagulant, & pervertunt, itidèm adstringentes vitentur cibi, ne sanguis in thoracis cavitate concrescat, & concretus detineatur. Potus sit decoctum limaturæ cornu cervi, vel hordei cum passulis, vel claretum ex potione vulnerariâ pectorali, nec in tantâ hauriatur copiâ, ut chirurgi nostri ævi propinare solent. Vinum parum conducit, nisi forsan virium languor id exigat. Vulneratus quiescat, & nimius vitetur motus, imò in latere affecto decumbat, ut sanguis, qui in thoracem effusus est, per vulnus commodiùs effluat. Tussim, sternutamenta, & suspiria caveat, nec multùm loquatur, nec magnâ utatur respiratione, nec rideat, lugeat, aut singultiat. Etiam sanatus vehementem caveat motum, ac propterea non statim vel curru, vel equo vehatur. Somnus, & vigilia non protrahantur. Alvus servetur lubrica. Animi pathemata excedentia, ut iram, clamores, Venerem, & alios nimios affectus caveat æger; etenim per solam iram, vel Venerem vulnus lethale redditur, quia humores redduntur acriores, & eorum naturalis interturbatur motus.

Pro thoracis vulneribus curandis, quæ cavitatem penetrant, vulgares chirurgi in primâ visitatione extemplò vulnus dilatant, nullâ habitâ anatomiæ peritiâ, & parum refert, an majus damnum inferat per partium internarum vulnerationem secundum vulnus, quia semper primo refertur, & quandòque qui non interfecit sicarius, chirurgus obtruncat. Vulnus vulnere cumulant, & afflicto afflictionem adduxit, nec ex vulne-

re

re salus, sed mors violenta; solent enim, ut pluries nos observavimus, vires ob sanguinis effusionem deficere & vitali spiritu cum sanguine ubertim depleto, statim mortem inferre, vel saltim ob remoram insanabiles inducere fistulas. Præterea per vulneris dilatationem aër externus, quâ datâ portâ, in thoracis cavitatem sese insinuat, & pulmones lædit; & hac de caussâ vulnus, quoties opus est, celeriter obligatur, ne aër externus in thoracem penetret. Vulneris dilatatio vulnus parvum efficit magnum, & si curatio ex voto, & non mors succedat, erit diuturna, & diuturnus pecuniarum proventus, ac perennis chirurgi gloria, præsertim si cum divitibus res agenda erit. In hac vulneris dilatatione magna venarum, arteriarumque per thoracis musculos disseminatarum erit incisio, & hinc prodiga sanguinis profusio, quàm quæ per vulnus evenit, quia major erit vulneris dilatatio, quàm inflictum vulnus, & major virium languor, ac maxima spirituum consumptio.

Quidam nasutiores chirurgi curativam vulneris indicationem in continui soluti unione consistere meditantes, vulneris dilatationem respuunt, quia quò angustius est vulneris orificium, eò coit vulnus; eapropter vulnus in thorace, si penetret, læsusque sit pulmo, vel illæsus, aut cujuscumque generis sit, dummodò penetret, ut cohibito sanguine, vel etiam non, vulnus illicò consuatur, monent. Ratio est, quia prohibetur, ne aër externus in vulnus ingrediatur, & pulmones refrigeraret, qui refrigerati marcescerent, & vulnus non ità facilè consolidaretur. Præterea, ex consutione calor innatus, qui miras efficit actiones, ità conservatur, ut pulmones, & alias consolidet partes. Insuper, si sanguis in thoracis capacitatem fuerit affluxus, & concretus, à calore innato coquetur, & attenuabitur, ac à pulmonibus attrahetur, & per sputum exturbabitur, ut in empyema fieri solet; ideòque omnia thoracis vulnera consui necesse est. Tandèm pro hac sententiâ, experientia docet multos, vulnere thoracis consuto, sanatos esse.

Cæterum hæc stultorum est sententia: nàm nullum thoracis vulnus consuendum esse existimavimus, sive pulmo sit læsus, sive illæsus ob sanguinis fluxum in cavitatem, quia clauderetur lupus inter oves. In empyemate sectio celebratur inter quintam, & sextam, vel inter quartam, & quintam costas, ut contenta egrediatur sanies, quæ à naturâ per sputum exturbari nequit; quare vulnus consuere, est sanguinis vel saniei exitum in thoracis cavitate impedire, qui vel pessima excitaret symptomata, vel ægrotantem jugularet, vel tandèm empyema moliretur. Nec ex vulneris consutione calor naturalis conservatur: sed à sanguine concreto, & putrescente corrumperetur, & spiritus vitales inficerentur. Nec externus aër pulmonis temperiem destrueret, quia vulneratus detinendus in aëre ad calorem vergente, qui pulmonis calorem conservandi vim habet. In his

itàque vulneribus non consuendum est, sed orificium apertum servandum; nàm materia in cavitate collecta exturbari debet, & cum nulla alia sit via, per quam commodè educi possit, ne majoribus malis ansa præbeatur, vulnus apertum servandum est, ubi materia copiosa in cavitate retinetur, vel indies coacervatur, ut quotidiè educatur, aliàs pessima affert symptomata, & tandèm mortem, & estò tantilla sanguinis portio in thoracis specum illabatur, nec etiam consuendum est vulnus: nàm esset favillam claudere, quæ magnum incendium creare posset.

Dilatato vulnere, nostrates carnifices, in illud statim aliquod medicamentum, quod sanguinem sistendi vim habet, clystere intrudunt, hujusmodi est *album ovi contusum cum aquâ rosaceâ*, vel *decoctum pimpinellæ, penthaphylli, plantaginis, pilosellæ, caudæ equinæ, in quo bolum Armeniæ, sanguinem draconis, & mastichen* dissolvunt; vulneris orificium *vino albo* abluunt, intra vulnus *turundam cum ovi albumine conquassato* vi intrudunt, & stuppatam eodem ovi albumine exceptam, additis *aloës, succo acaciæ, terrâ sigillatâ, & bolo Armeno*, imponunt, desuper arctè ligando, quam non auferunt, nisi 24. horis exactis. Nec interna desunt sanguinem sistentia, nàm per os *trochiscos de terrâ sigillata, de Caxabe, pulveres boli armeni, & cornu cervi usti cum syr. de rosis siccis, vel de myrtis cum decocto pimpinellæ, pilosellæ, & plantaginis* propinant.

Nec sanguine effuso per primum vulnus, & per secundum in dilatatione contenti, iterùm in vulnerati sanguinem sæviunt, & novam è latere opposito sanguificinam largiore effusione instituunt vulgares, vel quia in debitâ quantitate non effluxit, vel si nimium effluat. Si hoc in sanguinariorum opinamento verum esset, sanguis potius per idem vulnus, quàm per innocens latus oppositum educi deberet, si vulnus est in caussâ. Æger ante vulnus optimâ fruebatur valetudine, & ejus sanguis erat inculpatus, nec quantitate delinquebat: quomodò deindè vulneris caussâ tàm cito hostilis, & eliminationis reus evasit? Et eò magis venæ sectionem prædicant necessariissimam, quia pars affecta est cordi finitima, undè & pulmones à sanguine grumoso, & nimiâ subsequente sanie excuti, pleuritidem præcaveri, & respirationem liberiorem reddi arbitrantur; porrò non adeò prudenter agunt, quia sanguis semel evasatus, crassior redditur, nec in arterias retrogredi, nec in venas promptè influere potest, undè factâ venæ sectione, æger adhuc debilior redditur, & tunc cum tribus hostibus, scilicet cum vulnere, vulnerum symptomatibus, & virium debilitate dimicandum est. Nec venæ sectione in oppositò latere, vel etiam in utroque cubito contenti, cucurbitulas, vincula, & repetitas celebrant frictiones, ne magnus sanguinis affluxus ad affectam ruat partem.

Verum quia vulgarium medicina tota quanta est, circa sanguinis & merdæ eductionem versatur,

educto

ducto itàque sanguine, ad merdam educendam urinæ medicum invitant. Cæterum purgantia quæcumque thoracem non attingunt, imò, in pectoris affectionibus sunt infensa, corpus exagitant, sanguinis fluxum per vulnus concitant, corpus calfaciunt, febrem adaugent, sitim intendunt, & pessima in thoracis vulneribus excitant symptomata.

Alterâ die stuppatam, turundam, & quicquid in thoracis cavitate injectum fuit, extrahunt. Sanguinem in capacitate contentum, inverso ægro supra vulnus, commodè expellunt. Si copiosior est, illum non unâ vice evacuant, sed partitis, interjecto inter easdem aliquo intervallo, & ut hic citius procedat, æger tussiat, jubent, vel per quædam intervalla, ore, & naribus occlusis, spiritus supprimatur, quousque pulmones intumescant, & diaphragma contrahatur, ità ut contenta materia per vulnus exprimatur; verum tussis, vel spiritus suppressio thoracis partes nimis exagitant, ità ut ambientis injuriæ præsto sint, & nova, ac uberior materia indies ad cavitatem confluat; præterea vulnera perenni agitata motu denuò dilacerantur. Si hac arte non educatur, ægrum ità situant, ut infernas spectet partes, & pedibus illum suspendunt, vel ità concutiunt, ut tota materia liberè exire valeat, modò ipsum elevando lectum, modo deprimendo, modò membrum ipsum attollendo, prout vulneris orificium consulit. Quibus minimè juvantibus, & præcipuè si sanguis sit concretus, & in grumos conversus, & propterea evacuari nequeat, illum attenuant, & dissolvunt liquore conveniente per syringam in pectoris cavitatem infuso. In quem usum utuntur *Syr. acetoso, melle rosaceo, & melicrato*, verùm hæc etiam ab eorum *Gal. 5. meth. cap. 8. & 5. de loc. aff. cap. 2.* improbantur. Vel sequenti utuntur decocto.

℞. *Hord. mund.*
Lentium ana ℥. ij.
Consolid. maj.
Hyssopi.
Liquiritiæ ana m. ß.
Aquæ font. q. s. cui adde
Mell. ros. ℥. iv.

& iterùm parùm bull. colat. servetur pro usu. Liquor tepidus intra vulnus per syringam, sed melius per clysterem; omnia topica medicamenta hic calida usurpanda sunt, cùm frigus sit pectori inimicum. Injectus liquor, ut in loco affecto per unam, duas, vel tres horas maneat, curant, & dùm hoc medicamentum in cavitate continetur, æger leniter agitetur, & tussiat, ut totam thoracis cavitatem abluat, & sanguinis grumi attenuentur, & dissolvantur, postmodùm decumbat patiens supra apertum vulneris orificium, ut id, quod in cavitate continetur, effluat. Quòd si non eveniat, extrahunt per illud instrumentum, quo medicamenta ad aluum laxandum injiciuntur, putà clysterem, cujus fistula plura habeat foramina, & producta sit, ut ad thoracis cavitatem usque devenat, & immer-

Unable to display this page

cum sanguis illicò grumescat. Si sanguis ubertim ex vulnere fluat, statim cohibendus est medicamentis in thoracis cavitatem per syringam intrusis, & sequens habemus expertum, ut:

℞. *Radic. tormentill.*
Bellidis ana m. ß.
Sanguisorbæ, &
Bardanæ mai. ana p. j.
F. decoct. in suff. q. aquæ spermatis Ranarum,

Et utere tepidè addendo *aquæ arterialis parum.* Si verò vulnus pro sanguinis eductione non satis patescat, turunda ex spongiâ parata, & filo alligata imponi debet, eodem decocto imbuta, & post 24. horas decumbat æger in parte affectâ, ut quod intrusum fuit, evacuetur. Internè ad sanguinem sistendum, sequens medicamentum n. d. propinari potest, ut

℞. *Syr. plantag.* ℥. j.
Aquæ urticæ hortensis ℥ ij.
Sperniolæ Crollii gr. x.
Lapid. hæmatit. præp. ∋. j.
Philonii Persici ∋. iv.
Alkali Ranarum ℥. j. *m.*

Detur cochleatim.

Vel

℞. *Aquæ tormentill. &*
Polygoni ana ℥. j. ß.
Laudan. opiati gr. iij.
Terræ exanimat. vitrioli ℥. ß.
Ocul. cancr. ℥. j.
Syr. de succ. urticæ hortens. ℥. j. ß. *m.*

Sumatur etiam cochleatim.

Si sanguis in thoracis cavitate ità grumescat, ut per vulneris orificium educi non possit, ea medicamenta, quæ sanguinem dissolvendi, attenuandi, in naturalem fluorem reddendi, & acidum coagulatorem temperandi energiam habent, conveniunt, & per suos ductus eliminatur, hujus enthelechiæ sunt *mumia, sanguis hirci ad pleuritidem, oculi cancrorum, sperma ceti, magisterium coralliorum, extractum hyperici, bellidis, stibium diaphoreticum, cornu cervi sine igne paratum, Anthecticum Poterii, sal volatile cardui sancti, cornu cervi &c.* Pro Tyronibus sequentes adducuntur formulæ, ut

℞. *Syr. papav. err.* ℥. j.
Sang. hirci ∋. iv.
Extract. hyperic. ∋. j.
Anthectici Poterii gr. iv.
Aquæ Card. Mariæ ℥. iij. *m.*

Vel

℞. *Spermatis ceti,*
Oculor. cancr. ana ℥. ß.
Stibii diaphoretici ∋. ß.
Salis volatil. card. sanct. gr. vj.
Syr. hyperici ℥. j. ß.
Aquæ bardanæ ℥. iij. *m.*

Hæc etiam diaphoretica sunt, & sanguinis acidum curant, ipsumque sanguinem, & lympham crassam incidunt, attenuant, & fluxiorem reddunt, obstructas reserant vias, & vel sensibiliter, vel insensibiliter evacuant, & eò magis hæc administrantur, & conveniunt, si partes vulneratæ, vel affines inflammatione, pleuritide, vel peripneumoniâ tententur, vel saltim horum affectuum adsit metus. Si tussis torqueat ægrum, & febris adfuerit cum dolore lateris punctorio, descripta medicamenta anti-pleuritica, & diaphoretica continuanda sunt; hi enim vulnerati, ut pleuritici tractandi sunt,

prop-

proptereà omnia acidum contemperant, & coagulationem impediunt, & coagulata resolvunt, ideòque singulis horis duo cochlearia exhibemus.

Interna sanguinem coagulatum solventia externis, & topicis matitanda sunt, ut promptius, & facilius solutio eveniat, ne stagnatione putrescat, undè syringa in thoracis cavitatem fiant reiteratæ injectiones *ex decocto bardanæ, cherifolii, bellidis, addito salis cardui benedicti pauco*; sal enim non sinit sanguinem in coagulum abire: turunda vulneris orificium in eodem decocto infusa claudat, dein æger se concutiat, & ità collocetur, ut per vulnus intrusum educatur. Si sordes unà educantur, ad eas abstergendas in injectione aliqua *mellis rosacei simplicis* portio dissolvatur, & prætertim si aliqua sordes, vel pus super diaphragma contineatur.

Solutis sanguinis thrombis, & eductis, ac vulnere abstersо, ad consolidationem recurrendum est, pro qua vulneraria balsamica necessaria sunt, & syringâ intrudenda, hujusmodi sunt *Balsamus Samaritani, essentia hyperici, oleum Apparicis, vel balsamus Peruvianus albus, liquidus cum aquâ Reginæ Hung. vel balsamus proprietatis cum decocto millefolii, vel balsamus artificialis.* Pro pauperibus utimur *oleo Apparicis, vel oleo hypericonis, lumbricorum, terebinth. mastiches ana.* Omnes injectiones, si non calidæ, saltim tepidæ intrudendæ sunt; frigida enim pectori, & vulneribus sunt hostilia. Hæ injectiones, & eductiones bis in die peragantur, non desit foramini sua turunda filo alligata, & ijsdem medicaminibus imbuta cum suis plumaceolis desuper positis, nec turundæ sint capite crassiore, nec nimis longæ, ne pulmones lædant. In turundarum applicatione magnâ cautelâ procedendum est; ne in thoracis specum rapiantur; tale enim factum pluries accidisse plures testantur historiæ chirurgorum, quæ & nonnunquàm abreptæ cum vehementi tussi per idem vulneris orificium fuerunt ejectæ, ità *Gulhelmus Fabricius cent. 1. observ. 46.* habet: *Cuidam duas turundas in pectus delapsas, ac post tres menses tussi rejectas fuisse.* Hoc idem nobis optimus nostri qui ille chirurgus, *Ioseph Carniuale* retulit, de quodam, in cujus thoracis cavitatem turunda satis crassa, sponte absorpta, quam post quindecim dies excitatâ vehementi tussi, per asperam arteriam, & tandèm per os deturbavit. Fides sit penes authorem, qui asserit naturam per cœcos ductus turundam ejecisse; ideòque cœcus sit, qui huic spectaculo interfuit, & credat Judæus apella, quia nos, cum simus nimis scrupulosi, non facilè aliorum relatis acquiescimus.

Si copiosus sit per vulnus materiæ proventus, & æger malè se habeat, ut continuò materia effluat, (quod ex nostris medicamentis vulnerariis balsamicis evenire non potest) ne ibi putrescens, febrem, annelitûs difficultatem, & tussim excitet, vulgares cannulam argentem, vel plumbeam, pluribus in locis perforatam, extrà verò alis muni-

munitam, vel loris revinctam immittunt. Non nimis diù turundis applicandis insistendum est, ne immedicabilis pectoris fistula producatur, sed statim post consolidationem superponantur dicta medicamenta balsamica cum linamentis, quæ curationem omnibus numeris absolutam complent, vel tandèm *emplastrum oppodeldoch*, *vel sticticum* superponimus.

Non defraudamus intereà potionibus vulnerariis ægrum; hæ nàmque juxta partis vulneratæ conditionem variandæ sunt, & sicut capitis vulneribus cephalica, ità thoracis pectoralia adhibemus, in dictis itàque potionibus utimur *hederâ terrestri*, *veronicâ*, *hyssopo &c.* ut & fructibus pectoralibus, *jujubis*, *passulis*, *ficubus &c.* Si verò pulmo sauciatus fuerit, *pulmonariâ maculosâ*, *tussilagine*, *prassio &c.* His vegetabilibus, quæ ad thoracem, & partes in eo contentas specificum dicunt respectum, alia vulneraria admiscemus, ut sunt *alchimilla*, *pirola*, *radix tormentillæ*, & *symphyti*, *sanicula*, *stellaria*, *persicaria*, *achillea*, *hypericon*, *pilosella*, *vincapervinca*, *telephium &c.* In tyronum gratiam sequentes vulnerariarum potionum formulas breviter describemus, ut

℞. *Radic. tormentillæ* ʒ. ß.
Symphyt. ʒ. iij.
Stellariæ,
Alchimillæ,
Sanículæ,
Veronicæ ana m. j.
Injubar. num. xx.
Concisa, & contusa bulliant in suff. aquæ quantitate, vase clauso, & cola.
Dosis ʒ. iv. *quas eâ unicorâ*
Syr. de hedera terrestri, &
De symphyto ana ʒ. j.
Et adde sarcocollæ ϑ. ß.
Oculor. cancr. ʒ. j. *m.*

Vel

℞. *Pulmonariæ maculosæ*,
Alchimillæ,
Virgæ aur[illegible],
Pirolæ ana m. j.
Passular. sine arillis ʒ. j.
Bulliant in duplici vase. Dosis ʒ. iij. *quibus adde*
Syr. rubi Idæi, &
De tormentillâ ana ʒ. j.
Balsam. Peruvian. liquidi ϑ. j.
Mumiæ, &
Sang. hirci ana ʒ. ß. *m.*

Credibile non est quantùm hæ potiones in vulneribus curandis valeant, Germani chirurgi, apud quos in frequentiori sunt usu, dicant: Neapolitani carnifices, idest chirurgi, quia de tonsorum genere sunt, (sit paucissimorum pace dictum) his neglectis, digestivo utuntur, undè pauci vulnerati sanescunt naturæ ope, & quos æquus amavit Juppiter. Nec nos has potiones pro his tonsorculis designamus, præterquamquòd nostram chirurgiam non intelligunt, & negligunt; ideòque non projicimus margaritas ante hos porcos, nec sanctum canibus mittendum censemus. Lucius Apulejus sub asininâ formâ hominem tegebat, isti chirurgi sub hominis larvâ asinum tegunt, ideòque non mirum, si nos mordeant, & calcibus feriant.

CAP.

Cap. LVII.

De Anatomicâ imi Ventris Hiſtoriâ.

EGimus de ſuperiore ventre ſc. de capite, de medio ſc. thorace, nunc anatomicus poſtulat ordo, ut de imo tractemus; ſed quia hic venter intra ſe partes humidas, putredini valdè obnoxias, multarumque fæcum cloacam continet, ab eo ſectiones anatomici exordiri ſolent, ut citæ putredinis vim declinent, eaque primum amovent viſcera, quæ ſuâ corruptione totum cadaver inficere, & ſic commodam reliquarum partium demonſtrationem impedire poſſent.

Hic infimus, ac tertius venter abdomine clauditur, hepatis, ventriculi, lienis, inteſtinorum, aliarumque multarum partium, alimentorum coctionibus, excrementorum ſecretionibus, & ſobolis procreationi inſervientium ſedes, in imum locum neceſſariò relegandæ, ne hujus culinæ multiplices turbationes, ac fœdiſſimæ impuritates ſuperiorum principum viſcerum functionibus obeſſent; Principes nàmque ſemper in infimam plebem onera deponere ſolent.

Eſt venter inferior totum id, quod ſuperius cartilagine enſiformi, ac diaphragmate, utrinque latere à coſtis inferioribus, poſterius, & inferius lumborum vertebris, oſſibus coxendicis, ſacro, & pubis circumſcribitur.

Hujus anteriora coſtarum infimis cartilaginibus finitima, ſub iiſque comprehenſa, veteribus *Hypochondria & Præcordia* nominantur, ſuntque duo, hinc dextrum, indè ſiniſtrum. Quod in medio hypochondriorum ventriculo cum proximis inteſtinis incumbit, *Epigaſtrium* nominatur, quamvis antiquitus totum anterius abdomen, Græcis *Epigaſtrion* nominatum fuit.

Media regio umbilicalis eſt, infra, & ſupra umbilicum tres digitos æquans. Cujus portiones laterales illa, eo quod Ileum inteſtinum ſub ipſis maximè lateat, nominantur.

Quod infra hanc, pubiſque ſpatium comprehenditur, *Hypogaſtricum*, Imus venter, & Aqualiculus nuncupatur; cujus partes laterales in flexurâ femoris ad pubem, Inguina dicuntur. Pubes eſt pars pudendis proximè imminens, quæ pilis tegitur in adultis.

Poſteriora abdominis ſuperius lumbi, inferius nates complent.

Conſtat hic Venter ex partibus integentibus, & tectis, hoc eſt exterioribus, & interioribus.

Veſtientes, ſeu continentes (quas abdomen propriè vocant) vel communes ſunt, ut cuticula, cutis, pinguedo cum ſuâ membranâ, panniculus carnoſus, & tunica cujuſvis muſculo propria; vel propriæ, ſuntque muſculi abdominis, & peritonæum.

Partes interiores, ſeu contentæ ad nutritionem, vel ad procreationem faciunt. Ad nutritionem, vel ad procreationem faciunt. Ad nutritionem quovis modo, ut ventriculus, omentum, pancreas, inteſtina cum meſenterio: vel ad

æmatosin quovis modo, ut venæ meseraicæ, venæ portæ cum radicibus, cava cum radicibus, hepar, vesica bilaria, porus bilarius, lien cum vase brevi, & hæmorrhoidibus, arteria cœliaca, renes, capsulæ atrabilariæ, ureteres, vesica. Ad generationem quæ faciunt, vel sunt viriles, vel muliebres: Viriles, ut vasa spermatica, corpora varicosa, seu parastatæ, testes, vasa deferentia, prostatæ, vesicæ seminariæ, penis &c. Muliebres, ut vasa spermatica, corpus varicosum, & testes, vasa ejaculatoria, uterus cum suis partibus &c.

De Cuticula.

Cuticula, Græcis *Epidermis* dicta est, aliis summa, vel ultima cutis item cutis efflorescentia, cutis operculum &c. Est pellicula tenuis, densa, vitæ, sensusque expers, exsanguis, instrata ad cutem tegendam, eique firmiter adhærens.

A subditæ cutis madore, ambientis aëris siccitatis densato, orta vulgò creditur; sed perperàm, cum principium seminale non minus habeat, quàm cutis, aliæque partes solidæ.

Usus est tueri cutem, vasorum oscula tegere, ejusdemque exquisitum sensum attemperare, & nimium madoris effluvium impedire. Eapropter nonnihil dura est, tenuissima tamen, perspicua, quemadmodum ceparum tunicæ pellucidæ, ne si crassior esset, cutis non rectè sentiret. Callosa tamen aliquandò ob labores in pedibus, & manibus.

Densa est, & cute compactior. Unde pustulæ æquosæ cutem transeunt, non cuticulam. Non tamen nimis densa, ne corporis transpirationem prohibeat. Et densa quidem est non tantum ad tuendas partes subjectas; verum etiam ne nimius vaporis, sanguinis, spirituum, & caloris fiat effluxus: nàm est osculorum, & extremitatum vasorum operculum; quare non sine ægritudine vivunt, qui sine cuticulâ nascuntur.

Varii anatomici hanc partibus corporis annumerandam non esse credunt, his rationibus ducti.

Prima, quia in prima partium formatione non fuit ex semine producta, sed postmodum ab excrementis tertiæ, ut aiunt, coctionis, frigore densatis, & exsiccatis orta, instar cuticulæ, quæ pulti increscit: hoc indè liquere tradunt, quia cum aufertur, vel deteritur, facilè regeneratur, secus quàm partibus spermaticis contingere solet.

Respondetur, illius tenuissima stamina ex semine unà cum cute, in primâ partium delineatione fuisse efformata. Hoc liquet in abortivis fœtibus omnibus cute tectis, in quibus semper etiam cuticula invenitur; quæ non potuit fuisse generata à frigore externo, quod in occluso utero nullum est; nec ab ambientis alicujus siccitate, quæ nulla fœtum, lacteo succo satis humido innantem, contingit: ergò ab aliquâ seminali portiunculâ. Quod autem ablata, vel detrita facilè regeneretur,

hoc commune habet cum dentibus, qui quotidiè deterpuntur, atque iterum excrescunt, imò in permutatione superior major pars eorum auferetur, & postmodum restituitur: itèm cum sanguineis quoque partibus, quæ hac de caussâ è partium numero non excluduntur, quod ablatæ restituantur, cum ipsis sanguineum nutrimentum tam copiosum affunditur, ut facilè talis redintegratio fieri possit. Sic etiam ad cuticulam è cutis vasorum finibus, quos tegit, & occludit, ex sanguine viscosi habitus, roris instar, continuè copiosi, pro ejus nutrimento exhalant, deperditas, vel detritas particulas facilè restaurari. Denique si, ut solent adjicere, generetur sicut crustula pulti increscens, hoc satis probat esse veram corporis partem, ex eodem cum reliquis principio ortam; nàm illa crustula in lacte non est lactis incrementum condensatum, ut nec aliud quid extra lac, sed est densior ipsius lactis pars: ergò etiam lac.

Secunda, quia non sentit, & in morbis non absumitur, sicut aliæ partes.

Respondetur, licet non sentiat, nec in morbis manifestè absumatur, tamen non minus partem corporis esse quàm os, quod etiam neque sentit, neque absumi videtur.

Tertia, quia non vivit.

Respondetur, falsum esse, quòd non vivat, nàm increscit cum reliquo corpore, & nutritur succis alimentariis, sicut reliquæ partes, qui succi, licèt manifestè conspici nequeant, nihil refert, quoniam illud ipsum etiam contingit in illis succis qui nutriunt ossa, periostia, dentes, multasque alias partes. Præterea etiam suos patitur morbos à pravis humoribus, & sanguine procedentes, ut patet in leprâ, exanthematibus, multisque maculis. In aliis quidèm tenuior, & mollior, in aliis crassior, & durior est, sed talia non magis imminuunt vitam cuticulæ, quam cutis, cui eadem illa etiam contingunt.

Quarta, quia nullam obit actionem.

Respondetur, licèt non agat, tamen usum habere maximè necessarium, atque hinc non minus partem esse, quàm cartilaginem, pinguedinem, multasque membranas, carnes, aliasvè partes, quæ usum quidem habent, non verò actionem.

Concludendum igitur, cuticulam veram esse corporis humani partem, Primò, quia cum aliis complet totum; nàm homo sine cuticulâ non est totus, & perfectus homo. Secundò, quia corpori in continuitate adhæret. Tertiò, ad usum necessarium, ut antè dictum, comparata est.

Colore candido, & planè exsanguis, nàm dilacerata, vel incisa sanguinem ex se non emmittit. Æthiopibus nigra est, subjecta verò cutis non itèm. Numero una est

Cuticula connectitur, & arctè cohæret cuti, homine vivo, non aliter continua esset. Sæpè etiam præter naturam instar exuviarum serpentis deponitur, ut in quodam

poda-

podagrico in pedum plantis observavimus, item in variolis, febribus ardentibus, aliisque. In demortuis candela, vel ferventi aquâ separatur: in vivis phœnigmis. In glande non cuti, sed carni adhæret.

De Cute.

Cutis, *Derma* Græcis dicta est, est integumentum membranosum, crassum, ex semine ortum, corpori externo undequâque inductum, ut tactus sit instrumentum, & ad subjectarum partium tutelam.

Cutis est quoddam rete mirabile ex capillaribus vasculis, nempè venulis, arteriolis, & nervillis contextum, totum corpus investiens. Sub totâ cute i. sub illâ texturâ reticulari copiosæ constitutæ sunt glandulæ parvæ (cutaneæ, & milliares appellatæ, microscopio observabiles) suis excretoriis vasis exteriora versus ad cuticulam spectantibus instructæ, quorum orificiola cutis poros constituere videntur. Hæ glandulæ cutaneæ milliares ex sanguine per vasa capillaria emulgent, & separant copiosè partem ejus aquosam, salibus oleosis superfluis, aliisque particulis inutilibus, tum primariò massæ sanguineæ, tum etiam partium continentium imprægnatam, quæ sub halituum per se invisibilium formâ per vascula earum excretoria exspirant, adjuvante non parum calore tum ipsius corporis, tum etiam corporis ambientis, & insensilis transpiratio appellatur, de cujus quantitate, & necessitate videatur *Sanctorius in Medicinâ Staticâ.*

Perforata est variis in locis ad introitum, & exitum necessariorum; ejus autem foramina alia conspicua, ut os, aures, nares, oculi, anus, uterus &c. Alia inconspicua, & insensibilia, ut pori. Pori illi corporis aliàs inconspicui, hyberno tempore conspiciuntur, cum corpus derepentè denudatur; tum enim cuticula anseris deplumati cutem æmulatur.

Innumeras habet arteriolas, & venulas, & nervos, per quos spiritus animales recipit, quorum ramuli exiles, & fibrillæ innumeræ in eam terminantur, & acutum sensum ei conferunt.

In multis locis pilosa est, ut in capite, & adultioribus in pube, mento, labiis, sub axillis: præterea multis etiam, præcipuè viris, in thorace, cubitis, femoribus, & tibiis.

Constat cutis ex semine in quantitate moderatâ recepto, & pro ampliatione moderatum sanguinem accepit: videtur tamen superare semen. Nàm albicat cutis naturaliter, licèt pro subjectorum corporum, & humorum copiâ variet: nàm qualis humor, talis color in cute efflorescit. Sic sanguinei rubent. Jcterici flavescunt, vel nigricant. Carò, si subjacet, citius rubet: si pinguedo, albicat. Sic etiam pro regionum diversitate aliis niger, aliis flavus, aliis medius inter flavum, & nigrum, aliis albus est. Sic etiam pro diversitate solis exurentis: hinc illis, quorum cutis continuè soli exponitur,

nitur, multo magis fuscus est, quàm aliis, qui in umbrâ vivunt.

Ratione substantiæ differt cutis in crassitie, tenuitate, densitate, mollitie, & duritie, pro varietate temperamentorum, ætatis, sexûs, regionum, & partium operantium.

Cutis crassa est sextuplo cuticulâ crassior, sed tenuior quàm in aliis animalibus, neque aliquis è cute in corium apparata, de cutis crassitie judicet; apparatu enim eo corrugatur plurimùm, & incrassatur. Mollior, & rarior est in facis, pene, & Scroto: durior in cervice, cruribus, pedum plantis, dorso: media in duritie, & mollitie est in digitorum apicibus. Sic quædam cutis est crassissima, ut in capite: quædam crassa in collo: quædam tenuis, ut in lateribus, unde titillatio; quædam tenuior, ut in volâ manus, tenuissima in labiis, & in glande. In pueris tenuior, & porosior, quàm adultis, in fœminis quoque quàm viris; in calidâ regione, quàm frigidâ. Æstivo quoque quàm hyberno tempore cutis tarior, quo fit, ut animalium pelles æstate exoriatæ difficilius pilos, quàm hyeme contineant. Variat quoque plurimùm pro diversitate subjecti; unde in nonnullis densitatis, & crassitiei admirandæ, si credimus *Petro Servio*, adeò ut ea innoxiè carbones igneos tractare, gestare, & continere, & propemodùm extinguere duæ Æthiopissæ potuerint.

Quædam cutis à subjectis partibus facilè separatur, ut in ventre inferiore, & medio, brachiis, & cruribus. Ab aliis difficulter, ob membranam carnosam, cui nectitur fibris, & vasorum beneficio.

In plantis pedum, & volis manuum vix separatur, quibus connascitur ad firmiorem apprehensionem. Vix etiam à carne frontis, & totius ferè faciei, maximè aurium, & labiorum, ob tendines, & musculos, maximè eum, qui latus dicitur, commistos. Sic in fronte mobilis est, in reliquo corpore non item.

Usus cutis est, ut sit corporis tegumentum; & ut exitum det excrementis, & suligines excludat insensili perspiratione, qua magis sublevamur, quàm omnibus sensibilibus simul unitis, undè generale corporis emunctorium dicitur, ideòque tota quantâ est foraminata conspicitur. Per hanc ex arte staticâ *Sanctorius* triginta annorum experientiâ deprehendit, pluribus unicâ die naturali tantum evacuari, quantum per avum quindecim dierum curriculum.

De Pulmone.

Pinguedo, Græcis *Pimeli* dicta est, est substantia unctuosa, frigore condensata, ex alimenti portione producta, quæ cuti substrata, non minùs penetrabiles noxas excludit, quàm immodicam insiti caloris discussionem prohibet, & partes interiores humectat, iisque faciliorem præbet motum.

Quærunt Anatomici, an pinguedo inter humani corporis partes annumeranda sit? Quidam negati-

gativam sustinent partem his rationibus ducti, &

Prima, quòd non sit pars spermatica è semine genita, quia in primâ partium delineatione nusquàm apparet. Sed

Respondetur, partium spermaticarum prima solùm delineamenta ex semine gigni, eaque plerùmque adeò tenuia esse, ut in principio oculis conspici nequeant, sicut liquet in dentibus, aliisque variis partibus, quæ non nisi diù post apparent, ubi per oblata alimenta incrementum sumpserunt, & sic quoque se rem habere in pinguedine.

Secunda, quòd communi cum reliquis partibus vita non fruatur, quia insensibiliter modò increscit, modò absumitur.

Respondetur, quòd sicut musculi per morbos insensibiliter decrescunt, & per sanitatem increscunt, atque indè tamen dici non possit, illos communi cum reliquis partibus vitâ non frui, sic etiam per incrementum, aut decrementum pinguedinis, non probari illam communi cum aliis partibus vitâ non frui.

Tertia, quòd per inedias in aliarum partium nutrimentum convertatur, cùm tamen una pars aliam nutrire non possit.

Respondetur, quòd probandum foret pinguedinem per inedias in aliarum partium nutrimentum cedere, in earumque substantiam mutari: illud enim verosimile non videri, sed quòd potius hæc, sicut aliæ partes, imminuatur, destituta suo convenienti alimento.

Quarta, quòd nullam obeat actionem.

Respondetur, quòd *Gal. 6. de placit. cap.* 8. pinguedini functionem adscribat, per functionem intelligens usum, sicut multis aliis in locis actionem, & usum confundit, quamvis reverà differant.

Ad hæc, cuticulam, varias membranas, pilos, aliasque nonnullas partes, etsi nullam actionem obeant, sed usum solummodò præstant, è partium tamen numero non excludi, & hac de caussâ etiam pinguedinem ex isto numero non excludi posse.

Universo corpori circumfusa est pinguedo, exceptis labiis, auris parte superiore, palpebris, scroto, & pene, quibus oneri fuisset. Non in omnibus tamen hominibus æquali quantitate cuti substrata reperitur: communiter vix semidigiti latitudinem superat, in plurimis longè tenuior est, in obesis aliquantò crassior.

Forma pinguedinis, quamdiu in vasis est, non est concreta, sed liquida, & fusa ob calorem, quia adhuc in vasis continetur.

Venas tres habet pinguedo abdominis, mammillarem externam supernè descendentem, Epigastricam infernè è crurali per inguina ascendentem, & à lumbis quam plurimas emergentes venas, quibus arteriæ sociantur.

Glandulas habet copiosissimas, quæ excrementa ex corpore in se recipiunt. In morbosis, & excrementitiâ humiditate abundantibus copiosiores.

Pinguedinis usus est.

I. Instar vestis calefacere, calorem nativum fovere, suâ visciditate effluxum prohibendo, crassitie, & densitate meatus occludendo, ne frigus penetret, & æstate calorem inhibendo, quò minus penetret.

II. Calidas, & siccas partes, ut cor, oblinire, & humectare.

III. Motum faciliorem reddere, & partes servare, ne exsiccentur nimis, distendantur aut rumpantur. Hinc cartilaginum extremitates tuetur, articulos majorum ossium, quorundam ligamentorum externâ sede, item vasis ad cutem delatis substernitur. Sic hanc ob caussam pinguedinis copia in orbitâ oculi, ne ob motum continuum exsiccatio, & ariditas quasi sequatur. Et vena coronalis cordis multâ pinguedine est munita, ut motui, & magno calori cordis obviam eatur.

IV. Est instar pulvinaris, & propugnaculi, contra ictus, contusionem, compressiones. Hinc clunibus, volis manuum, & pedum natura copiosam dedit pinguedinem.

V. Spatia vacua complet inter musculos, vasa, & cutim, adeòque corpus reddit æquale, album, molle, pulchrum, formosum. Hinc tabidi, & vetulæ deformes.

De Membranis in genere, de Membranâ carnosâ, & Membranâ Musculorum propria.

Pinguedini in homine substernitur *membrana carnosa*, quæ tamen cuti proxima est in simiis, canibus, ovibus. De hac antequàm agamus, membranæ natura in genere cognoscenda.

Membrana est, quæ partem ambit corpulentiorem, ut peritonæum, pleura, periostium, pericardium, & musculorum membranæ peculiares. Tunica strictè, & propriè vasis tribuitur, ut venis arteriis ureteribus, utero, vesicæ bilariæ, & urinariæ, œsophago, ventriculo, intestinis, testibus. *Meningis* vox peculiariter cerebri membranis tribuitur.

Membrana autem est pars similaris lata, plana, alba, & dilatabilis, & semine viscido, & aquoso genita, ut partes vestiendo custodiat.

Forma est superficiei æqualitas, tenuitas, lævitas, densitas, validitas, ut dilatari possit.

Usus est,

I. Partes vestiendo custodire ob duritiem, & densitatem, & tactûs instrumentum esse; nam membranarum ope partes sentiunt. Et tanta est membranarum necessitas, ut natura quamlibet partem membranâ intexerit.

II. Ad robur partium conferre.

III. Ne frigore pars lædatur, & ne calor naturalis exhalet.

IV. Ut partes partibus conjungat. Sic Mesenterium, intestina dorso connectit.

V. Vasorum ora claudere, ne humores effluant, vel refluant: ut fit in vesica ad ureterum implantationem, in cordis ventriculis per valvulas.

Membrana est alia crassior, alia tenuior. Tenuis differt in tenuitate; nàm periosteum costarum est tenuius,

tenuius, quàm pleura; periosteum capitis, quàm pericranium; dura, quàm pia mater, crassior est. Crassa est membrana carnosa, quæ nec ipsa quidèm æqualitatem servat; nàm in collo crassior est. Sed de membranâ carnosâ jam dicemus.

Membrana carnosa, membrana communis, quibusdam musculus membraneus dictus, communiter dicitur *Panniculus Carnosus*, est membrana valida, fibris carnosis præcipuè circa frontem, collum, occiput, auriumque plagas donata, & toti corpori ad tègumentum, ac defensionem circumtensa, sensuque exquisito prædita, undè acribus lacessita vaporibus corpus quadam concussione, ac rigore convellit.

In homine pinguedini proximè substernitur, in plurimis brutis cuti, quam eorum multa mobilem hac de caussâ habent, & muscas, aliaque insecta motu isto excutiunt, ut videre est in equis, vaccis, cervis, & elephante; in homine verò, exceptâ fronte immobilis est.

Usus est, I. Partes vicinas munire, imò totum corpus integere, & defendere, undè apparet ejus situs, quod totum corpus ambiat. II. Pinguedinem continere, ne diffluat, aut à continuo musculorum motu liquescat. III. Vasa ad cutim abeuntia (quæ eunt inter cutim, & hanc membranam) fulcire; nàm

Connectitur cuti per plurimas venas, pauciores arterias, nervorum propagines, & fibras membraneas, membranis verò musculorum subjectis, per fibras tenuiores. Dorso firmissimè adhæret, ibique crassissima est, atque propterea indè ejus originem vulgò derivant; in hominis parte anteriore colli, & fronte, à cute, & musculo lato vix separari potest; adeo adhæret, & musculum latum constituere putatur.

Superficies lubrica, parte qua musculos tangit ob lentum humorem membranis oblini solitum, ne motus impediatur.

Membrana musculorum propria est tenuis membrana, omnes, & singulos musculos investiens, eosque à se invicèm, & vicinis partibus distinguens. Alii membranam hanc à periostio, à musculorum nervosis fibris oriri volunt. Hæc tenuis est, & annectitur musculò per tenuissima filamenta.

Usus est, I. Musculos investire, & ab aliis separare. II. Eidem sensum tactus communicare.

De Musculis.

Partes continentes huic infimo ventri propriæ sunt ossa, musculi abdominis, & peritonæum.

Ossa sunt pauca, & vasta, scilicet lumborum vertebræ quinque, os sacrum, cui annectitur os coccygis, & os ilium, coxendicis, ac pubis, de quibus alibi.

Musculi abdominis decem numerantur, membranis proprtiis, & fibrarum concursu, vel situ manifestè distincti, utrimque æqualiter sibi invicèm oppositi.

Primum par obliquè descendens, (seu externum) ita dictum ob fibras, quæ

quæ obliquè descendunt à parte supernâ ad infernam ; totum sui lateris abdomen obvelat, cùm maximum sit, & latissimum.

Oritur in pectore ex inferna parte sextæ, septimæ, octavæ, & nonæ costæ, antequàm illæ in cartilaginem abeant ; & oritur quidèm variis principiis triangularibus, seu pinnis (juxta serratum pectoris musculum majorem,) quæ posteà in unum coalescunt. Singulis verò pinnis ex interstitiis suarum costarum singuli nervi porriguntur. Deindè oritur etiam ab apice transversorum processuum vertebrarum lumborum. Adeò principium ejus latè diffusum est, videlicèt à sextâ costâ ad imam lumborum vertebram. Desinit in abdomen medium, ubi apparet alba linea, & os pubis, & desinit quidèm in latum tendinem, concurrentibus eò infinitis fibris obliquis. Est autem *linea alba* pars candicans à mucronatâ cartilagine per medium abdominis, & umbilicum ad usque pubis excurrens. Tendineam habet firmitudinem, & conflatur ex concursu finium tendinum musculorum abdominis, descendentium, ascendentium, transversorum, & pyramidalium.

Nervos, arterias, & venas ab intercostalium ramis parte superiore sortiuntur.

Hi musculi duo obliquè descendentes perforati sunt, I. ad umbilicum, II. ad inguina in viris, ut vasa seminalia exeant ; in mulieribus, ut duo ligamenta uteri rotunda, & nervea exeant & in pudendum prope Nymphas desinant.

Secundum par est obliquè ascendens, seu internum habens fibras contrarii situs : proximè substernitur & figuram habet triquetram. *Principium* ejus carnosum est à costâ ossis Illi Membranosum verò tùm à processibus transversis vertebrarum lumbarium, à quibus nervos accipit, tum à spinis ossis sacri. *Fine* adnascitur carnoso nonnihil singulis costis nothis, & veris nonnullis, reliqua verò sui parte finali paulatim abit in tendinem, & quidèm duplicem : una pars supra rectos musculos vergit, altera pars infra : ut rectus quasi in vaginâ sit repositus, sed prope lineam albam reunitur, & in eandem inseritur.

Tertium par Rectorum est à recto fibrarum ductu denominatur. Hoc validissimum est, & latitudine digitos transversos tres, vel quatuor ; crassitie minimum digitum æquat.

Ab utroque latere cartilaginis ensiformis, à sterno, & quatuor costarum cartilaginibus carnosi oriuntur, & sic rectà descendentes, ac propè umbelicum quasi uniti, & binis, ternis, interdùm quaternis inscriptionibus, quibusdam transversis, quibusdam nonnihil obliquis, veluti in plures musculos dirempti, valido, crasso, tendinosoque fine desinunt in ossa pubis. Nonnulli Anatomici eorum principium ab ossibus pubis, finem in costarum cartilaginibus posuerunt. Alii illos ex pluribus musculis conflari putârunt, eorumque principia, partim in costarum cartilaginibus, partim in

ossibus

ossibus pubis, fines verò, seu tendines ad eorum intersectiones statuerunt, & singulas partes inter duas tendinosas inscriptiones contentas singulos musculos esse tradiderunt. Cui opinioni non omninò absre calculum suum concedit *Spigelius*, eo argumento præcipuè inductus, quòd non tantùm in superioribus partibus recipiant nervos ab intercostalibus, verùm etiam in inferioribus à primo lumborum pari. Nàm perpetua regula est: Omnis musculus movetur versus suum principium. Ubi autem nervus inseritur, ibi est principium musculi, atqui hîc varii nervi inseruntur in eorum partes, non modò superiores, & inferiores, verum etiam illas, quæ singulis intersectionibus interjiciuntur: igitur multa sunt horum musculorum principia, quæ cum non possint esse multa in uno musculo, necessariò singuli recti musculi non constant ex uno, sed ex pluribus musculis. Præterea, si primariam eorum actionem spectemus, illa est, ventrem fortiter comprimere, ad fæcum, fœtusque expulsionem: quæ compressio non requirit, ut os sternum deorsum, vel ossa pubis sursum trahantur, sed ut ilia ossa suis locis maneant, omnesque, & singulæ horum musculorum partes simul intumescant, sicque superiores cujusque partes, alias sibi ad proximas intersectiones proximas, sursum; inferiores alias sibi proximas deorsum; mediæ intersectionibus interjectæ utrimque adstantes ad se trahant.

Quæ tractiones, cum fiant à distinctis, & diversis partibus ad partes diversas, sequitur singulos rectos musculos constare non ex uno, sed ex pluribus musculis.

Sicut arterias recipiunt insignes ab epigastricis ascendentibus, & mammariis descendentibus, sic etiam venas majusculas ad venas epigastricas, & mammarias emittunt.

Quartum par Pyramidales musculi, incumbunt rectorum infimis tendinibus. Denominantur pyramidales à figurâ pyramidali, ab usu verò succenturiati dicti, quia rectis subsidio venire creduntur in suâ actione. Nec sunt rectorum partes, sed distincti, quia membranâ peculiari vestiuntur, & fibris non conveniunt cum rectis.

Oriuntur principio carnoso, nec admodum lato ab extremo osse pubis, ubi etiam nervos recipiunt: & quantò longius ascendunt, tantò fiunt angustiores, donec apice acuminato in transversi musculi tendinem desinant.

Nonnunquàm hi musculi ambo desunt, interdum alteruter desideratur, isque frequentius sinister, quàm dexter, & tunc eorum locum latior, & carnosior rectorum finis supplet.

Falloppius vult, pyramidales vesicam, dum mingimus, comprimere ad urinæ excretionem.

Quintum par Transversi, situ infimi, oriuntur à ligamento quodam ex osse sacro prodeunte, & musculum sacro-lumbum tegente, deindè ab infimâ costâ, & ab osse ilii. Finiunt membranoso tendine, & in lineam albam, ubique ità tenaci-

ter peritonæo adhæret, nisi circa pubem, ut sine laceratione ab iis separari nequeat. Horum peculiaris usus est colon comprimere.

Omnium musculorum abdominis est ventrem inferiorem comprimere, & sic alimentorum per vasa, & viscera impulsionem, ac redundantium, & fœtûs quoque maturi expulsionem promovere, atque etiam thoraci in validâ respiratione, & expectoratione suppetias ferre; item contenta viscera ab injuriis externis defendere, & calore suo fovere, ac coctionem adjuvare.

Præter dictos musculos etiam ventris inferioris musculis accenseri possent musculi in lumborum, & ossis sacri regione siti; verum quia illi primariò aliarum partium actioni inserviunt, ordini musculorum hujus ventris inferioris annumerari non solent.

De Peritonæo.

Omnibus abdominis musculis ablatis, peritonæum in conspectum venit, subjacens, & intestinis obductum, dictum à circumtendendo, quòd circum partibus, quæ inter diaphragma, & crura sunt. Est autem Peritoneum, membrana viscera inferioris ventris investiens.

Est autem membrana tenuis, ac mollis, ne oneri sit; sed valida, & densa, ut laxari, & extendi possit. Crassior est in mulieribus ab umbilico usque ad pubem, ut in fœtus gestatione distendi magis possit, in viris præsertim crapulæ addictis crassior à mucronatâ cartilagine ad umbilicum, ob ventriculum putatur. Alii volunt peritonæum esse ex ligamentosâ, & nervosâ substantiâ; alii ex solis nervis; alii ex solis ligamentis; alii à cerebri meningibus; alii ex fibris spermaticis intertexta: intrinsecus lævis, & veluti humore oblita, extrinsecus fibrosa, & nonnihil aspera.

Figura ejus est ovalis; est enim instar vesicæ, vel ovi oblongi: nàm inferiorem ventrem totum succingit, ideò huic longitudine, & latitudine respondet.

A primâ, & tertiâ lumborum vertebrâ impropriè oriri traditur, quia eo loco crassities ejus major, & firmior connexio est. Dico impropriè, quia nulla pars spermatica ab alterâ oritur, sed omnes ex semine originem sumunt. Connectitur etiam superius diaphragmati arctissimè, inferius ossi pubis, & ilii, anterius lineæ albæ, & transversorum musculorum tendinibus.

Est autem ubique duplex, quod tamen maximè liquet parte posteriore circa spinam, renes, & vesicam, quibus locis crassissima est, quamvis etiam parte anteriore ejus duplicatura divulsione membranæ superioris ab inferiore aliquoties demonstratur.

Perforatur peritonæum anterius in fœtu, ubi umbilicus est: deindè supernè foramina habet, ubi diaphragmati connascitur, ad transitum vasorum. Sunt hæc tria: Primum, ubi transitus est venæ cavæ. Secundum, ubi transitus est stomachi. Tertium, ubi transit arteria

teria magna, & nervi sextum par per diaphragma. Infernè circa anum, cervicem vesicæ, & uteri, vasaque ad crura abeuntia per peritonæum, abdominis musculos, & cutim.

Vasa, arterias, & venas accipit à vicinis diaphragmaticis, mammariis, & epigastricis, aliquandò & à seminalibus. Nervos exiles ab iis, qui abdominis musculis porriguntur.

Usus habet partes subjectas continere, & hinc indè connexiones mittere, atque venarum orificia claudere.

De Omento.

Remoto peritonæo, statim sese offert omentum, quasi operimentum dictum, quod intestina tegat. Græcis *Epiploon*, ab *innatando*, eo quod intestinis veluti innatet. Arabibus *Zirbus*; Latinis *Rete*, vel *Reticulum* nominatur.

Situm est ad ventriculi fundum, indèque intestinis instratum, quorum anfractus ingreditur, nonnullis ad umbilicum cessat, in aliis sæpè infra umbilicum protenditur usque ad os pubis, ubi inseritur, & uteri compressione mulieribus sterilitatem inducit, & in viris per ruptum peritonæum, si ad scrotum delabatur, herniam epiplocelem facit.

Per omenti substantiam plurimæ *venæ* sparguntur, *& arteriæ* à cœliaco, & mesenterico ramo; pauci verò nervi, & exigui à plexu intercostalium. Ex ob venas multas, adeps multus in omento est; *eique glandulæ* exiguæ, nunc plures, nunc pauciores interponuntur.

Usus, primò, ob adipis copiam omentum juvat, & fovet calorem ventriculi, sed fundi; nàm superior pars ventriculi fovetur ab incumbente jecore, fovet etiam intestinorum calorem, tanquàm partium membranosarum, & exsanguium; undè omentum excisum, flatus, & ructus gignit, & pro bonâ coctione alia adhibere oportet, quæ ventriculum tegant. Secundò, ramum splenicum, aliaque vasa ad ventriculum, colon, & duodenum euntia fulcit.

CAP. LVIII.

De Ventriculi Anatome.

REmoto omento, mox adest ventriculus, quasi parvus venter dictus est, pars infimi ventris organica in epigastrio proximè sub diaphragmate sita; qui alimentum assumptum, dentiumque molitione præparatum, ac per gulam demissum concoquit, ex eoque meliorem alimentorum partem in succum alimentitium convertit.

Situs est ventriculus in epigastrio sub diaphragmate, nec ossibus circumdatur, ut facilius distendatur, & quidèm in medio quasi corporis, & spinæ incumbit. Situatur inter duo illa viscera principalia, nempè hepar, & lienem. Pars sinistra, quæ major, & ad fundum rotundior, in sinistro hypochondrio est, ut cedat hepati,

quod in dextro latere, atque ità in æquilibrio quasi sit corpus: dextram versus paulatim attenuatur, ut cibus sensim protrudatur. Ex quo fundamento scitur, dormituris conducere primùm sinistro latere incumbere usque ad coctionis absolutionem: deindè verò dextro, secus quam vulgò putant. In sinistro verò fundus est, ubi cibus morari debet: ad dextrum enim revolutus, vicinior est exitu. Quanquàm hîc consuetudini multum dandum. Sinistro hepatis lobo cooperitur, ac pancreate suffultus jungitur duodeno.

Unicus tantummodò homini est ventriculus, quippè cujus cibi ferè cuncti prius in molis, & pristinis exactissimè comminuuntur, ac in furnis, & ollis excoquuntur, adeò ut postmodum, parum laboris ventriculus inveniat, sicque unicus ipsi sufficiat; at duo sunt in ruminantibus, aliisque multis animalibus, quibus cibi duriores, & crudiores conficiendi erant, necnon in nonnullis pennatis duo sunt ventriculi, unus membranaceus, & tenuior, *Ingluvies* latinis dicitur, recipiens alimenta, & deindè leviter cocta è ventriculo ejiciuntur in pullos, cum aliàs pennatorum pulli non nutrirentur; alter est multò crassior, & calidior, intus habens membranam duram, qua recipitur alimentum durum, in priore videtur materia alimentitia ad coctionem præparari, in posteriore perfectè concoqui. In nonnullis animantibus tres inveniri dicuntur, quatuor in iis ruminantibus, conigeris, & alterâ maxillâ dentatis: nempè venter primus, reticulum, omasus, & abomasus.

Figura est rotundè oblonga, & similis tibiæ utriculari, præcipuè quandò cum duodeno, & œsophago consideratur. Anterius æqualiter gibbosus est ventriculus; posterius, dum in corpore latet, duos gibbos habet; dextrum minorem, & sinistrum majorem, inter quos mediant dorsi vertebræ, & truncus cavæ, atque arteriæ descendens.

Magnitudo variat pro varietate ætatis, & magnitudinis corporis, cujus proportioni correspondere debet, quamvis hæc regula perpetua non est; nàm varios homines proceros ventriculum parvum, & brevioris staturæ quoque varios magnum ventriculum in variis dissectionibus habere compertum est. Communiter tamen fœminis, quàm maribus minor est, ut utero crescenti locus detur, & his, qui voracitati non student, mediocris est Gulosi, voraces, magnique bibones plurimo cibo, & potu sese infarcientes, majorem habent ventriculum, cum velut corium sit extensibilis, sed quò plus extenditur, eò tenuior, & attenuatior fit ejus substantia, ut corrugari amplius nequeat, undè diuturna coctionis imbecillitas.

Superficies extrinseca est lævis, plana, & albicans: intrinsecus, quandò ventriculus constrictus est, apparet rugosus, & nonnihil rubens.

Membrana constat triplici, sive tribus distinctis membranis, quarum

rum exterior sc. prima communis nuncupatur, & est crassior, & à peritonæo deduci creditur. Media carnosior est, fibrisque carnosis omnis generis refertissimâ, quæ admirandam varietatem oculis objiciunt, modò se orbicantes, nunc obliquantes, jàm rectitudinem servantes, eum, ut creditur, in finem, ut robur his partibus præstet, variumque motum exercere queat, præcipuam enim eam edere operationem ex eo deprehensibile est, quòd admodum robusta, & valdè incrassata conspiciatur. Tertia, sive intima nervosior est, continua œsophagi, oris, & labiorum tunicæ, ut nihil ventriculo ingratum recipiatur, quia in ore fit cibi præparatio. Hinc quandò in ventriculo bilis adest, linguæ amaritiei, & flavedo linguæ communicatur: contrà etiam oris, & linguæ vitia œsophago, & ventriculo. Rugosa est hæc tunica, ut dilatari, arripere, & comp ecti cibos melius possit. Rugas verò habet ob crustam carnosam sibi adhærentem, ut melius ab ingestis durioribus defendatur, vel ne exesionem à succis acribus patiatur. Medium spatium inter interiorem tunicam, & mediam multis minutissimis glandulis miliaribus est conspersum.

Distinguitur in fundum, & duo orificia, dextrum, & sinistrum.

Sinistrum, vulgò superius dictum, proprio nomine *Stomachus*, vel *os ventriculi* appellatur, & œsophago, ac diaphragmati, circa undecimam thoracis vertebram, è regione cartilaginis ensiformis continuum, alimenta deglutita admittit, & dicitur appetitus sedes. Orificium hoc majus est, crassius, & amplius, ut etiam cibum durum, aut etiam semimansum admittat. Veteribus cor dictum fuit, quia ejus affectus animi deliquia, aliaque symptomata cardiacis similia gignunt, tùm ob exquisitissimum sensum, tùm quia cor condolet per consensum, & vicinitatis, & nervorum ab eodem ramo prodeuntium, fibras circulares carnosas habet, ut orificium claudat ab assumpto cibo, ne fumi ascendant, cerebrum petant, & morbos generent, & ità perfectior fiat coctio. Ità illud quasi ollam operculo ad retinendos fumos tegimus, Itèm ne vario decubitu alimenta in os regurgitent. *Helmontius* in stomacho, tanquàm in centrali puncto, atque radice principium vitæ, & animæ sedem collocat.

Dextrum orificium, vulgò inferius, propriè *Pylorus*, seu janitor nominatur. Angustius est, & clausum manet, & cibi coctione absolutâ, aperitur. Interdùm aperitur inter primum, & reliquos vomitus, quandò ex intestinis aliquid ascendit. Et reverà apertum esse etiam noxiis humoribus, lienteria testantur, fluxus alvi alii, miserere mei, & alii affectus ultrocitròque per pylorum transeuntes. Et nonnihil reflexum, & fibras transversas habet, circulumque crassiorem, musculi orbicularis formâ præditum, instar musculi sphincteris, ac intestino duodeno conjunctum existens, ingesta

concocta alimenta ad intestina demittit.

Ventriculus fibras habet triplices, rectas, obliquas, & transversas ad visceris robur, facilemque retentionem, & expulsionem.

Ventriculus nervos, arterias, & venas recipit.

Nervos recipit à sexto pari, ad orificia geminos, à ramis, qui, quia molles, & longum iter conficiunt, membranis robustis obducti sunt. Et ità se intersecant, ut obliquè, adeòque tutius ducantur. Dexter oris ventriculi partem anticam, & sinistram cingit, sinister posticam, & dextram. Quia ergò ità orificium involuitur nervis, ac si ex solis nervis compositum esset, hinc valdè sensibile est hoc ventriculi orificium: nàm ibi sedes appetitûs, & fames animalis esse debuit: quemadmodùm partem eam contrahi, & quasi corrugari sentiunt valdè esurientes. Rami nervorum ex his quoque deorsùm mittuntur ad fundum usque. A sinistro verò abit propago secundum supremam ventriculi sedem ad pylorum, quem aliquot ramis implicat, & jecoris cavum accedit. Alii etiam duo nervi adeunt ventriculi fundum à ramis juxta costarum radices ductis. Quamobrem mirum non est, quòd percusso, & affecto cerebro, ventriculus turbetur, & vomitiones fiant, maximè in hemicrania. Atque vicissim malè affecto ventriculo, cur animalis facultas langueat.

Arterias recipit ventriculus à ramo cœliaco arteriæ magnæ, ejusque cum dextrâ, tum imprimis sinistrâ propagine, quas nonnulli in gravibus sanguinis vomitibus referari arbitrantur.

Venas suas habet partim à venæ portæ trunco, partim à ramis ejusdem tàm dextro nempè mesenterico, quàm sinistro videlicèt splenico, venæ autem, atque arteriæ peculiariter ventriculo propriæ vocantur gastricæ, communes verò eidem cum omento, gastro-epiploicæ, vena itàque gastrica dextra, aliàs pylorica nominata ob ejus præcipuum flexum ad inferius ventriculi orificium, oritur à trunco venæ portæ; vena gastrica major deducitur à ramo splenico, quæ superiorem ventriculi regionem, orificiumque ejus superius more coronæ circumdans coronaria nuncupatur, & surculis aliquot cum pylorica coit; gastricæ pariter venæ minores, necnon vas breve, seu vena brevis, modò intra, nunc extra splenem à splenici rami superiore traduce versus ventriculi fundum protensa: ac tandèm vena gastro-epiploica sinistra ab inferiori splenicæ venæ surculatu exordiens, partim lævorsum ad ventriculi fundum, partim ad omentum distribuitur. Vena gastro-epiploica dextra à ramo mesenterico exsurgens consimili quoque modo dispartitur, cum ad ventriculi fundum anterius, & posterius, tum ad omentum, sinistræque gastro-epiploicæ itidèm inosculatur.

Pseudo-chymici, quos ex Galenicis quamplurimi sequuntur, tradiderunt à liene per vas venosum breve acidum quendam succum,

cum, vulgò excrementum melancholicum, quod transmutari non potest in liene, in ventriculum deferri, ut acidâ suâ vi cibi appetentiam seu famem, & simul ventriculi coctionem promoveret, ciboſque justo tempore morari faceret. Verum hujus doctrinæ falsitatem autopsia in vivorum animalium sectionibus ostendit, utpotè in quibus manifestissimè patet nihil à liene ad ventriculum, sed continuè sanguinem à ventriculo ad ramum splenicum defluere. Quippè ligaturâ vasi venoso brevi injectâ, mox apparet intumescentia inter ventriculum, & ligaturam, detumescentia verò inter ligaturam, & ramum splenicum: quod certum indicium est, sanguinem ità fluere, ut jam dictum, eumque vix unquàm ad lienem pervenire, (ingressus enim vasi venosi in ramum splenicum plerumque nonnihil distat à liene) neque ingredi lienem; sed in ramum splenicum effundi, per eumque rectà ad portam deferri. Præterea jejuni ventriculi aciditatem non continent, sed tantùm dum cibis sunt repleti, à quibus aciditas producitur; nàm si à liene illam sugerent, adhuc jejuni acidum eructarent.

Usus ventriculi est cibum, & potum recipere, per accidens verò multa præter naturæ institutum continere, & generare, quod fit ob cavitatem ejus insignem, & amplam, ut sunt lapilli, & lumbrici. Fabulosum, quod *Salmuth.* de infante in ventriculo, & concepto, & formato, perque os deindè excluso scripsit, censemus.

Ventriculi actio apud omnes medicos est ex alimentis assumptis præparatis, & coctis, lacteum succum, ptisanæ cremori non absimilem, chylum vulgò dictum, pro animantis nutricatione sequestrare: atqui nos in nostrâ *Trutinâ Medicâ lib. 4. cap. 1. De Ventriculi actione*, Asiaticè vindicandum duximus hominum mentes ab hujus rei præjudicio multifariàm I. Nàmque multis rationibus, atque experimentis talem chylificationem fieri non posse conjecimus. II. Nullas usque adeò repertas fuisse vias, per quas chylus ad hepar, vel cor vehi possit, demonstravimus. III. Quod de hac re nos sentimus, & quo pacto ciborum essentia corporis sustentationi cedat, apertum fecimus.

CAP. LIX.

De Ventriculi Vulneribus.

VEntriculi vulnera trutinandæ aggredimur, quæ tantò periculosiora sunt, quantò partis actio est ad vitam necessaria, est nàmque coctionis officina, & omnium membrorum coquina, quæ toti familiæ appropriatum impartitur alimentum, ideòque de eo maxima habenda est cura; eapropter singulæ corporis partes ejus servitio sunt addictæ, & per victum pugnant, imò aliquorum est Deus. In omnibus itàque sibi vendicat primam, id non ægrè nobis tribuunt, qui probè norunt quantam

vitilita-

tem ab ejus incolumitate, & integritate tota animalis capiet œconomia: contrà verò ab ejusdem imbecillitate, solutione, aut destructione, quantâ afficiatur noxâ. Nulla est toto in corpore pars, quæ unà non patiatur; caput nàmque torpet, oculi caligant, aures obsurdescunt, cor deficit, genua titubant, manus, & pedes enervantur, totumque corpus sensim languescens, pallore, & tabo afficitur, & nisi tanto malo maturè succurratur, jàm de animalis vitâ conclamatum est.

Signa.

Si ventriculus profundiori vulnere confossus sit, simul adsunt tormina, singultus, & bilioſi insequuntur vomitus; cibus, & potus assumpti vomitu rejiciuntur, vel ex vulnere effluunt. Ventriculus vulneratus nec cibum appetere nec continere, nec rectè concoquere potest. Adest sputum, vel vomitus sanguinis, & dolor in ventriculo percipitur. Si superius ventriculi orificium vulneratum sit, inflammatio, febris, delirium, crebra animi defectio, syncope, sudores frigidi, & alia mala accedunt.

Causæ.

Vulnerum ventriculi causæ sunt externa instrumenta, ut cultri, pugiones, enses, tela pungentia, scindentia &c. per abdomen violentâ manu in ipsum ventriculum jtà intrusa, ut ejus continuitas dissolvatur. Vulnera hæc vel à parte posteriori, vel anteriori infligi solent, aliqua sunt superficialia, alia verò profunda.

Prognosis.

Ventriculus estò non sit pars princeps, est tamen nobilis, cui in alimentorum præparatione primæ partes demandatæ sunt, ac proindè ejus qualescumque graves morbi admodum periculosi habendi sunt, & vulnera ab *Hip. 6. aph.* 18. meritò lethalia statuuntur, quia in hac parte membranosâ ægerrimè sanantur, & si circa stomachum incidant, propter nervorum ibi insertorum copiam convulsionibus, & singultibus continuis ægros occidunt: Si verò partem inferiorem ingesta alimenta mox per illa effluunt in abdominis cavitatem, illic alia viscera brevi corruptura; plura tamen exempla novimus ventriculi vulnera sanata fuisse, verum ut verum fateamur inter rarò contingentia illa referenda esse existimamus. Verumenimverò semper hæc vulnera suam patiuntur exceptionem, undè considerandum, qualia sint vulnera, an scilicet superficialia, an penetrantia, an circa superius orificium, an verò circa fundum. Superficialia, & saltim exterior tunica si vulnerata sit, non desperandum. Si totum ventriculi corpus sit perforatum, periculosum, & lethale malum est; ventriculus enim membranosus est, & primæ coctionis summoperè necessaria officina. Si superius ventriculi orificium vulneretur, exigua

exigua sanationis spes affulget, cum ea pars exquisito sit prædita sensu, & medicamenta ibi non morentur, & præterea cibus, & medicamenta transeuntia dolorem excitent. Non tàm periculosa sunt ea vulnera, quæ in imâ ventriculi parte inferuntur, dummodò in hac parte ventriculus non sit perforatus, quia substantia ista carnosior, crassior, atque non tàm membranacea est, & medicamenta eo loci subsistunt, & hinc facilius sanari possunt. Quandòque si hæc vulnera non perimant, in ulcera transeunt.

Curatio.

Ventriculi vulnera naturæ negotio committenda esse censent vulgares, verum nos non negamus in hisce, & aliis vulneribus tàm læsim, quàm punctim illatis, potissimas esse naturæ partes, & alios morbos curare posse, quæ interdum etiam id præstat, quod penè impossibile videbatur: attamen quandò languet, semper collatis auxiliis, quibus ipsa gaudet, quantum fieri potest, adjuvanda est, ut facilè opus perficiat. Si totum naturæ opus committet chirurgus, de vulnerati vitâ actum erit.

Si sanguis confluat ad ventriculum, & inflammatio metuatur, venam aperiendam ad virium tolerantiam instituunt, sed perperàm faciunt, nàm vitæ thesaurum exhauriunt, vulneratum enervant, & ægrum sæpè morti dant. Si cacochymia adsit, ad vitiosos humores eliminandos purgantia præscribunt; cæterum in hisce vulneribus semper suspecta sunt, quia per hæc non tantum optimi, & nutrientes succi exhauriuntur, verùm vitiosi humores ad locum affectum truduntur, fibrillæ simul nerveæ undecumque convelluntur, irritantur, contorquentur, undè sæpè dolor, inflammatio, convulsio, & id genus plura excitantur symptomata.

Si vulnus non sit penetrans, totum opus naturæ committunt; si verò penetret, & sit amplum, illud consuunt, in inferiore tamen parte relinquunt quoddam ad puris exitum foramen, cui turundam immittunt, ipsum ventriculi vulnus aliquantisper saltim extrà tegentem, sed non ingredientem, & medicamentis sarcoticis illitam *Syr. de rosis siccis, pulver. sang. d. con. bolo armeno & mastiche.* Vel frequenti unguento, ut

℞. *Ol. abietini* ℥. j.
Mastiches ℥. ij.
Mannæ thuris ℥. ij.
Radic. tormentillæ,
Consolid. maj. ana ℥. j.
Lumbric. terrestr. num. v.
Vini alb. austeri ℥. ij.

Coque ad vini consumptionem f. linimentum. Vel illiniatur *terebinthinâ cum oleo hyperic. & vitello ovi unius mistè f. linimentum.* Optima sunt hæc medicamenta, sed si hæc, vel sanguis, vel ingesta alimenta in abdominis cavitatem defluant, extrahi non possunt, & brevissimo tempore corrumpantur necesse est, & mors fores pulsat.

Propinant *Syr. myrtinum, de ros. siccis cum decocto equiseti, pilosellæ, & radicis consolidæ:* quibus quandòque addunt

addunt *trochiscos de terrâ sigillatâ, de carabe.* Vel exhibent parum, & sæpè *conservam rosarum rubrarum, diacydon. sine speciebus, diatragacanthum frigidum.* Extrinsecùs abdomen inungunt *oleo rosaceo, & chamæmelino, ac mastichino*, & ipsi vulneri *emplastrum barbarum* imponunt.

Pro ventriculi vulnerum curatione maxima dixtæ ratio habenda est, quæ optima institui debet, & eò potissimùm respiciendum est, ut acidum in ventriculo temperetur, & si possibile sit, planè auferatur. Aër itaque sit temperatus, & frigidus angue pejus fugiatur. Victus sit tenuis, & parcissimè æger edat, ne ventriculus cibi ubertate gravetur, & distendatur, sed corrugatus maneat, & sic faciliùs conglutinetur. Cibi verò ipsi sint in parvâ quantitate, qui magnam alendi vim habeant: sint boni succi, coctu faciles, & in potionibus vulnerariis coquantur, vel vulnerariis, & balsamicis condiantur. Malè feriati Galenistæ, ne ventriculus cibo oneretur, & æger sustentari possit, clysteres nutrientes in usum deducunt, quibus aliquid nutrimenti ad hepar per venas meseraicas ineptè transferri credunt. Pudendum medicorum præsidium, & belluinum remedium, in unâ ex illis civitatibus, quas ultor ignis combussit inventum. Clyster nunquàm propter valvulam ad ileon intestinum ascendit, & injecti liquores stercore ibidèm reperto se commiscent, deindè partibus infunduntur, quibus proprium est cuncta in stercus mutare. Quòd si post bihorium rejiciantur, stercus olent, nec unquàm auditum fuit quempiam per podicem nutritum fuisse; ideòque nullatenus in alimentum transire possunt, nisi in stomacho primam susceperint digestionem, quæ alibi non reperitur. Potus sit ventriculo gratus, & hoc non nimium repleatur, imò cochleatim potionum vulnerariarum bochetum propinetur, ab acidis abstinendum, quia ventriculi vulnus immediatè tangeret id, quod vulneribus hostile est. Nec potus frigidus hauriatur, quia frigus vulneribus inimicum.

Quantum frigidus potus bibentibus noceat, & periculi secùm afferat, cunctis notum est, undè *Hip. aph. 51. sect. 2.* inquit; *Plurimum, atque repentè calefacere, vel frigefacere, periculosum.* Cùm igitur in magno æstâtis ardore corpus plurimum ferveat, periculosum esse videtur illud subitò, & derepentè glaciali potu refrigerare; sanguis enim cum cæteris æstuans succis, statim à frigore coagulatur, & coagulum illud in hac, aut illâ parte imperium sibi rapiens, & sedem figens, varios producit effectus, ut patet plurimis eorum exemplis, qui ex hujusmodi potu in gravissimos inciderunt morbos, quorum non paucos ipsimet vidimus, & curavimus. Non negamus potum mediocriter frigidum in regione, & tempestate fervidâ usurpari posse ab iis, qui in juvenili ætate sunt constituti, calidiori præditi temperaturâ, qui viscera calida, & robusta obtinent, & hujusmodi potui sunt assueti, ac plurimùm se exercent,

exercent. Aliis verò qui in occiduâ, aut puerili ætate constituti, debilia habent viscera, vel obstructa; pituitoso, vel melancholico temperamento sunt præditi, plurimos excrementitios habent humores, vitam agunt desidem, pauco exercitio, & plurimâ utuntur Venere, nocentissimus est. At hac nostrâ tempestate in totâ ferè nostrâ Italiâ adeò perversus aquæ, vel vini, imò potum sorbet, & cocolatis nive, vel glacie ad summum refrigeratum bibendi mos invaluit, ut non solum in aulis, sed etiam in pauperum tabernis solemnis esse soleat; verum numerosum gelidè bibentium agmen futuræ se submittunt cladi, nec occiduam attingunt ætatem.

Motus, & quies non excedant limites, sed quies magis confert, & vulneratus in latere sano decumbat. Somnus, & vigilia ad mediocritatis regulas redigantur. Alvus sit libera. Animi passiones tranquillitatem servent.

Ventriculi vulnera, ut aliarum partium nobilium curanda sunt, ideòque de his maxima cura habenda est, constat namque partibus membranosis, glandulosis, & nervosis, undè ejus vulnera semper pernicioſa sunt. Si igitur ejus vulnera ad interiorem ventriculi cavitatem usque penetrent, mortifera sunt, tunc læsa ventriculi pars ad ventris vulneratos musculos attrahi debet, & unâ, eâdemque futurâ ventriculi laceratæ partes cum cute simul, musculisque contrahantur, & consuantur; attamen consutio cum protestatione fieri debet, sed exiguum relinquatur foramen pro turundæ insertione, quæ ventriculi vulnus non intret, sed exterius tantum attingat, inungi verò debet *balsamorum balsamo n. d. vel balsamo artificiali, vel Samaritani, vel proprietatis*, & omnes partes consutæ eodem medicamento inungantur, & superponatur *emplastrum sticticum, vel oppodeldoch*, quæ omnia calidè applicanda sunt.

Internè propinentur *potiones vulnerariæ ex scordio, tormentillâ, alchimillâ, stellariâ, pirolâ, flor. hyperici, radice consolidæ, vel pimpinellâ* paratæ, quæ edulcorari debent *Syr. de symphyto, vel de hederâ terrestri*, & fortificari *magisterio oculor. cancr.* vel instillentur *aliquot guttæ balsami Peruviani, vel tincturæ hyperici*, vel dentur in jusculo. Si febris adest, propinentur *diaphoretica* pluries recensita, *cum sanguine hirci, vel sperma Ceti*, ut succorum circulatio promoveatur.

CAP. LX.

De Intestinis.

INtestina, latinis interanea, græcis antera, barbaris chordæ, undè fides quoque, quia fiunt ex arescentibus intestinis, chordæ dicuntur. Sunt corpora oblonga, membranacea, concava, tercia, variè circumgyrata, continuata cum pyloro ad podicem usque.

Tantæ intestina longitudinis sunt, ut sexies, plus minus, superet, vel æquet longitudinem ho-

minis, cujus sunt. *Hip.* illa duodecim, vel tredecim cubitorum. *Vesalius* quatuordecim ulnarum Italicarum cum dimidiâ longitudinem habere scribit, sed certa mensura definiri nequit. Gyros acceperunt, sive anfractus, & convolutiones, exceptis principio, & fine, ne ingressus, & egressus impediretur. Et gyros quidem habent in hunc usum. I. Ne alimentum statim elabatur, nondum perfectâ coctione. II. Ne nondum absolutâ spirituosæ partis separatione, si statim elaberetur, aliud mox alimentum assumere cogeremur, & ità ob voracitatem à negotiis impediremur. Hinc animalia, quò rectiores à ventriculo ad anum habent ductus, eò gulosiora sunt: quò convolutiores, eò continentiora. III. Ne crebrius dejicere alvum necesse sit, ut in animalibus voracibus patet, quandoquidèm in anfractibus illis diu excrementa delitescere possunt.

Sita sunt in infimo ventre, cujus majorem implent cauitatem. Connectuntur per mesenterium, quo & omenti interventu colligantur dorso, & in ossis ilei cavitatibus fulciuntur.

Substantiam habent membranosam, ceu ventriculus, ut distendi possint à ciborum reliquiis, & flatibus. Sed crassior est substantia in crassis, & quantò magis ad finem vergunt, eò crassiora fiunt, ut finis coli, & rectum intestinum. Hæc substantia membranosa triplici constat tunicâ prima extima, sive communi cum peritonæo, pinguedine mesenterii exuberanter ditata, idque ut putatur ad conservandum calorem; Secunda media carnosa, fibrisque variis præcipuè orbicularibus conspicua; Tertia verò intima nervosa, & rugosa, quæ rugositas inservire creditur ad promptius complectendum, & remorandum putatitium chylum, aliàs per planum æquò celerius delapsurum, ad hæc mucilagine quadam hæc intima intus gaudet ad se tutandam adversus omnem acrimoniam.

Cæterùm adnata commemorata extimæ tunicæ pinguedo in venalibus extis semper intima conspicitur, eo quod laniones in repurgandis intestinis ea invertunt, ut intimior pars foris à fecibus, & fœtore per ablutionem mundari possit; insigniter ìtaque quidam scriptores medici decepti sunt, putantes intestina naturaliter intrinsecus pinguedine obduci, eamque in dysenteriâ abradi. Quid sit illud mucosum, & album, quod opiparè in dysenteriâ excernitur, ubertim diximus in *Trutinâ lib. 4. cap. 11. De Diarrhœa, & Dysenteriâ.*

Porrò intestinis inserta sunt vasa numerosa: venas enim suscipiunt multiplices tàm à dextro, quàm sinistro ramo mesenterico venæ portæ; arterias itidem à mesentericâ superiori, & inferiori; nervos autem à plexu mesenterico sexti paris.

Intestinorum usum ex antedictis satis patet hunc esse, ut non solum alimenta in ventriculo cocta recipiant, sed horum in illis separatio fiat uti is ab inutili propulsio, & ex iis inutilioris per podicem expulsio.

Hæc

Hæc autem propulsio, & expulsio inprimis peragitur pressione musculorum abdominis, quæ plurimum adjuvatur intestinorum exiguo proprio motu, procedente ex contractione fibrarum, quas in propriis tunicis habent, qui admodum conspicuus est in felibus, aut cuniculis vivis dissectis. Hunc autem fibrarum motum aliquo modo obliquis, sed præcipuè à transversis fibris peragi, ab iisque contenta à superioribus versus inferiora depelli certum est. Qui *motus* dicitur *Peristalticus*, in quo intestina undanti quodam motu hirudinum, lumbricorum, aliorumque reptilium instar cieri videntur, & sæpius hos motus in limacibus terrâ repentibus curiosè observavimus. Verum si hic motus aliquandò invertatur, quòd rarò contingit, & fibræ suâ contractione intestinorum contenta, ab inferioribus incipiendo versus superiora moveant, tunc etiam stercora è crassis intestinis sursum acta in ventriculum ascendunt, & vomuntur, imò clysteres, glandes, & suppositoria sursum rapiuntur, & vomitu rejiciuntur, sed de hoc morbo egimus in nostrâ *Trutina lib. 4 cap. 13. De Iliaca passione.*

Etsi à pyloro ad podicem usque tantum unus continuus ductus sit, tamen quia variat hic ductus magnitudine, numero anfractuum, substantiâ, situ, figurâ, & officio, dividuntur intestina in *tenuia*, sive gracilia, & *crassa*, seu ampla.

Tenuia intestina ob membranarum tenuitatem, ità dicta, sita sunt partim supra, partim infra umbilicum; adeòque umbilicalem regionem juxta, & hypogastrium occupant, secus quàm in canibus.

Undè veteres canum exemplo, tenuia vocarunt superiora, crassa inferiora, quod in homine falsum est; nàm in eo plus est ex crassis supra umbilicum, & plus ex tenuibus infra, cum id quod longius, sit infra jejunum, quod breve, supra. Atque ità omnia tenuia in mediâ regione sunt, circa umbilicum: primò, quia nobiliora; secundò, ut viciniora sint mesenterii centro, ideòque proximè à mesenterio venas, & arterias capiant, sanguinemque citò hepati advehant.

Sunt tenuia intestina tria: *Duodenum, Jejunum, & Ileon.* Crassa dicuntur, quia crassiores habent tunicas, & etiam sunt tria: *Cæcum, Colon, & Rectum.*

Primum tenue intestinum, pyloro continuum, Græcis Dodecadactylon, Latinis *Duodenum* nominatur, à duodecim digitorum transversorum mensurâ, quamvis illud vix quatuor digitorum longitudinem habere doceant Anatomici: verum si à pyloro ad intestini jejuni inflexionem usque, quo loco transversim sub pancreate jacens, sursum assurgit, mensuratio fiat, duodecim digitorum longitudo reperietur.

Situs ejus est in dextro latere sub hepate, ac cum pancreate connexio, crassioris quidèm cæteris tenuibus est substantiæ, at angustioris cavitatis, præsertim versus pylorum, amplioris nonnihil versus jejunum, & circa insertio-

nem ductûs cholidochi, & pancreatici, ubi aliis tenuibus amplius & latius est. Dictus ductus cholidochus extremitate suâ porum constituit bilarium, qui, eundem in modum ac ureteres intra membranas vesicæ urinariæ, inter duas hujus duodeni membranas aliquantulùm deorsùm protenditur, antequàm foraminulo desinat. Eodem loci quoque ductus VVirsungianus pancreaticus peculiaris sui exitus foramen habet prope commemoratum porum bilarium, attamen utplurimùm ab eo distinctum, quamvis interdum in unum coaluisse osculum deprehendantur.

Venam propriam duodenam habet. *Arteriam* à dextro cœliacæramo. Nervosus exiguos à stomachicis.

Pro duodeni usu animadvertimus, ut in nostrâ *Trutinâ lib.* 4. *De Ventriculi actione*, quòd non omnis spiritus æthereus, qui in ciborum massâ latet, per fermentationem in ventriculo educitur, sed illa portio, quæ ad motum promptior est, nàm altera illius pars, quæ in compactioribus materiæ partibus profundiùs latet, inter illas remanet, quæ, quia fæculenta, ignava, & viscida est, cùm non sit de ventriculi indole, corrugatione ejus fibrarum per pylorum in duodenum exprimitur. Verùm quia sensitivorum vita altioris est indolis, quàm vegetabilium vita, dum illa integra est, & aliquo impedimento non urgetur, non quiescit, nisi ab ingestis cibis vegetabilium vitam, sive essentiam omninò emungat, sibi subjiciat, & eorum cadaver adeò immutet, ut in excretis, neque vix ciborum ingestorum signum remaneat. Undè postquàm fæculæ ex fermentatione residuæ sub pyloro descenderunt spiritibus à ventriculo depauperatæ motum fermentalem ex se ipsis excitare non potuerunt, propterea remansissent partim mutatæ, & partim immutatæ, si tali inconvenienti à generationis principio non consuluisset natura, construendo scilicet fellis folliculum sub hepatis cavo, in quo amarissimus liquor produceretur, adhoc ut ejus portio per ductum bilarium in duodenum flueret. Unde ciborum reliquiis se immiscet, & tali menstruo in liquorem resolvuntur. Hinc reliquus æthereus spiritus, qui anteà in centro ligabatur, ad superficiem evocatus, ob talem materiæ dissolutionem se movet, & in intestinorum membranas, seu glandulas miliares se insinuat, non secus ac altera pars in ventriculo se insinuavit. Quod omninò fæculentum est, & à specificis ciborum qualitatibus penitùs liberatum, paulatim transcolando in intestinum colon, in fæces crassescere incipit, ut per inferiora intestina foràs deturbetur.

Secundum *Jejunum* dicitur, quod in duodeni fine incipit, dicitur jejunum, quia plerumque vacuum invenitur propter porı bilarii in duodeni fine ingressum, qui proximè bilem influens promptiorem excitat, imò præcipitat expulsionem. Hoc longitudine duodecim, vel tredecim palmos, latitudine digitum circiter adæquans, multis

tis gyris intortum, sub pancreate prope spinam in umbilicali regione, imprimis versus sinistrum latus situm est.

Venas habet à dextrâ mesenterică, reliquis etiam intestinis, communes. Arterias à mesenterico superiore. *Nervos* à sexti paris ramo, qui costarum radicibus exporrigitur.

Tertium à prædicto incipiens, *Ileon*, & volvulus à circumvolutione, ac gyrorum multitudine dicitur. Hoc sub umbilico ad Ilia, & coxas utrimque situm, digiti transversi latitudinem obtinet, ac longitudine reliqua duo multum superans, viginti unum aut duos circiter palmos adæquat. Ejus principium est, ubi intestinum incipit esse angustius, & paulò rubicundius. In hoc intestino ciborum reliquiæ crassescere incipiunt. Ileon hoc frequentius in scrotum delabi potest, undè hernia intestinalis, de qua egimus. Et in hoc intestino volvulus fit, sive Iliaca passio, in qua vomitus utplurimum stercoris est.

Primum crassum intestinum dicitur *Cæcum*, ità dictum, vel ab obscuro usu, vel quod altero finè pervium non sit. Est autem appendicula parva instar oblongi vermis, coli principio adhærens, longitudinis circiter quatuor digitorum transversorum, exiguam cavitatem, in adultis plerumque vacuam, sed in fœtu excrementis repletam habens. Non annectitur mesenterio, sed mediante peritonæo laxè jungitur reni dextro. Hujus usus hactenus incognitus fuit, quamvis hunc, alii alium usum per inanes potius conjecturas adscribere, quàm in hac parte ignorantiam suam confiteri maluerint.

Secundum crassum est *Colon* intestinum, ità dictum tanquàm cavum, quod inter intestina hoc maximè sit cavum, & ventrem efformat: vel à retardando, quod in cellulis transeuntes remoretur fæces: vel à torquendo, quòd in eo fiant tormina colica: vel à colando, quia angustum est ad modum colatorii, & involutum, ut fiat gradatio fæcis, ne simul totà descendat. Hoc cæteris multò amplius, & latius est, octo, vel novem palmorum longitudinem habens.

Incipit circa os ilium dextrum, proximo ibidèm reni se jungens, hinc sursum assurgit, & facto sub jecore flexu, transversim sub fundo ventriculi (cui mediante omento annectitur) pergit, & à sinistris lieni, renique sinistro tenuibus membranis adhæret, atquè circa os ilium sinistrum, facto flexu, recti intestini principium orditur. Circa jecur verò à transsudante per folliculum fellis bile, plerùmque luteo colore tingitur, atque hinc excrericem ejus facultatem stimulari à nonnullis creditur.

Superiora autem ventris occupat, I. Ut fæces paulatim in eo collectæ suâ gravitate facilius deorsum volvantur, & excernantur. II. Ut coctionem ventriculi nonnihil fæcum calore adjuvet, quippè chymici nullam digestionem magis naturalem judicant, quàm quæ fimi calore perficitur, III. Ut fæ-

cum

cum gravitate medium mesenterium non comprimatur, & vasa angustientur.

Longum est communiter palmas octo, vel novem; latissimum verò, & amplissimum omnium. Vinculum habet proprium, digiti medii latitudine, secundum ejus longitudinem parte superiore, à cœco usque ad rectum intestinum exporrectum, quo cellularum ordo continetur.

Ad coli initium apponitur valvula crassa, membranosa satis, & orbicularis, sursum spectans, regurgitantium fæcum, flatuumque obstaculum, & hodiè dicitur vulgò Bauhini valvula. In hujus valvulæ descriptione non conveniunt Anatomici. Nonnulli scribunt illam esse membranam ab uno latere intestino adhærentem, idque cortinæ instar claudentem. Alii duas esse membranas sibi invicèm oppositas, quæ ad invicem concidentes intestinum occludunt. Alii non esse veram valvulam, sed circulum carnosiorem circumjectum, idque instar musculi sphincteris contrahentem. Verum si illius examen attentius instituatur, satis liquebit, illam nihil aliud esse, quàm membranam laxam, circularem, & quasi propendiculam quandam intestini ilei colon ingredientis, quæ cum aliquid ex ileo descendit in colon, cedit, & aperitur; sed è colo si stagnantes fæces, aut flatus ad ileum tendant; concidit, ac complicatur, sicque viam obstruendo, transitum versus intestina tenuia impedit. Hinc clysterum materia ad tenuia naturaliter pervenire nequit.

Usus est, ut in colo crassiora excrementa, seu fæces coacerventur, & ad excretionis usque tempus contineantur, cum turpe, & molestum homini fuisset, si continuò defluxissent. Hunc in finem amplam capacitatem adiptum est, plurimasque cellulas, fœcum remoras, obtinuit. Quia verò totum ferè abdomen circumdat, & modò ascendit, modò descendit, hinc dejiciendæ fæces tardius defluunt, & in alvi exoneratione non confertim, sed duabus, tribusvè vicibus deturbantur.

Venas & Arterias habet colon sub ventriculo ab epiploide postica, sed in sinistro latere hæmorrhoidalem venam, & mesenterica inferiori, hæmorrhoidalem arteriam.

Tertium, & ultimum crassum est intestinum *Rectum*, quod in coxarū antrum declivè recto ductu descendens, in anum definit. Unius, & dimidii palmi longitudinem, ac circiter trium digitorum latitudinem habet; crassitie verò, ac carnositate omnia intestina superat, extrinsecus pinguibus appendicibus donatum. Ossibus sacro, & coccygis, mediante peritonæo, adhæret, atque in viris penis urethræ, cervici uteri in mulieribus, mediante musculosâ substantiâ connectitur. Undè magnus harum partium consensus in viris, & mulieribus; præsertim in his uteri, & intestini, nàm intestino exulcerato, sæpè excrementum per pudendum ejicitur.

Ano suis rad cibus implantantur venæ hæmorrhoidales duplices: quarum internæ utplurimum ad sinistram,

nistram, rarius ad dextram mesentericam, interdùm ad ramum splenicum ascendentes, in portæ venam sanguinem effundunt: externæ verò ramum Hypogastricum ingrediuntur. Venas comitantur arteriæ, partim à ramo mesenterico inferiore, partim ab arteriâ hypogastricâ procedentes. His nervi quatuor ejus extremo inseruntur, ab extremo spinalis medullæ derivati, qui huic intestino acutum sensum inferunt, ut in tenesmo videre est.

Finis ejus, *Anus*, seu *Podex* dicitur. Tres habet musculos. Primus *Sphincter* dicitur, vel ani constrictor; orbicularis circumjicitur ano annuli satis lati instar: ità ut licèt pars ejus aliqua in fistulis, vel aliis affectibus abscindatur, non ideò totus ejus usus penitus tollatur. Oritur ab inferioribus vertebris ossis sacri, & fibris transversis circumjicitur longo ani spatio. Connectitur anterius. Primò Vesicæ meatui per fibrosos nexus. Secundò Peni, cujus musculis dat originem. Tertiò collo uteri. Posterius ossi coccygis subjecto. Ad latera per ligamenta ab osse sacro in os coxæ producta. Usus est constringere anum, ne nisi volentes fæces excludamus. Ideò resolutus, vel aliter læsus, facit fæces, invitis hominibus, excidere: sicut læso vesicæ sphincter, lotium involuntariè effluit. Reliqui duo *Levatores* nominantur, qui ab ossium coxendicis, & sacri ligamentis orti descendunt distincti ad sphincterem, eique insertiones suas commiscent, ut unum per excretionem depulsum sursùm retrahant. His musculis quacumque de caussâ nimium relaxatis, fit ani procidentia, seu intestini prolapsus.

De Mesenterio.

Mesenterium à situ nomen desumpsit, quia est in medio intestinorum, non quasi medium intestinum sit, sed ut intestina instar circuli, & in orbem complectatur, colligat, & vestiat.

Unum est, attamen à nonnullis dividitur in *Mesæreum*, seu mesenterium, & Mesocolon. *Illud*, quod in medio ventris est, & intestina tenuia connectit: *hoc*, quod colon annectit in dextro, & sinistro latere, & parte infimâ recto intestino adhæret.

Constat membranâ duplici, & valida, peritonæo continuâ, pinguedine undique effractâ. Præter has, tertiam mediam, eique propriam, modò dictis paulò crassiorem, ipsaque vasa, & glandulas in se suffulcientem habet.

Magnitudo ejus à centro ad peripheriam est spithama: longitudo autem, & circumferentia trium ulnarum.

Figura verò ferè circularis est, cujus circumferentia in plicas innumeras contrahitur, ut intestinorum longitudinem, ac voluminа coarctet, eorumque convenientem situm, & ordinem contineat. In medio amplum est, in lateribus oblongum, præsertim in sinistro, ubi ad rectum intestinũ descendit. Ejus verò crassities ingens est in obesis, auctâ largiter pinguedinis

mole, in aliis tenuior existit.

Oritur à ligamentis vertebrarum lumborum, quibus validissimè alligatur geminâ quasi radice, unâ majori, qua primæ vertebræ; alterâ minori, qua tertiæ vertebræ adnascitur, progreditur deindè in intestina, in quæ terminatur.

Glandulas habet mesenterium plurimas exiguas, & molles, membranis interjectas, ac secundum vasorum diversitatem, maxima horum est una in centro, ubi prima vasorum fit distributio, qua scirrho laborante, totius corporis marcor succedit. Harum glandularum usus est. I. Distributiones varias ramorum venæ portæ, & arterias magnæ fulcire. II. Humectare intestina. III. Ex intestinis redundantem humiditatem absorbere.

Absurdam opinionem de his glandulis concepit *Riolanus Lib. 2. Anthropog. cap. 15.* quippè statuit earum ratione in mesenterio esse strumarum radicem, ac fundamentum, nec ullas strumas unquàm foràs erumpere, nisi mesenterium strumosum fuerit: quam opinionem *Tomo 1. cap. 44. De strumis* confutavimus.

Nervos habet mesenterium ab internorum nervorum sexti paris plexu, & à nervis è lumbali medullâ prodeuntibus; atque hinc in membranosâ sui parte satis sentit, quamvis in pingui, & glandulosâ obtusioris sensûs sit, cujus ratione apostemata multoties in illâ diù occulta manent, antequàm ab ægro, vel medico satis percipi possint.

Arterias recipit à ramo arteriæ magnæ mesenterico dextro, sinistroque, seu superiore, & inferiore.

Venas obtinet plurimas inter membranas ejus decurrentes, meseraicas dictas, quæ minimis radicibus ex intestinorum tunicis oriundæ, atque in mesenterio frequenti concursu in se invicèm hiantes, tandèm in duos ramos majores scilicet dextrum, & sinistrum mesentericum venæ portæ continuos concurrunt. Hæ sanguinem per arterias ad mesenterium, & intestina impulsum, jàm à nutritione illarùm partium residuum in portæ venam infundunt, indè ad hepar referendum. Habet mesenterium ductum communem cholidochum, ductum Wirsungianum, venas dictas lacteas, & vasa lymphatica, quæ vasa inter se differunt, non solum ratione substantiæ, etiam ratione originis, & progressûs, sed etiam ratione materiæ, quam continent.

Usus verus, præcipuusque mesenterii est vasa ad intestina excurrentia tutò deducere, & ab omni disruptionis periculo salva, & integra præstare.

De Pancreate.

Pancreas, quasi totum carnosum, Latinis *Lactes*, à suo candido, lacteoque colore interno dicitur, est corpus totum glandulosum, laxum, & informe, ad primas lumborum vertebras, sub posteriore ventriculi parte, ejusdemque fundo situm, membranâ tenui

nui à peritonæo investitum, ex eâque quasi suspensum.

Figuram obtinet oblongam, & depressam. *Magnitudo* in omnibus non est eadem, frequentissimè trium, vel quatuor, interdum quinque, sex, septem, vel plurium digitorum transversorum longitudinem habet: latitudo maxima ferè duos digitos cum semisse adæquat, *Crassities* circiter unum. Latiore sui parte hepatis contínia accedens, circa primam lumborum vertebram ventriculo substernitur, meatumque biliarium, ac portæ truncum includens, duodeno intestino jungitur: hinc lienem versus extenditur.

Substantia ejus tota glandulosa est, constatque ex multis quasi nodulis, seu globulis, dicere possumus esse pancreas glandulam conglomeratam, quasi ex multis minusculis glandulis congestis compositam per intercedentia vasa, plurimasque fibrillas cohærentibus, & communi membranâ inclusis: qui noduli singuli quidèm aliquam duritiem præ se ferunt, simul tamen sumpti, ob laxam connexionem, molliusculi.

Color ei pallidus est, vix levissimam sanguinis tincturam referens, ità ut neque in substantiâ, neque in colore ullam carnosarum partium similitudinem habeat; undè mirum est, quod à Veteribus Anatomicis *Pancreas*, id est *totum carnosum* fuerit appellatum.

Nervos habet exiles à sexto pari, inprimis à plexu superiore abdominis. *Arterias* ab arteriæ cœliacæ ramo sinistro, dorso accumbente, interdum ab arteriâ splenicâ. *Venas* ad ramum splenicum prope portam emittit. *Vasculis lymphaticis* etiam multis donatur.

In pancreatis medio, secundum ejus longitudinem, canalis singularis, & mediocriter capax excurrit, à primo ejus inventore, *ductus Vuirtzungi* appellatus.

Hic unicus per medium viscus excurrit, & brevia, numerosaque exilia vascula in ipsum patentia undequàque è viscere recipit. Interdum duo ductus inveniuntur, sed non æqualis longitudinis, quorum unus loco solito, alter paulò inferiore subsistit, verum ad ingressum in intestinum plerumque simul junguntur, unumque orificium faciunt: interdum etiam alter prope duodenum intestinum ductum cholidochum ingreditur, alter paulò humiliore loco sensim intestinum perforat.

Dicti canalis orificium hiatu mediocriter amplo in duodenum intestinum scilicet quatuor, interdum quinque, aut sex digitorum transversorum latitudine à pyloro, in notabili rugâ flexuræ duodeni proximè ad pori bilarii egressum in homine, non rarò etiam in ipsum ductum bilarium exiturientem aperitur; eique nonnulli valvulam adstare scribunt extrorsum expectantem, & cujuslibet rei ingressum ex intestino in canalem præcludentem. Verum quia ductus à parte intestini sine obstaculo stylum facilè admittit, nulla valvula reperitur. Alterâ verò parte versus lienem extensus, sensim gracilescit, & obliteratur, antequam

ad extremum pancreatis perveniat, ità ut lienem non attingat, neque eum ingrediatur.

In hunc ductum Vuirtzungianum ex omnibus nodulis, è quibus pancreas in homine constituitur, exigui surculi instar minorum rivulorum excurrunt, humorem pancreaticum, in nodulis excoctum, ac præparatum, in istum ductum effundentes, eo mediante in intestinum duodenum deferendum. In ipso tamen ductu nunquàm succus pancreaticus invenitur, propterea quod declivi viâ celeriter effluat in duodenum intestinum, neque in ductu aliquandiu subsistat, eodem modo sicut urina è renibus per ureteres defluens propter rapidum transitum nunquàm in his invenitur.

De hujus visceris officio antehàc graviter dubitatum fuit, dum illud multi solummodò vasorum divisiones fulcire, & pulvinaris instar ventriculo substerni: alii crudiorem sanguinis portionem expurgare: alii cordis sanguificationem adjuvare: alii melancholiam ex liene deducere, aut succum fermentaceum ventriculo subministrare, aut lienis laborantis vicem interdum subire: alii illud chylum recipere, eumque ad majorem perfectionem excoquere, & excrementa bilioſa ex eo secernere, aliaque similia putârunt. Sed sunt conjecturæ nullis rationibus, & experimentis stabilitæ.

Pancreas in hoc ductu quendam liquorem sublympidum, & quasi salivosum, nonnihil austerum, ac leviter subacidum continet, qui in duodenum effluit intestinum, & in ciborum reliquias per pylorum in duodenum prolapsas, & non dum à particulis essentialibus extricatas se immiscet, easque per novam fermentationem attenuat, & fundit, ac partes spirituosas à crassis, inutilibus, & fæculentis separat. Fit hæc effervescentia propter bilis salvolatile, oleumque sulphureum concurrens cum succi pancreatici aciditate, sicut in chymiâ ex talium concursu similes effervescentias fieri videmus.

Ex hoc, quod ità verum est, ut nullus sanæ mentis in dubium vertat, eruimus ex pancreate benè valente magnam sanitatis partem pendere, malè autem valente plurimos morbos, hactenus solis lienis, hepatis, mesenterii, aliarumvè partium vitiis assignatos, non minus quàm ab aliis modò dictis partibus procedere: & facilè jàm animadverti posse ab ejus succo vitioso, scilicèt aut nimis copioso, aut nimis acri affluente (præcipuè si etiam bilis copiosior, & acrior simul concurrat) nimiam, & pravam fieri in intestinis effervescentiam, vomituum acidorum, rugituum, flatuum, tensionum, diarrhœæ, dysenteriæ, colicæ passionis, (quæ tamen pleraque mala à vitiosâ bile sola etiam induci posse, certum est) aliorumque similium morborum causſam: vel ab eodem nimis pauco, vel nimis miti, & insulso affluente, valdè exiguam fieri effervescentiam, obstructionem, atrophiæ, alvi durioris &c. causſam: vel interdum ab eo nimis salso, vel acido

sursum

ſurſum verſus ventriculum aſſurgente, famem caninam, nauſeam, vomitum, ructus acidos &c. Verſus inteſtina deſcendente, magna tormina, eroſiones, alvi fluxus &c. Verſus caput verò, unà cum ſanguine aſcendente, epilepſias, convulſiones, & quaſi hyſtericas paſſiones, ac melancholica deliramenta &c. Verſus ſtomachum, aut cor, palpitationes cordis, & lipothymias, pulſuumque ſummam inæqualitatem, & debilitatem &c. excitari. Atque ſic pro vario hujus ſucci vitio varios produci affectus, quales etiam in ægris hypochondriacis varii conſpiciuntur, quorum magna pars huic ſucco meritò adſcribenda videntur. Quæ vitia ipſi maximè imprimuntur, aut per pravam diætam, multorumque ſalſorum, acidorum, fumo exſiccatorum, acrium, aliorumque ſimilium uſum: aut per pravas aliorum viſcerum coctiones, præcipuè lienis, quia ſcilicèt his de cauſſis, propter vitioſum ſanguinis fermentum (ſit dictum in aliorum ſententiâ): plurimæ ſanguinis partículæ in corde minus ſpirituoſæ redditæ, atque ſubacidæ, vel ſubſalſæ, & ad coagulationem pronæ remanentes, ſicque ad hoc viſcus per arterias delatæ, in eo nec ſatis ſubigi, nec in fermentum alimentis coctis ad inteſtina jàm elabentibus conveniens mutari potuerunt.

Verùm ſunt quidam medici, qui hujus liquoris novitate allecti, non aliter ac Galeniſtæ hepati, omnium morborum origines, & cauſſas huic ſucco refundunt: quippè diarrhœas, dyſenterias, colicos dolores, epilepſias, ſyncopes, hyſtericas ſuffocationes, menſtruorum fluxus, febres, & neſcimus quos non alios, ab hâc unâ ſolâ cauſſâ produci exiſtimant, non aliter ac ſi nulli alii vitioſi humores, aliarum partium vitiis geniti, tales morbos unquàm producerent.

Cap. LXI.

De Abdominis, & Inteſtinorum Vulneribus.

INteſtina adeò firmiter ventriculo ſunt annexa, ut ab Anatomicis ventriculus oblongatus nominentur; in abdomine latent, ne ab externis violentiis lædantur, quin abdomen, tanquàm externum munimentum cum contentis etiam partibus lædatur. Rarum eſt ab internis violentiis, ut flatibus rumpi, & lædi inteſtina; obſervavit tamen id bis *Benevenius*, ut *de abdit. ſanat. cauſſ. cap. 67.* refert, primò in muliere quadam, quæ cum intolerabili ventris dolore, modò ſupra, modò infra umbilicum premeretur, nec ullus ſpiritus erumperet, ſciſſo, ſeu ruptotandèm inteſtino vitam finiit. Deinde in ruſtico, qui cùm per longas ventris torſiones diem obiiſſet, & mortui cadaveris corpus incideretur, longa in inteſtino fiſſura inventa eſt, è qua etiam recentes uvæ, quas paulò antè comederat, proruperunt. Præterea à vermibus quandoque inteſtina perforantur,

ut annotârunt *Paulus Aegineta*, *Nicolaus florentinus*, *Thomas à Vegâ*, *Trincavellus*, *Paraus*, *Petrus foreſtus*, & alii. Frequentiſſimum tamen eſt à cauſſâ violentâ omenti, vel peritonei continui ſolutionem fieri, ut fuſiùs *Tomo* 1. *de Herniis* diximus.

Signa.

Si abdomen vulneratum ſit, & vulnus in cavitatem penetret, quænàm partes internæ vulneratæ ſint, difficillimè cognoſcuntur, nec ſtylum admittunt; malè enim in hiſcè partibus veſtigatur ſpecillo ferreo, aut argenteo, aut plumbeo, ſed potius nullo alio, vel candelâ cereâ, quia melius inflecti, & ad qualiacumque occurrentia obſtacula accommodari poteſt. Intrat aliquandò ſpecillum valdè profundè, per muſculorum interſtitia tranſiens, quod vulnus tamen non penetret in ventris cavitatem uſque, & contrà, quod vulnus penetret aliquandò in abdominis cavum uſque, licèt ſpecillum ubi intruditur, mox reſiſtentiam inveniat, ſcilicèt quia partes in corpore læſo aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quàm poſteà, ubi vulneris ſtatus explorabatur: non ergò hæc vulnera ſtylum admittunt, ſed partes læſæ per conjecturam cognoſci debent, vel inſtrumento, vulnerati ſitu, ſymptomatibus, & excretis. Enſis vix ingred. poteſt, quin inteſtina non lædantur. Ex vulnerati ſitu cognoſcuntur, num ſedens, vel ſtans fuerit vulneratus, num per lineam rectam, vel obliquam tranſierit: nàm obliquè non tàm facilè læduntur. Ex ſymptomatibus, ſi gracilia inteſtina vulnerentur, præcordia duriora redduntur, bilis vomitu rejicitur, dolores fiunt magni, animi deliquia ſuperveniunt, anxietates, inquietudines, convulſiones, febris &c. Ex excretis, ſi gracilia inteſtina vulnerata ſint, ciborum reliquiæ non totaliter digeſtæ, & potus per vulnus exeunt; Si craſſa, ex ſtercoris per vulnus egreſſu. Chirurgi turundam naribus explorare ſolent, an fœtoris quid ſpargat, ex quo inteſtina punctim læſa eſſe judicant, quæ tamen exploratio ſæpè fallax eſt. Si ſanguis excernatur, vel per vomitum, vel per anum.

Cauſſa.

Cauſſæ eſſe poſſunt omnia inſtrumenta ſcindentia, terebrantia, & violentâ manu abdominis, & inteſtinorum tenuium, vel craſſorum continuitatem ſolventia, ità ſunt enſes, gladii, cultri, ſtyli, ſagittæ, glandes plumbeæ &c. quibus, & aliarum corporis continuitas ſolvi poteſt.

Prognoſis.

Abdominis vulnera periculoſa ſunt, & difficulter curantur ob reſpirationis motum, vulnera nàmque quæ conſolidari debent, quiete indigent. Hæc vulnera, ſi penetrent, valdè pernicioſa ſunt, & eò magis, quæ ampla, quia vel omen-

omentum, vel inteſtina facilè foràs prolabuntur. Si enim omentum prolapſum fuerit, niſi protinus reponatur, ſtatim coagulatur, & emoritur. Si inteſtina ſimul fuerint vulnerata, æger in magno vitæ diſcrimine verſatur, & quidèm magis, ſi gracilia vulnerata fuerint, vulnera habentur lethàlia ab *Hip. ſect. 6. aph.* 18. quia eorum tunica nervoſa eſt, multis vaſis referta, bilemque recipit, & hepati proxima. Quandòque tamen tenuium inteſtinorum vulnera ſanata fuiſſe medicorum obſervationes docent. Craſſorum inteſtinorum vulnera, ſi ſint parva, & ſecundum eorum longitudinem, facilius curantur, quia pauciora, & minora habent vaſa. Si verò ſint magna, & per tranſverſum, pernicioſa. Si inteſtina ab aëre alterentur, & livida reddantur, malum inſanabile eſt. Si vulnera per anteriorem abdominis partem intrent, ac per tergum, & ſpinalem medullam egrediantur, lethalia ſunt. Si ſimul fuerint læſa, & diſciſſa vaſa ſanguifera maxima, vel in hepate, vel in liene, tunc malum ut plurimum lethale eſt, quia ſemel effuſo ſanguine, is vaſis ſuis reſtitui nequit, imò in inferiores partes deſcendens in ſuppurationem abit, ut *Hip. ſect. 6. aph.* 20. inquit: *Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari.*

Curatio.

In abdominis, & inteſtinorum vulneribus curandis vulgares magnam adhibent ſolertiam, & ſi inteſtina, vulnerato abdomine, ſuperficietenus vulnerata fuerint, ne prolabantur, in ventrem impellunt, & decenti ſuturâ abdominis cutis carnoſæ labia conjungunt, ne calor ille nativus tranſpiret, ſuperimpoſito pulvere adſtringente ſanguinem ſupprimente, & ſarcotico. Quòd ſi à flatibus per anguſtum orificium impellantur, & commodè reponi nequeant, carminativis utuntur remediis, ut ſunt *ſemina aniſi, carvi, fœniculi, flores chamomillæ, ſummitates anethi in vino cocta*, quibus ſpongia imbuatur, & calidè foveantur.

Si inteſtina per amplum vulnus extra abdomen prolapſa ſint, protinùs vino albo tepido, vel in quo *roſæ, chamamelum, abſinthium coctum ſit*, abluunt, & adſtringente pulvere, & glutinante *ex aloë, maſtiche, ſanguine draconis, thure* conſpergunt & manibus blandè intromittunt, & in ſuum locum reponunt. Quòd ſi intumuerint, carminantibus fovent, vel fomentant decocto calefaciente *ex floribus chamameli, anetho, abſinthio, bacc. lauri, ſemine aniſi, fœniculi*; Vel *columbam, aut gallinam per medium diſſectas* imponunt. Poſt inteſtinorum detumeſcentiam *oleo maſtichino* ea inungunt, & in ſuum locum reponunt. Si reponi nequeant, cutis, & peritonæi tantum incidunt, quantum ad eorum prolapſum ſatis eſt pro repoſitione. Verùm vulnus ad inteſtinorum repoſitionem amplum facere, periculo non vacat, quia omentum, & inteſtina faciliter eò magis excidere

cidere possunt, refrigerantur, ac livida evadunt, & tunc omnis curationis spes præciditur. Decumbat potius æger supinus, & blandâ manu *oleo hypericonis* imbutâ, leniter reponantur.

Si intestina adeò discissa sint, & lacerata, ut stercus ex vulnere egrediatur, tunc intestinorum labia vino stiptico priùs abluta consuunt, & pulvere adstringente, & sanguinem cohibente inspergunt, & postremò abdomen consuunt.

Intestina consuendi modus varius traditur, commodissimum tamen censent acu subtili, brevi, & rotundâ, & filo lineo forti, & æquali ea consuere, eo ferè modo, quo pelliones, pelles, & vulgò linteamina consuere solent. Suturâ autem factâ, filum non abscindunt, sed utramque ejus extremitatem extra vulnus propendere faciunt, ut posteà suo tempore extrahi possit. Tandèm abdomen consuunt, & pro materiæ purulentæ excretione foramen relinquunt. Alii de eo sunt minùs solliciti, sibi persuadentes, unà cum cœteris excrementis è vulnere exsudantibus pus illud à naturâ ad inguina depelli, & in his abscessum excitari, quo disrupto, excrementa quæcumque faciliùs effluere, & expurgari. Ubi reposita fuerint intestina splenii, & fasciis muniunt, ne iterùm decidant.

His peractis agglutinationem, & consolidationem ab ignotâ Deâ, scilicet à naturâ, cui totum opus committunt, expectant, sed non perpetuò est morborum curatrix; quandòque enim magnis succumbit morbis, & in solutâ unitate languores non curat, & hos ipsi prorsus committere est cum maximo ægri discrimine hanc ignotam Deam tentare, verum chirurgus cum ipsâ manum movere tenetur. Observamus in intestino recto simplicem excoriationem, quæ sub oculos cadit, exquisitis remediis reluctari, & difficulter ad pristinam incolumitatem reduci, & intestina discissa naturæ committunt? Naturæ opus committunt, actum est de ægri vitâ.

Nonnulli vulgares tanquàm scarabei stercoribus gaudentes, corpus purgant, sed perperàm faciunt, nàm per partem affectam movere non debemus; omnes tamen in hiscè vulneribus statim ad venæ sectionem, tanquàm ad sicariorum asylum, confugiunt, ceu rapaces bestiæ, & hirudines sanguinem hujus vitæ nostræ thesaurum, & unicum pabulum exhauriunt, & ægros ad plura conjiciunt pericula; sed non mirum, hujusmodi belluæ humano sanguine vivunt, & saginantur.

Ad faciliorem intestinorum vulnerum conglutinationem subsidiarias copias naturæ ferunt, & ægrotis propinant decocta, quæ parare solent *ex floribus rosarum, rubiâ tinctorum, pilosellâ, equiseto, caryophyllatâ*, & aliis plantis vulnerariis. Vel exhibent *conservam rosarum cum bolo armeno, & terrâ sigillatâ*. Vel *diacydonium cum pulvere rosarum*. Cibis admiscent pulveres *ex corallijs, bolo Armeno, & rosis*.

Pro

Pro ſordibus repurgandis, ipſiſque inteſtinis magis adhuc detergendis, & conſtringendis, remedia prædicta vino incoquunt adſtringenti, quod cum *terebinthinâ, ſarcocollâ, thure, myrrhâ, aloë, bolo Armeno, ſanguine draconis &c.* permiſtum clyſteris inſtar in alvum infundunt, & inteſtini recti orificium goſſypio infarciunt, vel linteis duplicatis, vel quadruplicatis impoſitis, ut in ipſis inteſtinis ad tempus aliquod retineatur. Verùm hæc medicamenta ſunt podicis remedia, nec inteſtina aſcendunt ob valvulam in coli principio appoſitam, quæ tranſitum verſus inteſtina tenuia impedit. Præterea in craſſis inteſtinis hæc medicamina ſtercoribus immiſta hebetantur, & vim medicamentoſam amittunt.

Si abdomen ſit vulneratum, varia balſamica dicta imponantur, & hoc vulnus partium membranoſarum more tractetur; ſi verò vulnus in abdomen penetraverit, non exploranda eſt vulneris profunditas ſpecillo ferreo, quia partes illæſæ læsi, & fibrillæ diſcindi poſſunt; præſtat candela cerea uti, quia facilè flectitur, & ad quoſcumque mæandros accomodatur. Sed hæc exploratio ſæpè fallit; læſæ nàmque partes aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quàm poſteà ubi vulneris ſtatus exploratur. Si itàque anguſtum ſit vulneris orificium, & ad inteſtina penetrârit, ſtatim balſamica cum turundâ applicanda ſunt. Si abdominis vulnus ſit nimis amplum, & inteſtina extra vulnus protuberent, ſtatim manibus *oleo ex ovorum vitellis* perunctis in ſuam ſedem collocentur, ne à flatibus diſtendantur; quòd ſi eveniat, ut minimè reponi poſſint, tunc adhibeatur fotus calidiuſculus ex herbis vulnerariis, & carminativis, *ex hyperico, alchimillâ, ſcordio, ſalviâ, floribus chamomillæ, melilloto, ſeminibus aniſorum, cumini, fœniculi, caryophyllis, mace, bacc. lauri &c. in vino coctis*, vel foveantur *laëte*, in quo vulneraria, & carminativa incocta ſint. His adhibitis non tantum flatus diſcutiuntur, ſed inteſtinorum pori à frigore conſtipati reſerantur, & ſuccorum circulatio horum calore ferè reſtituitur, conſumptis flatibus, inteſtina reponantur, quòd ſi fieri nequeat, vulneris orificium dilatetur, quantum ſatis ad inteſtinorum repoſitionem, cavendum tamen eſt, nè inteſtinum ferro attingatur. (nonnulli inteſtina pungunt, ut flatûs exploſione detumeſcant) & vulnus ex aliquâ parte conſuatur, ac turundâ balſamicis illitâ imponatur ſuperpoſitione *emplaſtri ſtillici, vel oppodeldoch.*

Si omentum prolapſum ſit, niſi ſtatim reponatur, breviſſimo temporis ſpatio refrigeratur, coagulatur, & ſphacelatur, & tunc pars emortua abſcindenda eſt, ne ſana trahatur.

Inteſtina ſi vulnerata fuerint tàm tenuia, quàm craſſa, & ciborum reliquiæ non totaliter digeſtæ, vel excrementa per vulnus effluant, & ſint ſanguine fœdata, vel conſpurcata, ab omni ſorditie abſtergantur, & *ſpiritu vini camphorato, &*

essentia hypericonis abluantur, in situm ordinarium reponantur, & filum, quo intestina consuta fuêre pendulum extra vulnus relinquatur, ut suo tempore educatur, vulnus consuatur, relicto tamen in parte decliviori foramine, pro turundâ intrudendâ, balsamicis inunctâ, vel *oleo Apparicis cum oleo terebinthinæ*, pro materiæ affluxu.

Vulnus consuere, relicto foramine, pro materiæ effluxu multum conducit, cruor, vel sanies propter consuta vulneris labia necessariò in abdominis cavitatem descenderet, retineretur, & ipsa intestina, cœteraque partes contaminaret, & venter intumesceret; nec materia in partibus declivioribus naturalibus à calore dissipatur, vel insensibiliter educitur, quia admodum debilis est; nec fidendum est, quod materia per intestina depellat, vel quòd in inguinibus excitetur abscessus, per quem, cum aperitur, materia educi possit: nàm hoc sæpè non accidit, & si quandòque in inguinibus erumpat abscessus, & dirumpatur, non propterea æger tutus esse potest: nàm vel vix curatur, vel in gangrænam, vel fistulam saltim degenerat, vel tabem pauco dierum spatio cum febre habituali, & citam mortem inducit.

Cœterum ne vulnerato in tantâ pernicie constituto medeamur, & cum sanitatis incertitudine, operæ pretium ducimus ea seligere medicamina, quæ multis fuêre saluti, ac eapropter cura diætetica in sex rerum nonnaturalium regimine consistens, cautè administretur. Aër ergò non tantum sit temperatus, verum etiam calidus; frigidior est lethalissimus. Cibus coctu facillimus sit, qui fæcibus non nimis exuberet, & optimum præbeat alimentum, & flatulenta vitentur. Potus sit parcior, & ex vulnerariis. Motus quicumque fugiatur. Quies optima medela est, & vulnerati decubitus sit in parte benè valente. Somnus, & vigilia sint moderata. Alvus sit laxa, alias glande proritetur, & non enemate, ne consuta intestina rumpantur, vel saltim inflentur. Quicumque animi motus vehementiores coërceantur.

Abdominis vulnera, quæ musculos tantum lædunt, sedulò balsamis pluries à nobis recensitis curamus, & estò non sint penetrantia, non per hoc periculo vacant; siquidèm musculi continuò involuntariè moventur ad thoracis motum, & ad fæcum expulsionem, vulnera verò, ut consolidentur, quiete indigent. Si penetrantia fuerint, & intestina læsa, cum protestatione, & pravi ominis vaticinio, consutis consuendis, & foramine relicto, intra vulnus ea medicamenta, & balsama, quæ vulneribus thoracis penetrantibus descripsimus, per syringam injicienda sunt. Interius non desint ea, quæ acidum absorbent, & succorum circulationem promovent, hujus farinæ sunt *oculi cancrorum*, *stibium diaphoreticum*, *antheticum Poterii*, *mumia*, *sperma ceti*. Non omittantur diaphoretica, quæ sanguinis grumos dissolvunt. Dum hæc adhibentur, manè, & serò

potio-

potiones vulnerariæ, in quibus tota curationis spes consistit, propinentur, quas alibi descripsimus. Symptomatibus citâ ope occurrendum est, & præcipuè si febris oboriatur, & exquisitis, ac congruis medicamentis protinus non oppugnetur, gangræna, & certa mors subsequitur.

CAP. LXII.

De Hepatis Anatome.

HEpar, seu Jecur, quasi juxta cor, est eximium viscus in dextro hypochondrio sub diaphragmate situ valtæ magnitudinis, in convexâ, seu gibbâ parte rotundum, & lævе, inferiore, seu simâ parte concavum, qua ventriculi dextro lateri incumbit.

Numero communiter unum est, rarò duo. Rarius planè deficit hepar, ut in *Matthiâ Ortelio* refert *Io. Schenckius observat. lib. 3.*

Substantiam habet mollem, & rubicundam, instar sanguinis concreti, cujus tamen firmitas apparet, undè parenchyma dicitur. Difficulter corrumpitur: observavit enim *Riolanus* fortuitò hepar per integrum annum asservatum, incorruptum permansisse. Substantia quoque hepati bovino simillimum esse, & coctum nec consistentiâ, nec colore, nec sapore ab eo discrepare, quare & nostram carnem similiorem esse bovinæ, quàm suillæ. Quicquid dicat *Marcellus Malpigius* accuratissimus hepatis explorator, qui *lib. de Hepate cap. 2.* microscopiis hepar glandulam conglomeratam, bilem secernentem esse observavit.

Color ejus rubicundus oculis obvius, ratione suæ texturæ ei non proprius, sed ascititius, à copioso sanguine per venam ei largiter infuso mutuatus. Proprius ejus color est pallidus, leviusculè flavescens, qualis se pandit in hepate cocto. In quibusdam ægris, ut hydropicis, pallidum valdè est, uti etiam splen, & renes. *Malpigius* album colorem ei adscribit, & reverâ, si hepar per noctem aquæ immergatur, album evadit, depósito in aquâ sanguine.

Ob diaphragma, cui hepar cedere debuit, *Figuram* accepit superiorem, & exteriorem satis rotundam, convexam, vel gibbam, æqualem, & lævem, ubi etiam posterius ad venæ cavæ transitum sinus est oblongus. Et ob ventriculum accepit figuram interiorem, & inferiorem cavam, quæ pars sima dicitur, estque inæqualior, in qua duo sunt sinus: ad dextram unus pro vesicâ biliari: ad sinistram alter pro transitu stomachi. Estque hepar ad dextram amplæ rotunditatis ad sinistram angustæ, & acutæ.

Membranâ cingitur tenui, ortâ à peritonæo succingente diaphragma, & revolutâ circum hepar. In hac membranâ vesiculæ attolluntur aqueæ, à quibus hydrops teste *Platero*.

Magnitudo hepatis, in homine adulto, sano, optimæ constitutionis, & temperiei, tentato ex-

perimento repertum est, quòd hepatis longitudo in parte convexâ major est, quàm in parte cavâ; siquidem illa instar arcus, hæc verò instar chordæ sese habet, idemque de ejus longitudine accipiendum est. Hepatis cavi longitudo proximè respondet intervallo inter cubitum, & carpum posito, latitudo verò ejusdem cavi manûs ferè longitudini æqualis est, & crassities manûs altitudini respondet.

Pondus hepatis in hominibus optimè constitutis trigesimam quintam partem ponderis totius corporis esse multis experimentis comprobatum est. Exceptionem patitur regula in iis animalibus, & hominibus, qui multum adipis, vel sebi pondus sibi apponunt, nàm in his adipis, vel sebi pondus computandum non est in proportione hepatis cum integro corpore, etenim adeps fit à nutrimento ab hepate non elaborato. In infantibus quoque fallit regula: nàm in his hepatis moles vigesima quinta, sæpeque vigesima pars est ponderis totius corporis.

Connectitur per tria valida ligamenta. I. Abdomini per venam umbilicalem; quæ in adultis post partum arefit, & in ligamentum abit, ne diaphragma nimis pendulum sit, & deorsum nimis tendat. II. Superius diaphragmati à dextrâ parte per ligamentum latum membranosum, tenue: sed tamen validum à peritonæo, quam diaphragma succingit ortum, & hoc ligamentum suspensum dicitur. III. Etiam superius diaphragmati, sed à sinistris per aliud ligamentum à peritonæo natum, teres, & validissimum: posterius etiam, ubi cava transit, gibbâ parte peritonæo adhæret.

Brutorum hepar in varios lobos, seu pinnas est divisum humanum verò hos lobos non habet, observatur tamen in hoc tantum scissura, per quam vena umbilicalis in ejus cavum figitur, prominentiæ verò circa radicationem venæ portæ positæ fibrarum potius, quàm loborum denominationem apud auctores meruere.

Nervulos recipit exiles quatuor: duos à sexto pari, tertium à stomachico, & quartum à costali, quibus obtusus tantùm sensus ejus tunicæ tribuitur; vix enim in ipsam ejus substantiam interiorem penetrare videtur. Majoribus, & multis interioribus nervis non indiguit, utpotè quod sentire vix debuit, & ipsum miet fermentum conficiens, spirituum animalium fermentativâ qualitate cavere potuit.

Arteriolas obtinet exiguas à cœliaco ramo dextro, juxta portam ad illud venientes: nàm hepatis substantia vix arteriis opus habet, cùm sanguis ei satis copiosus affluat per venam portæ, (quæ hic arteriæ munere fungitur) qui ei, ob substantiæ suæ proprietatem, convenientior est ad nutritionem propriam, & fermenti bilioſi confectionem, quàm arteriosus. Nec etiam vena portæ cum suis surculis, ut nec cavæ radices indigent arteriis, cum proprio contento sangui-

sanguine gaudeant, & nutriantur, nec uspiam appareat ullos arteriarum ramulos quarumcumque venarum tunicis inseri ad earum nutritionem.

Venas habet duplices. Superiore parte vena cava ei adnectitur, in quam plurimæ radices per ejus substantiam quaquaversum dispersæ sanguinem exonerant. His radicibus inferiore parte occurrunt ramuli venæ portæ, qui similiter per totum parenchyma decurrunt.

Ab Aristotelis quo ad Galeni usque sæculum hepar vixit abjectum, & inutile corporis pondus, otiosum, & ignavum parenchyma nullius usus, nullius functionis, ac veluti alter lien, per accidens tamen corpori necessarium, ut *de Partibus animalium cap.* 7. apud *Arist.* legi potest, qui cordi totis viribus favens, absolutum, & independens in animantis republicâ dominium illi tribuit, thronum erexit, illudque constituit partium corporis omnium Monarcham, inter quas hepar vilissimum erat.

At suo sæculo, dùm medicinam faciebat *Galenus* abjecti, & derelicti hepatis partes fovere cœpit, seditiones in animantis republicâ movit, organa, & partes omnes in tumultum excivit, iisque græcalicâ loquacitate, quæ sequuntur, suggessit: *Et usque adeò jàm socordes, & comatosâ incuriâ pressæ animantis reipublicæ partes manebitis, & cordis inveteratam jàm tyrannidem tolerabitis? Indignum, nefasque est, vos ingratitudinis titulo laborare, sanguinis beneficio vivitis, sentitis, & cunctas vobis functiones destinatas peragitis; venarum, & sanguinis beneficio utimini, à jecinoris corpore vena pullulant omnes, in ejus tamen carne vis inexhausta sanguinis effectrix, in eo facultatis naturalis, cujus ingenio vos utimini, sedes, in eo vis bilioši veneni à sanguine separatrix. Quorsum hactenus cordi indebitè corporis totius dominii usurpatori famulatæ estis? Detrahat sanguinem hepar, venæque cavæ truncum relinquat inanem, & videte, an actum sit de cordis Monarchiâ? Hepate cor indiget, non corde hepar, & tempus jàm est, ut cor hepati famuletur, illique debitum principatum restituat.* Hæc tanquàm per concionem insinuabat *Gal. 4. de usu part. cap.* 11. 12. & 13. 6. *de anatomicâ administratione cap.* 11. *lib. de loc. aff.* passim de naturalibus facultatibus, & latè in omnibus suis voluminibus. Cum cordis partes nemo foveret, quippè Peripatetici, ad quos defensio spectabat, Logici sophismatibus immersi nil rerum naturalium speculationibus vacabant. Plaudere hepati unusquisque cœpit, eòque illud encomiis evexêre, ut penitus suppresso, non inquam principatu, sed cordis nomine, omnia jecur peragere in animalium corporibus, ipsum vitæ œconomiæ præesse, reliquas in corpore partes omnes obsequiosè illi famulari, abeo ventriculum calorem, intestina fotum, cor & arterias sanguinem, cerebrum materiam pro spiritibus animalibus creandis, generationis organa materiam pro semine, tandem universum corpus sanguinem pro nutrimento proprio mendicare: publico ità-

Unable to display this page

ut diximus, glandulam conglomeratam, bilem secernentem esse observavit. Et *Glissonius* hepatis parenchyma colum quoddam peculiare esse existimavit, per quod sanguis, & humores percolantur, eamque alterationem, quæ ipsis in hepate imprimitur, percolatione perfici.

Hepatis munus est bilem, seu humorem felleum præparare, & in duodeni finem, vel jejuni principium per porum bilarium immittere, ut ciborum reliquiis se immisceat, & tali menstruo in liquorem solvantur, & facilius spiritus æthereus ad superficiem à centro evocatus in intestinorum fibras se insinuet ad corporis sustentationem.

De Folliculo fellis, & Canali bilario.

Ad bilis receptionem in dextrâ, & cavâ hepatis parte duo meatus insculpti sunt, scilicèt *Vesica bilaria*, *& Porus*, *seu Canalis bilarius*. Per hunc bilis fæculentior, & mitior in intestina confluit. In illum vero tenuior bilis confluit, quæ aliquandiu ei inhærens, morâ illâ ex partis proprietate, magisque ex ei inhærente residuo liquore, acriorem, ac magis fermentativam qualitatem acquirit.

Vesica autem *bilaria*, quæ etiam *folliculus fellis*, & Græcis *Cistis Cholidochus* appellatur, & vesica oblonga pyriformis, subrotunda, concava in simâ hepatis parte sita.

Superiore, & mediâ parte connectitur sinui insculpto, reliquâ verò parte extra hepatis corpus propendet, qua dextrum ventriculi latus, & colon intestinum attingens utrumque frequenter bile, per tunicas ejus transudante imbuit, ac tingit.

Magnitudinem habet in aliis minorem, in aliis majorem: quo tamen quis bilioſior, eò vesicula major observatur: utplurimum verò longitudinem duorum digitorum transversorum, latitudinem digiti, vel pollicis.

Duplici donatur *membranâ*; unâ exteriore non fibrosâ, à peritonæo ortâ, quæ partem ejus extra hepar pendulam investit, & hepati annectit, eandemque est cum hepatis exteriore membranâ; Altera interiore propriâ, crassiore, & muco lubrico adversus contenti humoris acrimoniam munitâ. Hanc omni fibrarum genere pertextam esse, & rectis bilem in se allicere, obliquis retinere, transversis eandem expellere multi tradunt cum *Laurentio*, Hæ tamen fibræ aliis videntur imaginariæ, cùm nullo modo demonstrari queant. Verum Laurentii caussa satis defendi posse videtur, si dicamus, licèt fibræ istæ manifestè demonstrari nequeant, tamen eas ratione satis percipi posse, cum hæc pars ad sui firmitudinem non minus egeat fibris, quàm vena, arteria, vesica urinaria, aliæque plures, quæ cùm distenduntur, per suas fibras se rursus contrahunt, & sic ad pristinum statum redeunt: qualis distensio à bilis redundantis copiâ, vel ab ejusdem turgeſ-

turgescentiâ, seu effervescentiâ, etiam sitim folliculo fellis, quàm contractio per fibras, licèt invisibiles, & obscuras, necessariò subsequi debet, non tantùm ad bilis è folliculo expressionem, verùm etiam ad reductionem folliculi in pristinum statum.

Dividitur fellis vesicula in fundum, & cervicem; fundus amplior est, rotundus, seu pyriformis, & inferiore loco pendulus, colore bilis contentæ, modò flavo, modò æruginoso, modò nigricante, modò alio tinctus; Cervix fundo durior, sursùm spectat, oblongatur, & angustatur, donec in angustum meatum, & tenuissimum abeat, qui in communem ductum intestina petentem desinit.

Venas duas accipit exiles ad nutritionem, *Arterias* exiles à cœliacâ quoque accipit. *Nervulum* parvum vix conspicuum à sexti paris exili propagine hepatis tunicam perreptante.

Usus folliculi fellis est bilem generare, nonnihil ad tempus retinere, & posteà expellere; qua in hominibus sanis mediocriter repletus est, non tamen adeò infarctus, quin portò mensuram dimidii cochlearis capere posset: in morboso autem statu interdum bile admodum turgidus, & infarctus est, interdum etiam, sed rarius, planè inanitus.

Alterum bilarium vas est porus bilarius, dicitur progressus cervicis vesicæ felleæ, quo poro bilario, ductuique communi ipsa vesicula se communicat, ac canalis est, per quem, dum vesicula nimio felle turgescit, se in ductum communem exonerat, ubi annulo fibroso cingitur; in parte nàmque externâ cervicis vesicæ bilariæ annulus fibrosus invenitur, non verò valvula, ut alii perperàm crediderunt) qui multum foramen arctat, ac idem efficere videtur, quod musculus sphincter in vesicâ urinariâ efficit, scilicèt ut bilis è vesicâ faciliter non effluat. Angustissimus est meatus cisticus, dilatatur deindè, ità ut ejus amplitudo pennæ anserinæ minusculæ ferè æqualis sit, longitudo verò à cervice vesiculæ usque in ductum communem est duorum digitorum latorum.

Porus bilarius extra hepar conspicuus dicitur etiam ductus hepaticus, ad differentiàm meatus cistici, truncus est, in quem ejus capillares surculi per hepatis carnem dispersi, bile ibi secretâ se exonerant. Principalioris est usûs, quàm vesica fellea, nàm multa animalia vesicâ carent, non autem poro bilario.

Ductus communis incipit, ubi cisticus meatus, & porus bilarius connectuntur, & angulum efformant, dicitur ductus communis, quia in eo tàm cisticus meatus, quàm porus bilarius exonerantur; ductus communis amplitudo cistici, & bilarii junctorum amplitudine proportione respondet pennæ anserinæ majusculæ.

Meatus cisticus, & porus bilarius ductui communi conjuncti extra hepar figuram litteræ Græcorum Y efformant, linea enim sinistra

stra meatum cisticum designat, dextra porum bilarium, progressus amborum in unum conjunctorum deorsum versus ductum communem.

Insuper ductus communis à situ connexionis cistici cum bilario per duos latos digitos cum unius medietate deorsum elongatur, inseriturque in intestina, ubi desinit duodenum, incipitque jejunum. Nonnunquàm, sed rarò ductus abit in ventriculi fundum, eò bilem effundens. Undè bilis vomitus, iique homines græcè dicuntur *Picrocholi*. Si verò ad jejuni finem meatus inseritur; dejectiones semper biliosas obtinent, & ii græcè dicuntur *Picrocholi cato*. Qualis esse debuit ille, cui in colon implantabatur cholodochus à *Marco Aurelio Severino nostro Neapoli* dissectus.

Insertio hujus ductûs communis in intestina quamvis extrà recta appareat, antequàm tamen in intestinorum cavum suo orificio hiet, obliqua evadit; nàm inter membranas intestinorum descendit per digiti ferè latitudinem, posteàque intra cavum suum orificium aperit, quod magnâ naturæ providentiâ factum est, ne scilicèt aliquid, quod per intestina descendit, in dictum ductum irrueret, quod facilitèr evenire poterat, si rectus fuisset transitus à cavo intestinorum in canalem ductûs communis.

Putárunt nonnulli Anatomici bilem assumi ex hepatis substantiâ hoc modo: Assumunt pori radices bilem ex ipsâ hepatis substantiâ, in quam plurimæ venæ portæ, paucæque arteriæ hepaticæ ramuli sanguinem suum deponunt, qui in eâ statim alteratur, & sulphurearum, subsalsarumque particularum missione novo modo excoquitur, & multis sui particulis amarescit, atque bilescit: quæ biliosæ particulæ, mediantibus acinis glanduloſis (ex quibus hepatis substantiam inprimis constare comperit *Malpigius*) à reliquis sanguineis coctione istâ minus alteratis segregantur, & à radicibus pori, ac folliculi bilarii absorbentur.

Franciscus de le Boë Sylvius, considerans maximè exiles, & plerumque invisibiles meatus per quos bilis ex hepate ad folliculum fellis defertur, longè aliam de ejus generatione opinionem concepit *Disput. Med. 6. Thes. 36, & 37.* Suspicatur enim bilem generari ex sanguinis portione per arterias cisticas ad bilariam vesicam delati, partibus ipsi maximè similibus, & per ejusdem tunicæ poros in cavitatem ipsam sensim penetrantibus, atque ibidem mox in eandem cum reliquâ bile naturam abeuntibus: eodem modo sicuti vinum canthari mensurâ in aceti dolium infusum, mox convertitur in acetum. Illud ipsum quoque sentit *Regius*, *philos. natur. lib. 4. cap. 12.* qui tamen etiam radices bilarias, ex sanguine venoso hepati infuso bilem elicientes agnoscere videtur.

Verum illud Sylvii commentum hæc quatuor destruunt. I. Quòd in folliculi cavitate nulla unquàm sanguinis infusi indicia appareant,

imò nec minima quidèm ab ullo Anatomico observata fuerint, cum tamen in quibuscumque partibus, in quibus ex sanguine alius succus, liquor, aut spiritus est conficiendus, aliæque sanguinis notæ manifestè appareant, ut liquet in cerebro, & testibus. II. Quòd bilis etiam generetur in iis animalibus, quæ dicuntur folliculo felleo destitui, ut in Cervo, Damâ, Camelo, in quibus illa in folliculo ex sanguine per arterias illabente generari non potest, sed in ipso hepate generata effluit per porum bilarium. III. Quòd in hepate interdum obstruuntur illa vascula, per quæ bilis ad porum, & vesiculam fellis advehitur, atque tunc icterus fiat à bile copiosa per totum corpus diffusa, cum interim in poro, & folliculo vacuo nihil bilis generatum fuisse liqueat, etsi arteriæ cysticæ satis multum sanguinis, more solito, ad folliculum detulerint. IV. Quòd in helluvionibus, & strenuis potatoribus ex hepatis intemperie calidâ procedens icterus, ab arterioso sanguine in bilem mutato gigni non possit, cum ille æqualiter anteà, atque nunc ad folliculum delatus fuerit, nec ulla ratio sit, quare copiosior tunc eò ferretur in bilem mutandus, quàm aliis temporibus.

Indubitabile est tàm vesicam felleam, quàm porum bilarium per suos surculos succum educere ab hepatis parenchymate, & hunc succum in vesiculâ, & poro bilario recip, ipsumque in dictis capsulis receptum per ductum communem in intestina transfundi, verum negamus succum illum, quem vesicula, & porus bilarius ab hepate recipiunt, à sanguine separari: ille succus à vasis felleis ab hepate exsugitur, ut disponatur, & immutetur in ipsis in intestinorum gratiam, in quibus suum necessariissimum alioquin usum exercet. Succus iste priusquàm in vasa bilaria recipiatur, pars est sanguinis serosa tamen, non autem fibrosa, quæ ubique in venis, in arteriis abundare solet, ut jàm fluxibilior fiat, & motui promptior; dùm verò pars ista sanguinis serosa est sanguini commista, subdulcis est, parùm ad salsedinem inclinans, subtilis potius, quàm crassa, aquea potius, quàm oleaginea; hinc est, quòd tàm sanguis venæ portæ, & arteriæ cysticæ, quàm hepatis caro nullum amarorem præseferunt, nàm sanguinis serum nullo modo amarum est, neque undè amaro sapore imbui potuisset, habuit. Hoc itàque sanguinis serum à vasis bilariis sugitur, ac in iis amarorem, crassitiem, & oleaginositatem acquirit, tàm à texturâ fibrarum dictorum vasorum, quàm etiam à liquore, quem in vesiculâ invenit à principio generationis ibi productum, ad hoc ut sanguinis serum, quod illi miscendum erat, in amarum verteret, non secus ad vinum dulce aceto commistum, acetum fit.

Evenit succo bilioso id, quod de nutrimento in omnibus corporis partibus accidit; nàm idem, & unicum nutrimentum homogeneum, & similare in unaquaque parte

parte corporis pro partis cujuslibet dispositione transmutatur; in osse enim fit os, in pulmone pulmo, in liene lien, in membranis membrana, & sic de cæteris: principiis enim nostris constitutivis solidis vis insita est nutrimentum transmutandi, & sibi assimilandi.

Notum quoque idem est in urinâ, sudore, & in aquâ pericardii, qui liquores antequàm è sanguine, sive nutrimento separentur, neque urina, neque sudor, neque aqua pericardii sunt, post verò separationem unaquæque suam acquirit indolem.

Serosa itàque pars sanguinis ab hepatis corpore à ramis bilariis attrahitur in formâ seri, non autem in formâ bilis, deindè in dictorum ramorum vasis postquàm serum illud attractum est, per commistionem cum liquore felleo, qui in iis semper stagnat, ipsum quoque serum in liquorem felleum transmutatur, acquiritque eas proprietates, quas paulò antè intra venas contentum non habebat; cum itàque materia liquoris fellei serum sanguinis sit, quod non solum in sanguine superfluum est, sed necessariissimum.

De liquoris fellei usu (cave, ne confundas bilem cum felle, ut vulgares faciunt) multa commentati sunt Veteres. *Aristoteles*, ejusque mancipia nullum fellis admittunt usum, habereque tantum necessitatem materiæ, & educi, ne sanguinis massa inquinetur, credunt. Verùm pace Aristotelis, & mancipiorum, nos diximus illud sanguinis serum priusquàm in vesicam felleam recipiatur, non amaricare, sed subdulce esse, & parum ad salsedinem inclinare.

Aliqui plus huic liquori tribuunt, ad totius commodum destinantes; nàm hepar calefacit, digestionem secundam confortat, naturalem hepatis calorem juvat, sicut ignis sub lebete. Imò toti corpori calorem largitur, si credimus *Nemesio* inprimis stomacho ad promovendam coctionem.

Helmontius arbitratur liquorem istum esse omninò hepatis, & vitæ nostræ necessarium balsamum, ac proindè Judæi Christo Domino, cruce, ut diutius in cruciatibus persisteret, acetum felle mistum porrexerunt. Liquor iste non gravat, nec molestat unquàm, ac proindè nullos efficit morbos, imò à multis præservat, & præcipuè à putredine hepar: nàm fellis vesiculâ ab hepate amotâ, statim hepatis in fellis circuitu dissolvitur, & liquescit. Fellis disruptio, sive in felle vulnera confestim lethalia sunt, non autem ità hepatis vulnus, inflammatio, & abscessus; nàm vitæ nostræ alligatam necessitatem, integritatemque habet ob repentinam mortem.

Medici stercorarii, scilicet vulgares liquoris fellei usum pro clystere naturæ excrementorum expulsioni destinârunt, à mulierculis forsan edocti, quæ infantibus ad alvum laxandam ex felle suppositorium submittunt. Sed quàm à veritate alienum sit fel excrementorum expulsioni inservire ostendemus: Humanum stercus esiò flaveat parum, aut multum, ta-

men amarum non est ; canes enim flavum infantium stercus avidius edunt , quia lactis saporem retinet. Attamen huic flavo stercori, si aliquot fellis guttulæ admisceantur , tunc illud nequaquàm à cane lambitur. Multi stercore pasti sunt, & de sapore quæsiti, non esse amarum, sed fœtidum, & subdulce responderunt. In magnis obsidionibus ob annonæ caritatem milites coacti fuêre stercoribus vesci , & quò sæpius recomedebant , eò semper dulciora fiebant.

Ut de fellei liquoris usu nostram afferamus in medium sententiam, aliqua de Ventriculi actione laconicè resumamus oportet , dicimus itàque , quòd ingestis in ventriculum cibis , excitatur in iis fermentationis motus , qui occasionaliter tantum à ventriculi calore concitatur , non secus ac vis generativa pulli in ovo excitatur à calore externo fovente , efficienter verò , & effectivè ille fermentationis ciborum motus producitur à spiritu in ipsis cibis contento , prout producitur pullus à spiritu seminali in albumine clauso. Spiritus iste ciborum , dum movetur , effervescentiam in suâ materiâ caussat ; non secus ac spiritus in musto delitescens , dum moveri incipit, effervescentiam in musto caussat, qua paulatim mustum acescit, transmutatur , & in vinum abit, absque eo quod ab extrinseco aliqua aciditas , menstruum acidum, vel quid simile illi adjungatur; spiritus iste acidus , qui fermentationem caussat in musto , & per motum fermentationis aciditatem, fermentationemque caussat in cibis in ventriculo contentis , uti etiam per motum fermentationis aciditatem absque eo , quod fermentatio , & acidicas , vel ab aliquo liquore acido in stomacho stagnante , vel alieno ab aliquo viscere , vel glandulâ in ventriculum transmisso producatur , vel promoveatur. Ut ergò à proposità musti, & vini similitudine non recedamus, sciendum est , quòd sicut vini essentia consistit in illo spiritu acido, qui per fermentationem fuit in musto productus ; ità etiam essentia , quæ apta est ad corpora nutrienda consistit in illo acido ciborum spiritu in cibis per fermentationem producto , atque sicut per levem calorem à vino ejus spiritum elicimus , quo elicito , quod remanet , fæculentum est , ignavum , ac viscidum ; ità quoque à cibis fermentatis acidis ventriculus spiritum elicit vini spiritui analogum , remanentque deindè cibi fæculenti , ignavi , ac viscidi , qui cùm non sint de ventriculi indole , corrugatione ejus fibrarum per pylorum exprimuntur in intestina. Verum quia sensitivorum vita altioris est indolis , quàm vegetabilium vita , dùm illa integra est , & aliquo impedimento non urgetur , non quiescit , nisi ab ingestis cibis vegetabilium vitam , sive essentiam omninò emungat , sibi subjiciat , & eorum quoque cadaver adeò immutet , ut in excretis neque vix ingestorum ciborum signum remaneat. Id natura ex simplici fermentatione in ventriculo obtinere non potuit ; unde

undè postquàm fæculæ ex fermentatione residuæ sub pylorum descenderunt spiritibus à stomacho depauperatæ motum fermentalem ex seipsis excitare validæ amplius non erant, propterea remansissent partim mutatæ, partim verò immutatæ, si tali inconvenienti à principio generationis non consuluisset natura, construendo scilicèt vasa bilaria sub hepatis cavo, in quibus humor amarissimus produceretur, adhoc ut in intestina cum succo pancreatico flueret, cum ciborum reliquiis sub pyloro se commisceret, atque per alium motum fermentationi ferè contrarium in prima principia in liquorem scilicet superstites ciborum reliquias resolveret, quâ resolutione in liquorem peractâ, intestinorum villi, sive glandulæ miliares quicquid substantiæ alibilis in ipsismet ciborum reliquiis supererat post stomachi fermentationem emungere satagunt, & quod omninò fæculentum, & à specificis ciborum qualitatibus penitus liberatum, sensim transcolando in inferiora intestina foràs deturbat.

Hic obiter adnotamus, quòd spiritus ille, sive essentia ciborum, quæ tàm in ventriculo separatur per fermentationem, quàm in intestinis per resolutionem, non aliter in stomachi, & intestinorum villos, seu glandulas miliares recipitur, ac rerum sapores in linguam, & palatum recipiuntur, ac deindè minimè quidem per tubulos meseraicarum, & lactearum, per rectitudinem fibrarum per universum corpus diffunditur, illudque nutrit, & recreat, dum adhuc sanguinis proprietates non acquisivit.

Ex traditis jàm liquoris fellei usum satis intelligi credimus, scilicèt esse à naturâ productum ad ciborum reliquias essentiali parte non exutas resolvendas, & hoc totum est experimento, & observatione perspicuum, nàm ab intestino jejuno, in cujus principium obliquè ductus communis inseritur, per integrum cursum tenuium intestinorum nunquàm aliquid solidum invenitur, sed in iis semper observatum fuit fluidum quoddam liquamen, quod colon ingreditur, in fæces crassescere incipit. Hic fellei liquoris usus multum quoque pictoribus præstat in miscendis, & fluxilibus reddendis coloribus. Mirum enim quàm latè colores, adjecto felle, diffluant: quod non sanè illum latuit, qui non ità pridèm versicolores chartas tingendi artem excogitavit.

CAP. LXIII.

De Hepatis Vulneribus.

INterdum hepar suos patitur manes, cum à caussa violentâ, & externâ ejus continuitas dissolvatur: est apud Galenistas viscus insolentissimum, & non est in toto corpore morbi genus, quod non faciat hepar, undè non mirum, si quandòque meritas tantæ insolentiæ pœnas luget.

Solutæ unitatis hepatis variæ

sunt differentiæ; quandòque enim hepar telo acuto confoditur: aliquandò aliqua hepatis pars, & extremitas planè abscinditur: interdum re obtusâ contunditur potius, quàm scinditur: quandòque vulnus est superficiarium tantum: aliquandò ad profundum penetrat: interdum saltèm hepatis substantia, interdum etiam vasa scinduntur, vel rumpuntur; aliquandò gibbam, & quandòque cavum vulneratur.

Signa.

Hepatis vulnera petuntur ex caussis externis, & violentis, quæ præcesserunt, & abdomen è regione hepatis, scilicèt sub dextro hypochondrio, versus spurias costas, læserunt; si specillum ultra digiti cum dimidio longitudinem intruditur, vulneratum est hepar. Deindè à consequentibus facilè cognosci potest; sub dextro enim latere multum sanguinis è vulnere manat, ad spinam reducta hypochondria, punctio, & dolor in regione hepatis, & partium vicinarum, interdùm ad jugulum, & scapulam dextram usque porrigitur, in ventrem cubandi proclivitas, gravitas circa vulneratam partem, nec non tussicula quædam sicca, & aderit pondus veluti deorsum trahens. Interdum vomitus bilioſus, vel cruentus, vel sanguinis per alvum, aut urinam excretio sequitur, vel narium hæmorrhagia.

Causſæ.

Vulnerum hepatis causſæ sunt res externæ hostili manu, aut alio quodam infortunio, vel pungentes, vel scindentes, & hepatis continuitatem dissolventes.

Prognosis.

Hepatis vulnera ex *Hippocratis* edicto *sect. 6. aph.* 18. Lethalia sunt; si enim vasa majora vulnerentur, æger non evadit, quia omnis sanguis in ventrem, vel extra fluit, & vulneratus moritur, non facilè nàmque hæmorrhagia sisti potest ob difficilem loci aditum, & quamvis magna illa vasa non lædantur, attamen hepatis vulnus quantumvis exiguum liquoris fellei productionem turbabit, qui tamen maximè necessariissimus est. Quòd si aliquem supervixisse contigerit, inter rarò contingentia censendum est. Et alii quidem vitam nonnihil protrahunt: alii brevi temporis intervallo moriuntur. *Hip. S. Epid.* refert: *Cuidam jaculo percusso in hepar, statim color cadaverosus sese sparsit, oculi introrò cesserunt, difficultas ferendi, ac æstuatio consequuta est, & eâdem die vitam cum morte commutavit. Alter puer à mulo in hepate percussus, quarto die mortuus est, spiritum densum habebat, nec quicquàm intelligebat, & febre tenebatur.* Si fortè sistatur hæmorrhagia, tamen ulcus post vulnus relictum tàm rarò, & difficulter sanatur, ut ex tribus millibus eâ parte vulneratis vix unus aut alter evadat, & inter miracula

racula ferè habendi sunt, qui ex iis servati fuerunt. Aliquot casus apud auctores legimus: *Vulnerato hepate, & abscisâ aliquâ ejus parte, hominem servari tradit Aegineta lib. 6. cap. 28. Refert Gemma lib. 1. Cosmocritic. cap. 6. de quodam Hispano ab insigni hepatis vulnere sanato. Bertinus lib 13. medic. cap. 7 scribit de viro nobili, cui non tantum hepar vulneratum, verùm etiam aliqua hepatis pars per vulnus extracta fuit, qui tamen, præter omnium expectationem sanatus fuit. Hildanus Cent. obs. 34. narrat de Helvetio quodam, qui extracto hepatis vulnerati frusto, & symptomatibus sævissimis supervenientibus, tamen convaluit.* Verum hæc sunt naturæ miracula, qualia in curationibus interdùm contingere, olim tradidit Averrhoës. Convalescunt saltèm ii, quibus superficies saltèm, aut hepatis substantia sine magnorum vasorum læsione vulnerata est. Hepatis contusio periculosior est, quàm vulnus, & sæpè in abscessum degenerat.

Curatio.

Hepatis vulnera si sanguinis profluvium minentur, statim vulgares chirurgi venam tundunt jecorariam, & præsertim ad præcavendam inflammationem alacriter venæ sectionem pluries celebrant. Si æger laxam non habeat alvum, *clysterem ex decocto cichorii, plantaginis, hyperici, rosarum, addito oleo myrtino, & rosaceo, & melle rosaceo solutivo* injiciunt. *Rhabarbarum etiam in substantiâ ad ℈ ij. vel ʒ j.* exhibent; vocant enim rhabarbarum antihepaticum. Ad sanguinis fluxum inhibendum adstringentia, & glutinantia propinant, ut sunt *rosæ rubræ ficcæ, balaustia, bolus Armenus*; Item *trochisci de spodio, de rosis, rhabarbaro cum decocto plantaginis.* Vel

℞. *Conf. ros. rubr.* ʒ. ij.
Flor. cichor. ʒ. j.
Veronicæ ʒ. ß.
Corall. rubr. præp.
Margarit. præp.
Boli Armeni ana ℈. j.
cum syr. myrtino, vel cichorii f. electuarium. Consuto vulnere, extrà emplastra adstringentia, & glutinantia adhibent; si verò per vulnus hepar pateat, sequentem pulverem ei inspergunt, ut

℞. *Boli Armeni,*
Terræ sigillatæ ana ʒ. j.
Flor. ros. rubr. ℈. j.
Farinæ volatilis ʒ. iij.
Lapid. hæmatit. ℈. j.
F. pulvis.

Vel imponunt *unguentum ex terebinth. bolo Armeno, & mumiâ.* Vel *ex mastiche, & thure.* Partes vicinæ inungunt *oleo rosaceo, & mastichino.* Si ad inguina ex transmisso sanguine abscessus excitetur, maturant, aperiunt, mundificant, & sarcoticis, ac cicatrizantibus consolidationem absolvunt.

Nostra hepatis vulnerum curatio non versatur circa profundiora, quia lethalia sunt, ut in vaticinio diximus, nec in iisdem infixa tela citò extrahantur, ne copiosâ subsequutâ hæmorrhagiâ æger unà cum sanguine purpureum effundat animam; sed tantum circa superficiaria versatur: idcoque extrinsecè vulneri imponatur *cataplasma*

barbar

herbarum vulnerariarum volatili alkali refertarum, in vini spiritu maceratum, postmodùm *balsamum Peruvianum album, liquidum, vel Samaritani, artificialem, vel balsamum balsamorum n. d. vel aquam Reginæ* instillamus, vel ea, quæ alibi descripsimus, & turundam eodem balsamo imbutam intrudimus cum superpositione *emplastri stictici.*

Interim interne pulveres particulas acutas absorbentes exhibemus, qui sanguinis evasati acescentiam inhibent, & congrumationem dissolvunt, & unà vasorum dissolutionem consolidant, hujus energiæ sunt *oculi cancrorum, antimonium diaphoreticum, antheticum Poterii, mumia, spermaceti, sanguis hirci, lapis hæmatites, magisterium coralliorum, ebur philosophicè præparatum, extractum hyperici, tormentillæ, & symphyti, lacca, rhabarbarum testum &c.* quæ propinari possunt in potionibus vulnerariis de alkali volatili participantibus, quas *syr. de tormentillâ, scordio, symphyto, vel de hyperico edulcoramus.*

Cap. LXIV.

De Lienis Anatome.

Lien, sive *splen* est viscus in sinistro hypochondrio è regione hepatis, tanquàm alterum hepar, sub diaphragmate, inter ventriculum, & costas situm, in nonnullis elatiori, vel humiliori sede quàm in aliis.

Rarissimum est lienem cum hepate locum permutare, ut hoc in sinistro, ille in dextro hypochondrio; quod tamen à *Cornelio Gemmâ*, & à *Talentonio* fuit observatum, cujus rarissimum casum describit *Cattierus obser. 17. Petro Borello communicat.* atque etiam duas, tresvè historias refert. *Bartholinus observat. anat. rarar. cent. 2. hist. 29.* Rarissimum etiam est lienem deesse, quod tamen se in muliere quadam vidisse refert *Hollerius inter rar. num. 5.* & in Ottelio compertum fuisse, ut diximus cap. præcedente. Verum animalia, quæ vesicam non habent, carent sine noxâ liene, undè falsum est *Helmontii* illud: *Habet & musca splenem.*

Numero communiter unicus est, & hunc numerum rarissimè excedit. *Cabrolius* tamen *observat. 150* necnon *Posthius*, & *Dominicus de Marchettis* duos invenerunt: *Fallopius verò in observat.* tres lienes vidit. In canibus subindè duo, vel tres reperiuntur, magnitudine inæquales, è quibus singulis vas in ramum splenicum extenditur: quod ipsum fortassè in aliis nonnullis etiam contigit: nàm *Arist. lib. 4. de generat. animal. cap. 4.* scribit in nonnullis brutis duplicem esse lienem, nonnulla etiam liene prorsus destitui.

Hic ambigimus, an lien sit viscus tantoperè necessarium ad vitam: Item an ille possit è corpore humano eximi, seu excindi, & vulnus rursus sanari, sine vitæ, & sanitatis dispendio?

Pro primâ ambiguitatis parte, *Erisistratus* lienem frustrà à naturâ creatum existimavit. *Aristoteles lib. 3. de part. animal.* Lienem per acci-

dens

Unable to display this page

ries narratas meminimus, quibus tamen nulla fides debebatur. Si res ità se haberet, certè non ab agyrtis, & stolidis hujusmodi chirurgis illius testimonia hoc nostro quo petere necesse foret; jàm dudum enim ante multa sæcula extitere myriades clarissimorum medicorum, ac philosophorum, quælibet naturæ mysteria accuratissimè perscrutantium, quorum, si non omnes, saltem aliqui hac de re aliquid vidissent, observantes, ac notassent. Sed jam tota rei certitudo confirmatur incertissimis obscurorum quorundam hominum testimoniis. Quibus tàm ponderosæ rationes obstant, ut dicta sententia nullo tali fulcro fulciri amplius possit. Quippè, præter nervos, magna vasa sanguifera hominis lienem ingrediuntur (duæ scilicet arteriæ splenicæ) & egrediuntur (variæ venæ in unum ramum splenicum occurrentes) quorum sola resectio sufficiens est, quæ hominem illicò ingenti hæmorrhagiâ occidat: verosimile enim non est hæc vasa ullis injectis vinculis, aliisvè adstringentibus remediis ità constringi posse, ut hæmorrhagiam gravem non faciant: vel si fortè vinculis ligentur, (quod in hominis hac parte abditâ commodè fieri non posse omnibus notum est, qui visceris situm, connexionem, & constitutionem probè norunt) tunc tamen non diu potest, vinculis putrefactis, lethalem hæmorrhagiam subsequi necesse erit. Præterea si sola, & sæpè levia vulnera hujus visceris lethalia sint, imò si sola ejus intemperies, obstructio, aliusvè morbus, totum corpus graviter affligere, quin etiam occidere potest, quantò lethalior erit, quantòque magis corpus, vitamque prosternet ejus totalis ablatio? Quantum ad canes, quibus lienes exscinduntur, illi non omnes vivi permanent, imò ex multis vix pauci in vitâ servantur, iique tunc reliquum vitæ tristes, & ignavi protrahunt, nec diu vivunt: præterea à fine dubio, quod defectu convenientis materiæ à liene suppeditandæ, fermentum non præparetur, atque hinc sanguis crassior generetur, spirituque cum vitales, tum animales pauci, & crassi suscitentur. Præterea quod in cane tutiùs, ac commodius fieri potest, atque hinc facere licet, hoc in homine cum summo vitæ periculo tentare, nefas foret: & quod cani alicui hac in parte non cedit ad mortem, hoc hominem certissimè occideret; procul dubio, quod hoc viscus in homine magis necessariam actionem præstet, quàm in cane, in quo fortè pancreas, aliaque pars, ejus vices melius supplere potest, quàm in homine, utpotè in quo tantum viscus, tot arteriis, venis, & nervis instructum, proprioque parenchymate donatum, frustrà creatum esse, nemo sanæ mentis credet. Ità ut concludendum sit, lienem in homine ad vitam maximè necessarium esse, nec salvo homine excidi potest.

Figura ejus oblonga est, instar linguæ bovis, undè linguosum viscus nonnullis dicitur, præcipuè quia in bove, cane, multisque aliis

aliis brutis illam figuram non malè repræsentat ; foris ad latus sinistrum, & diaphragma gibba nonnihil : nonnunquàm ad costas impressiones habens, latere dextram respiciente concava ob adjacentem ventriculum : ubi per longitudinem mediam linea quædam alba prominentiis donata, venas, & arterias cum omento admittens. In homine tamen constantem figuræ perpetuitatem non servat, sed eam multimodè mutat, quippè in quibusdam triangularis, in aliis gibbosus, quadratus, vel acuminatus, in nonnullis in lobos distinctus invenitur. Summa, & crassior ejus pars Hip. caput, tenuior verò cauda appellatur.

Color in fœtu rubeus est ut hepatis, cum sanguine materno alatur puro ; in adultis ex atro purpureus, ob succum crassiorem ; in provectâ ætate plumbeus, vel sublividus existit. Præter naturam autem lien varios induit colores juxta humorem dominantem, lividum, cinereum &c.

Parte convexâ diaphragmati non firmiter, sicut hepar, sed superficialiter, necnon reni sinistro connectitur per tenues membranaceas fibrillas à peritonæo enatas. Simâ verò, seu depressâ parte adhæret omento, & vicinis partibus, sicque ligatus, in corpore benè habito ultra infimam costam non descendit : at relaxatus ligamentis humiliori loco sentitur, cum magno valetudinis incommodo : iisdem disruptis, nonnunquàm in hypogastricum delabi visus est.

Magnitudo ejus in hominibus diversa est pro corporum, & constitutionum diversitate. Plerùmque longitudinem habet ferè sex digitorum transversorum, latitudinem trium, crassitiem pollicis. In morbosis tamen corporibus interdum enormem acquirit magnitudinem, ità ut ejus protuberantia extra costas sentiri, & videri possit. Sic qui humidas incolunt regiones, & aquas bibunt paludosas, magnos habent lienes. Interim quò viscus hoc majus est, eò pejus degit homo, ejusque corpus magis extenuatur, & minus floret. Unde *Trajanus* Imperator fiscum appellavit lienem, quia ut hoc ditescente, plebs depauperatur : Sic liene augescente, minuitur corpus, quia ab eo non suppeditatur materia congrua ad fermentum conveniens in hepate conficiendum, quo destitutus sanguis debito modo non attenuatur, & ad partium nutritionem inutilis relinquitur. *Spigelius* observavit eos, qui amplas habent venas, habere lienes majores, atque ideò macilentos facilius quam pingues, in tumidos incidere lienes. Rarissime magnitudo lienis naturali minor est, cujus nonnulla extant exempla.

Duplici circumdatur membranâ ; unâ exteriore à peritonæo ; alterâ tenui propriâ, ab exteriore membranâ vasorum lienem ingredientium pronatâ, & eleganti ac mirâ fibrarum implicatione contextâ. Hæ tunicæ, seu membranæ arterias, venas, & nervos habent ab iis, quæ interiorem substantiam

stantiam pervadunt. Inter utramque autem excurrunt copiosa vasa lymphatica, instar retis cujusdam, multis valvulis donata. Oriuntur ex multis minimis glandulis conglobatis in liene subsistentibus. Fibras obtinet innumeras tenues, & validas, ex filamentis compositas, mirto artificio sibi invicèm intertextas, nullâ cavitate donatas.

Arteriis irrigatur duabus, unâ ad elatiorem, alterâ ad demissiorem partem ingrediente. Hæ frequenter à cœliacæ sinistræ ramo, quem *Arteriam splenicam* appellant; interdum à ramo quodam ex ipso aortæ trunco exeunte, & flexuoso ductu secundum pancreatis latus ad lienem procedente deducuntur, atque in mille ramulos fissæ per eum disseminantur.

Venam magnam ex simâ parte emittit, quam *Ramum splenicum* appellant, qui ramus innumeris, plurimisque radicibus parenchymati inhæret, ex quibus sensim cœuntibus, modò tres, modò plures majores rami efformantur, mox extra lienem in unum istum ramum splenicum concurrentes, qui transversim sub ventriculo per omenti superiora ad venam portæ excurrit, in eamque se exonerat. Ex his ramis, unus dicitur *Vas venosum breve* ingrediens modò unâ, modò pluribus propaginibus, quod vas volunt aliqui sanguinem acidum eructare ad appetitum, aut ventriculi corroborationem, qui deinde per intestina excernatur, quod falsum existimamus, nàm sanguis in liene contentus tàm hominum, quàm brutorum est ejusdem saporis, & dulcedinis cum eo, qui in aliis partibus corporis reperitur, & nihil à liene ad ventriculum per vas breve, sed semper à ventriculo defertur sanguis ad ramum splenicum. Alius ramus ad anum abit, & hæmorrhoidales venas internas gignit.

Observandæ sunt præcipuè *Anastomoses* frequentes arteriarum lienis cum venis ejusdem, præsertim una insignis ante ingressum vasorum in lienem: reliquæ in liene sunt.

Nervulos etiam à sexti paris ramo costali sinistro, magis per tunicam, quàm substantiam dispersos.

De lienis officio, seu actione tàm variæ, & diversæ extant medicorum opiniones, veritatem assequi planè operosum sit.

Multi ex *Galeni*, aliorumque antiquorum sententiâ putârunt ejus actionem esse fæculentam, seu melancholicam chyli partem separare, eamque per ramum splenicum attrahere, ac in se colligere, & aliquantulùm excoquere, eamque indè rursùs, partim per vas venosum breve in ventriculum, ad famem excitandam; partim per ramum splenicum ad intestina, & per venam hæmorrhoidalem ad podicem deponere. Quam opinionem multis, & ferè iisdem rationibus refutârunt *Bacchinus*, *Violanus*, *& Bartholinus*, quibus tamen omnibus argumentis ad ejus demolitionem opus non fuisset, cum hæc tria eam funditus evertunt. I. Quòd in liene nulla sit ampla cavitas, qua tale excrementum recondi-

condi possit: II. Quòd nulla via sit, per quam illud rursùs commodè evacuari queat, cum per eundem ramum splenicum modò ingredi, modò egredi minimè debeat, aut possit. III. Quòd rami splenici, & vasis venosi brevis ligatura planè contrarium demonstrat, ut suprà docuimus, quæ sola ad istius perversæ opinionis destructionem sufficit.

Vesalius, Platerus, Spigelius, aliique Anatomici multi meditantes lienem hepar adulteratum, ab *Aristotele* appellari, quòd hepate malè affecto, hoc viscus sanguificandi munere fungatur; à *Platone* expressum hepatis simulacrum; ab aliis hepar vicarium, sinistrum; lienis morbos, quemadmodum & hepatis sanguificationem lædere; quandòque inter se situm mutare, ut hepar sit in sinistro latere, & lien in dextro; & lienis vitia, atque hepatis iisdem propè remediis tolli: statuerunt lienem esse viscus sanguificans, non minus quàm hepar, & eo imprimis argumento huc ducti, quòd lien in fœtu rubicundum habeat colorem, hepati æqualem, & quòd liene laborante sanguificatio lædatur. Illum autem sanguinem in liene confectum nutritioni viscerum in abdomine contentorum inservire putârunt, sicut hepatis sanguinem nutritioni reliquarum partium. Sanguinem hunc lienosum confici tradiderunt ex chylo aquoso, ac fœculento, quem nonnulli per vasa lactea eò deferri, alii è ventriculo per vas venosum breve in eum defluere, alii per ramum splenicum ab eo attrahi existimarunt. Verum hanc sententiam multa in præcedentibus dicta satis evertunt, cum sanguificatio neque ab hepate, neque à liene, neque à corde perficiatur: cum è liene, nulla extant vasa, per quæ aliquis sanguis ad nutritionem partium in abdomine sitarum commodè defluere posset: cum etiam non dentur viæ chylum ad lienem deferentes; utpotè ad quem nulla vasa lactea excurrunt, nec per vas venosum breve (quod non in lienem, sed in ramum splenicum extra lienem inseritur) à ventriculo quidquam defertur; neque etiam per ramum splenicum ulla chyli attractio versus lienem fiat. Hanc accessûs chyli difficultatem animadvertens *Vesslingius*, confugit ad poros ventriculi invisibiles, per quos aquosum chylum ad lienem ferri tradit, sed nullis rationibus probat. Denique hanc sententiam penitus destruit circulatorius sanguinis motus, quo patet nullum sanguinem ad partes pro nutritione deferri ab hepate, aut liene per venas, nec propter obstantes valvulas deferri ullo modo posse, sed totum è solo corde per arterias ad omnes partes propelli.

Reusnerus, Piso, & Conringius Hippocratem sequuti solum potulentum ex ventriculo statim exsugi à liene existimant, atque adeò sanguinem tantum aqueum conficere ordinariò. Sed nulla ratio firma id persuadet, siquidèm desunt viæ manifestæ. Nec tenue solum attrahere debet, quo tanquàm vehiculo, & chylus, & sanguis

indiget, quanquàm seorsim non fluat, sed varie cum crassiori mistum pro sanguinis constitutione, donec officio suo defunctum, vel à renibus separetur, vel toto habitu corporis exsudet. Si præter naturam in ventriculo serum à crassiori chylo segregatur: vel per vomicum redditur, & crassior chylus hoc vehiculo destitutus in intestinis colicam efficiet; vel per pylorum excernitur, semper patulum liquidioribus, & coctu facilioribus cibis; multò magis largiori potu, qui celeriter interdum in potatoribus strenuis per urinam redditur, non lienem transeundo, sed per intestina, si convenientia adsit qualitatis, humorum tenuitas, laxitas vasorum; roburque trahentis facultatis, quibus conspirantibus recte *Asellius* asserit, nullam esse tàm longam viam, quæ non facilè acceleretur. Aliter constitutis, non statim per urinas potus labitur. Sunt enim, qui integro die Baccho indulgent sine matulæ necessitate. Sunt etiam quibus lubrica alvus solvitur, ut per intestina ferri non dubitandum non sit. Sanguis quidèm lienosorum tenuis est, & aquosus, non quòd talis immediatè ex ventriculo proveniat, sed vitium est totius sanguinis per arterias lieni communicatum.

Omnes ferè Anatomici sanguinem in liene contentum acidum esse affirmant, verùm nos gustatûs organum ejusdem saporis esse lienis sanguinem, ac cæterarum partium docuit, nec subaciditas in liene cocto gustu percipitur, comedant isti lienes; & posteà scribant, & estò *Walæus in epist. de motu sanguinis, & Highmorus Disquisitione anatomicâ* dicant, quod lien animalium vel assatus, vel coctus, vel quomodolibet præparatus, gustatus, deprehensus est austerus, pontici, acerbi, & acidi saporis; credimus tamen hos lienem propè corruptum gustasse, vel gustum acidi apprehensione imaginariâ imbutum, & sic dulciter deceptos fuisse. Nec obstat animalium lienem præsertim cervi, & bovis præparatum in extractum, vel essentiam redactum affectibus splenicis, & imprimis cachexiæ Virginum, & mensium suppressionibus specificè conducere, quia in præparatione semper acida miscentur. Præterea si lienis sanguis esset acidus, utique coagularetur; est enim acidum stomacho gratum, & amicum, at sanguini ob coagulationem hostile, & estò aliqua acidi portio quandòque in sanguine fluctuet, quia vel diluitur, vel ab alkalicis particulis castigatur, & ipsum non coagulat. Hoc vulgarium medicorum opinamentum ab Astrologorum næniis desumptum est, dicunt isti in regno minerali plumbum, & in animali lienem Saturno comparari, & sicut plumbum inter metalla est vilissimum, molle, ductile, obscuri, & nigricantis coloris, constans ex copioso Mercurio, sulphure nigricante, & sale impuro; ità microcosmicum Saturnum, scilicèt lienem cloacam, sive sentinam excrementi melancholici, mollem, spongiosam, & nigricantis coloris

ris esse dicunt, & sicut Saturnus omnis adstrictionis, & terrestreitatis est auctor, ità lien aciditatis, & austeritatis. Non negamus lienem partem sanguinis crassiorem, terrestrem, fæculentam, effœtam, quam vulgares melancholiam appellant, non continere; verùm acidum in eo sanguinem contineri omninò refutamus. Multos languores lieni tribuerunt vulgares, & præsertim melancholiam hypochondriacam, scorbutum, quartanam &c. quorum lien immunis est, & si quandòque afficiatur, non est affectus tanquàm mali causa, sed potius quod ceu affectus ab altius radicato malo in sanguine, ejus læsio dependet.

Pro lienis usu nos expendimus, ut nostram stabiliamus sententiam, liene augescente, corpus extenuari; liene affecto, lienosos lurido inhci colore; & liene benevalente, ac optimè constituto, corpus florescere, ut meritò dicatur *Saturnia florescere Regna*. Praterea mirificam arteriolarum, venarumque per omnem splenis substantiam fruticationem, & connexionem stupemus. Hinc toto in corpore non adesse viscus, quod tot arteriolarum, venarumque implicantiis potiatur, ut lien, censemus. Ob hanc igitur admirandam structuram, tot, tantosque laudabiles, benevalente, effectus, induci non possumus, ut lienem vel frustrà, vel ad vilissimum ministerium à naturâ conditum esse credamus.

Certum est lienem arteriam, quam splenicam appellant, à cœliacæ ramo sinistro, & interdùm à ramo quodam ex ipso aortæ trunco exeunte, recipere, dissemina-tur per totum splenis corpus, cujus figura filicis folium non malè exprimit; infinitam penè congeriem orbicularium, rubrorumque corporum exhibet cum glandulis innumeris, quæ locum, & situm sibi nanciscuntur in sinubus, & cellulis membranosis, quibus lienis substantia integratur. Arteria splenica disseminatur in cellulas quasdam membranaceas, & cellulis istis insperse sunt minutissimæ glandulæ sibi invicèm incumbentes, ut uvarum acini, ut exactè *lib. de liene cap. 5. Malpigius* observavit. Glandulæ illæ arterias à trunco arteriæ splenicæ, & surculos nerveos à nervo; qui splenem ingreditur, cum arteriâ mutantur. Sanguis arterialis per splenicam arteriam ad lienem post vertiginosos motus advehitur, cœnosus, terrestris, effœtus, segnis, ac spiritibus depauperatus, veluti cruoris fœx, & caput mortuum, undè non mirum, si atri, & lividi coloris sit, cùm sanguinis fœculentias recipiat, & conservet: verùm hic sanguis non est omninò inutilis, & quasi in sentinam projectus, sed ob salis fixi ubertatem est valdè fermentiscibilis naturæ, ulterius in cellulis membranosis, in liene coquitur, fermentatur, mobilis, spirituosus, & volatilis fit, & reliquo sanguini commistus ejus motum & volatilisationem promovet. Non secus ac chymici inter destillandum, ut liquor optimus fiat, partes subtiles, & spirituosas à capite

pite mortuo destillando segregant, ac deindè ipsi reaffundunt: atque hoc toties reiterant, donec caput mortuum crebris cohobiis volatilisetur, & liquor secundum omnes suas particulas ritè exaltetur. Sal iste fixus ex se ad fermentationem ineptus est, nisi ejus particulæ ad motum suscitentur, ità est in panificio vulgare fermentum (levato dictum massæ farinaceæ commistum, nàm sicut panis incocti portio quædam ad austeritatem servata istam indolem acquirit, ut panes alios fermentet, eorumque particulas aliàs segnes in motum adigat: ità videtur, quod sanguis in liene contentus stagnat, ejusque sal fixum in latibulis coërcetur, sed huic inconvenienti benè consuluit natura, quæ hoc animadvertens, succi pancreatici portionem ad lienem mittit ex ramulis angustioribus, qui estò lienem non tangere videantur, imò obliterari in liene, si tamen microscopii ope explorentur, in lienis cellulas, & glandulas terminari observantur, undè fermentalis motus in lienis sanguine succedit, quia pancreaticus succus acidus est, ut in multis operationibus chymicis ex acidi, & salsi commistione experimur. Hinc sanguis per fermentationis motum exaltatur, mobilis evadit, spirituosus, & volatilis, ac reliquum sanguinem volatisat, & à liene conveniens fermentum hepati subministratur, quo sanguis venalis attenuetur, & ad partium nutritionem fiat aptus. Concludimus tandèm lienem sanguinem arterioſum concoquere, præparare, ac spirituosum, & volatilem reddere, & hepar venalem depurare. Quod hujusmodi sit lienis usus, patet, quia hoc viscere malè affecto, sanguis aut fermentescit nimis, ut in affectibus scorbuticis, & hypochondriacis; aut si lien sit obstructus, vel scirrhoso tumore obsessus, sanguis idoneâ destitutus fermentatione, cachexia, vel hydrops inducitur.]

Cap. LXV.

De Lienis Vulneribus.

FAcilius hepatis affectus curatur, quàm lienis, ideòque si hic in tumorem abeat non tantum curatu difficilis est, & diuturnus, sed etiam languorum Lernam, & exitium inducere solet. Si verò ab aliquâ caussâ violentâ extrinsecâ ejus continuitas solvatur, certè mortem infert, cum ejus actio non tantùm ad benè vivendum, sed etiam ad simpliciter vivendum sit necessaria, quicquid mendaciorum pater, *Plinius lib.* 11. *nat. hist. cap.* 37. dicat, & ex eo *fioravanti* circumforaneus, & alii vilioris conditionis homines: lienem cursoribus, cum impedimentum iis afferat, eximi posse scribat. Sed has nænias suprà fusiùs repudiavimus.

Signa.

Si gladius, vel telum è lienis regione abdomen penetravit, non certum indictum est lienem esse vulne-

vulneratum, quia fieri potest, ut tela abdomen penetrent, & lienem non attingant, ideòque aliis opus est signis; eapropter lienem vulneratum esse cognoscimus, quod sanguis niger, crassus, & fœculentus è vulnere erumpit, sæpè etiam vomitu, vel per alvum excernitur, plerumque unà dolet ventriculus, ingens sitis excruciat, & febris. Præterea præcordia, quæ eâ parte exstant, tensa apparent, dolor, qui ad jugulum pertingit, & spirandi difficultas demonstrant, quæ fortassè accidit, quod per consensum diaphragma pariter est affectum. Vel tandèm vulneris figura percipitur, vel specillum demonstrat, si instrumentum pungens valdè fuit acutum, & forti brachio illatum.

Causæ.

Causæ mediatæ sunt res externæ, ut instrumenta pungentia, perforantia, & scindentia violentâ manu intrusa, aut alio quodam infortunio, vel explosione, quæ non modò lienis substantiam attingunt, verum etiam penetrant, ejusque continui solutionem faciunt.

Prognosis.

Lienis vulnera, quæ penetrant, ejusque corpus perforant, periculosissima, & lethalia sunt, nunquàm enim sanantur, si non aliâ de causâ, certè id ob vasorum sanguiferorum copiam, cum lien multas arteriarum, & venarum fruticationes habeat, quæ dùm læduntur, hæmorrhagia succedit, nullis cedens remediis ob difficilem loci aditum; tum enim omnis sanguis necessariò in ventrem fluit, & mors sequitur, quòd si aliter eveniat, inter miracula scribendum. Si verò vulnus sit superficiale, vel fortassè in aliquâ extremâ ejusdem parte, non necessariò erit lethale.

Curatio.

In lienis vulnerum curatione vulgares procurant, ut primò sanguinis profusio coërceatur, & inflammatio arceatur; ad sanguinem autem compescendum illis medicamentis, quæ adstringendi energiam habent, utuntur, ità sunt *succus polygoni, centaurii, plantaginis, pulvis boli Armeni, mumiæ, terræ sigillatæ, olibani*, & id genus alia, quæ secundum artem applicentur. Pro arcendâ inflammatione ad venæ sectionem, tanquàm ad magnum confugiunt præsidium, & venam jecorariam aperiunt, præsertim verò partis oppositæ, quia sicut lien est veluti alterum hepar, ità hepar credunt alterum esse lienem; mittunt tamen sanguinem sensim, bis, vel ter. Proscribunt purgantia, quorum vice remediis ani, scilicèt clysteribus utuntur. Intra vulnus tandèm ea medicamenta, quæ nativum calorem fovendi energiam habent, instillant, ità est *terebinthina cum oleo abjetino, myrtino, & cydoniorum.* Quia quandòque in morbis melãcholicis per urinam atrum humorem magno cum

patientis juvamine excretum, & in lienis vulneribus pus per urinam expurgatum fuisse observârunt; medicamenta urinam cientia, *ex radice fœniculi, quatuor seminibus frigidis majoribus, ciceribus rubris, & similibus* exhibent. Per quas autem vias lien per urinam rectè se exonerat, alii aliter docent. Quidam per splenicum ad venam portæ, hinc ad hepar, & per hepar ad venam cavam, & tandèm ad emulgentes pus pervenire statuunt. Sed hæc via est nimis longa, & per multas ambages. Brevior longè via est per cœliacam arteriam ad arteriæ magnæ truncum, & hinc ad emulgentes arterias. Cœterum sanguinem inficeret cum maximo ægrotantis discrimine. Præterquamquòd urina non transcolatur per emulgentes, ut infrà dicemus. In his vulneribus magni æstimant victûs rationem, quam tenuem, & maximi nutrimenti, præsertim verò agglutinantis virtutis, ut sunt jura extremitatum animalium cum *pilosellâ, pimpinellâ, consolidâ, endiviâ, boragine*, & similibus præscribûnt. Hæc, & alia tenuioris energiæ medicamenta in lienis vulneribus exhibent, in reliquo totam curationem ipsi naturæ, quæ est Ignota Dea, in necessariis non deficiens, committunt, & hanc venerantur vulgares superstitiosi, veluti Athenienses, qui *Ignoto Deo* sacrificabant. Assiduè in ægrorum domibus per garrula medicastrorum ora, illa sesquipedalia roboant verba: *Natura est morborum curatrix, medicus verò minister; ipsa enim non edocta, & nullo usa magistro, ea, quibus opus habet, disponit, eaque præter spem mirificè in naturalem statum convertit.* Verùm non semper natura est morborum curatrix? solet enim quandòque morbo succumbere & ità fatiscere necesse est, nec vulgares semper curandi morbos contractum cum testibus, cui se sola natura obstrinxit, exhibere possunt. Est natura morborum curatrix, sed medicus debet esse minister, id est adjutor. Quandò medicus totam morbi curationem naturæ committit, de infirmi vitâ actum est. Morbos aliquot physicos criticè se sola absque ministro curat, attamen chirurgicos, ubi continui solutio adest, ut videre est in Lue Venereâ, ulceribus, vulneribus, luxationibus, fracturis, & id genus aliis, nullatenus se sola curare potest, nisi à perito adjuvetur ministro: est natura veluti senes uxorati, qui cum tantillo auxilii pulchras suscipere possunt proles.

In lienis vulneribus sex rerum nonnaturalium regimen magni pendimus; ideòque aër vitetur frigidus, & æger in loco temperato se contineat. Victûs ratio sit tenuis, vitentur acida, & salsa; potus sint decocta vulneraria. Motus arceatur, quies conveniat, & decubitus in parte dextrâ. Somnus, & vigilia suos non prætergrediantur limites. Excernenda debito modo excernantur, & retinenda retineantur. Animi pathemata, quantum fieri potest, rectæ rationis freno vinciantur.

Si lien superficie tenus læsus fuerit, eodem modo curatur, ac si ejus

ejus substantia vulnerata fuerit, estò in hujusmodi vulnere lethali vaticinio se munire debeat chirurgus, non ideò vulneratus sine ulla salutis spe deserendus est, quia dum vita est, spes est, idcòque utraque læsio, tàm superficialis, quàm profunda eâdem curationis methodo tractetur. Ad sanguinis itaque hæmorrhagiam compescendam intra vulnus syringæ ope *aquam arterialem n. d.* impellimus, quod si prima vice suum non sortiatur effectum, ejus intrusio ad cohibitionem usque reiteretur. Deindè ad balsamica devenimus medicamenta, quæ etiam syringâ innudantur, hujusmodi sunt *oleum momordicæ, Apparicis, tinctura myrrhæ, balsamus Samaritani, hypericonis, balsamorum balsamus, aqua Reginæ Hungar. balsamus proprietatis, balsamus artificialis,* cum brevis turundæ iisdem medicamentis imbutæ intra vulneris orificium intrusione, & *emplastri stictici* superpositione. Per os ea exhibeantur medicamenta, quæ sanguinis acorem impediunt, demulcent, absorbent, vel immutant, vel congrumatum dissolvunt, fluxilem reddunt, & per sua emunctoria deturbant: hac energiâ potiuntur *sanguis hirci, oculi cancrorum, mumia, sperma ceti, pulvis ante-hecticus Poterii; sal saturni; antimonium diaphoreticum, salia volatilia ex herbis vulnerariis,* potiones vulnerariæ, quibus admiscemus *herbas splenicas*, cum supradictis medicamentis, & præcipuè *balsamum Peruvianum liquidum* in decenti dosi, quæ edulcorentur cum *syr. de symphyto, de hyperico, tormentillâ &c.*

CAP. LXVI.

De Renum, & Vesicæ Anatome.

RENes à Græco verbo *reo*, id est fluo denominatos esse quidam volunt, eò quod per eos urina tanquàm per rivulos fluat; vel Græcè *Nephri* appellantur, quasi mingentes.

Sunt *duo*, (rarissimè plures, vel pauciores adsunt, monstruosum quippè est in uno latere unus, in altero nullus ren sit, aut in utroque latere duo renes inveniantur, quod tamen nonnunquàm contigisse visum est) ut uno affecto, alter serosum trahat humorem.

Situm habent, post ventriculum, & intestina, sub hepate, & liene, ubi incumbunt spinæ lumborum musculis, inter duas peritonæi tunicas, ad latera venæ cavæ, & arteriæ magnæ, sub quibus maximi nervi reconduntur, tàm ipsius musculi Psoæ, quàm alii ad crura hàc manifestè transeuntes, undè fit, ut calculo in renibus existente, stupor in ejus lateris crure persentiatur. Neque planè è regione sibi invicem oppositi sunt, ne tractioni impedimentum aliquod esset, & ne aliqua seri pars præterlabatur. Sed dexter ren in homine inferior est, ut cedat jecori, cui proximè subjacet, fine suo tertiam vertebram lumborum attingens: rarò elatior est sinistro, rarò etiam situ sunt pares bini renes. Sinister utplurimum lieni ex parte subjicitur, rarò lieni superior.

Magnitudo utriusque rarò æqualis: siniſter plerùmque dextro paulò major exiſtit. Longitudo plerumque eſt trium vertebrarum, interdùm quatuor : latitudo trium digitorum transverſorum, craſſities pollicis. Interdum tota magnitudo minor, interdum major invenitur, qualem majorem in ſalacibus ſe obſervaſſe putat *Bartholinus*. Quippè natura in magnitudine, numero, & figurâ nonnunquàm mirabiliter ludit, cujus rei varia, & mirabilia extant exempla apud multos Anatomicos: Verumtamen infrequens eſt hæc varietas, & in ſexcentis vix in uno reperitur.

Figura phaſeolum, aut aſari expanſum aliquo modo referunt, ſi planam ſuperficiem ſpectes. Exterùs in dorſo, ſeu ad ilia gibboſa, & rotunda eſt figura; inferius ad partem ſupremam, & imam gibba, ſed ad mediam concava, & ſima.

Superficies ſicut in jecore eſt lævis, & lubrica; rarò, & præternaturaliter in homine inæqualis, quaſi ex multis globulis carnoſis renes ſunt compoſiti.

Color ruber eſt obſcurè, rarò intenſè rubet. In malè affectis variè colorantur renes; quemadmodùm & hepar, & lien.

Connectuntur per membranam externam, quæ à peritonæo eſt, lumbis, & diaphragmati, per emulgentia verò vaſa cavæ, & aortæ, per medios ureteres veſicæ. Et dexter ren, cœco inteſtino, quandòque jecori, ſiniſter lieni, & colo. Hinc flatuum, & excrementorum copiâ exacerbatur nephritis.

Membranis veſtiuntur duabus, quarum exterior communis, à peritonæo procedens, adipoſa nominatur, quia in obeſis copioſo adipe circumfunditur: in hanc ingreditur arteria adipoſa, ab aortâ: ex eâ verò egreditur vena adipoſa, quam ren dexter ad emulgentem, rarius ad cavæ truncum, ſiniſter verò ad cavam emittit. Interior propria membrana ab externâ tunicâ vaſorum dilatatâ efformatur, eique *nervuli* exigui, à ſexti paris plexu, & ramo ſtomachico inſeruntur, obtuſum reni ſenſum præbentes, qui tamen in ureteres ſe extendunt, & his acutiſſimum ſenſum conferunt, atque hinc cauſa ſunt, quod in nephriticis doloribus ventriculus in conſenſum protractus ſubvertitur, & vomit. Pauciſſimi verò, iiſque tenuiſſimi, ac vix conſpicui nervi ipſam renum ſubſtantiam ingrediuntur. Hinc nephritici dolores gravativos habent vehementiores: ſed dolor tamen fit acrior, ſi calculus in ureteres anguſtos, & valdè ſenſiles ingrediatur.

Ipſa renum *ſubſtantia*, quatenus viſui occurrit, apparet quaſi fibroſa, ex concurſu, ac miſtione minimorum vaſculorum intercedente aliquâ carnoſitate variis exilibus alveolis donata, junctorum contexta externo contactu duriuſcula, ſed interius tamen modicè ſpongioſa, coloris obſcurè rubicundi exterius; verſus pelvim verò magis pallidi. Hæc ſunt illa, quæ in renibus oculorum obtutu communiter

munitèr percipi possunt, sed nostro judicio ipsa est mera glandularum minimarum congeries cum suis vasculis.

Habent singuli renes duo ampla vasa sanguifera, arteriam scilicèt & venam emulgentem, quibus exilia quædam vasa lymphatica interjiciuntur.

Arteria emulgens, ex aortæ descendentis trunco producta, simam renis partem subit, geminata prius, hinc diversis ramis per ejus substantiam dispergitur, in eâque in minimos, atque invisibiles furculos evanescit.

Vena emulgens paulò amplior est arteriâ. Hæc innumeris radicibus, in hunc truncum concurrentibus, reni, ejusdemque glandulis inhæret, ab eoque è simâ parte exiens ad cavam procedit, in quam aperitur, ejusque ingressui mox valvula insignis imponitur, ab inferiore parte sursum spectans, ità fita, ut sanguis liberum in cavam transitum concedat, sed ejusdem influxum è cavâ in emulgentem impediat. Verùm ut verum dicamus, venarum emulgentium radices cum finibus arteriarum emulgentium per anastomoses multipliciter coëunt, ut annotavit *Rolfingius*, *& Bartholomeus Eustachius lib. de renibus*, *ac Malpigius* edocuit.

In rene interiore continetur *Pelvis*, seu *Infundibulum*, quod nihil aliud est, quàm sinus membraneus, factus exuretere in cavo renis expanso, ac dilatato, & apertis, atque latis ramis (utplurimum octo, vel decem) instar fistularum eò perveniente: quibus singulis imponuntur *caruncula*, vulgò *Papillares*, Rondoletio *Mammillares* dictæ instar glandularum minus coloratæ, sed duriores reliquâ carne, magnitudinis pisi, superius latiusculæ, inferius convexæ, perforationes angustissimas habentes, quæ vix capillum admittunt.

Actio renum est, serosam redundantem humiditatem è sanguine separari, quæ ipsis cum sanguine advehitur per arterias emulgentes, è quo sanguine in transitu per renum glandulas, fibrillas urinarias, & carunculas papillares, bona seri pars separatur, ac in pelvim distillat, indèque per ureterem delabitur in vesicam urinariam. Quod verò reliquum est sanguinis, & seri ei permisti (totum enim serum à sanguine non separatur) illud per venas emulgentes demittitur ad cavam. Verùm arteriæ emulgentes per varias anastomoses cum venis emulgentibus in renum substantiâ coëunt, & hæ sanguinem ad cavam demittunt, absque seri separatione; præterea illa seri separatio quomodò fiat, explicare difficillimum est, quia primaria duo, ex quibus explicatio petenda foret, penitus obscura sunt, scilicèt specifica fermentatio, & peculiaris pororum in renibus dispositio.

Secundum nostram sententiam de renum usu præmittimus, quòd una, eademque est sudoris, & urinæ materia remota, tantùm secretoriorum locorum diversitate sudor, & urina distinguntur; hinc

observamus per æstatis decursum, habitu corporis rarefacto, & poris valdè reseratis, majorem sudoris evacuationem; paucam verò urinæ excretionem: contrà verò hyeme, densatâ cute à frigore, repercussa effluvia non integrè exhalant per corporis peripheriam, & hinc copiosa materiæ serosæ per urinas excretio. Sudoris, & urinæ materia est serum, quod est pars aquosa ciborum, & potûs cum alimentorum succis sulphureis, ac salsis in ventriculo, aliisque visceribus simul excocta, & sanguini copiosè affusa, ut ei perfectam misturam, & necessariam tenuitatem, & fluxibilitatem conferat, qua mediante per angustissimas quasque vias permeare possit, ut ejusdem quoque impuritates, ac crudiores salsas particulas abluat, sibique admisceat & unà secum per salivam, sputa, sudores, atque urinas evacuet.

Hoc serum à potu, & alimentorum humiditate sanguini copiosè affusum dupliciter evacuatur, vel insensibiliter per cutem constantem ex arteriolis, venulis, & nervulis capillaribus, qui rete totum corpus investiens texunt: sub istâ texturâ reticulari constitutæ sunt copiosæ glandulæ miliares, suis excretoriis vasis exteriora versus ad cuticulam spectantibus constructæ, quorum orificia cutis poros constituunt. Hæ ipsæ cutis glandulæ ex sanguine dies, nocteque perpetuò per capillaria vasa separant copiosè partem ejus serosam salinis, oleosis, superfluis, inutilibus, & effœtis particulis imprægnatam, quæ sub halituum per se invisibilium formâ per vascula eorum excretoria expirant, adjuvante non parum calore, tum ipsius corporis expirantis, tum etiam corporis ambientis, & hæc *Insensilis* appellatur *Transpiratio*. Hæc autem serosi humoris per poros evacuatio omnes sensiles quorumcumque excrementorum evacuationis copiâ longè superat. Ut si homo unâ die assumpserit alimenta ad libras v. g. XII. excernet per poros cutaneos, & expirationem vaporosi excrementi libras IX. & fortè vix III. per sensiles evacuationes. Hoc ingenioso experimento scitè docuit Sanctorius in Medicinâ staticâ. Iste hominem juvenem matutino tempore, post depositas alvi, urinæque sordes, in exactissimâ librâ ponderat: ac præterea etiam omnia, quibus totâ die usurus est, alimenta seorsim ponderat. Deindè etiam sputorum, alvique, & vesicæ excrementorum, quæ totâ die excernit, in vase collectorum, pondus exactè inquirit; eundemque hominem postridiè eâdem, qua priùs horâ, jejunum ponderat: tumque detracto excrementorum manifestè excretorum pondere, comperit excrementum per poros insensibiliter evacuatum, pondere multum superare omnia alia sensibiliter evacuata excrementa.

Vel hoc serum sensibiliter evacuatur; quotidiè nàmque gignitur, & interim partium substantiæ non apponitur, itàque præter insensilem transpirationem, per quam non totaliter evacuatur, necessariæ

fuêre

fuêre evacuationes sensibiles, per quas redundantis ejus copia sufficienter evacuari posset. Inter sensiles hujus seri evacuationes sudorem recensemus, qui evenit, tunc cum insensilis transpiratio in tantum augetur, ut hæc confertim sub guttularum minutissimarum formâ erumpat, quæ unitæ rivulorum specie demanant, adeò ut etiam habitus exterior ab istâ imbibitione uberiori humectetur, & quodammodò turgescere videatur. Materia sensilis hujus transudationis est eadem, quæ insensilis transpirationis, inprimis salina volatilis, ac sal diaphoreticum. Itèm sensiles, & manifestæ sunt hujus seri evacuationes, ut per oculos seroſi humores in lachrymarum formâ labentes. Per os, & nares magna seroſorum, & & pituitoſorum vaporum, ac humorum expulsio fit in excreatione, tussi, sputatione, salivatione, & gravedine, atque etiam in expiratione, hyberno tempore satis conspicuâ.

Sunt cutis pori vasa hujus seri excretoria præternaturalia, at naturalia sunt renes, per quos magna fit excretio: Sed quomodò fiat, res est tricis referta, ex his tamen, quæ præmisimus, vias, per quas hoc serum ad renes deducitur, facilè eruimus, omnes nàmque nostri corporis partes fibroſæ sunt, & à perenni insensili transpiratione ad celeriorem, & promptiorem motum peragendum sanguinis sero, quod per transpirationem exhalat, humectantur, & totius corporis impuritates, sordes, digestionum errores, particulas salinas, acidas, vel alkalicas, & ex his lixiviales imbibit, abluit, abstergit, & per renum colatorium purgat, & exturbat, ac secundum fibrarum rectitudinem filtratur, quasi per plura ellychnia excurrit, & fibras, vel filamenta illa tenuia ingreditur, & ex iis ad caruncularum papillarum perforationes promovetur, per quas in pelvim, & hinc per ureteris ductum in mare microcosmicum, id est vesicam destillat. Undè est, quòd qui parum sudant, multum mingunt, & qui multum sudant, parum mingunt, vel ut hyeme, vel æstate contingere observamus. Hinc quoque accidit, quòd quandòque diaphoretica, & sudorifica exhibita, diuretica evadant, quia attenuatum, & liquatum serum ob obseratos cutis poros, ad naturalia renum excretoria deturbatur loca.

Præterea magnus ad renum parenchyma lymphæ proventus per vasa lymphatica confluit, undè multiplicatur urina; est nàmque lympha peculiaris liquor tenuis, & pellucidus ex seroſâ sanguinis parte in glandulis conglobatis secretus, non tamen simplex, sed multo sale fuso, ac volatili perfusus, & nonnullis etiam sulphureis particulis imprægnatus. Hæc lympha jugi motu per numeroſa, & cava vascula movetur, & quia continuò aggregatur, nec pro partium nutritione inservit, continuò exhauriri necesse est; qua de re magna vasorum lymphaticorum congeries in caruncules papillaribus, & pelvi terminata conspicitur, in

quibus lympha sese exonerat, & hinc per ureteres ad vesicam destillat. Hæc vasa lymphatica in inferiore ventre latentia, si aliquâ de causâ rumpantur, (sunt enim tenella) tunc lympha in abdominis capacitatem effunditur, ab ejusque accumulatione. Ascites generatur, & hinc urinæ diminutio sequitur.

De Glandulis Renalibus.

Glandulæ Renales, Julio Casserio *Renes succenturiati*, Warthono *Glandulæ ad plexum nerveum sitæ*, Bartholino *Capsulæ atrabilariæ* appellantur. Sunt duo corpora glandulosa, quorum unum singulis renibus, quà cavam spectant, sub diaphragmate, supernâ parte adiposæ tunicæ incumbit, cui adeò firmiter adhæret, ut sæpè à negligentioribus prætervideantur, & exemptis renibus membranæ diaphragmatis annexu relinquatur.

Numero tot sunt, quot renes, & hunc numerum rarissimè excedunt. *Substantiam* possident renum substantiæ non multum absimilem, sed laxiorem, coloris nunc rubicundi, nunc adipi similis. *Figura* renibus rarò similes sunt, frequenter instar pastæ depressæ, ex quadrato oblongæ conspiciuntur: sæpè etiam triangularem, interdùm ovalem, rarò rotundam obtinent figuram.

Magnitudinem in adultis habent renibus multò minorem, & circiter ad quantitatem nucis vomicæ extenduntur, dextraque solet magnitudine superare sinistram, rarius hæc illam. *Tunicâ* succinguntur tenui, qua exteriori renum membranæ firmiter connectuntur. Manifestam sinuosam *cavitatem* habent, sed adeò exiguam, ut vix pisum admittat, atque hinc in fœtu melius quàm in adultis conspicuam, quæ nigram, fœculentamque materiam continet, cujus colore etiam parietes ejus interiores tinguntur. *Arteriam, & venam* ex emulgentibus desumunt, interdum ex trunco aortæ unum, vel plures ramos. *Nervulos* admittunt exiles à sexti paris ramo stomachico, ad propriam renum tunicam decurrentes.

Usus harum glandularum hactenus incognitus, & obscurus est, & quicquid anatomici dicunt, mera conjectura est, & ex hac obscuritate fit, quod hactenus nulla ferè harum glandularum apud medicos fuerit consideratio; cum tamen ex iis malè habentibus varios morbos procedere credendum sit. Sperandum igitur medicos practicos imposterum has partes diligentius observaturos, & quales morbi ex iis oriantur, per multiplices cadaverum apertiones indagaturos, & annotaturos.

De Ureteribus.

Ureteres, quasi urinæ ductores, sunt vasa oblonga, & alba, vel canales teretes, ex renum substantiâ egressi, in vesicam plantati, serum in renibus transcolatum excipientes, & ad vesicam advehentes. *Oriuntur* è renum sinu interiore, cujus variæ fistulæ occurrentes,

rentes, & tandèm in unam coëuntes, ureterem efformant. *Numero* communiter ureteres bini sunt: utrinque unus, aliquandò duo, & etiam plures, ante insertionem tamen in unum coëuntes. *Magnitudo* oblonga sunt vasa, crassa, & concava, paleam lata. At in calculosis dissectis, sæpius vidimus cavitatem eorum duos digitos admittere, imò æqualem intestinis fieri. *Figura.* Teretia sunt vasa instar canalium, nonnihil oblonga, instar Literæ S. *Membranam* duplicem habent: Unam communem à peritonæo ad validitatem, alteram propriam substantiæ interiori vesicæ similem, & continuam, albam, exsanguem, nervosam, crassam, validam, fibris rectis, & obliquis, ut distendi queat, donatam. *Venas, & arterias* exiles à vicinis partibus recipiunt. *Nerves* verò à sexto pari, & medullâ lumborum. Undè exquisitè sentiunt, & dolent, si calculi pertranseant. *Usus* est, ut per eos tanquàm canales urina in renibus segregata in vesicam feratur; arenulæ etiam aliquando, & calculi. Urina in vesicam fertur manifestis foraminibus, quæ duo sunt paulò ante cervicem, ubi ureteres inseruntur, quorum implantationi duæ membranulæ transversæ instar valvularum in follibus, apponuntur, quæ urinæ præbent ingressum intra vesicam, & prohibent, ne regrediatur. Hinc ne flatum quidèm vesica inflata, & ad cervicem arctata immittit. Has tamen valvulas *Andreas Laurentius, Riolanus, & Pemplius* in dubium vocant, & solum tortuosum ductum in vesicam, urinæ regressum è vesicâ satis impedire posse tradunt. Sed estò tortuosus sit ductus, patulus tamen est. Colon quoque non parum intorquetur, magis Ileon, valvulam tamen affixam habent. Quin ipsi coguntur fateri geminam membranam mutuò applicatam ureterum foramen exactè intercludere, quam nihil prohibet valvulas appellare. Hunc ductum *Asclepiades* ignoravit, voluitque cœco modo urinam in vesicam deduci, ac si in halitum prius resolveretur, transudaret, & posteà in humorem priori similem concresceret, quam transudationem etiam statuit *Paracelsus.*

De Vesicâ Vrinariâ.

Vesica Urinaria est membranea pars infimi ventris organica, quæ urinale lixivium à renibus susceptum asservat, & tandèm vel pondere, vel acrimoniâ molestum excernit. *Sita* est in hypogastrio inter geminas peritonæi tunicas, in cavitate, quæ ab ossibus sacro, coxarum, & pubis efformatur. In viris recto intestino incumbit, glandulisque prostatis inungitur: in mulieribus uteri collo adhæret, in utrisque anteriùs pubis ossibus alligatur. Præterea connectitur etiam umbilico per urachum. *Figura* est oblonge globbosa, & rotunda, seu pyriformis, ut capax sit: atque intus cavitatem unicam habet vesica. A fundo sensim coarctatur in collum angustum, undè duæ vesicæ partes: fundus, & cervix. *Magnitudo* non in omnibus

a qualis existit, sed in aliis major, in aliis minor, quam sæpè insignem peperit crebra, & violenta ejus distensio ab urinæ nimis diuturnâ retentione. *Foramina* tria habet vesica: duo minora ante cervicem, ureterum ingressui patent, de quibus suprà; tertium majus in cervice est pro urinæ exitu.

Substantia est partim membranosa ad robur, extensionem, & corrugationem; partim carnosa ad motum. Nàm duas habet membranas, & unum musculum circumvolventem totam vesicam, quem omnes Anatomici tertiam ejus membranam faciunt, non musculum. *Prima* membrana est extima, & communis à peritonæo, valida, & densa. *Altera* est intima, & propria, tenuis, exquisitè sentiens omni fibrarum genere intertexta, ut multùm queat distendi, & contrahi. Hinc obducitur crusta carnosa, vel quasi tunica rugosa ex excrementis tertiæ coctionis, ne intima tunica ex urinæ acrimoniâ lædatur. Quæ inter hanc propriam, & extimam communem in medio est, ab aliis secunda propria membrana vocatur, quam tamen concedunt crassam esse, & fibris carnosam donatam. Sed *musculus* potius est ambiens totam vesicam: quia fibras habet perspicuè carnosas ad vesicæ initium insertas; ità ut, quemadmodum musculus circularis ille sphincter dictus, vesicam constringit, ne involuntariè nobis urina effluat, ità hic musculus ad urinæ excretionem faciat, dum se contrahendo, vesicam constringit.

Venas habet vesica hypogastricas dictas ad cervicis latera implantatas, quæ variè distributæ per vesicam sibi mutuò, arteriisque conjunguntur, mutuisque foraminibus perviæ sunt, ut facilè ex uno in alium ramum sanguis defetatur ex observatione *Fr. Sylvii*, ad nutrientis sanguinis, per arterias delati, refluxum, quia trahit purum excrementum, nempè urinam, qua non alitur. *Arterias* ab hypogastricis recipit in viris, in fœminis à vasis uteri cervicem petentibus. *Nervos* insignes à sexto pari, & medulla ossis sacri.

Dividitur in fundum, & cervicem. *Fundus* superiorem, latioremque vesicæ partem comprehendit, à quo sursum ad umbilicum porrigitur urachus, qui unà cum propinquis arteriis umbilicalibus validum in adultis ligamentum evadit, decubitum fundi in cervicem impediens. *Cervix*, seu *Collum* inferior, & angustior pars est, & in urethram aperitur, per quam urina emittitur. In viris collum hoc est magis longum, & angustum, & nonnihil contortum, quia penis corporibus subjectum sursum sub ossibus pubis ab ano ad penis exortum fertur: cui posteriore parte glandulæ binæ apponuntur, prostatæ dictæ. In fœminis brevis, & lata cervix est, recta deorsum protensa, & uteri collo superius implantata. In utroque sexu cervix carnosa est, pluribus fibris contexta, præsertim transversis, quæ constringunt collum vesicæ, ne involuntariè nobis urina effluat, & musculus hic orbicularis

cularis ab hoc usu dicitur *Sphincter*: qui si refrigeretur: paralysi, vel alio affectu lædatur, fit mictio involuntaria.

Usus vesicæ urinariæ notissimus est, nimirum quod defluum à renibus urinale lixivium recipiat, instar matulæ corporis, & per multas horas asservet, quò homo interim negotiis suis, somnoque incumbere possit, nec adeò crebrâ urinæ emissione interturbetur, & deindè justo tempore expellere.

CAP. LXVII.

De Renum, & Vesicæ Vulneribus.

DEscripsimus lienis vulnera, nunc, juxta nostrum institutum, ordo postulat, ut de renum, & vesicæ vulneribus agamus, nec parvi pendenda censemus, quia non sunt partes principes; sunt nàmque ministrantes, & vitæ conservandæ usum apprimè necessarium habent, nempè ut perpetuum excrementorum prolapsum recipiant, ac proindè lethalia sunt, aut rarò, & difficulter longo pòst tempore consolidantur, vel quia eorum curatio diuturna est, vix evitari potest, quin abeant in fistulas.

Signa.

Cognoscuntur renum vulnera è loco, cui vulnus inflictum fuit: nàm in parte posteriori infra diaphragmatis regionem, ac prope lumborum vertebras observatur. Ex excretis, nàm urina vel supprimitur, vel difficulter redditur, & quæ excernitur, est cruenta, & si vulnus sit magnum, sanguis aquosus è vulnere egreditur. Ex symptomatibus, dolor enim è regione renum percipitur, qui ad inguina, & testes extenditur usque. Vel instrumento valdè longo, & acuto, ex quo vulnus fuit illatum; vel ex specillo, quo vulnus exploratur. An vulnus tantum renum superficiem attingat, an verò ipsam renum cavitatem penetraverit, ità cognoscitur: Si sanguis multus, & urina non egrediatur, indicio est tantum superficiem, vel carnosam partis substantiam esse vulneratam. Si verò sanguis multus, & urina simul è vulnere egrediantur, vulnus in renum cavitatem penetrare, argumento est.

Vesicam vulneratam ex loco, cui vulnus inflictum est, & dolore circa pubem cognoscimus; cum urinâ sanguis mingitur, aut non per destinatam viam, sed ex ipso vulnere effluit, ventriculus in consensum trahitur, undè bilis, aut singultus sequitur. Si vesicæ sphincter vulneretur, adest involuntaria mictio, prout in sectione ad calculum è vesicâ extrahendum, vel dilaceratione colli vesicæ in mulieribus sæpè accidit, ut licèt vulnus sanetur, mictionem tamen, ob læsionem, & dilacerationem musculi fibrillarum, differre, & urinam diutius retinere nequeant.

Causæ.

Renum, & vesicæ vulnerum

causſæ ſunt inſtrumenta externa, ſcindentia, pungentia, terebrantia, & tàm penetrantia, ut non modò partium vicinarum, & circumjacentium, ſed etiam horum viſcerum ſubſtantiam attingant, verùm etiam penetrent, & unitatem ſolvant.

Prognoſis.

Renum vulnera ſi ſint magna, & altiùs eorum ſubſtantiam penetraverint, & cum vaſorum læſione, quibus referti ſunt, citam mortem promittunt, alias ſæpè lethalia, & periculoſa, difficulterque curationem admittunt, & non niſi longo tempore, cùm continuus humoris, qui per eos percolat, affluxus, curationem remorari ſoleat, & in fiſtulas degenerant. Illa renum vulnera ſaluris fiduciam admittunt, quæ ſuperficiem tantùm attingunt, niſi inflammatio ſupervenìat, quæ ſi accedat, admodùm lethalis eſt. Si urina ſupprimatur ob ſanguinem grumefactum, ureteres, & veſicæ meatus obſtruentem; venter ob urinæ in ventris capacitatem effuſionem intumeſcat, citiſſimæ mortis eſt indicium. Illud tamen non eſt omittendum, quòd minus periculoſa ſunt renum, quàm veſicæ vulnera, quia renes magis ſunt carnoſi.

Veſicæ vulnus lethale eſt, ut *Hip. ſect. 6. aph.* 18. aſſerit: *Veſicam diſſectam habenti lethale eſt*, & *morb. lib.* 1. §. 3. idem inquit: *Si quis veſica ſauciatus fuerit, moritur*, & §. 7. *Veſica diſſecta non coaleſcit*, & quidem propter rationis inflammationis, febris, & convulſionum mox ſupervenientium; Secundò, quòminus commodè applicare liceat medicamenta; & tertiò, urina abdominis cavitatem repleat. Verum veſicæ vulnera pro læſæ partis diverſitate, nunc magis, nunc minus periculoſa ſunt; nàm in collo veſicæ, vel infima ejus parte, quæ carnoſior eſt, vel circa ſphincterem lethalia non ſunt, id quod calculorum per exciſionem extractio ſatis docet: eſtò non improbabile ſit, etiam hæc vulnera, ſi vaſa veſicæ ſanguifera majora lacerentur, hæmorrhagiam lethalem interdum inducere poſſe. Si veſicæ fundus vulneretur, ejus vulnus à pluribus hactenus lethale creditum fuit antiquiſſimâ *Hip.* autoritate inductis *ſect. 6. aph.* 18. ut ſupra citavimus: obſervatum tamen eſt, veſicæ fundi vulnera ſanata fuiſſe, aut dumtaxat exindè mortem non ſequutam fuiſſe; quales obſervationes *Platerus obſ. p.* 849. & 850. *Bauhinus*, *Vuriz Schenckius*, & alii narrant. Imò ratio potiſſima, quam à ſubſtantiâ ejus nerveâ, & membranâ communiter adferunt, inſufficiens eſt, cum & veſicæ fundus tunicam exteriorem carnoſiorem habeat, unde *Hieron. Fabricius ab Aquap.* & *Spigelius* eam pro muſculo veſicæ conſtrictorio habent, cujus intuitu etiam hujus vulnus coaleſcere poteſt. Cui accedit, quòd fundi etiam maxima pars peritonæo, & muſculis abdominis contigua cum his coaleſcentibus facilè coëat, ſeu communem induat callum. Attamen ſi graviora ſymptomata, & plura, ut convulſio, inflam-

inflammatio, febris, deliria, vomitus &c. oboriuntur, pessimum, & lethale est, contrà verò si minora, aut nulla superveniunt. Colli vesicæ vulneribus involuntaria mictio accidit, quod quotidiè experimur post lithotomiam, licèt enim sanatis vulneribus illis, attamen ægrotantibus sæpè per penem involuntariè effluit urina, quia in sectione, & calculorum extractione plures fibræ musculis sphinteris vesicæ dissecantur, ac rumpuntur.

Curatio.

Institutâ optimâ victûs ratione, quam primis diebus tenuem, subsequentibus verò aliquantulum pleniorem instituunt vulgares, alioquin urinæ acres, & mordaces redderentur, & dolores exacerbarentur, deindè revulsionis, & postmodum derivationis gratiâ venam secant, & purgantium loco anum clysteribus sollicitant. Si vulnus sit in renum superficie, fortiora glutinantia usurpant, & olea vulneraria ejusmodi vulneribus accomodata instillant, & emplastrum glutinans imponunt. Si verò vulnus in renum cavitatem penetret, *vinum austerum* infundunt, *in quo cocta sint radix consolidæ majoris, polygonum, & glycyrrhiza*; vel imponunt cataplasma *ex dactylis, pane siligineo, acaciâ, hypocistide in* vino austero coctis, cohibito sanguinis fluxu, glutinantia dicta infundunt. Extra emplastra glutinantia applicant, vel inprimis utile censent in renum vulneribus *Unguentum sanctum à Io. Andreâ à Cruce* descriptum, ut

℞. *Resinæ pini recent. claræ, odoratæ* ℥. xij.
Olei laurini puri,
Terebinth. opt. ana ℥. ij.
Gummi elemi puri ʒ. ix.

Primò resina, & gummi super lento igne dissolvantur, deindè addatur oleum laurinum, & terebinthina, atque ità ebulliant, donec justam crassitiem acquirant, & percolentur. Per os exhibent *trochiscos de alkekengi, carabe, de terrâ sigillatâ*; item *quatuor semina frigida majora*, sed diuretica omninò proscribenda sunt, ne nimius urinæ fluxus ad affectam concitetur partem. Si urina ob grumatum sanguinem supprimatur, pectinis, inguinis, & perenei regionem *oleo de scorpionibus, vel amygdalarum dulcium* inungunt, ut quæ sanguinis grumos dissolvendi facultatem habent. Vel applicant *cataplasma ex parietariâ, malvâ, saxifragiâ.*

Pro vesicæ vulneribus vulgares medicamentis glutinantibus utuntur, & locum vulneratum *oleo myrtino, mastichino, rosaceo, vel hypericonis* inungunt, & tandem *emplastrum triapharmacum* imponunt. Vel utuntur injectionibus per syringam *ex rosis, radicibus consolidæ, foliis myrti in vino coctis*; quibus *mel rosaceum* addunt. Vel *vinum myrrhatum* injiciunt. Interdè exhibent *decocta ex agrimoniâ, althæâ, plantagine, violis, hederâ terrestri, floribus rosarum &c.* edulcorata cum *syrupis myrtino de symphyto*, & similibus, additis pulveribus *coralliorum, sanguinis draconis, vel lapidis hæmatitis.*

In renum, & vesicæ vulneribus aër frigidus arceatur, & tempera-

tus convenit. Cibus sit facillimæ coctionis, & tenuis primis diebus, postmodum aliquantulum augeatur, ab acidis, salinis, & crassis prorsus abstinendum. Pro potu utatur æger potionibus vulnerariis in pauca quantitate, vitetur frigidus, & crassus, ne urinæ suppressionem inducat, vitentur diuretica, ne magna seri colluvies ad affectas delabatur partes. Motus proscribatur, & quies præscribatur. Vigiliæ non nimis protrahantur, ne succos reddant acriores; Somnus modum non excedat. Alvi adstrictio tempestivè solvenda, ne intestinis ab excrementis repletis renes, & vesica læsi comprimantur, & dolores augeantur. Urina debito tempore per consuetam viam, & non per vulnus excernatur. Animus ad salutarem hilaritatem, quantum possibile, disponi debet; mœstitia, & timor vitandus, aliàs succi torpescentes, & stagnantes, acidi fierent; ira, & excandescentia, angue pejus vitetur, quia succos, & spiritus irritant, agitant, & inordinatè commovent.

Renibus vulneratis vulnerariis sanguinem sistentibus occurrimus, ut

℞. *Ol. croci Martis,*
Essentiæ corall. ana ʒ. j.
Tinct. hyperici gutt. x.
Aquæ spermatis ranar. ℥. j.
M. f. potio.

Vel

℞. *Terræ exanimat. Vitrioli* ʒ. j.
Lapid. hæmatit. præp. ℥. ß.
Extract. hyperici gr. xij.
Syr. de portulacâ ʒ. j.
Succ. urtic. hortens. depurat. ℥. ij. *m.*

Vel

℞. *spernioli Croll. gr.* x.
Laudani opiati gr. iij.
Magist. corall. ʒ. j.
Syr. papav. rhœad. ℥. j.
Decoct. tormentill. ʒ. iij.
M. detur cochleatim.

Vel per syringam injici possunt *potiones vulnerariæ ex rad. tormentillæ, symphyti, aristolochiæ, summit. & sem. hyperici, aquâ arteriali vigoratæ.* Ad sanguinem renes obstruentem, & urinæ transitum impedientem optimè valet sequens pulvis, ut

℞. *Oculi cancr.* ℥. j.
Sem. hyperici ℥. ß.
Sperm. ceti ʒ. ij.
M. f. pulvis,

qui propinetur cum *syr. symphyti.*

Vel

℞. *Sang. hirci* ℥. j.
Mumiæ ʒ. ij.
Stybii diaph. ʒ. j.
F. pulvis in tres doses dividendus.

Intra vulnus fiant injectiones *ex oleo terebinthinæ, vel nonnordicæ, vel Apparicis, balsamo Peruviano, & aquâ Reginæ, vel balsamo proprietatis, vel Samaritani.* Vel sequens *linimentum Barbetianum* applicari potest, ut

℞. *Resinæ pini* ℥. iij.
Ol. laurini,
Terebinth. ana ℥. ß.
Gummi elemi ʒ. ij. ℥. ij.
M. f. linimentum,

quo utere cum turundâ ad perfectam usque, & vulneris occlusionem cum *emplastri stictici* superpositione. Non desint præterea potiones vulnerariæ vigoratæ *aliquot guttulis balsami Peruviani, vel balsa-*

mi

mi sulphuris terebinthinati, vel tinctura alkekengi, edulcorata cum syr. de Scordio, vel de hederâ terrestri.

Vesicæ vulnera non aliter ac renum curantur; attamen præcaveantur, & avertantur symptomata, ex quibus hîc potissimùm timenda sunt, ischuria, dysuria, & convulsiones. Internè exhibeantur *decocta, & potiones ex radicibus tormentillæ, symphyti, flor. malv. arbor. Nymphææ, rosar. rubr. balaust. factæ in vino rubro*, clauso vase, *addito syr. de hederâ terrestri, vel de symphyto*, quibus addi possunt *oculi cancrorum, balsam. Peruv.* Vulneri instillentur *decoctiones ex scordio, radicibus aristolochiæ, tormentillæ, caryophyllatæ, consolidæ, flor. hyperici in vino stictico paratæ, & essentiâ myrrhæ roboratæ.* Vel instilletur *oleum terebinthinæ, vel Apparicis, vel momordicæ cum balsamo Peruviano.* Superponendo *emplastrum stictícum, vel oppodeltoch* ad perfectam usque unionem, simulque fascias, aut ligaturas convenientes adhibendo, ut per vulnus urinæ effluxus inhibeatur, & ipsa per viam suam ordinariam repetere cogatur.

Pro complectâ hujus nostri Tertii Tomi de Vulneribus historiâ Anatomicâ, de Artubus Anatome desideratur, pro qua dicimus artuum nomine venire membra trunco adnata, exporrecta, & articulis distincta. Sunt autem duplices, nempè superiores, qui communi vocabulo manus, & inferiores, qui pedes appellantur.

CAP. LXVIII.

De Anatomicâ Manus Historiâ.

MAnus est organum organorum, quo homo aliàs, nudus & inermis donatur, ne brutis inferior sit, aut ab iis vincatur; sed vincat, dum arma parat, aliaque instrumenta sibi necessaria. Quare secus quam bruta, rationem, & manum homo accepit: & hæc quidem illius ministra est.

Duæ manus hominis concessæ sunt, ut una alteri adjumento esset, & unâ languente, altera utriusque vicem suppleret.

Est autem manus ex veterum significatione, pars à summo humero usque ad digitos extremos extensa. Dividitur in *Brachium, & Extremam Manum.*

Brachium dividitur in *Humerum, & Cubitum.* Brachium in specie sumptum est pars à summo humero usque ad cubiti flexuram; Cubitus est pars à flexurâ cubiti usque ad carpum.

Cavitas sub humeri articulo *Axilla*, vulgò *Ala* vocatur, fortassè quia in eâ pili, quasi pennæ nascuntur. In hac cavitate sub panniculo tres latent glandulæ considerabiles, vasorum divaricationi appositæ, quæ conjunctæ unam constituere videntur. Hæ antiquis putatæ sunt esse cordis emunctoria.

Cubitus aliis *Ulna*, Tullio *Lacertus* dicitur.

Extrema manus expansa, simpliciter

pliciter *Manus*, contracta, & clausa *Pugnus*; digitorumque externæ partis articulationes. *Internodia*; clausorum verò, præcipuè mediæ eminentes articulorum protuberantiæ, *Condyli* nominari solent.

Dividitur autem manus in *Carpum*, *Metacarpum*, & *digitos*.

Carpus, Græcis *Cercis*, Latinis *Brachiale*, Barbaris *Rasseta* dictus est, aliis *Roseta*, est pars inter cubitum, & palmam. Metacarpus, Latinis *Postbrachiale* dicitur, est pars inter carpum, & digitorum initium. Postbrachialis pars interna cavitatem effingens dicitur *Vola manus* & *Palma*; externa pars *Dorsum manus* nominatur.

In vola multæ observantur particulæ, inprimis Monticuli, & lineæ.

Monticuli sunt prominentiores, & carnosiores internæ manus partes.

Initium manûs aliquantulum extuberans, *Radix manûs* appellatur. Monticulus pollici subiratus, *Mons Martis*: qui indici adhæret, *Mons Iovis*: qui medio digito, *Mons Saturni*: qui annulari, *Mons Solis*: qui minimo, *Veneris Mons* dicitur; Spatium verò quod inter pollicem, & indicem intercedit, *Mercurio*, hypothenar verò *Lunæ* dicatus *Mons* est.

Lineæ in volâ manus multæ sunt, ex quibus Chiromantici ridiculâ, & inani conjecturâ valdè multa præsagia pollicentur, ex iisque se vitæ longitudinem, ac brevitatem, matrimonia, liberorum numerum, infortunia, felicitates, indolem, eventus denique omnes, bonos, & malos, præsagire posse, magnâ dicacitate, nullis suffultâ rationibus contendunt.

Inprimis autem quatuordecim ab iis notantur lineæ, ex quarum variis concursibus, intersectionibus, curvitate, rectitudine &c. præsagia sua efformant. Inter eas autem tres sunt, quas præcipuè considerant. Prima pollicis ambitum circumscribens, *Linea Vitæ*, & *temporalis* nuncupatur. Secunda, transversim per mediam volam delata, ad lunæ montem extensa, *Iecoraria*, & *naturalis* nomine insignitur. Tertia, ab hypothenare incipiens, & ad indicis articulum delata, *Mensalis*, *thoralis*, & *Veneris linea* appellatur.

Digiti, Græcis Dactyli dicti, plures dati sunt, ut melius fieret manûs actio, quæ est apprehensio; ut etiam minima comprehenderemus, quod duobus fit digitis, & alias item multiformes figuras: & quia omnia unâ manu comprehendi non possunt, duæ sunt creatæ, ut ad se invicem inclinantes, auxilium mutuum præstarent.

Dextra verò manus agilior ut plurimum, & ad motum promptior est, non ob causas, quas alii pueriliter citant, sed. 1. Quia in dextro latere homini est vena sine pari, quæ forte in ambidextris gemina est. II. Quia ossa graviora in scapulis, humero, & totâ manu dextrâ esse, aliqui habent pro certo, & comperto; quod fieri potest ab impressione uberioris caloris in utero matris, cujus pars dextra calidior. Hinc docet *Aristo-*

teles

teles naturâ potiorem esse manum dextram sinistrâ, & *alibi*, primum impetũ, vel principium motus esse in parte dextrâ, ut homo progressurus prius moveat pedem dextrũ, avis volare volens, prius moveat alam dextram. III. Quia truncus arteriæ subclavius dexter amplior est, quàm sinister. *Plato* omnes naturâ ambidextros esse sentit, hominumque insciti, inertiâque fieri, ut dextri tantum, aut lævi fiant. Verùm *Aristoteli* placet, ab ortus nostri primordiis dextram partem fermè semper calidiorem, nisi ad eam consuetudine, exercitationeque multâ, multum caloris, spiritũsqu quis traducat, ut ambidexter fiat.

Digiti ob perfectam actionem quinque sunt in qualibet manu, longitudine, & crassitie differentes.

Primus *Pollex* dicitur, quia robore pollet, & unus opponitur quatuor reliquis in apprehensione, ideòque crassus est. Secundus *Index*, & *demonstrator* dicitur ab usu, quod eo in rebus demonstrandis, & indicandis uti soleamus. Tertius *Longissimus*, & *Medius*, *Infamis*, sive *famosus* dicitur, habet & alia nomina: nàm dictus est *Verpus* à verrendo podicem, ob quam etiam causam *Impudicus*, *& Obscœnus* vocatus est, & eo extenso homines deridentur, & infamiâ notantur, ideòque annulis ornari non solet. Quartus *Annularis*, quod annulo aureo ante alios ornetur, ob communem, sed falsam, & Anatomiæ repugnantem nonnullorum opinionem, ac si vena ex corde ad hunc potissimùm digitum accederet, & cor auro confortaretur. *Medicus* etiam nominari consuevit, quia iis, qui ad medicinæ doctoratum admittuntur, hic digitus annulo aureo exornari solet, quem honorem Index jam dudum ei præripuit. Quintus, à parvitate, *Minimi*, ab usu *Auricularis* nomen obtinuit, quia aurium sordes eo expurgantur.

Digitorum extremitatibus exterius impositi sunt *Ungues*, quorum pars posterior albicans, *Radix unguium*, & *Lunula candicans*, macullæ albæ *Mendacia*; loca abscondita sub unguibus, *Cryptæ* vocantur.

Sunt autem ungues partes corneæ extremis digitis manuum, & pedum impositæ. Pellucidi sunt, & ideò variè colorati: nàm pro ratione carnis subjectæ rubent, livent &c. Hinc unguium colorem observare solent medici: nàm ungues v.g. cordis calore deficiente, pallescunt. Morti vicinis lividi, & fusci, ut *Hip. sect.* 8. *aph.* 12. inquit: *Ungues nigri, digiti pedum frigidi, nigri, demissi, vel proclinati, mortem proximam esse portendunt.* Frigidioribus corporis constitutionibus pallidiores sunt ungues, & quibus calor justus est, rubent. Videmus in variis corporis affectibus unguium colorem, eumque multoties subitò mutari, sed illam non esse veram mutationem coloris, cum ungues per se sint diaphani, vel pellucidi, & quilibet sanguinis, aliorumque humorum substratorum colores per eos transpareant: qui sanguis, quia in Syncope, & febrium quartanarum prin-

cipio, ob cordis debilitatem, pauciſſimus ab iis ad ſubjectam carnem propellitur; hinc propter illius defectum tunc pallent: & quia copioſus eò propellitur in plethora, hinc rubent: & quia malè coloratus eſt in cacochymiâ, hinc mali colores per ungues tranſparent.

Subſtantiam habent mediocriter duram, ut reſiſtant, ſed tamen flexilem, ut cedant nonnihil, & non frangantur, ac acutiſſimo ſenſu præditam. *Figuram* habent convexam nonnihil, ut ſe applicent ad digitos. *Formam* venamur ex accidentibus. Maculas in ungue enatas nunquàm deleri, aut immutari, ſed paulatim verſus anteriora protrudi, donec tandèm cum eâ parte unguis, cui adhærent, extra carnem perveniant, & ſic unà cum ungue abſcindantur. Cutis extrinſecùs iis circumnaſcitur, muſculorumque tendines ſubſternuntur: undè ob exquiſitum loci ſenſum, acutiſſimus ex læſione dolor ſub unguibus excitatur.

Unguium *finis* & *uſus* eſt. I. Digitorum extremitates molliſſimas tueri, & munimentum duritie præbere, ut commodiùs, meliùs, & faciliùs fiat apprehenſio. Sic etiam in pedibus, ut in ſtatione reſiſtere queant. II. Ad ornamentum: nàm læſos tegimus ungues. III. Secundariò ad fricandum, ſcalpendum, & defendendum. IV. Corpus humoribus ſuperfluis, & fuliginibus liberare. V. Phyſiognomis, & medicis vitæ, & ſanitatis indicia præbere. Ex unguium verò maculis emerſit Unguimantia, quæ ſecundum varios macularum colores, bonos, vel malos vaticinatur eventus.

Componitur totum brachium cum manu ex omnibus tegumentis, membranis, oſſibus, ligamentis, muſculis, arteriis, venis, & nervis. Communia tegumenta ſunt cuticula, cutis, pinguedo, de quibus diximus. Membranæ ſunt perioſtea, membranæ muſculorum, tendines &c.

De Muſculis Brachii, ſeu Humeri.

Superior brachii pars à ſummo humero ad cubitum pertingens, quam humerum vocant, variis motibus movetur, inprimis quinque, antrorſùm, retrorſùm, deorſùm, ſurſum, & in gyrum. Qui motus novem perficiuntur muſculis.

Primus *Pectoralis* dicitur, quia pectus, vel thoracis anteriorem occupat partem, eſt magnus, & carnoſus, quem *Galenus* in tres, vel quatuor dividi poſſe cenſuit. *Oritur* ex oſſe pectoris ferè toto, & annexis cartilaginibus, ubi parum tendinoſus eſt ex parte clavículæ, & coſtis veris quintâ, ſextâ, & ſeptimâ, implantatur tendine brevi, lato, nervoſo, & robuſto in os humeri inter Deltoidem, & Bicipitem. *Uſus* eſt brachium pectori admoveri, & prout fibræ contrahuntur magis ad Superiora, vel inferiora, vel recta, ità etiam inclinat. Hic muſculus eſt, qui patitur in tormento, quod *tratto de corda* vocamus; valdè enim diſtrahitur, & divellitur, quandò brachia retrò trahuntur.

Secun-

Secundus à figurâ triangulari Græcæ literæ Δ dicitur *Deltoides*, & *Triangularis Humeralis* nominatur, qui carnosus est, & permanet, humerique capiti sternitur. *Oritur* ex claviculæ mediâ parte, scapulam spectante, & ex summo humero. Inseritur in medio humeri, carnoso quidem fine, in quo tamen robustus tendo latet. *Usus* est brachium sursum attollere, modò rectâ, modò nonnihil antrorsum, vel retrorsum pro diversâ anteriorum, posteriorum, mediarum, vel omnium fibrarum contractione. In hujus mediâ parte imperitiores chirurgi perperàm fonticulos aperiunt.

Tertius à magnitudine *Latissimus* appellatur, quia totum ferè dorsum cum suo pari tegit. Ab usu *Aniscalptor*, quia brachium retrò deorsum trahit. *Oritur* membranoso, latissimoque principio ab apicibus vertebrarum spinæ; inter os sacrum, & sextam thoracis vertebram sitarum, necnon à superiore illius ossis parte: hinc scapulæ basin (à qua nonnunquàm fibras carnosas plurimas recipit) carnosum accedit, & tandèm brevi, sed valido, latoque tendine, inter pectoralem, & rotundum inseritur, & brachium retrò deorsum trahit; modò magis ad superiora, prout vel hæ, vel illæ fibræ, quas propter amplum principium valdè diversas obtinet, contrahuntur.

Quartus dicitur *Rotundus Major*, qui carnosus parte posteriore sub axillâ locum habet, & carneo principio à totâ scapulæ inferiore costâ pronascitur, ac brevi, lato, validoque tendine in brachii os, paulò infra cervicem desinit, brachiumque retrò deorsum trahit.

Quintus (hic fallopio octavus est) à situ *Transversalis Musculus brevior*, à formâ verò *Rotundus Minor* nuncupatur. Ab infimo scapulæ angulo exsiliens, in brachii cervicem producitur, & motum quarti musculi adjuvat, cujus illum portionem esse nonnulli existimant.

Sextus *Infraspinatus*, aliis *superscapularis inferior* appellatur, quia totam exteriorem scapulæ partem, quæ sub spinâ est, tegit. Hic à scapulæ basi infra spinam exortus, lato, brevique tendine humeri ligamento articulum continente extrinsecus velut in semicirculum inseritur, & brachium ad exteriora circumagit.

Septimus *Supraspinatus*, seu *superscapularis*, aliis *Rotundus Minor* appellatur. E scapulæ basi enatus totam cavitatem inter spinam, & costam scapulæ superiorem implet, latoque, ac valido tendine articulum superante obliquè cervici inseritur, & brachium cum priore circumducit. Alii tamen putant illum cum deltoide brachium sursum movere.

Octavus, subscapularis dicitur, seu *Immersus*, carnosus valdè inter scapulam, & costas habitat, & occupat partem internam scapulæ, inseritur verò lato tendine in humerum secundum ligamentum internè, & brachium introrsum circumagit.

Nonus, *Perforatus*, *Coracoides*,

& Coracobrachiæus dictus, brevi, nervoſoque principio à ſcapulæ proceſſu coracoide incipiens, robuſto tendine ad medium ferè brachium anterius excurrit, idque cum pectorali antrorſum pectori adducit. Hujus venter perforatus eſt, & tranſitum præbet nervis, qui ad cubiti muſculos diſtribuuntur. *Riolanus* putat hunc muſculum eſſe portionem bicipitis, ſeu primi muſculi cubiti.

De Muſculis Cubiti.

Cubitus duobus conſtat oſſibus, quæ prout variis articulationibus connectuntur, ità motus habent nonnihil diverſos. Flexionem, & extenſionem dirigit os cubiti: pronam verò, & ſupinam manum facit radius: hinc que ad proprios motus ſingula proprios, diverſoſque habent muſculos.

Os cubiti quatuor movetur muſculis, nempè duobus flexoribus; & internâ, ſeu anteriore brachii parte ſitis: & duobus extenſoribus internam, ſeu poſteriorem brachii partem occupantibus: illi ſunt Biceps, & Brachiæus: hi longus, & brevis.

Biceps gemino, validoque oritur principio, altero exteriore nerveo à ſuperiore ſupercilio acetabuli ipſius ſcapulæ: altero partim nerveo, partim carneo, à ſcapulæ coroide apophyſi exorto: quibus principiis deindè unitis, corpore ſuo brachii internam ſedem occupat, & craſſo tendine in caput, ſeu prominentiam interiorem inſeritur, articuli ligamento nonnihil alligatus.

Brachiæus prædito ſubſternitur, eoque brevior, & totus carnoſus eſt. A mediâ parte oſſis brachii procedens, deſinit inter radium, & cubitum, qua parte ſimul connectuntur. Hic cum priore cubitum arctiſſimè flectit.

Longus valido, latoque, ſed gemino emergit principio: uno ſublimiore ab amoplatæ coſtâ infernâ, altero humiliore, quibus junctis ſub capite oſſis humeri, in olicrano, ſive cubiti ſummo exterius terminatur.

Brevis à cervice poſticâ brachii ortus, in illam olicrani partem, cui connectitur cum præcedente, deſinit. Hic unà cum longo unicum, robuſtum, ac nerveum tendinem efficit, quo brachium extenditur.

His quatuor muſculis duo ſequentes ab Anatomicis poſterioribus adhuc additi ſunt, iſque numerus muſculorum cubiti adauctus eſt.

Primus *Brachiæus* externus, *Riolano* ità vocatus, quia eſt moles carnea, quæ cum longo, & brevi confunditur, eidemque parti inſeritur.

Secundus *Aconæus*, qui corpore exiguus (hic aliis eſt pars muſculi quarti, ſeu brevis) ab inferiore humeri parte poſterius enaſcitur, cubitique duobus oſſibus intermedius, in latus ulnæ nonnihil obliquè deſcendit: Hi duo extenſionem longi, & brevis adjuvant.

De Musculis Radii.

Radium quatuor movent musculi, quorum duo interiores radium introrsùm movent, Pronatores dicti; duo exteriores eundem extrorsùm convertunt, *Supinatores* appellati.

Primus Pronatorum, qui superior, à formâ *Rotundus*, seu *Teres* nominatur. Hic ab interiore parte tuberculi humeri productus, tendine membranoso ad radii ferè medium decurrit.

Secundus, qui inferior, quadratus dictus, ab interno ulnæ latere transversim extensus, supra ligamentum, quod radium cubito connectit, progreditur, radiisque internæ parti committitur.

Prior supinatorum, qui longior, ab extremo humeri tuberculo exortus, ad radii apicem inferiorem descendit.

Alter, qui brevior, ac tenuis, è brachii externâ apophysi emergens, prope radii medium terminatur.

De Musculis Carpi, & Volæ Manûs.

Carpus extenditur, flectitur, & lateraliter movetur beneficio quatuor musculorum: ex quibus duo interni, totidemque externi.

Ante hos tamen primo loco demonstrandus occurrit *Musculus Palmaris*, qui omnibus ferè musculis manûs interioris subiternitur. Originem sumit ab interno humeri tuberculo, carnosus in principio existens, mox in gracilem tendinem attenuatur, qui ligamentum annulare carpi supergressus, dilatatur in nervosam membranam per volam manûs usque ad digitorum confinia expansam, cuti adeò tenaciter affixam, ut difficillimè ab eâ separari queat. Hic cutem corrugando apprehensionis firmitatem præstat, volamque eximio sensu donat.

Palmari adjacet caro quædam in principio manûs internæ, parte inferiore Montis Lunæ ad carpi ossiculum octavum, quæ bifida, nonnunquàm trifida, duorum, vel trium musculorum quasi effigiem extrinsecus refert, atque in mediam, internamque volam defertur, musculo palmari subtensa, & implicata. Hæc eminentiam carneam articulari digito subjectam ad Thenar adducens, manum cavam reddit, & Scyphum Diogenianum efformat.

Musculorum carpi internorum primus *Cubitæi Interni* nomine insignitus, oritur à brachii apophysi, & cubito attensus, crasso tendine carpi quinto ossi implantatur.

Secundus *Radiæus Internus* dictus ab eodem loco eductus, per radium exporrigitur, & in os metacarpi indicem sustinens, desinit. Hi duo manum contrahunt.

Externorum verò carpi musculorum prior, *Radiæus externus*, sive *Bicornis* dictus, lato, geminoque principio à brachii acumine osseo ejusdemque condylo externo procedens, radio carnosus innititur, & duplici tendine in os metacarpi primum, & secundum inseritur.

Hic propter geminam insertionem, geminumque principium à nonnullis geminus describitur.

Alter *Cubitaus externus* nuncupatus, ab externâ apophysi brachii ortus, ac per cubitum delatus, in os quartum metacarpi, minimo digito subjectum, unico tendine infigitur. Hi duo manum extendunt.

Si horum quatuor musculorum tantum unus, aut duo unius lateris agant, tunc manus lateraliter movetur, idque aut sursum, aut deorsum, aut in medio, prout vel solus externus, vel internus, vel ambo simul agant.

De Musculis Digitorum, & Pollicis.

Digiti ad robur, varioſque motus multiplices, validos obtinuerunt musculos, quibus flectuntur, extenduntur, & ad latera moventur.

Flectunt *Sublimis*, *Profundus*, & *Lumbricalis*.

Sublimis, qui & *Perforatus* dicitur, ab interno ossis humeri tuberculo exoritur, & circa carpum in quatuor tendines dirimitur, prope finem veluti rimâ (quam sequentis musculi tendo transit) fissos, qui in secundum digitorum internodium inseruntur.

Profundus, qui & *Perforatus* vocatur, à partibus superioribus cubiti, & radii paulò infra articulum emergit, & quadripartitus robustis tendinibus rimas prioris transiens, tertio digitorum ossi implantatur.

Ut autem per hos musculos recta fieret inflexio, & tendines contracti non exsurgerent, cutemque attollerent, parte manus internâ, secundum totam eorum longitudinem, canali ex duris membranis confecto, interius pingui, ac oleoso humore inuncto includuntur, in quo liberum cursum habent.

Lumbricales appellati, tenues à musculi profundi tendinibus orti, in primum internodium tenue tendine, cum interosseorum tendinibus confuso, desinunt: interdum ulterius cum interosseis missi, secundum digitorum latera usque ad tertium internodium excurrunt, & digitos lateraliter flectunt.

Digitos extendunt musculi duplices, alii communes, alii proprii.

Communes, qui quatuor digitis inserviunt, bini sunt, ab extremo humeri tuberculo prognati, qui in progressu simul junguntur, & tendinibus unitis secundo, tertioque digitorum ossi firmiter adnectuntur.

Proprii, qui unum solummodò digitum extendunt, duo sunt.

Primus, *Extensor Indicis proprius*, quem præter communem obtinent, Riolano, & Veslingio, *Indicator* appellatus, à mediâ, & extremâ cubiti regione ortus, bifido tendine in secundam articulationem inseritur, quorum tendinum alter cum tendine extensoris communis coalescit.

Alter *Minimi digiti extensor proprius*, qui à radii supernâ parte ortus, & cubito, radioque interjectus, externè in auricularem digi-

digitum duplici tendine implantatur, quorum unus cum tendine communis extensoris miscetur.

Digiti ad latera, vel versus pollicem adducuntur, vel ab eo abducuntur, beneficio octo *musculorum Interossеorum*, quorum quatuor interni intervallum ossium metacarpi obtinent: quatuor externi in palmâ manûs collocati, prioribus desuper incumbunt. Oriuntur à supernis ossium metacarpi partibus juxta carpum, deindè modo soli, modò cum lumbricalibus coëuntes, lateraliter tria digitorum ossa tendinibus perreptant, usque ad radicem unguium, ubi antrorsùm, & supernè tendines coëuntes terminantur. Ab his medius, & annularis digitus duos tendines recipiunt, Index, & auricularis unum.

Præter lumbricales antedictos, sunt lateraliter moventes musculi proprii duo.

Primus *Adductor Indicis Proprius*, qui ab interno pollicis internodio primo exsurgens, in ossa indicis desinit, & indicem versus pollicem adducit.

Alter *Abductor minimi digiti proprius*, qui in volâ à carpi osse tertio, & quarto secundi ordinis emergens, in articulum primum auricularis digiti exterius ad latus inseritur, eumque à reliquis digitis abducit.

Pollex, qui robore quatuor digitis æquipollet, extenditur beneficio duorum musculorum longorum, qui ab exteriore cubiti latere oriuntur: quorum unus ad tertium usque internodium pertingit. Alter carpum prætervectus in primum, & secundum pollicis articulum duplici tendine extrinsecus inseritur.

Flectitur autem duobus musculis. Uno valido, qui à superiore radii parte ejectus, ad primum, & secundum pollicis internodium excurrit. Altero minore, qui ab osse carpi procedens alteri subjicitur, & in medium pollicem extenditur.

Adducitur versus alios digitos à tribus musculis, ex tribus ossibus infernis metacarpii prodeuntibus, & in pollicis secundum os insertis.

Abducitur versus exteriora à duobus musculis: quorum prior à parte interiore ossis carpi pollicem sustinentis ejectus, in secundum internodium pollicis membranoso tendine inseritur. Alter spatium, quod inter pollicem, & indicem est occupans, à posteriore sede ossis metacarpii indici subjecti exoritur, & in pollicis internodium primum toti externo lateri carnosus inseritur, ac tendinem membranosum secundo transmittit.

De Ossibus Totius Manûs.

Ossa manûs dividuntur in brachium, cubitum, & extremam manum.

Brachii os unicum est magnum, & validum, longum, teres, & inæquale. Parte superiore appendicem habet, vel caput, magnum, rotundum, cartilagine obductum, adnatum; quod cum scapulâ articulatur per Diarthrosin. Inferior

pars

pars cubito, & radio articulatur, ubi duo processus sunt: externus minor, cartilagine incrustatus, & internus, duos sinus habens, ut forma fiat trochleæ, vel rotulæ, ad quam volvuntur funes, undè cubitus ginglymo junctus in acutissimum angulum flecti potest, ac ultra rectam lineam non extendi.

Cubitus è duobus componitur ossibus, sibi mutuò incumbentibus, ità ut extremitates conjungantur, media verò à se invicem secedant, quamvis membranoso ligamento copulata sint.

Horum ossium primum, quod inferius majus, & longius, *Ulna* vocatur, fortè quod ulnæ mensura olim istam longitudinem habuerit: antiquis *Cubitus*, & *os cubiti*, Barbaris *focile majus* dicitur.

Superiore parte amplius, crassiusque est, ac versus manum sensim velut in aciem attenuatur, eique ad finem tuberculum rotundum adnatum est. Processu minore nonnihil acuto, qui styloides vocatur, donatur, quo per ligamenta carpi ossiculis, interveniente cartilagine, connectitur per arthrodiam. Supernè verò humeri ossi articulatur per ginglimum, eumque in finem processus obtinet duos: quorum anterior, qui minor, ossis humeri sinum interiorem subit: posterior, qui major, longior, & obtusior, ossis humeri cavitatem posteriorem ingreditur, in eâque sistitur, ità ut brachium non ultra rectitudinem extendi, seu retrorsùm moveri possit. His accedunt duo sinus cartilagine obducti, quorum qui externus, seu lateralis, & minor est, caput radii excipit: alter qui posticus, & amplior, instar semicirculi ad humeri rotam circumvolvitur.

Alterum cubiti os *Radius*, & *focile minus* dicitur, quod superius, & brevius est. Hujus superior extremitas tenuior existit, rotundoque capite prædita, à latere ab ulnâ excipitur. In summitate verò sinum rotundum, sed superficiarium, cartilagine incrustatum obtinet, quo humeri caput admittit, cum eoque per diarthrosin articulatur. Inferior verò extremitas, quæ crassior, à latere ulnam parvo sinu cartilagine munito recipit, & inferiùs gemino sinu, similiter cartilagine obducto, carpi duo prima, & suprema ossicula admittit.

Manus extrema dividitur in carpum, metacarpium, & digitos.

Carpus Arabibus *Rasetta*, superior manûs pars, octo constat ossiculis, magnitudine, figuràque nonnihil discrepantibus, duplici ordine dispositos. Primo ortu sunt cartilagines, posteà fiunt ossa spongiosa. Obducuntur ligamentis cartilagineis validissimis, & simul constringuntur, ac si unum os essent. Atque hæc ligamenta ab inferioribus processibus radii, & cubiti orta, articulationi inserviunt. Alia verò sunt ligamenta, quæ transversa, & annuli formam habentia, pro firmandis, & tutò transmittendis tendinibus. Internum continens musculorum digitos flectentium tendines; externum, extendentium. Quæ vincula

licet

licèt unum videantur, in plurima dividi possunt. Ordine aliquo disponuntur ossa carpi: nàm supernè quatuor sunt radio, & cubito articulata; infernè totidem, quatuor metacarpii ossibus connexa.

Metacarpium quatuor constat ossibus longis, gracilibus, intùs cavis, seu fistulosis, medullâ repletis, intermediâ regione sejunctis, ut musculis interosseis tutior sedes foret. Horum primam indici annexam, longissimum, & crassissimum est, cœtera verò sensim tenuia, & breviora evadunt.

Digitorum ossa, adnumerato pollice, sunt quindecim, in quovis digito tria, magnitudine diversa, quorum primum secundo amplius, secundum tertio, quod tertium ungue tegitur. Seriem digitorum vocant Græci Phalangem, quia velut in acie stare videntur. Foris gibba, intùs plana, & aliquantulùm excavata, ad commodiorem solidorum apprehensionem. Habent singuli digiti ligamenta parte internâ, secundum magnitudinem instar canalium, quibus invicem alligantur.

Processus obtinent superius, & inferius. Superiores rotundi sunt, & in singulis supremis, seu primis quatuor ossibus unum sinum rotundum habent, metacarpii os recipientem: in reliquis verò quasi geminum sinum, parua eminentiâ distinctum, obtinent. Inferiores verò processus quasi gemino capite, sinu distincto, protuberant, quo geminum sinum impositi os subeunt, excepto tertio, seu extremo osse, quod à nullo alio excipitur, sed ungue munitur. Hi autem omnes sinus, & processus, ad faciliorem motum cartilagine obducuntur.

De Arteriis Totius Manûs.

Arteria Axillaris per brachium defertur inter musculos descendens, cum vena, & nervo brachii, quem quartum faciunt. Sub flexurâ cubiti dividitur in duos ramos insignes; superiorem, & inferiorem. Superior secundum medium ad carpum rectà fertur, ubi pulsum medici explorant; deindè sub annulari ligamento progrediens, digitis pollici, indici, & medio ramos impertitur. Inferior ulnam percurrens ad carpum; prospicit medio, & annulari, & minimo: atque ad carpum pergit, ubi arteriæ motum inferius persentimus, præsertim in macilentis, & pulsu magno præditis. Sed priorem ramum melius pulsare sentimus, quia minus à tendinibus occultatus.

De Venis Brachiorum, & Manuum.

Vena axillaris dividitur in brachii initio in duos ramos insignes: superiorem majorem, seu venam *cephalicam*, & inferiorem minorem, seu *Basilicam*. Superior dicitur vena cephalica (quæ & Humeraria, & cubiti exterior appellatur) nomen ex eo adepta videtur, quòd olim medici, in rebus anatomicis minùs versati, eam recto ductu à capite ad brachium descendere, sanguinemque ex eo hùc deferre

Unable to display this page

nes conveniat totam cutem hujuscemodi organo in usum venire, idcircò ea tantum perpendemus, quæ ad modum attinent contactus, ejusque diversitatem, si verè ad merum tactum objectorum diversitas reducenda erit.

Diximus in cutis anatome, cutem ex venarum, arteriarum, nervorumque ramulis maximoperè contegi, inque eam à glandulis ferè innumeris vasa lymphatica, atque excretoria communicari, per eas enim lympham ex arteriis ibidèm delatam intelligimus, quæ per sudorem excernitur, quas glandulas, ob earum parvitatem miliares appellant Recentiores; cùmque ex Malpigii advertentiâ comperuerimus ex cutis involucro reticulari, quod mucoso humore perfunditur, fibrillas nerveas in fasciculos collectas prodire: dicendum existimamus harum nervearum fibrillarum congeriem per totam cutem dispersam tactus organum constituere.

In his itàque fibrillis, seu nerveis filamentis à cerebello prodeuntibus tactilium motiones recipiunt, quæ ad cerebellum transfusæ tactus sensationem producunt; ibi enim anima varias sensibilium vulgò qualitatum ideas effingit, prout variè nervos tangentia corpora percusserint.

Ut autem motus in nerveas cutis fibras impressi ad cerebrum usque propagentur, inflatæ, ac protensæ illæ sint oportet, cùm experiamur motum ad campanam v. g. minimè traduci, si ad eam alligatus flaccidus tangatur funis; undè factum est, ut in easdem fibras spirituosus, promptèque in auras dissolubilis latex scaturigine è cerebro à sagaci protrudatur naturâ; eo enim irradiantur nervi, inflanturque simili prorsus modo, quo flante vento naviliorum distenduntur vela. Mirum ergò non erit, si Galenistarum martyriis dilaniati, divexatique apoplectici, ictus, percussiones, aliaque tormenta non sentiant, dum eorum nervis talium inflantium spirituum sit denegatus influxus.

Quoniam verò tot, tantisque modis hoc sensorium objecta immutent in texturâ, in motu, atque in configuratione, idcircò tàm differentium sensationum inter se discrimen exponere uti non incongruum, ità facillimum duximus explicare; videmus nàmque ab unâ, eademque citharæ fide distinctos gigni posse sonos, si ea diversè, varièque aut tendatur, aut pulsetur, aut contingatur. Quod ut apertius innotescat, quam brevissimè singulas sensibilium qualitates, quas vulgus ad tactum redigit, percurrere operæ pretium existimavimus.

Quæ primò offeruntur, caliditas, atque frigiditas occurrunt, quarum Idola, tunc anima concipit, cum calorifica corpuscula in cutis poros se insinuantia ejusdem fibras divellunt, vellicant, dilatantque. Contrà verò frigiditatem sentimus, si cutis poruli vel ab armoniacis, salinitrosisque particulis coarctentur, constipenturque, juxta eorum placita, qui frigus positivum esse asseverant, vel

à calorificarum particularum receſſu conſtipati, ac contracti idem pori comperiuntur juxta noſtra opinamenta in noſtrâ *Pyrotechniâ ſophicâ* explicata.

Non aliter de humiditate, & ſiccitate erit conjectandum; nàm aut corpora humida, fluidaque in organum impingunt, ſuiſque particulis cutis meatulos pervadendo, ipſi adhærent, & humiditatem progignunt, corpuſque humidum conſtituunt, aut corpus nullâ ſenſibili humiditate donatum in cutis contactæ foraminula incurrit, & ſic ſiccitatem procreat; Hinc non incongrua quorundam opinio judicanda eſt aſſerentium, quamplurima relativè ad noſtros ſenſus definienda eſſe.

Gravitas, & levitas habentur, cùm corpora vel vehementius, citiuſque, vel tardius, imbecilliuſque nos, noſtraque membra deorſum impellunt.

Aſperum, & lævigatum ſentimus, ſi corpora aut inæquali, & ſcabrâ, aut æquabili, & perpolitâ ſuperficie cutem laceſſerint; ſicuti duritiem, & mollitiem obſervamus, ſi corpus tangenti digito aut reſiſtat ob ſui ſticticitatem, vel cedat ob ejuſdem laxitatem.

Denique ubi nerveæ fibrillæ tanto trahuntur impetu, ut vel nimis diſtendantur, ac ferè diſrumpantur, & à membris, quibus adnectuntur, vi divellantur, & dolorem, ſeu triſtem ſenſationem contrahimus, aut non modò non rumpuntur, nec divelluntur, neque ab eorum craſi variantur, ſed regulari, placidâque blanditie contrectantur, & voluptatem, ſeu titillationem ſentimus. Eodem prorſus modo de aliis ſenſationum affectionibus, quæ à vulgo tactui adſcribuntur erit diſcurrendum, atque hæc de tactûs ſenſu prout noſtra patitur digreſſio, ſatis dicta ſufficiant.

Cap. LXX.

De Anatomicâ Pedis Hiſtoriâ.

Sicut ad apprehenſionem duas manus, ita ad ſtationem, & ambulationem duos homini pedes conceſſit Summus Conditor, qui ad majorem commoditatem, & greſſûs firmitudinem, longi, latique, ac ſubtus in medio aliquantulum cavi, variiſque articulis diſtincti ſunt.

Pes dicitur totum id, quod à natibus ad digitorum pedis extremitates, aliis *Magnus* pes, vel *Crus*. Dividitur in ſuas partes, ſicut & manus, non abſimili comparatione, nempè in femur, tibiam, & parvum pedem.

Femur à coxendicis articulo ad primam articulationem procedit, quæ anteriore parte *Genu*, poſteriore *Poples* appellatur. In hujus ſummitate ad flexuram *Inguen* eſt, in quo latet glandula famoſa ex octo minoribus glandulis compoſita, quæ olim hepatis emunctorium eſſe dicebatur.

Tibia, ſumpto à genu initio, ad calcem uſque fertur: cujus anterior, & durior pars ſpecificè Tibia,

Unable to display this page

ossis ilei internâ cavitate ortus, tendine suo lumbari jungitur, & inter magnum, ac parvum trochantera antrorsum desinit.

Tertius *Pectineus*, qui lividus est. Hinc à parte superiore ossis pubis ad commissuram, juxta ejus cartilaginem, carnosus, & latus prosiliens, brevi latoque tendine femoris lateri interno implantatur, & ad posteriora usque progreditur, quo femur validè sursum, & introrsum flectitur, sicque femur unum alteri imponitur; ac proindè à *Bartholino* ad musculos adducentes refertur.

Extendunt femur musculi tres *Glutæi* dicti, qui nates constituunt, & etiam inserviunt ad regredendum.

Primus *Glutæus Major*, à coccyge, spinâ ossis sacri, & ilii ossis costâ, carnosus admodum enatus, quatuor digitis infra magnum trochanterem valido tendine desinit.

Secundus *Glutæus Medius*, tàm in situ, quàm in magnitudine, qui primo magnâ ex parte substernitur. Hic à costâ, & dorso ossis ilii regione anteriore carnosus exiens, totamque ferè ossis ilii regionem occupans, lato, validoque tendine in trochanteris majoris anteriorem, & elatiorem partem implantatur, eam undique cingens.

Tertius *Glutæus Minor*, qui totus sub secundo latet. Hic ab ossis ilii dorso, ejusque sede posteriore, ac inferiore carnosus procedit, & lato, robustoque tendine trochanteris majoris parti interiori, & apici inseritur.

Adducit femur introrsum *Triceps musculus*, qui à quadruplici principio secundum *Falloppium*, *Bauhinum*, & *Riolanum* rectius *Quadriceps* appellari meretur: estque omnium totius corporis musculorum crassissimus, cujus singulæ partes, ut ortu, & insertione, sic fibris, & aliquantum etiam usu variant, qua de causâ *Bartholinus* illum in tres musculos divisum describit, sed melius in quatuor divisum proposuisset.

Prima ejus pars oritur principio nervoso ab ossis pubis lineâ superiore, & in femoris lineam asperam inseritur.

Secunda procedit ab imâ ossis pubis commissurâ, & desinit in femoris lineam asperam parte superiore.

Tertia à tota coxendicis infernâ parte emergit, & in femoris posticam lineam asperam sub rotatore minore implantatur.

Quarta pars à coxendicis apice ejecta, teriti tendine, qui cum tenui tendine portione primæ partis jungitur, in femoris tuberculum internum, & inferius finitur.

Abducunt femur ad latus externum musculi quatuor exigui *Quadrigemini* dicti, quia ferè sibi invicem similes sunt, & parte posticâ supra femoris articulationem alternatim collocati.

Primus, & superior quadrigeminus, qui à formâ *Pyriformis*, à situ *Iliacus externus* nominatur, ab imo osse sacro procedit. Secundus à tubere ossis ischii. Tertius huic contiguus, ab eodem loco, & illi tres in trochanteris cavitatem

rem inseruntur. Quartus, qui *Quadratus* dicitur, cæteris latior, ac carnosior, & duorum digitorum latitudine, à tertio distans, exoritur ab internâ parte tuberis ischii, & in partem externam magni trochanteris desinit.

Obliquè femur *Rotant* duo musculi *Obturatores* appellati, qui foramen inter os pubis, & ischium patens occupant, ac regressum etiam adjuvant: unus internus, alter externus. Internus, qui validior, ab internâ dicti foraminis circumferentiâ carnosus ac latus procedens, & transversim supra coxendicem extrorsum delatus, trifido tendine, marsupium tutelæ gratiâ transeunte, magni trochanteris cavitatem ingreditur, & rotationem externam facit. Externus, qui pectineo subjacet, à dicti foraminis circumferentiâ externâ carnosus incipiens, & per cervicem femoris, velut per cochleam revolutus, in magni trochanteris cavitatem amplo, validoque tendine, sub quadrigemino implantatur, & internam rotationem dirigit.

De Musculis Tibiæ

Tibia tripliciter movetur, nempè flectitur, extenditur, & obliquatur.

Flectunt tibiam quinque musculi.

Primus *Longissimus*, qui & *fascialis* dicitur, anterius statim sub cute occurrens, ab interiore ossis ilii tubere oritur nerveo, carnosoque principio, & gracilis per interiora femoris, instar fasciæ, aliis musculis decussatim insitratus fertur, ac juxta genu in tendinem desinit, qui in anteriorem, & interiorem partem ossis tibiæ, ad lineam acutam, sub genu inseritur: atque hinc non sine ratione scribit *Riolanus*, hunc non flectere tibiam, sed potius extendere, & introrsum ducere.

Secundus *Gracialis*, longissimo introrsum accumbens, ad commissuram ossis pubis, nerveo, amploque principio enascitur, & per femoris anteriora excurrens, tereti tendine in partem tibiæ interiorem implantatur.

Tertius *Seminervosus*, à tubere ischii nervoso, gracilique principio ejectus, per femoris posteriora, & interiora obliquè descendit, & tereti tendine in tibiæ posteriorem, ac interiorem partem desinit, ejusque tendo usque ad tibiæ medium excurrit.

Quartus *Semimembraneus*, qui ab eodem cum præcedente loco egressus, tendine paulò latiore ad tibiam posticam protenditur.

Quintus *Biceps* ex eodem ischii tubere ortus, per externam femoris partem defertur, ac circa medium femur carneam molem, tanquàm novum musculum, assumit, sed notante *Bauhino*, illud quidem in homine, sed non in simiâ: sicque deorsum descendens, insigni tendine inferius in ossis fibulæ processum implantatur. Hic musculus interdùm duplici exortu, & fine distinctus observatus fuit, atque hinc *Vesalio* duplex est.

Extendunt tibiam musculi quinque, vel sex.

Primus

Primus *Membranosus* à supernâ spinâ ossis ilii acutus, carnosusque prodiens, exteriore parte juxta femoris processum majorem, abit in membranam longissimam, & latissimam, quæ instar transversi cujusdam ligamenti (hinc nonnullis fascia lata dicitur) fere omnes femoris, & tibiæ musculos circumdat, ac in sede suâ continet, ad extremum usque femoris excurrens. Miscetur autem circa insertionem cum tendinibus musculorum sequentium, & in tibiæ, ac fibulæ partem anteriorem, versus externum latus implantatur, tibiamque rectà extendit, atque etiam, ut quibusdam placet, nonnihil extrorsum abducit.

Secundus *Longus* (hic Riolano *Sutorius*, Vesslingio *fascialis* dicitur) ab ossis ilii appendice anteriore ortus, & per interiora femoris obliquo ductu decurrens, sub genu ad tibiam interius descendit, eamque extendendo adducit, & sutorum more alteri imponit.

Tertius *Rectus*, ab infernâ spinâ ossis ilii enatus, carnoso, teretique ventre rectà secundum longitudinem femoris decurrit, ac forti tereti tendini patellam includens, sub eâ in tibiam desinit.

Quartus *Vastus Internus*, à cervice, & rotatore femoris minore ortus, tibiæ infernæ, paulò infra patellam inseritur.

Quintus *Vastus Externus*, à rotatore femoris minore exterius principium sumens, amplo tendine in tibiam externè, paulò infra patellam desinit.

His quinque musculis extensoribus nonnulli subjiciunt sextum musculum femori adhærentem, *Crureum* appellatum: cujus principium constituunt inter duos femoris rotatores, finem verò cum vastis musculis eundem.

Horum extensorum quatuor posteriores circa genu simul uniti, unicum communem latum, validumque tendinem efformant, quo patellam involuunt, & femoris, tibiæque ossa instar ligamenti validè colligant.

Obliquè tibiam adducit *Popliteus*, Latitans in cavo poplitis, ab inferno, & exteriore femoris tuberculo exortus, & obliquè in appendicis tibiæ superioris posteriorem, ac internam partem delatus.

De Musculis Pedis.

Flectitur *Pes*, & extenditur.

Flectunt antrorsum duo; Primus *Tibiæus* anticus dicitur, tibiæ affissus, à superno tibiæ processu ortus, inseritur in os pedii, ante pollicem, tendine ad finem bifido. Alter *Peronæus biceps*, uno capite, vel principio promanante, à fibulæ supernâ epiphisi, altero è peronis medio. Duplicem habet tendinem; minorem in minimi digiti os delatum, & majorem sub plantâ obliquè incedentem, & insertum in os pedii è regione pollicis.

Extendunt retrorsum postici quatuor: *Duo Gemelli*, internus, & externus, quia suram constituunt. Gastrocnemii nuncupati, à femoris capite interno sub poplite oriuntur. Tertius *Solens* dictus, his

his subditur, à posteriore fibulæ appendice exoritur. Tres hi musculi desinunt in crassissimum, & validissimum tendinem pternæ, calcisque principio inserendum, quo suspendi solent mattata pecora: Hippocrates vocavit *chordam magnam*: ubi ex calcis fracturâ febres vult contingere singultuosas, & convulsificas.

Ultimus *Plantaris* dicitur, & respondet palmari in manu, gracilis est, inque tendinem longum degenerat, totamque plantam tegens ab exteriore femoris capite, sub exoritur, & in quinque digitos inseritur, eundemque hic usum, quem in manu habet: quanquàm collatio utriusque parum sit exacta.

Tibiæus posticus hic adducendus inter obliquè moventes, seu adductores numeratus *Spigelio*; inter extensores *Riolano*.

De Musculis Digitorum.

Digiti pedis varios habent musculos, qui illos extendunt, flectunt, & obliquant.

Extendunt quatuor digitos duo musculi *Tensores* dicti.

Primus *Longus Tensor*, sub tibiæ antico reconditus, oritur ab anticâ, & internâ tibia, qua parte fibulæ sub genu connectitur. Hinc secundum longitudinem fibulæ rectà descendit, & in tendines quatuor separatus, ligamentum annulare transit, atque in quatuor digitorum tres articulationes supernâ parte inseritur.

Secundus *Brevis Tensor* ab astragali viciniâ parte superiore projectus, & longo substratus, in omnes primi internodii articulos suis tendinibus desinit, qui tendines supra metatarsum longitudines decussatim intersecant.

Flectunt quatuor digitos sex musculi flexores.

Primus *Longus flexor*, sive *Perforans*, & *sublimis*, qui unà cum sequenti *Brevi*, sub musculis suram constituentibus posteriore sede occultantur. Hic à supernâ tibiæ parte posteriùs originem sumit, & circa malleolum internum tibiæ, calcisque ligamentum subiens, in plantâ pedis finditur in quatuor tendines; qui per foramina brevis flexoris transeuntes, in quatuor digitorum tertium articulum inseruntur.

Secundus *Brevis flexor*, qui etiam *Perforatus*, & *Profundus* appellatur, inferiùs, & interiùs à calce prodit, dimissisque tendinibus quatuor, circa finem ad tendinum præcedentis musculi transitum rimâ divisis, in secundum digitorum internodium excurrit.

Tertius, quartus, quintus, sextus Musculi *lumbricales* quatuor, qui à flexoris longi, ac brevis tendinibus, vel potiùs à ligamento eos tendines obvolvente producti, & carne quadam à calcaneo exsurgente adaucti, primo quatuor digitorum internodio singulis tendinibus infiguntur.

Obliquè digitos movent Musculi *Interossei* decem, sub ossibus metatarsi, atque inter illa locati, & à massâ carneâ exorti: quorum

externi ad primum digitorum internodium desinunt: interni usque ad secundum internodium excurrunt. Agentibus digiti abducuntur, internis adducuntur, simul agentibus extenduntur.

Digitus minimus peculiarem abductorem habet, à calcaneo productum, & quinto metatarsi ossi extrinsecùs subjectum, qui primi internodii externo lateri inseritur.

Pollex singulares obtinet musculos.

Primus *flexor*, adjacens longo digitorum tensori, qui posterius à superiore fibulæ parte carnosus exoritur, viamque perforantis musculi secutus robusto tendini tertio pollicis ossi connectitur. Nonnunquàm sub plantâ pedis in duos tendines dividitur, quorum unum pollici, alterum secundo digito tribuit, atque tunc longus digitorum flexor, tantum tres tendines ad digitos mittit.

Secundus *Extensor*, ab externo tibiæ latere, ubi fibula recedit, enatus, ac pedis superiora perreptans, toti pollici parte superiore implantatur. Interdum geminum tendinem emittit: unum ad ultimum magni digiti articulum: alterum in os metatarsi, pollici substratum.

Tertius *Abductor*, ab internâ parte calcis ortus, & pedis lateri interno secundum longitudinem atrensus, in pollicis os primum extrinsecus defigitur.

Quartus *Adductor Major*, à ligamento ossis metatarsi, quod minimo, & proximo digito subjectum est, emergens, & obliquè super alia ossa procedens, internâ parte in primum pollicis articulum brevi robustoque tendine desinit.

Quintus *Adductor Minor*, à minimi digiti ligamento, quod primum internodium vincit, prodiens, transversim carnosus defertur, atque ad primum pollicis os brevi, latoque tendine interius excurrit. Usus est, facere securam ambulationem, quandò per viam asperam rotundis silicibus refertam, aut per aliud aliquid minutum, lubricum, & volubile eundum est. Nàm hujus musculi ope, pes ad ejusmodi corporis figuram se accomodat, & id quasi apprehendit, ut tutò gressum firmare possit.

In plantâ pedis, quæ vestigium appellatur, observatur carnea massa, quæ instar pulvinaris, musculorum tendinibus substernitur. Hanc nonnulli cum musculo transversali confundunt.

De Ossibus femoris, & Cruris.

Pedis tres sunt partes, femur, tibia, & extremus pes.

Femur à ferendo dictum, eo quod animal ferat, & sustineat, unico constat osse robusto, magnitudine, & longitudine cæteris omnibus excellentiore, anterius rotundo, & aliquantulum gibbo, posterius nonnihil depresso, ac sinuoso, asperaque lineâ obliquè versus genu descendente, insignito.

Alia autem consideranda sunt in ejus

ejus parte superiore, alia in inferiore.

Superius processum crassum, versus coxendicis os prominentem, eique epiphysin rotundam, & amplam impositum habet, sicque globosum femoris caput, validâ cervice subnixum constituit, quod cartilagine obductum in coxendicis acetabulum reconditur, in eoque duobus validis ligamentis detinetur: uno lato, crasso, & membranoso, quod articulum totum circumdat: altero teriti, quod ab ipsâ cavitate acetabuli productum, in femoris susceptum caput inseritur, idque acetabulo firmissimè connectit, atque sic articulatio hæc per enarthrosin perficitur.

Infra cervicem, ubi os latius fieri incipit, duo processus educuntur, suis epiphysibus donati, quæ in pueritia manifestè conspicuæ sunt, ac increscente ætate omnino ossescunt, & femori inseparabiliter uniuntur, ut nulla substantiæ diversitas unquàm fuisse videatur. Horum processuum unus superior, & major, sursum versus exteriora vergit: alter inferior, & longè minor, obtusi tuberculi figuram habet, retrorsum versus spectat. Huic minori plerumque versus exteriora adhuc aliud parvum tuberculum paulò humiliore sede adstat. Hi processus variis validis musculis insertionem, & ortum præbent.

Inferius, ubi femoris os cum suo appendice sensim crassescit, duo capita ampla efformat, quorum externum crassius est interno. His cartilagine obductis subjectas tibiæ geminas cavitates similiter cartilagine munitas ingredi tur. Inter illa capita cavitatem anterius parvam, posterius magnam habet, per quam insignia vasa cum quarto paris vagi nervo ad crura deferuntur. Inter has cavitates tibiæ protuberantia suspicitur, sicque articulatio ista per ginglymum absolvitur, dum etiam duo tibiæ capita hæc susc ipiunt.

Præterea adhuc duo alii exigui sinus ad utriusque capitis latus conspiciuntur, quibus variorum musculorum tendines inseruntur.

Posterius in poplite duo ossa sesamoidea inferioribus appendicibus apponuntur, quæ musculorum duorum priorum pedem moventium capitibus innascuntur, cùm alioqui reliqua sesamina musculorum tendinibus inhæreant.

Quia autem articulatio genu non admodum firma fuisset, sed in cruris motu, & ab externorum impetu ossa facilè è suâ sede excidissent, hinc providus Creator isti articulo anterius imposuit os rotundum, & latum, instar umbonis circularis, quod *Molam*, *Patellam*, seu *Rotulam* vocant, substantiam in pueris cartilagineam obtinens, quæ increscente ætate fit planè ossea, & ad faciliorem motum interius cartilagine obducitur. Hoc os inhæret tendinibus musculorum, nexu laxiore, quippè non strictè vinciri, sed aliquantulum mobile esse debuit, ut facilem luxationem averteret, & interim motui musculorum haud officeret.

Femori subjicitur crus (hoc nomine à multis universus pes designatur) à genu ad talum se extendens. Hoc è duobus ossibus componitur, crassitie, & magnitudine plurimum differentibus, sursum, deorsumque cohærentibus, intermediâ autem regione ob pedis musculos sejunctis, valido tamen intercedente ligamento connexis.

Horum primum Latinis *Tibia*, vulgò *Focile Majus* appellatum, & *Canna Major*, est amplum, atque validum os aliquo modo triangulare, anterius secundum longitudinem acumine anguli sui interioris spinam acutam effingens, qua parte etiam carne destitutum, periosteo, membranâ carnosâ, vix visibili aliquâ pinguedine; & cute tegitur, hæcque causa est, quod tibiæ anterioris contusiones sæpè in curatione longas molestias pariant, ob facilem panniculi carnosi, & periosteo, nullâ carne, aut pinguedine intectorum læsionem.

Ad utrumque finem appendicem crassam, & considerabilem obtinet.

Superior amplitudine insignis, posterius veluti duobus capitibus diducta est, atque in summitate duobus longis sinibus, lubricâ cartilagine munitis excavatâ, femoris inferiora capita suscipit. Dictis autem sinibus limbus cartilagineus, crassus, mobilis, & fermè circularis ad articulationis firmitatem circumjicitur.

Inter hos sinus colliculus, veluti sepimentum, exsurgit, qui à femoris ossis cavitate excipitur, è cujus colliculi asperâ, & sinuosâ summitate ligamentum validum prodit, quod femoris sinui infigitur, & inter alia ligamenta omnium maximè articulum firmat.

Inferior verò appendix minor est altera processu notabili ad internum pedis latus protuberans, qui nullâ carne tegitur, & Malleolus Internus vocatur.

Hæc sinibus duobus prædita est. Uno laterali, & minore, cui fibula accumbit: altero inferiore, multo majore levi protuberantiâ quasi in duos sinus distincto, & cartilagine obducto, quo talus subjectus suscipitur, qui intrinsecus tibiam suâ cavitate recipit, atque sic per ginglymum articulatio hæc perficitur.

Alterum cruris os *Perone*, & *fibula*, barbaris *focile minus*, & *canna minor* nuncupatur, estque tibiæ extrinsecus attensum, ei longitudine non cedens, sed multò tenuius, ac debilius, secundum longitudinem variis sinibus, ad musculorum insertionem, exsculptum, atque lineis acutis prominentibus asperum.

Capita duo habet, unum suprà, alterum infrà, quibus appendix coalescit, eaque in processum acutum, & nonnihil asperum desinunt. Capite superiore usque ad genu non assurgit, sed infra tibiæ appendicem subsistit, eamque levi sinu excipit.

Inferius verò fibula sinu tibiæ excipitur, & tuberosum caput cum processu usque ad latus tali demittit foris conspicuum, ubi

malleolus

malleolus externus nominatur, estque interno humilior.

De Pedis Extremi Ossibus.

Ossium pedis extremi tres sunt classes, Tarsi seu pedii, Metatarsi, seu Metapedii, & digitorum.

Tarsus septem construtiur ossibus magnitudine, & figurâ plurimum discrepantibus.

Primum *Astragalus*, Latinis *Talus*, vulgò *os balistæ*, & dicitur *Quatrio* à quatuor lateribus, quod capite nonnihil convexo tibiæ sinum inferiorem ingreditur. Inferius partim protuberans, partim sinuatum, cum osse calcis committitur.

Ad hæc cavitatem in medio inferiore sinu majusculam obtinet, cui similis calcanei cavitas è regione opponitur: his tanquàm in cellulis unctuosa mucago ad ligamentorum, & cartilaginum humectationem servatur.

Secundum os est *Calx*, seu *Calcaneus*, os tarsi maximum, oblongum, versus posteriora protensum, ut homo firmius talo insisteret, ne facilè retrorsum concideret. Posteriori parti validissima chorda, ex trium pedem extendentium musculorum tendinibus conflata adnectitur. Superius amplo, sed depresso capite ingreditur sinum tali, & paulò anterius tali eminentiam suo sinu excipit: prominentia verò exteriore cum osse cubiformi jungitur. Ab interno latere sinu lato excavatur, per quem tendines, & majora vasa ad pedis inferiora tutò descendunt. Ab interno latere tuberculis hinc indè inæquale est, ad ligamentorum, & tendinum firmiorem connexionem.

Tertium os, *Naviculare*, quod etiam *Cymbiforme*, Græcis *Scaphoides*, à Cymbæ, vel scaphæ formâ, propter recurvum ductum nominatur. Hoc posterius amplo sinu talum excipit, anterius depressis capitibus trium minorum ossium tarsi sinus subit.

Quartum os *Cuboides*, à formâ sic appellatum, itèm os *Tesseræ*, & Arabibus os *Grandinosum*, Græcis verò *Polymorphon* dictum. Hoc cæteris sequentibus, seu lateralibus majus calci præponitur, eique superficie inæquali jungitur: altero latere committitur cuneiformi ossi tertio: versus digitos ossi quarto, & quinto metatarsi insistit. Reliqua tria ab antiquis non suêre peculiaribus nominibus insignita. Omnia hæc tarsi ossa validis ligamentis sibi invicem ossibus connectuntur, ac cartilagine ad conjunctiones præmuniuntur.

Metatarsum quinque perficiunt ossa valida, & fistulosa, longitudine, & crassitie discrepantia, in medio à se invicem sejuncta, ut musculis interosseis locum præbeant. Sursum deorsumque capitibus protuberant: quorum illa, quæ crassa, & pedio proxima, suis finibus quatuor inferiora ossa tarsi recipiunt: hæc verò rotundis protuberantiis donata, à digitorum finibus excipiuntur.

Digitorum pedis ossa numerantur quatuordecim, è quibus duo pollicis ossa magnitudine præ cæteris

excellunt. Cæteri digiti tribus constant ossibus, quorum forma conuenit cum ossibus manûs, sed magnitudo minor est. Omnia hæc ossa metatarsi, & digitorum, ad faciliorem motum, circa extremitates, ubi articulantur, cartilagine obducuntur.

De Ossibus Sesamoideis.

Ossa sesamoidea, à seminis sesami aliquâ similitudine nomen desumpserunt, suntque minima quædam ossicula rotunda, & nonnihil depressa, intus fungosa.

Tendinibus musculorum digitos, cùm manus, tum pedes moventium, ad articulos inhærent, cum iisque in cadaverum coctione, & ossium purgatione, seu denudatione plerumque amittuntur, nisi prudenti investigatione conserventur. In primâ ætate cartilaginea sunt, posteà increscentibus annis ossescunt, & lævi cartilagine obducta, ossis alterius sedem lubricam contingunt.

Magnitudinem variam habent, pro ossium, quibus adhærent, diversitate. In manibus majora sunt, quàm in pedibus, excepto pollicis pede, cui ad caput metapedii ossis apponitur maximum, quod tendini musculi pollicis os primum flectentis, subjicitur, & aliud multò minus sibi adjunctum habet. Hoc verò maximum, quod internum, pisi majoris decorticati dimidiam partem formâ, & magnitudine refert, appellaturque Arabibus *Albadaran*.

De ossibus sesamoideis nonnulli Hebræi eadem illa fabulantur, ac de osse *Lus*, de quo aliquid referre non alienum ducimus: Varii Hebræi scriptores, inter ultimam lumborum vertebram, & os sacrum, effinxerunt os quoddam, cui nomen Lus imposuerunt, de quo mirabilia scribunt, multaque nugantur, quorum summam collegit *Caspar Bauhinus lib. 1. Theatr. anat. cap.* 48. cujus verba hic adscribere lubet, ut unicuique pateat quàm turpiter Rabbini suis figmentis, ac mendaciis imperitos, & credulos decipiant: *Hebræorum*, inquit, *scriptores tradunt in humano corpore post decimam octavam vertebram os quoddam esse, quod neque aquâ, neque igne, neque alio elemento corrumpi, nec ullâ vi externâ frangi, aut conteri possit: quod os Deus in extremo judicio rore cœlesti rigabit, & tunc reliqua membra ipsi rursus aggregabuntur, & in corpus coalescent, quod spiritu Dei afflatum, vivum resurget. Os hoc vocant LVS, & non LVZ, quod situm dicunt in spinâ dorsi, post decimam octavam vertebram ad os femoris. Hujus fabulæ pater est Rabbi Vschaja, qui anno Christi* 210. *vixit, circa quod tempus conscripsit librum, qui Bereschit rabba, id est, glossa magna in Pentateuchum vocatur. Hoc os inquiunt non comburi, neque corrumpi in perpetuum, quòd radix hujus ossis sit ex substantiâ cœlesti, sed humectari rore, quo Deus suscitaturus est mortuos, tanquàm fermento, quod est in massâ farinæ. Volunt etiam hoc os cæteris diutius remanere, propterea quod non percipit gustum alimentorum hominis, sicut reliqua ossa, & propterea durabilius esse reliquis, & esse fundamentum corporis, quod ex eo extractum*

tractum est. Apud eosdem legitur Adrianum Cæsarem interrogasse Rabbi Iehosuam, filium Chaninæ, undè Deus hominem in futuro sæculo erectlurus sit? tunc Iehosuam os illud in conspectum adferri curasse, quod aquæ impositum non fuit emollitum, igni non fuit adustum, molæ non fuit attritum, incudi & percussum malleo, rupta fuit incus, os autem nullum defectum sensit. Munsterus dicit Rabbinos in collo hoc os esse dixisse. At Vesalius ossiculum hoc ab Arabibus albadaran vocari; & ceteri, imagine respondere scribit, & dubitat, nùm sit ossiculum interius duorum, quæ ad primum pollicis pedis articulum spectantur, quod insigniter durum est. Verum Hieronymus Magius refert Tahlmudistas, aliosque Hebræos commentos esse, hoc juxta calvariæ basin, sive in ipsâ basi, aut nucâ vocatâ, consistere: aliis primam esse è duodecim vertebris, à qua thorax initium habeat, quæ cùm caput, collumque inclinamus, maximè emineat, & extuberet. Sed quæ ille Adriano Imperatore respondit, vera esse, nemo persuadebit. Nàm etsi ossa, Platone teste, maximè diuturna sint, nihilominus ea lapidibus, & malleis in pulverem comminui, flammis in cinerem verti quotidiè videmus. Sic solent circumcisi patres, quandò rei difficilioris veram rationem explicare nequeunt, ad fabulas confugere, quas suis pro sacra fidei articulis obtrudunt, ne aliquid ignorasse videantur.

Numerus horum ossium non semper idem reperitur: plerumque in singulis manibus, & pedibus duodecim inveniuntur, interdum pauciora, interdum plura, non tamen verosimile est eundem numerum in omnibus non adesse, sed potius credendum, propter parvitatem tàm exilia ossicula omnia in quibusvis subjectis inveniri non posse.

His etiam addenda sesamoidea in poplite latentia, de quibus hoc peculiare notandum, quod non musculorum tendinibus, ut reliqua sesamina, sed duorum priorum musculorum pedem moventium capitibus innascantur, ut dictum est.

Casparus Bauhinus sesamoideis quoque annumerat ossiculum ad articulationem ossis carpi octavi cum metacarpii osse parvum digitum sustinente: itèm ossicula duo, quæ nonnunquàm in senibus cubiformi ossi opposita reperiuntur.

De Cruralibus, & Pedis Venis.

Vena *Cruralis* in utroque crure continua, eademque est cum iliaca, ac pro loci dumtaxat, seu situs diversitate nomen mutat, quippè ab infimo crure, seu pede assurgens, usque ad inguen Cruralis nomen obtinet: ubi verò in inguine peritonæum subire minatur, Iliaca dicitur, cum tamen sit una, eademque continua vena.

Hæc cruralis est magna vena, in eamque totius cruris minores venæ, tanquàm rivuli, sanguinem à nutritione residuum exonerant, ad cavam deferendum. In femoris autem plicaturâ, quo loco nervis, & arteriis comitata transit, frequentibus appositis glandulis fulcitur.

Recipit cruralis, præter multas exiles, à vicinis, & inferioribus

ribus partibus venas insigniores sex. Prima Saphænam. Secunda Ischiam minorem. Tertia Musculam. Quarta Popliteam. Quinta Suralem. Sexta Ischiam majorem.

Saphæna, seu *Malleoli Vena*, est longissima, & insignis, arteriâ conjuge carens. Infimis radicibus pedi, pediſque digitis inhæret, quarum nonnullæ coëuntes in pollice superiore *cephalicam* vulgò dictam; hæcque ulteriùs procedens, & cum aliis in malleolo interno rursus concurrens, *Saphænam* dictam constituit, in uteri affectibus secari solitam. Quæ hinc inter cutem, & panniculum carnosum per cruris interiora ascendens, in mediâ viâ varias admittit venulas in tibiâ, femore, & genu, quarum radices cuti, musculis, aliisque vicinis partibus inhærent atque sic tandèm prope inguina cruralem ingreditur.

Ischias Minor, è coxendicis parte anteriore, ejusque loci musculis procedens, exteriore sede cruralem, ex opposito saphænæ accedit.

Musculi gemina. Exterior, quæ minor, à tibiam extendentibus musculis, secundo, & quarto, è cute emergit. Interior, quæ major, & profundior, à genu, & femoris musculis ferè omnibus, inprimis autem è quinto, & tibiam extendentium tertio procedit. Hæ duæ è directo sibi invicèm oppositæ, cruralem infra inguina ingrediuntur.

Poplitea, calci, & nonnunquàm malleolo externo radicibus inhæret. Indè sursùm conscendens, à suræ cute, musculisque transversos, & obliquos ramos dividitur, qui paulò supra poplitem non longè à se invicèm separati, interdum alter cruralem, alter saphænam ingreditur. Hujus venæ sectio veteribus familiaris fuisse videtur, eamque in renis dolore commendat Hippocrates.

Suralis magna vera est, quæ circa tibiæ flexum, & paulò suprà crurali continuâ jungitur. Conflatur autem ex duobus ramis circa poplitis regionem concurrentibus: quorum exterior à digitis, & summitate pedis (in qua cum poplitææ radicibus concurrens, constituit varium illum venarum plexum sub cute conspicuum) malleolo externo, & musculis inter fibulam latentibus: inferior verò à pollice, calce, & tibiæ externâ sede, musculisque suram constituentibus enascitur.

Ischias Major, ad cruralem in alto latentem, paulò infrà suralis ingressum accedit. Hæc à pedum musculosâ substantiâ, & digitis exoritur, sicque ascendens, malleolum externum perreptat, (quo loco in ischiadicis affectibus secari solet) ac in ulteriore itinere varios ramos à tibiâ anteriore, suræ musculis, vicinisque partibus recipit, usquedùm tandèm ad cruralem devenit, in eamque aperiatur.

Notandum, maximam esse venarum pedis varietatem, neque illas in omnibus subjectis, imò vix in ejusdem corporis utroque pede, se eodem modo habere, ac pro-

proindè earum exquisitam descriptionem vix dari posse, sicut illud ipsum etiam monemus de venis manus. Præterea, in descriptione venarum totius corporis tantum exhiberi illas, quæ manifestè conspicuæ sunt: minimas verò ramificationes minus conspicuas, & capillares radices vix visibiles exactè inveniri, & describi non posse, quod etiam de arteriis intelligi volumus. Non adeo itàque magnum habendum venarum delectum in venarum pedis sectione; cum omnes ex uno trunco propagentur.

De Arteriis Cruralibus.

Arteria Cruralis, quæ venâ crurali minor est, versus inferiora cruris descendens, alios ramos supra, alios infra poplitem emittit.

Supra poplitem ab eâ progrediuntur hi tres rami. I. Musculà *Cruralis Exterior*, à trunci cruralis exteriore parte. Hæc musculos femoris anteriores ingreditur. II. Musculà *Cruralis Interior*, & trunci parte interiore. Hæc per femoris musculos interiores distribuitur. III. *Poplitea*, quæ deorsum descendens, per musculos femoris posteriores excurrit usque ad poplitem, undè ei nomen impositum.

Infra poplitem ab eâ procedit *Suralis*, quæ paulò sub poplite latitans utrimque propaginem profundam emittit ad articulum genu, & tres musculos suram constituentes. Hinc versus tibiam descendens, dividitur in arterias *Tibiæas* appellatas. I. *Tibiæa Exterior*, quæ secundum fibulam descendens in musculos tibiæ absumitur. II. *Tibiæa Posterior elatior*, quæ usque commissionem tendinum musculorum suræ progreditur. III. *Tibiæa Posterior Humilior*, quæ per ligamentum membraneum fibulæ musculos tibiæ jungens transit, ac per pedis superiora, & musculos abducentes digitos distribuitur.

Reliquum caudicis cruralis per tibiæ posteriora inter secundum & tertium digitorum pedis musculum rectà descendit, atque inter calcem, & malleolum ad pedis humiliora progreditur, circa malleolum à latere, ad pollicis musculum, pediseque superiora ramulum emittens. Quod superest, inter tendines musculorum digitorum pedis, in duos ramulos dispescitur. Horum interior pollici duos, indici duos, & medio unum surculum tribuit. Exterior verò minimo duos, medico duos, & unum surculum medio digito largitur.

CAP. LXXI.

De Artuum Vulneribus.

ARtuum vulnera à vulneribus in parte carnosâ inflictis omninò, sunt diversa propter nervorum, membranarum, tendinum, ligamentorum, musculorum, ossium &c. quæ inibi simul compacta, & unita ad articulationem complendam, & perficiendam

concurrunt; & hæc vulnera inter se comparata alterius sunt naturæ, quam caro vulnerata, ideòque in curatione alterius energiæ requirunt medicamenta.

Signa.

Hæc vulnera facilè cognoscuntur, quia suam habent sedem in crure, genu, tibia; vel parvo pede; vel in brachio, cubito, vel manu, quæ sunt aut cum luxatione, aut sine eâ.

Causæ.

Vulnerum artuum causæ sunt variæ res externæ violenter ipsis artubus intrusæ, sive sint perforantes, & pungentes, ut gladius, stylus, hasta, acus, articulæ, spina, vitri frustum, morsus bestiarum, vel hominum iracundorum, glans è sclopeto immissa, sagitta &c. Vel scindentes, ut culter, ensis, securis, forcipes, vitra &c. Sive contundentes, ut lapsus, ictus, fustis, lapis &c. quæ artuum continuitatem solvere, & excitare possunt vulnus profundum, vel superficiale, vel transversim, vel punctim, & nervi, membranæ, tendines, ligamenta, musculi, & quandòque ossa læduntur.

Prognosis.

Articulorum vulnera omnia sunt periculosa ob succorum circulantium impedimentum, & sunt hæ partes imbecilles, exangues, excarnes, & frigidæ, quæ facilè recipiunt, & ægræ resolvunt. Habent hæc vulnera maximum ob nervos, tendines, ligamenta, musculos, & membranas, consensum cum cerebro, undè deliria, vigiliæ, *convulsio*, quæ ex *sect. 5. aph. 2. ex vulnere lethalis est*, dolores acerbissimi excitantur, & hinc inflammationes, mali moris febres, gangrænæ, & mors, vel saltim talia vulnera in ulcera cacoëthe tandèm degenerant. Periculosiora sunt in parte internâ, cum eo loci grandiora vasa, & nervi contineantur, undè hæmorrhagiæ insignes, & convulsiones non ægrè excitantur. In articulorum vulneribus, si nervi penitus abscissi sunt, qui continebantur, absque dubio claudos reddunt. Vulnera hæc periculosiora sunt, si luxatio accedat, neque enim sine vitæ periculo reponi potest ob ingentes dolores hujusmodi vulnera concomitantes. Ideòque optimo vaticinio chirurgus se munire debet, ne apud ignarum vulgum malè audiat; ubi enim accidit cum tali vulnere luxatio, distractionem nervosæ partes patiuntur circa articulos, undè sævi dolores, & fluxiones fiunt: si verò reducatur articulus, rursum ipsæ partes extenduntur, & inflammationes, tumores, & convulsiones accidere necesse est, & simul ex tot distractionibus, & extensionibus, exorto materiæ affluxu, calor suffocatur, & gangræna, ac sphacelus sequitur. Eapropter si tale vulnus offeratur, chirurgus vitæ periculum adstantibus, & febrem, & futuram convulsionem, si reductio fiat, pronunciet. Articuli

ticuli minores vulnerati, si reducantur, non necessariò mortem afferunt, sed plurimi servantur. Vulnera junctararum estò levissima sint, diuturno tempore pro curatione indigent, ob motum, qui in talibus partibus fit; vulnera enim ad curationem quiete opus habent.

Curatio.

Horum vulnerum curationem aggrediuntur vulgares, primo sanguinem mittendo, sed vulneratorum sanguis sit super ipsos, & eorum filios; deindè institutâ victus ratione, ad præcavendum humorum affluxum totum corpus diligenter evacuant aliquo pharmaco leniente, & attemperante, sive compressivo, & affluentes intercipiunt, & avertunt humores. Intereà vulneris labia adducunt, si illud sit profundius, non tamen penitus, ut humoribus, qui facilè colliguntur, exitus pateat. Si vulnus sit in crure, vel surâ, vel in aliâ parte carnosâ, illicò illud dilatant, adduntque vulneri vulnus, & sectionem faciunt circa partem infernam per rectam lineam; sic enim vitant nervorum, venarum, aliarumque partium læsiones: postmodùm sanguinem stuppatâ cohibent, quam post 24. horas auferunt, & pulvillis vulneris cavitatem digestivo imbutis complent. Et quia hæ partes vulneratæ pusillum habent calorem, eas ab externi aëris injuriis optimâ fasciatione, & medicamentis tuentur. Eapropter non solùm olea, unguenta, & emplastra calida imponunt, verùm etiam cataplasmata, & petias. Articulus vel extensus, vel contractus, vel semiflexus juxta partis exigentiam conservetur. Ad dolorem leniendum, & inflammatam partem juvandam, si adsint, utuntur *cataplasmate ex farinâ hordei, micâ panis, oleo rosaceo, lacte, & vitellis ovorum ad ignem confecto*, & illud circumsitis partibus admovent. Vulneratæ parti post digestivi usum, & optimam absterstionem, ea applicant medicamenta, quæ nativum calorem fovent, perfectam moliuntur coctionem, & dolorem simul pacant, hujus energiæ judicant *oleum abietinum, rosaceum, hypericonis &c.*

Vulnerum articulorum curatio magnâ indiget sedulitate; paucum enim habent calorem, qui apposita medicamenta non ità facilè actuare potest, ideòque omnia actu calida apponantur, & optimè tegantur, ut partis calor conservetur, sed non adeò oneretur vulnus, ut curationi integumenta sint impedimento; cavendum itàque ab aëris frigidi injuriis, & cataplasmata non vulneri, sed partibus vicinis imponenda, ne ullo modo affecta pars pondere gravetur, & oneretur. Articulus vulneratus rectè in suo situ collocetur; multum enim hoc confert, quia dolor, & humorum affluxus præcavetur, & partis actio conservatur. Si itàque anticam humeri partem vulnus obsideat, alæ diploma crassius subjiciendum, & aliquo modo involvatur, quod cubitum sustineat, & humeri ca-

put altius impellat ; aliàs enim proprio pondere deorsùm tractum humeri caput facit, ut vulnus tardius curetur. Si articulo cubiti vulnus inflictum, brachium neque extensum servandum , neque nimis inflexum , sed figurâ mediâ collocandum , quæ angulum obtusum referat. Qui situs, ut servetur, & ab ægro aut dormiente , aut non cogitante mutetur, vel deligationibus idoneis , vel etiam instrumentis ligneis adaptatis conservandus. Si carpus , vel digitorum articuli , manus semireflexa continenda , & digiti non extensi; ne cicatrice inductâ rigida manus permaneat , & contracta lædatur. Si femoris articulus sit vulneratus, supinus æger decumbat , & idoneis pulvillis , ac deligationibus caput ischii proprio loco contineatur , & dum cicatrix inducitur , mandandum ægro , ut interdùm huc atque illuc femur moveat , ne cicatrice inductâ motus læsio ob eam accidat. Genu vulneratum extensum rectâ figurâ locandum, ut claudicatio evitetur.

Parti vulneratæ ea applicanda sunt medicamenta , quæ citò , tutò , & jucundè curant , & omnia avertunt symptomata , ità sunt *oleum hypericonis , momordicæ , Apparicis , ceræ , ex vitellis , terebinthi destill. aqua resinæ , balsamus artificialis , samaritani , proprietatis , balsamus Peruvianus cum aquâ Reginæ &c.* Verum vulnerum artuum curatio ex sequentis capitis cognitione magis eluceſcet.

Cap. LXXII.

De Nervorum Vulneribus.

Sub nervorum vulneribus etiam ea , quæ sunt tendinum , & ligamentorum comprehendimus , quia ipsa in curatione parum , aut nihil differunt. Nervi non unicum vulneris genus patiuntur, sed plura ; unum est Punctura , quæ duplex est , una manifesta , altera occulta ; aliquandò enim nervus in conspectum venit ; aliquandò nequaquàm. Alterum est Sectio, qua secantur nervi aut per longum , aut per transversum. Tertium genus est , quod contusio appellatur , quæ vel est sola , vel cum punctura , aut cum sectione conjuncta. In his tribus generibus accidit quandoque ut nervus sit tectus , aliquandò verò detectus.

Signa.

Nervi vulnus cognoscitur primò ex loci vulnerati consideratione , & ex anatome , quæ quibus membris nervi inserantur , docet. Qua de caussâ etiam considerare oportet , an vulnus sit in musculorum capitibus , an verò in eorundem finibus , an supra articulos, vel in ipsis articulis. Si in musculorum capitibus sit , nervum ; si in finibus , & prope articulos , tendinem vulneratum esse , indicio est. Secundò , ex vehementi dolore , qui statim post acceptum vulnus ægrum excruciat. Habent nervi

nervi exquisitum sensum, ac propterea iis punctis statim in parte vulneratâ vehemens oritur dolor, & hinc inflammatio, succedunt deliria, præcipuè si vulneratus sit aliquis nervus magnus, & conclusiones, proprium vulneratorum nervorum signum, quoniam cerebrum in consensum trahitur. Si verò nervus totus transversim dissectus fuerit, ampliùs cum cerebro non continetur, id in consensum trahere nequit, atque ità dolor, convulsio, & delirium excitari non potest. Sic ligamenta, cùm sensu destituantur, vulnerata nec dolorem, nec convulsionem pariunt, neque per se suos effectus cerebro communicant. Tendines verò etsi minùs exquisito sensu præditi sunt, quia tamen & ipsi sensu non carent, itidem iis punctis dolores, & hinc convulsiones excitantur. Tertiò, Adest ablatio, vel læsio sensus, & motus omnium partium, quæ sunt infra vulnus, ut si vulnus sit in femoris nervo, totum crus sensum, & motum amittit, quod idem dicendum est de aliarum partium nervis, dummodò sint magni. Quartò, superveniunt febres magnis cum rigoribus, nàm vulneratis nervis, vel partibus nervosis, & non patente vulnere; indè in vulneris talium partium cognitionem venire possumus, quia febres rigorosæ invadunt, quæ aliquandò remittunt, aliquandò repetunt, sed dum adsunt, semper rigorem habent conjunctum.

Causæ.

Immediata vulnerum nervorum causa est, uti aliarum partium vulnerum, continui nempè solutio in partibus nervosis, ligamentosis, & tendinosis, à vi externâ facta. Itàque omnia instrumenta, quæ sunt acuta, dura, & rigida, quæque vim habent pungendi, perforandi, incidendi, & contundendi, sub causæ mediatæ nomine veniunt. Pungunt, perforantque acuta, & mucronata, ut acus, aciculæ, subulæ, stylus, sagittæ, jacula, pugio, clavi, dentes morsu inflicti, & quicquid pungere, perforare, & terebrare potest. Incidunt omnia instrumenta acie prædita, ut gladii, enses, secures, cultri, novaculæ, & quicquid scindere, secare, & cædere potest. Contundunt obtusa, & ponderosa, ut lapides, mallei, fustes, baculi, perticæ &c.

Prognosis.

Nervorum vulnera difficillimæ sunt curationis propter gravissima symptomata, quæ inferunt, præsertim si imbardorum chirurgorum ungulas incidant; succedunt inflammationes, dolores vehementissimi, & abscessus, adeò ut tandèm artum secare, & interdum amputare necesse sit, unde afflicti ægroti contracti, vel manci, vel claudi fiunt.

Nervorum vulnera periculosa sunt propter exquisitum sensum, quem habent, & cum cerebro

consensum ; verum nervorum punctura periculosior est , quàm sectio, præsertim si in corpus impurum , & malè dispositum incidat. Tendinum vulnera minus periculosa sunt , quàm nervorum. Convulsio , quæ in vulnus incidit lethalis est , 5. *aph.* 2. Lethalis inquit Hip. partium nervosarum vulnera intelligens, non quod ex necessitate semper mortem afferant , sed pro lethali periculosum intelligit, quod crebrò admodum mortem infert. Si nervus secundum longitudinem sit vulneratus , convulsionis metus tantus non est : si verò transversim, non verò discissus, omnia quidèm ea symptomata , dolores scilicèt , inflammationes , convulsionem , deliria afferre potest, quæ nervi punctura : quia à fibris dissectis, iis , quæ non dissectæ sunt , noxa communicatur , indè dolores , fluxiones , inflammationes , & alia mala ; malumque tandèm ipsi cerebro impertitur, undè motus convulsivi , deliria &c. Si nervus totus sit dissectus, equidèm tantum periculum non affert , nec convulsionis ullus metus : aliud tamen malum incurabile subsequitur , nimirum partis, in quam nervus inseritur , torpor, & debilitas in sensu , & motu , cum spiritus animalis per nervum amplius integrè ad eam partem ferri non possit. Si tendo aliquis vulneratus sit , sed non totus dissectus , motûs debilitatem in parte , quam movet , parit : Si verò totus sit discissus , partis illius motus planè aboletur , & tollitur. Nervi vulnerati putredinem facilè concipiunt ob debilem calorem, & facilè ab humidis læduntur, undè aqua , & oleum nervis inimica sunt. Ista putredo , & corruptio, quæ in parte vulneratâ continetur, partibus vicinis , imò remotioribus communicatur. Undè vulneratâ manu , aut digito , in brachio, sub axillis , & humero ; vulnerato crure , tibia , vel pede , in femore , & inguine, non solum dolores , sed abscessus fieri solent , neque saltim uni lateri , sed & oppositò malum communicatur. Imo in toto corpore humores degenerant , & corrumpuntur , undè febres mali moris , laterum dolores , dysenteriæ , & in parte vulneratâ gangræna excitari solent. Notandum , quòd non semper inflammationis, aut putredinis adsunt indicia ; imò nec dolores vehementes adsunt , sed sæpè latenter , & subitò convulsio invadit: Materia enim vitiosa , subtilis , & prava latenter per nervos ad cerebrum defertur , ut in epilepsiâ, id fieri videmus, à partibus extremis aurâ venenatâ sine insigni dolore in partibus , per quas transit, ascendente. Nervorum vulnera sæpissimè comitem habent synoviæ fluxum , qui vulnerum consolidationem impedit, & periculosam partis atrophiam , & interdum totius corporis tabem post se trahit. Sæpè tamen nulli tumores in ejusmodi vulneribus apparent, si nimirum chirurgus omnes fluxionis causas adimat , aut natura ipsa humoris impetum sedet. Est omninò benè sperandum , si usque ad septimum nihil mali superveniat;

niat; signum est enim naturam humorum motum, & exagitationem sedasse.

Cum de nervorum vulneribus loquimur, omne nervosum genus intelligimus, & est triplex, unum est illorum, qui à cerebro, & spinali medullà oriuntur, & hoc genus est illud, quod vulneratum, gravissima efficit symptomata, ut deliria, convulsiones, & cœtera suprà recensita, & tandèm mortem, si videlicèt nervus sit magnus. Nervos quoque vocamus musculorum chordas, quæ à musculis oriuntur, quia partim constant nervis, partim ligamento, (& hinc est, quod non ità propriè nervi dicuntur) & hoc est secundum nervorum genus, quod cum vulneratur, non efficit gravissima symptomata, ut primum genus, reddit tamen articulos torpidos, excitat inflammationes, convulsiones, & mortem inducere potest, sed non ità facilè, nec tàm citò hæc operatur, ut primum illud genus efficere solet. Tertium genus est, quo articuli inter se junguntur, & ligamentum vocatur, ab osse oritur, & in os desinit; sed non est verè nervus, verum ligamentum, quod cum sensu destituatur, vulneratum nec dolorem, nec convulsionem parit, neque per se suos effectus cerebro impertitur.

Curatio.

Antequàm ad vulnerum nervorum curationem deveniamus, de sex rebus non-naturalibus agamus oportet, & inprimis aër, in quo æger degere debet, sit calidior; *frigidum* enim *nervis inimicum: calidum verò utile ex sect. 5. aph. 18.* & ex eâdem *sectione aph. 17. frigidum autem convulsiones, tetanos, livores, rigores febriles.* Ea propter nervorum vulnera non nimis sæpe, & sine causâ detegenda, & cùm deteguntur, candela accensa, vel vas carbonibus ignitis plenum in propinquo esse debet, & ipsa nova deligatio festinanda, & citò peragenda. Itèm ipsa medicamenta debent esse calida; quotidiana nàmque experientia docuit medicamenta frigida nil nisi noxam attulisse. Cibus sit coctu facilis, & frugalis, in quem finem conducit ptisanæ cremor, ova sorbilia, caponum, gallinarum, & pullorum caro, parcâ manu sumpta; carnes assæ potius sint, quàm elixæ. Vitentur cibi salsi, acidi, & acres. A vino abstineat æger; vinum nàmque affectis nocet nervis, pro potu utatur potione vulnerariâ ex nervinis, ut sunt radices pœoniæ, caryophyllatæ, enulæ, salviæ, roris marini &c. Motus vitandus, & pars affecta leniter, & molliter collocanda, & in quiete detinenda, ut dolor, & humorum affluxus præcaveatur, & ejus actio conservetur. Imò risum in partium nervosarum vulneribus multum periculi, & damni afferre posse multæ testantur historiæ. Somnus, & vigilia sint moderati; si enim uterque modum excesserit, malum. Alvus nec sit nimis stricta, nec nimis laxa, oblita tamen sui muneris clysteribus moneantur.

tur. Alma venus cane, & angue pejus fugienda, est nàmque nocentissima nervis, cujus voluptas mortem affert, ut illius Juvenis historia apud *Guilhel. Fabricium cent. 1. obser. 12.* docet, qui jam propemodum sanatus hanc ob causam obiit. Animus ad hilaritatem componatur, perturbationes fugiantur; primas ira, secundas terror, metus, & mœror occupat sedes.

In nervorum vulneratorum curatione ad sanguinis fluxum, & inflammationem in parte affecta inhibendum, statim in principio venam in opposito loco secant vulgares sanguinarii, injecto prius clystere. Sed nervi sunt partes exangues, & hoc non obstante sanguinem mittunt: Considerate, si essent partes sanguineæ, quid facerent, si in arido hoc, quid fiet in viridi? Sunt articuli partes frigidæ, & sanguinis missione magis refrigerantur, præcipuè cum pauco innato calore sint præditi, & frigidum sit nervis hostile. Sectâ venâ pro acrium humorum avertione, medicamento purgante utuntur stercorarii medici. Verum hæc medicamenta apud vulgares de communi morborum omnium sunt, quæ estò acrium humorum colluviem in primis viis stagnantem exturbent, si tamen aliqua horum portio in articulos affluxit, non potest pharmaco à partibus illis tàm dissitis eliminari. Præterea à medicamento purgante in corpore magnus concitatur humorum tumultus, & in partem vulneratam ob debilitatem fieri potest affluxus, qui non facilè resolvitur.

Si dolor nervos vulneratum valdè torqueat, & in varia adigat symptomata, ad dolorem lenientia recurrunt vulgares, & Galeni præcepto maximoperè commendant oleum copiosum, & valdè calidum, in quo æger partem immergere debet. Cæterum in nervorum vulneribus oleum est malignantis naturæ, ac putredinem in nervis inducens, quia calidum, & humidum est: substantia verò nervosa est sicca, & siccandi prædita qualitate medicamenta requirit, ut pars in suâ temperie conservetur. Præterea nervus in profundo loco situs est, quò oleum ob suam crassitiem penetrare non potest, quia poros suâ unctuositate obstruit. Insuper nervus est exquisitissimi sensûs, & oleum ob latentem aciditatem est mordax, & dolorem adauget. Commendant itaque *oleum sambucinum, vel lumbricorum, hypericonis, vel liliorum alborum.* Quod si dolor his non sedetur, ad ejus lenimen proficuum dijudicant sequens cataplasma imponendum, paratum *ex farinâ hordei, fabarum, ervi, lupinorum, betonicâ, flor. chamæmeli, & oleo benè maturo.* Si inflammatio immineat, repellentibus utuntur, sed hæc sunt frigida, & humida, nervis inimica. Quòd si nervi inflammari, & putrescere incipiunt, tunc cataplasmata cum *eximelite, vel lixivio* parant, & eam ferè curationem instituunt, quæ gangrænæ incipienti convenit.

Medicamenta, quæ nervorum vulneri-

vulneribus utilia experiuntur vulgares, sunt *oleum antiquum, lumbricorum, rutaceum, liliorum alborum, costinum, de castoreo &c.* Commendant magnoperè *ex Galeni præcepto euphorbii emplastrum*, quod cum triplo ceræ, si recens sit, commiscent, ut

℞. *Euphorbii* ʒ. j.
Ceræ ʒ. iij.
Olei ʒ. x. *m.*

Veterascens verò copiosius admiscent. Sed euphorbium causticæ, sive exurentis facultatis est, ideòque ob violentissimam acrimoniam exulcerat, ardorem, & inflammationem infert, & estò ejus acrimonia à ceræ admistione aliquantulùm obtundatur, non per hoc tollitur, & nervi, qui exquisitissimo præditi sunt sensu non corripientur dolore. Idem *Gal. 3. de compos. med. sec. gen. cap. 2.* alia in nervorum vulneribus usurpanda proponit medicamenta, *ut sulphur vivum, calcem vivam lotam, arsenicum, sandaracham, pompholyga, squamman aris, calcitidem ustam*, & id genus alia barbarica medicamenta, quæ nervis infensissima, vel corrosiva sunt, nec his nunc Veterenarii pro asinis, & mulis utuntur. Recentiores tutiora medicamenta, tàm arte spagyricâ parata, quàm è dissitis regionibus advecta, imò in nostris obvia, & quæ citra dolorem, quem facilè rancidæ medicinæ illa inducunt, suumperagunt munus, quæque seu nervus denudatus, seu tectus sit, tutò adhibentur, invenerunt. Ea, quæ à Galeno, & antiquis proposita sunt, urentem acrimoniam habent, stupiditatem, dolorem, inflammationem, febres, convulsiones, deliria, & ipsam mortem inducunt: Cæterum recentiora medicamina vim habent balsamicam, tenuium sunt partium, penetrant, dolorem pacant, exsiccant, discutiunt, putredini reluctantur, naturalem fovent calorem, partem affectam in suâ crasi conservant, fluxiones inhibent, cæteraque avertunt symptomata, roborant, ac propterea in nervorum, & tendinum vulneribus utilissimè adhibentur.

Pro nostrâ vulnerum nervorum curatione id, quod primò indicatur, omnibus vulneribus commune est, scilicèt solutum esse combinandum, id in nervorum punctura, sive sectione, sive contusione locum habet. Quia tamen nervus exquisitissimo gaudet sensu, major in ejus continui solutione accidit dolor, quàm in reliquis partibus, & hinc inflammatio, & cætera eveniunt symptomata, undè fit, ut id, quod primum est in intentione, sit in executione novissimum. Eapropter, ut hæc avertantur symptomata, dolor præcavendus est, & inflammatio arceatur; impossibile enim est, imò pernicioſissimum, vigentibus symptomatibus, quæ totam curationem ad se trahunt, soluti unitatem moliri: medicamenta itàque quæ partibus conveniunt carnosis, & citò vulnus claudunt, hic non conducere dicimus. Potissima in nervorum vulneribus causa doloris est succus nerveus alteratus, degeneratus, vel conclusus, qui vel diù

retentus, gravam assequitur qualitatem, nervos vellicat, pungit, contrahit, convellit, & tandèm putrefacit, undè tot prava emergunt symptomata. Nervis utcumque vulneratis, medicamenta unctuosa, nimis mucilaginosa, & expressa olea, aut pinguia sunt admodum noxia, quia volatiliora paulò penetrantiora, & quæ vulgò dicuntur calidiora potius usurpanda sunt. Accomodatissima sunt medicamenta calidiora, vel quæ ad calidum vergunt, & tenuium sunt partium, quia debilem nervorum calorem roborant, excrementa generari non sinunt, generata absumunt, & resolvunt; adstrictoriâ tamen destituantur facultate, ne vulneris orificium conglutinent. Si vulneris orificium sit nimis angustum, & hac de causâ excrementa non evacuentur, ac dolor intendatur, amplius reddendum, ut vulnus pateat: cutis latius duabus ad rectos angulos sectionibus incidatur, non tamen nervus tangatur, & apertum servetur turundis, quæ cutem dilatent, nervum tamen non tangant, ut per id excrementis, quæ in vulnere generantur, liber pateat exitus.

Pro nervi itàque quomodocumque vulnerati curatione, & symptomatum inhibitione, primò totum membrum ad nervorum principium usque ad membrum ad nervorum principium usque ad membrum derivatorum inungendum est *oleo lumbricorum vigorato cum oleo destillato lavendulæ:* nàm & hoc internè partium nervosarum læsarum convulsiones curat, aut inungatur *oleo salviæ, aut succini,* aut similibus. Similiter & quod optimum est, inungatur membrum sequenti unguento, ut

℞. *Ol. lumbricor.*
Vulpin.
Axung. human. ana ℥. j.
Succ. lumbric. ℥. ß. *m. probè.*

& illine. Vel totum membrum à parte affectâ ad nervorum principium usque inungatur *unguento nervino, vel Galbaneto Paracelsi.*

Nervo deindè vulnerato, partibus nervosis, & tendinosis volatiliora, & penetrantiora conveniunt medicamenta, qua ratione *balsamus Peruvianus liquidus, oleum terebinthinæ destillatum, oleum cera, ex vitellis ovorum, oleum destillatum lavendulæ, oleum philosophorum, oleum lauri destillatum, balsamus hyperici, spiritus vini, aqua Reginæ Hung. gummi elemi, tacamahac, & caranna* inprimis conducunt. Vel elegans est sequens mistura:

℞. *Ung. dialth.* ℥. iv.
Ol. lavend. destill. ℥ j. ß.
Succini destill. ℥. ß. *m.*

Quæ mista convenienter vulneri applicentur. Omnibus medicaminibus palmam præripiunt lumbricalia, quæ optima nervorum læsorum sunt solamina, qua ratione *Oleum hyperici lumbricatum* præstans est remedium, ut

℞. *Summit. hyperic. florent. m.* ij.
Ol. comm. lib. vj.

Hoc probe invicem digere, & postèa adde

Terebinthinæ lib. j.
Lumbric. pulverisator. ℥. iij.
Croci parum m.

pro

pro oleo nervis vulneratis aut punctim, aut cæsim convenientissimo. *Pulvis paratus ex serpentum exuviis*, quas sponte deponunt, & *ocul. cancror.* invicem mistis, nervis incisis, & per transversum sectis insperſus mirè convenit pro eorundem unione.

Diximus nervorum puncturas periculosiores esse, quam sectionem propter doloris, & convulsionis metum: in tali casu, in nervo punctim læso, quod etiam in ineptâ venæ sectione locum habet, quandò tendo pertunditur, nihil melius est, quàm immittere, instillare, aut illinire *oleum destillatum terebinthinæ*, vel loco ejus etiam *oleum ceræ* vulneribus adhiberi potest. Vel

℞. *Ol. destill. terebinth.* ʒ. j.
Spiritûs vini ʒ. j.
Camphoræ ʒ. ß. *m.*

Instilla vulneri, aut ulcusculo, in quo nervus punctim læsus fuit: est *Paracelsi* experimentum. Cerumen aurium est *Helmontii* specificum contra nervorum puncturas, his, addi potest *balsamus Peruvianus*, *oleum destillatum lavendulæ*, *lauri*, *philosophorum*. *Galenus* pro specifico *euphorbium* usurpavit, quod & hoc tempore apud vulgares adhuc ad nervos punctim læsos ex ineptâ venæ sectione est optimum, si scilicèt fiat unguentum, ut

℞. *Euphorbii* ʒ. j.
Resinæ terebinthi ʒ. ß.
Ceræ parum,

Quæ mista extendantur, & calidè applicentur, ubi nervus per venæ sectionem fuerit læsus. Ad nervos penitus incisos denuò consolidandos laudatur sequens.

℞. *Lumbr. terrestr. q. s.*
Exsicca blandè, & pulverisa, vel pulverisatos lumbricos latos contritos misce cum terebinthinâ, quo xx. horas supra vulnus impositio, illud sanatur, vel sine terebinthinâ pulvis inspergatur venis, vel tendinibus dissectis.

Eadem est nervorum, ac tendinum ratio; puncti enim, aut non ex toto dissecti dolorem acerbum, & convulsivum minantur: per transversum verò dissecti motum, sicuti nervi sensum, & motum simul perire faciunt. Sed ne hoc eveniat, tendines dissecti per futuram conjungendi sunt, nec tendinum punctura convulsionem minatur, estò acu pungantur. Dissecti tendines transversim, sedatâ hæmorrhagiâ, per acum admodùm latam, sed admodùm subtilem intra fibras, ex quibus constant tendines, intrusam denuò per subsequens filum consuendi sunt, & hinc balsamo vulnerario efficaci vulnus, & futura illinenda est: sic enim postmodùm brevi consolidantur iterum tendines, & uniuntur citra hoc, ut partis motum deperdat æger. Unum tamen supereſt incommodum, ut toties, quoties tempestatum mutationes ingruunt, æger in antiqui vulneris loco, ubi nempè denuò conjuncti sunt tendines, dolorem percipiat quodammodò podagræ similem. Hujus futuræ tendinum per filum meminit *Vestingius* in suis epistolis, & *Bartholinus* in observationibus.

In prognosi de synoviâ, fluxu scilicèt aquæ articularis ex articu-

lorum, & nervorum vulneribus emanantis mentionem fecimus, hunc ipsum periculosum esse symptoma diximus; impedit namque vulnerum consolidationem, partis atrophiam, postmodum totius corporis tabem, & tandem mortem inducit. Statim itaque sistendus est hic fluxus, ne ægrum in atrophiam, vel irreparabilem adigat tabem. Synoviam compescit sequens pulvis, ut

R. Testar. ostrear. ℥. j.
Cranii adusti,
Oss. sepiæ,
Mandibul. lucii piscis calcinatar.
ana ℥. ij.
Spodii,
Terræ sigillat. ana ℥. jß.

Quæ mista insperguntur: sic namque citò evanescit synovia. Singulare experimentum est, si *stercus porcinum cum sanguine vulneris* invicem mistum coquatur, & ità vulneri externè applicetur cataplasmatis instar: hoc enim synoviam coërcet. Quin & *Linteum sanguine primo menstruo virginis intinctum*, hoc humidum, sive siccum applicatum certissimum habetur ad synoviam compescendam remedium. Polychrestum est, *si destilletur aqua ex cancris fluviatilibus contusis*: Hæc enim cum linteis duplicatis imposita, non tantum synoviam sistit, sed præterea omnes inflammationes, erysipelata, & partium vulneratum dolores.

Cap. LXXIII.

De Pertinaciâ Vulnerum in sanatione.

Adeò quandòque aliqua vulnera obstinatè sanationi reluctantur, ut quæcumque optima, & exquisita remedia, citè adhibita respuant, & qualicumque solertia adhibeatur, non cicatrisantur, vel si cicatrice obducantur, ad tempus durat, brevi tamen recrudescunt, & fatiscunt. In tantâ itaque ægri, & chirurgi confusione causam venemur oportet, quam profectò occultam, & à totâ substantiâ nuncupârent vulgares: Causa est interna alicujus meatûs obstructio, ut evenit, si menstruæ excretiones in fœminâ obstruantur, eaque interim alicubi vulneretur, tum enim ejusmodi vulnus, constanter cicatrisationi semper obnititur, nisi suppressi proritentur menses, & debito ordine fluant. Nec sperare possumus, internis exhibitis medicamentis tum obtineri posse, ut mensium obstructio referetur, & ipsum vulnus unà curetur, cum potius tunc vulnus ab his, quæ aliàs menses exturbant, introreceptis, recrudesceret, & pejoraret; virtus enim eorum expulsiva potius ad vulnus, quàm ad uterum ferretur, & majorem affluxum derivaret, & illud insanabilius redderetur. In hoc itaque casu tantum externis medicamentis menstruæ purgationes sunt sollicitandæ, in quorum usum sequen-

tem

tem pilulam utero intrudendam proficuam experti sumus, ut

℞. *Theriacæ Androm.* ʒ. j.
Pulv. sabinæ ∂. j. *m.*

Itèm commendamus *suffitum ex sabinâ, & colocynthide.* Non possumus non extollere *pessarium ex radice hellebori nigri* utero inditum, sed non debet diu retineri, ne exulceratio, & febris oboriatur. Vel tandèm confugimus ad tale suffumigium, ut

℞. *Scoriæ reguli antimonii,*
Coque in lixivio cinerum fagi, ut extrahatur rubedo. Hujus partibus quatuor admisce vini malvatici partem unam. Hujus misturæ cochleare unum, atque alterum, vel plura funde super sili es, vel recrementa ferri candentia, & patiens excipiat fumum ad lochia. Id quod tamen justo tempore, ut cætera, faciendum fuerit, & menses prosiliunt prospero cum successu.

Eodem fermè modo siquis anteà hæmorrhoidum fluxum passus fuerit, & is postmodùm subsistat, talis autem intercà vulnus accipiat, illud est difficillimæ sanationis: oportet igitur hæmorrhoidum fluxum externis medicaminibus concitare, non verò internis, aliàs sanguis concitatus ad vulnus confluerer.

Siquis Lue Venereâ conspurcatus sit, & vulneretur, tunc infectio vulneri communicatur, & pertinacis redditur curationis, & aliam jàm curandi rationem exquirit; vulnus enim fit corrosivum, & serpendo depascitur, sin autem quis ejus malignitatem cujusdam unguenti applicatione, cui mistus sit præcipitatus, vel mercurius dulcis debellare speraret, eam potiùs multiplicabit, & lues illa latens in actum deducetur, & ægrum in magnum vitæ discrimen præcipitabit. In tali ergò casu unguentum nostrum magistrale, vel mundificativum compositum vulneri non est applicandum, quoniam mercurius illud ingreditur, sed ejus loco subire debet tale unguentum ità paratum, ut

℞. *Croci Martis* ʒ.
Erug. subtiliss. vitæ ʒ. ij.
Aloës hepaticæ ʒ. j.
Olibani,
Myrrhæ ana ʒ. j.
Ol. oliv. lib. ß.
Terebinthinæ,
Ceræ ana ʒ. jß.
Vernicis ʒ. ß.

Liquefiant vernix, cera, & terebinthina simul, ac reliqua subtiliter pulverisata sensim subagitando admisce, continuando subagitationem, donec mistura refrigescat, & hoc unguentum tali vulneri suspecto imponatur, contegendo illud *emplastro sticlico.*

Rebellia quoque & curatu difficilia sunt vulnera in nervosis, & ossei partibus ob ea, quæ vulnera comitantur, eisque supervenium symptomata, & nisi ab accurato chirurgo præcaveantur, cicatricis productionem impediunt. Artis enim est vulnus sic claudere, posse, ne sarcomata, fungi contabescentiæ, insanabilitates, vel rupturæ subsequantur, nec ars simplici curatione, sed præcautione, ac vaticinio absolvitur, verùm etiam in medicamentorum administratione quædam observanda

vanda sunt præcepta, quæ tradidimus, ut nil indè horum malorum metuendum sit.

Obstinata quoque & curatu difficilia sunt vulnera in varicibus, vel juxta eorum radices inflicta; si itàque quispiam in locis varicosis, vel juxta vulneratus sit, eorum radices lotione quadam eluere, pòst pulvillos in eâ madefactos imponere, & sic vulnus ligare convenit. Fit lotio ex aquâ, quæ paratur ex sale armoniaco aliquoties per tartarum sublimato, ac super marmore in aquam solato, ut

℞. *Tartari crudi pulverisati* ℥. ij.
Salis armoniaci pulv. ℥. j. *m.*
Et in vase sublimatorio sal sublimabis, quod iterùm cum eodem tartaro commiscebis, & hoc quater repete, & tunc sal sublimatum in loco humido repones; ibi enim in aquam solvetur. Nec est, quod salis armoniaci acrimoniam hìc verearis, nàmque sic in aquam solutus omnem deponit acrimoniam, & fit singulare hujus mali remedium, quo si utaris, optimo successu vulnus claudes.

Vulnus jàm clausum, & cicatrice obductum ex aliquâ contractâ malitiâ, iterùm quandoque aperiri, & in carcinoma, & fistulam degenerare solet, quod attentè chirurgus animadvertere debet; nàm si immediatè post apertionem opportuno remedio non utatur, facile erit, ut de die in diem præceps vulnus in pejus ruat, & tarda deindè experiantur auxilia. Itàque antequàm radices agant extirpentur: Vulnus primò *viridi oleo vitrioli* abluatur, deindè sedulò ligetur, hoc oleum mali originem per pus expurgat, ac omne carcinomatum, phagedænarum, ac herpetum genus funditùs eradicat: verum mali minera difficilius primò cognoscitur, tractu tamen temporis non diutius periti medici indicium effugere potest.

Aliud symptomatis genus vulneribus curatis, quod etiam luxationibus, & curatis fracturis evenire solet, nempè defluxiones typicæ (id est, quæ tempestatum, ac motus Lunæ ratione periodicè infestant) quæ nisi deriventur, membri vulnerati atrophiam, paralysin, forsan etiam arthritin efficiunt. Sed quia hæc mala superventura, manifestis signis in curatione deprehenduntur, (nàm ferè pro motu Lunæ crescunt, ac decrescunt) ea facilè declinabimus factâ evacuatione per *pilulas arthriticas*, habito personæ quoque respectu, tum *oleo laterino* in vulnus infuso, si scilicèt dolores succrescant.

Cap. LXXIV.

De Membrorum vulneratorum contabescentiâ.

NOn infrequens est in membris vulneratis contabescentia, potissimum tamen in brachiis, manibus, cruribus, & pedibus. Vocatur etiam atidura, consumptio, atrophia, marcor, macies, quæ non multum, sed penes gradus tantum inter se differunt, denotantque harum partium summam extenuationem, extremam maciem, & omnem substantiæ deperditio-

ditionem, quæ contingit, quandò pars vulnerata non alitur, & de ſubſtantiâ ſemper aliquid abſumitur, & nihil ex alimentis in ejus locum ſuſtituitur, vel apponitur.

Signa.

Color partis fuſcior, & obſcurior reliquis partibus integris apparet, & ſenſim debitâ ſuâ fruſtatur nutritione, imminuitur, emaciatur; demum omnis ſucculentia, & carnoſa ſubſtantia ità abſumitur, ut nihil præter cutem, & oſſa remaneat.

Cauſſa.

Contabeſcentia varias habet cauſas, quantum verò ad rem chirurgicam pertinet, in harum partium vulneribus ſequi ſolet, ubi articuli, nervi, vel muſculi, vel ligamenta ſauciati ſunt, vel contuſione, alliſione, luxatione, vel compreſſione læſi ſunt, tunc meatus, & extremitates fibroſæ canalium in cincinnos abeunt, vel pivelluntur, diſtorquentur, vel comprimuntur, aut deſtruuntur; eapropter denegatur alimento tranſitus, & partes neceſſariò alimentari deſtitutæ madore imminuuntur, corrugantur, exſiccantur, & tandèm contabeſcunt.

Itèm membrorum vulneratorum contabeſcentia evenire poteſt à nimio ſynoviæ per vulnus effluxu, undè omnium peſſima contabeſcentia ſequi ſolet, quæ nimirum ariduram comitem habet, quoniam ſynovia eſt vireſcens membrorum ſuccus, quem ſi ammittant, æquè areſcũt, ac arbores, vel rami, quibus omnes libri deglubuntur, vel nimium dureſcunt, & nulla amplius ſucci aſcenſio inter arborem, & libros fieri poteſt.

Similiter ſi membrum aliquod nimis profundè vulneratur, pari modo contabeſcit, quoniam inſignis ſpirituum portio è vulnere diſſipatur, undè membrum illud langueſcit, & flacceſcit, cujus rei exemplum habemus in veſicis bubulis, & aliis turgidè inflatis, & conſtrictis, ut aër in ipſis concluſus exitum non habeat; quamdiù enim aër in ipſis arctè continetur, rigidæ turgent, ſin autem leviter perforentur, aër expanſivus per foramen exhalat, & veſica flacceſcit. Ità etiam ſe res habet cum membro aliquo integro, & intrinſecè non obſtructo, quòd nimirum pariter propriis ſpiritibus, & nutrimento turgeat, profundè verò vulneratum, & pertuſum flacceat, niſi prudens medicus tale accidens avertere norit.

Prognoſis.

Contabeſcentia ex nervorum, & fibrarum læſione ſuborta plerùmque ſuum vitium reliquo corpori non communicat, nec lethalis eſt, ſed in principio convenientibus remediis reſtituti poteſt: imò eidem ſoli parti ad mortem uſque infixa inhæret, reliquis corporis partibus ſemper ſalvis. Si verò ex nimio ſynoviæ affluxu ortum habeat, toti corpori impertitur, & mortem infert. Affectus

ctus hic chronicus est, paralysin sequitur, & motum, ac sensum pars tabida amittit.

Curatio.

Vulneratorum membrorum contabescentiæ curatio primo optimo diætæ regimine, deinde internorum, & postmodum externorum medicaminum applicatione perficitur. Diætetica ratio per sex res non-naturales dictas instituitur, & aër primas obtinet, qui debet esse non frigidus, neque calidus, sed temperatus; frigidus enim sanguinem, reliquosque succos circulantes inspissat, coagulat, & ad motum reddit ineptos; calidus majorem promovet transpirationem, & subtilissimæ sanguinis, succorumque particulæ avolant, partibus crassis, spissis, & lutosis remanentibus, reliquosque nostri corporis succos exsiccat; humidum respuimus aëtem, quia secum penetrans vehit frigus, quod catarrhos, & lymphaticorum vasorum obstructiones producit, & in corpore lympham adauget, per quam sanguis fit aquosior, & in sua circulatione impeditur, & suo motu frustratur. Aër igitur temperatus eligatur, qui si naturâ haberi nequit, arte corrigatur salibus volatilibus, vel suffumigiis aromaticis, ac resinosis, ut *ex succino, baccis juniperi, gummi animæ, mastiche, olibano &c.* Cibi sint coctu faciles, & optimi succi, ut membris tabidis, & languenti corpori vires, & pabulum elargiatur. Generalis regula sit, quod omne, quod circulantem sanguinem, ac succos in suo motu impedit, crassum, pigrum, lutosum, & acrem reddit, simulque coagulat, summè noxium existat, hinc tria hæc fugienda sunt. Acidum nempè, Salsum, & Dulce. Hæc enim viscosa, utut salsedinem, & aciditatem massæ sanguineæ, aliisque succis optimè inviscare valeant, declinentur, quia exilia infarciunt vasa, glutinant, & succis transitum negant, & corporis partes ubi obstructio facta est, contabescunt. Illi cibi eligendi sunt, qui multum salis volatilis in se continent, ita sunt carnes leporinæ, cervinæ, vitulinæ, bovinæ &c. optima sunt ova recentia, & lac, quæ tabidis maximi sunt usus. Inter fructus concedi possunt nuces juglandes, avellanæ, amygdalæ dulces, pistachiæ, pineæ &c. Potus quoque tabidos reficit, & eorum succos reddit fluidos, unde commendamus *potum Theæ cum lacte, vel calidam Capheæ, vel etiam chocolatis:* in consuetis vinum concedi potest alkalicis herbis imprægnatum, quia spiritus animales ad fores clausas aperiendas incitat, ubi spiritus languent. Si vinum non bibat æger, utatur decocto hordei cum passulis, & santalo citrino. Somno largiori indulgeat æger magis quam vigiliæ. Motus sit moderatus, & non laboriosus, sed quantum satis ad tabificas nervorum obstructiones reserandas. Alvus seruetur nec nimis adstricta, nec nimis laxa. Venus, quia altus enervat, veluti pestis fugienda est. Animi pathemata, ut maior, ter-

ror,

ror, ira, metus &c. hîc maximè nocent.

Vulgares, quia membrorum vulneratorum contabescentiam ab obstructione pituitosâ oriri putant, materiam hanc præparant, deindè variis exhibitis phlegmagogis eam evacuant, quia sublatâ obstructione, contabescentia tollitur: Sed purgantia quæcumque cane pejus fugienda sunt, quia malum potiùs pejorant, quàm meliorant, dum succum nutrimentitium, alioſque ad nutritionem necessarios eliminant, & tabidis si alvi fluxus superveniat, malum. Sic etiam venæ sectionem tanquàm maledictam repudiamus, quoniam hæmoptici in contabescentiam facilè incidunt.

In contabescente membro ad vitam restaurandam commendant deligationes strictiores, ut sanguis attrahatur, & adigatur; itèm dropaces, sinapismos, moderatamque aquæ temperatæ perfusionem, & idoneas frictiones, quasi sanguinem, & nutrimentum in partem affectam manu ducentes. Femur superius alligant ab inguine ad genu, deductâ fasciâ, atque initio quidèm arctiorem paulatim relaxant, ut à communibus venis, quasi trivis, deorsùm sanguis exprimatur. Femore dextro contabescente, vel toto crure, sinistro femori fascias injiciunt, à genu ductis orbibus, adstrictiùs quidèm, qui cùm desinant in inguine, hîc autem etiam constringunt, ut aliqua sanguinis pars in gracile membrum derivetur. Eâ autem ratione deligationem temperant, ut neque dolorem creet, neque universum alimentum à parte incolumi reprimatur. Eandem rationem servant in superioribus membris.

Præterea membra tabida fovent decocto *ex origano, sampsuco, malvâ, althæâ, betonicâ, floribus liliorum alborum, salviæ, roris marini.* Alii pluribus extollunt encomiis *salicis decoctum*, vel membrum contabescens calidè balneant *decoctionis jure capitis, & pedum vervicis*, quàm tolerari possit, donec calefactio quædam per totum membrum sentiatur; tunc immediatè sequentî unguento moderatè calido inungunt, ut

℞. *Axungiæ humanæ* ℥iß.
porcelli in lactatione castrati ℥.iv.
ardeæ ℥.iij.

Colliquescant invicèm, & hoc unguento inungunt manibus calefactis membrum tabidum prope ignem, semper deorsùm fricando manibus calentibus, ità ut dùm unâ fricatur, altera interim rursùs calefiat, donec membrum totaliter sit percalefactum, tunc saltem *ceratum ex solâ cerâ, & axungiâ porcinâ confectum* superimponunt, & ægrum, ac membrum affectum semper in calido detinent. Externis remediis interna associant, & præcipuè decocta sudorifera propinant, si contabescentia obstinatè repugnet: Sed hæc partibus consumptis hostilia sunt, & potiùs extenuando, quàm obstructiones tollendo, & impinguando procedunt. Autumni tempore vinaceis effervescentibus membra tabida per unam, aut alteram horam sepeliunt, & id toto vindemiarum tempore peragunt, sed operâ perdûnt.

Nos membrorum vulneratorum contabescentiam curamus, eò curationem dirigendo, ut spirituum animalium influxus promoveatur, obstructionem tollendo, & hinc simul sanguis, ac reliqui nutrientes succi ad partem, quibus reparetur sufficiens nutritio, pellantur: id remediis externis, & internis assequimur, quibus mediantibus tabificam diminutionem reparamus: undè canales à debitâ succorum copiâ compressi sufficienter dilatentur, & amplientur, vel distorti in convenientem situm disponantur; destructi verò irreparabiles sunt, nisi emollitis fibris ex vicinis tubulis, & canalibus liquores majori ubertate affluant, & sufficientibus succis irrorentur. Eapropter si compressi sint, balsama volatilia oleosa unicè prosunt, quatenùs animalium spirituum influxui, sanguini, cæterisque succis nutrientibus viam dilatant, & aperiunt, ut *sunt spiritus melissæ, flor. tunicarum, lilior. convallium, lavendulæ, rosar. flor. tiliæ, salviæ, anthos, aqua Reginæ Hung. &c.* Itèm ea compressionem sustollunt, & materiam comprimentem incidunt, & subtiliant, quæ per urinæ vias exturbant, & maximoperè commendantur *spiritus salis armoniaci, spiritus juniperi, lumbricorum, asell. terebinth. salis dulcis &c.*

Si tubuli sint distorti, ad suum naturalem reducuntur situm frictionibus pannis asperis succino suffumigatis, donec cutis rubescat, vel membra contabescentia verberentur *foliis urticæ*, & ubi sensus formicationis, aut stuporis unà adsit, vel rubificatio, certa affulget spes, ut parti pristinum robur, & augmentum restituatur. Deindè pars oleis penetrantibus illinitur, *ut ex castoreo, philosophorum terra, terebinthinæ, petræ, saponis, lavendulæ &c.* Vel *spiritu lumbricorum, formicarum, mellis, spiritu salis armoniaci cum calce parato.* Vel utimur Balneo vaporoso, ex quo prodeuntem vaporem membrum tabidum excipiat, ex herbis in vino coctis generoso concinnato, multo sale volatili abundantibus, *ut origano, pulegio, melissâ, calaminthâ, lavendulâ, betonicâ, rore marino, absynthio, sampsuco, foliis tabaci, salicis, althææ, ebuli, sambuci &c.* quibus addi possunt *Scoriæ reguli antimonii*, quo solo fotu multos curatos vidimus. Vel instituantur *suffumigia ex succino, assa fœtida, castoreo, olibano, gummi anime, mastiche*, & plurimis aliis, quæ plurimùm juvant, & meliùs operantur, quàm pinguia, & unctuosa, deindè pelle vulpinâ foveantur.

Nulla alimenti penuria in reliquis corporis artubus sentitur, sed tantùm defraudatio in parte vulneratâ contingit, quia illius canales, & tubuli non satis sunt disposiri ad transitum particulis nutrientibus concedendum, reseratis itâque his particularibus tubulis, & obstaculis sublatis, quandóque contingit, ut crassiores, & viscidiores sanguinis succorumque nutrientium partes canaliculorum extremitates obstruant, & curatio ex voto non succedat: tunc incidantur, attenuentur, & subtiliores reddantur ad faciliorem transitum. Id non ægrè internis assequimur medicamentis. Si ergo lutositas, viscidi-

Unable to display this page

R. D. CAROLI

MUSITANI

CIVITATIS CASTROVILLARII

Iatrias Prof. Academici Peregr. Pigri, Spensierati &c.

TRUTINÆ

CHIRURGICO-PHYSICÆ

TOMUS QUARTUS,

DE LUE VENEREA.

In quatuor Libros divisus;

In quibus ejusdem *Species* singulæ, nedum recensentur, verùm non vulgari Examine Signa, Causæ, Prognoses & Sanationes exactâ Methodo pensantur, atque diriguntur juxta Recentiorum Doctrinam; Galenicorum aliorumq; ex Veteribus depravato Usu rejecto.

His quoque accessit

Peculiaris ferè cuique Symptomati MEDICINA hactenus ignota, propriâ tamen industriâ secundùm veram Philosophantium Normam excogitata, atq; omnium commodo facta.

Cum INDICIBUS *Capitum, Rerum ac Materiarum locupletissimis.*

LUGDUNI:

Sumptibus CRAMER & PERACHON

M. DC. XCVIII.

R. D. CAROLI

MUSITANI

CIVITATIS CASTROVILLARII

Iuris Pro. Academici Perege. Pigri, Speculatoris &c.

TRUTINÆ

CHIRURGICO-PHYSICÆ

TOMUS QUARTUS,

DE LUE VENEREA.

In quatuor Libros divisus;

MEDICO-DOCTOR BIBLIOTHECA BERNARDI BOECKELER

LUGDUNI

Sumptibus CRAMER & PERACHON

M. DC. XCVIII.

JOSEPH MUSITANUS

Chirurgiæ Professor,

LECTORI.

ANni fermè sunt sex, quòd *D. Carolus Musitanus* avunculus meus præter ea, quæ vulgaverat, Librum quendam edidit de Lue Venereâ, qui ut in eruditorum manus pervenit, magno assensu fuit exceptus, cùm sanioris Philosophiæ mysteriis nobilitatus, tùm vario rerum usu probatus; Quippè qui multiplicem doctrinam, selectioremque Medicinam continebat; Hinc factum est omnes illum expetere, jugiterque postulare, ejusdem exemplaria denuò tradi, ut sibi quisque copiam faceret. Morem igitur gerens *D. Carolus* non invitus passus fuit iterùm prodire, quæ priùs amicorum hortatu invitatus exaraverat. Consilium tamen fuit nedùm antehac scripta majori auctario locupletare, verùm exactiori censurâ expolire. Multa itáque ut ingenuum virum decebat, emendavit, complura mutavit, & nonnulla denique clariori, & uberiori methodo adauxit; Námque in dies, qui in explorandâ rerum Naturâ sedulò incumbunt, & vetera meliora reddunt, atque in nova occurrere sæpius evenit, quòd procul dubio eam exquirentibus usu fieri monstratur facillimè; Inexhausti sunt quidèm illius thesauri, nec ipsam effœtam jàm esse (quòd nonnulli putârunt) ut nil novi, nil admirabile gignere valeat, quippè ubique passim promanant, largiorique penu aperiuntur: Hæc verò illis dumtaxat, qui in admirandâ continuâ rerum singularum serie omnem operam collocârunt, beatamque vitam in illarum contemplatione posuerunt. In horum numero certè statuendus est *D. Carolus Musitanus*, qui omne ævum hac in vitâ insumpsisse satis superque ipsius opera, quæ hucusque ubique terrarum Illustrium

virorum judicia promoverunt, teſtantur. Et maximè hic liber de Lue Venereâ multa novarum, ſelectiorumque rerum acceſſione nobilitatus demonſtrat naturalis ſcientiæ ſtudia ad magnos uſus quotidiè promoveri, atque illuſtrari. His, quæ iterùm tibi fieri mandavimus, Lector, utere, ut velis, dùm ad longam diem benè valere jubeo.

PRÆFATIO.

Cum multa sint in naturâ rerum, quæ in abstruso demersa ad hanc usque diem nostræ mentis vim eludant, quarum cognitio, & usus ne dùm utilis, verùm & necessaria nobis omnibus foret; tùm illud maximè perdifficile semper existimavi, ea potissimùm assequi animo per nos licere, quæ præter omnium expectationem, ac veluti ex abdito in conspectum se exhibent, ut admirationi esse non debeat, si in tantâ rerum varietate, ac novâ quotidiè mirandarum rerum ubertate nostra mens deficiat, atque densa velut involuta caligine in summo errore, atque maximâ ignoratione versari sit necesse. Hinc Naturam ipsam mirari licet, cujus è sinu, velut ex perenni fonte inexhausti passim promanant thesauri; attamen non sine invidiâ eandem cum Democrito, uti novercam potiùs accusare, quàm nostram insciti am sæpissimè culpare libentiùs duxerim: quandoquidem corporis vitio sublimiora attingere nobis non fuit concessum. Et certè quidem hinc factum est, ut de unaquaque re variæ nunc quoque extent Philosophorum sententiæ, & de multis summâ inter ipsos cum dissentione certetur, nec dabitur unquàm idem omnium fore placitum, & consensus. In tantâ ergò multiplici de naturâ rerum opinione spes omnis non penitùs abjicienda, ità ut prorsùs desperandum sit, velut acta res esset; quippè, etsi in profundo veritas deliteat, non ità tamen natura illam abstrusit, ut quandóque nobis non liceat, velut è longinquo, prospicere: quippè sudando, niténdo, atque assiduâ rerum contemplatione ea nobis suopte genio se demonstrant, quæ nunquàm antehac cognosci potuerint; tùm maxime earum, quarum notio apud veteres, doctissimosque viros in perdifficili existimabatur reposita. Quapropter semper dignum libero homine reputavi in hoc admirabili Naturæ libro inquirere multa, atque curiosè explorare, quæ passim in hoc terrarum Orbe fiunt, quarum contemplatio ad agnitionem animi pulcherrima quidem est, ad corporis verò valetudinem tuendam valde necessaria, námque alterum alterius ope viget, & consilio. Vnde cùm non pauca meditatus fuissem per id temporis, quod mihi licuit, quarum plurima memoriæ hominum tradidi, multa animo retinui: nunc consilium mihi fuit ex his aliqua

deligere, & in vulgus edere, & quæ noſtra uſque ad hanc diem fuere, cum aliis conferre, ut noſtra ſtudia aliorum commodo quoque cedere omnibus pateat. Itáque de Lue Venereâ non pauca proprio labore conquiſita tradere hoc præſenti libro inſtitui, ne injurius viderer, ſi humanum genus multis longo uſu expertis, atque probatis fraudarem, quod ſine livoris notâ vitari non poſſe ſatiùs duxi; eoque magis quandoquidem hæc dira Lues, & contagio non multis abhinc annis noſtras oras repentè obortа incubuerit, ità ut longè, latéque totum Orbem vaſtaverit. Vnde non mirum, Si adhuc in obſcuro inter tot diſſidentium Philoſophorum placita res ipſa maneat; illud tamen non ambigitur ampliorem viam nos inſiſtere, nec inter tenebras totâ viâ aberrare, ut omnibus ex ſuperioris ætatis viris contigit. Vnde ſpes mihi facta eſt aliorum inventis noſtra ſtudia per experimenta probata non parum luminis, & utilitatis fore advecturæ.

INDEX

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. Quid per Luem Veneream intelligant Medici. pag. 1
II. De Luis Venereæ nominibus. 2
III. De Tempore, quo hæc Lues in humanam irrepsit carnem. 4
IV. An Veteres Medici ante annum 1494. de hac Lue aliquid tradiderint, vel eam cognoverint? 8
V. Ratio diffusionis Luis Venereæ per Europæ, Aphricæ, & Asiæ Provincias. 12
VI. De Venereæ Luis duratione prolatum à Scriptoribus judicium. 13

LIBER II.

CAP. I. Opinionum de Luis Venereæ essentiâ examen. 15
II. De Essentiâ morbi in genere. 20
III. De Luis Venereæ essentiâ. 24
IV. De Luis Venereæ sede. 30
V. De Luis Venereæ signis. 35
VI. De Luis Venereæ præsagiis. 37

LIBER III.

De Curatione specierum Luis Venereæ. 39
CAP. I. Vulgarium præsidia in examen adducuntur. 40
De Phlebotomiâ. *ibid.*
De Purgatione. 42

De

Unable to display this page

D. CAROLI MUSITANI

Physiatros Professoris, &c.

TRUTINÆ CHIRURGICO-PHYSICÆ,

TOMUS QUARTUS,

DE LUE VENEREA.

CAPUT PRIMUM.

Quid per Luem Veneream intelligant Medici.

VT eorum, quæ passim trademus, clarior sit intellectus, quid per Luē Veneream Medici in eorum mente concipiant, describere præstabit; Quoties igitur vir sanus in mulieris contaminatum uterum coierit, pustulosum, pollutumque os osculatus fuerit, vel contrà mulier sana virum in pudendis, vel in ore pollutum admiserit, virus quoddam in pudendis, vel in ore contrahunt, quod in aliquibus citò, in aliquibus multos post dies, verùm non ultra quadraginta, sub diversis se pandit apparentiis in iisdem partibus, cujusmodi sunt pustulæ cum profundâ, & durâ radice, erodentem eructantes saniem, quas caries vocant. Gonorrhœa virulenta, ac purulenta, cum urinæ acredine, & in erigendo pene, intenso dolore. Venerei bubones in

inguinibus, vel ob hujus virulentiam, extuberantes glandulæ absque suppurationis spe; & hæc primitiæ sunt jàm concepti veneni exteriùs efflorescentes, quæ partim accuratos passim decipiunt Medicos, ex eo quia earum curationi tantùm vacantes, nil de latente intùs veneno, quod externi morbi fuit in causa, deindè ampliùs cogitant. Porrò ex hac Medicorum incuriâ, temporis curriculo corpora, quæ haustum foverunt venenum, in diem semper novas repræsentant ab ipsâ lue pullulantium variorum morborum scenas, etenim, ut communi utamur loquendi modo, si impetus facientes spiritus hoc contaminat venenum, ephemeram febrem; si humores, putridam; si solidas partes, hecticam producit. Deindè quis memoret urinæ vitia, suppressiones, stillicidia, & mingendi difficultates à carneis excrescentiis, ardores ab acrimoniâ, & ulceribus? Quis caries, & pudendorum corruptiones, gangrænas, & in totum præcisiones? Quis laryngis, faucium, gurgulionis, tonsillarum erosiones, raucedines, aphonias, palati foramina, labiorum consumptiones, gingivarum putredines, nasi casus, ossis ethmoïdis jacturam? Quis calvariæ, cæterorumque ossium omnium corruptiones? Quis oculorum strabismos, lippitudines, cæcitates, aurium surditates, tinnitus, graves auditus? Quis nodos, & gummata circa lacertos, & nervos, & cum his, & sine his dolores, cruciatusque acerbissimos, quibus aliqui brachiis, aliqui cruribus manci reddantur? Quis serpiginosas rimas, & squamosas in manibus, & pedibus? Quis cerebri epilepticos insultus, melancholias, vigilias? Quis cordis palpitationes, & syncopes, pulmonis marasmos, asthmata, tusses, rabies? Quis hepatis ardores, fluxus varios, lienteriam, cœliacam, diarrhœam, atque dysenteriam? Quis totius corporis laxitudinem, membrorum omnium languorem? Quis capillorum omnium casus, ut alii sine barbâ, alii sine superciliis, plerique glabro capite ridiculi appareant? Quis tandèm quicquid horroris, feritatis, turpitudinis, doloris, languoris, hoc virus in corporibus susceptum imaginari potest, unquàm commemorabit? Cùm nullum sit morborum genus, nullâ symptomatum species, quæ ex hac lue pullulare non possit, nullumque membrum, nullaque corporis pars ab ejus virulentiâ immunis; in humani namque corporis theatro tot repræsentat scenas, sub tot insignibus se pandit hæc, de qua nunc agimus, Venerea Lues, nec cessabit, imò in æternum, & ultrà horribilibus se pandet modis.

Cap. II.

De Luis Venereæ Nominibus.

Hujus luis multiplex, ac varius lædendi modus, symptomatumque ab eâ pullulantium diversitas, nominum quoque multiplicitatem, & varietatem induxit; quippè Medici, prætermissâ veneni radice, ad omnes producendi morbos

bos idoneâ, tantùm pro læsionis modo invenêre nomina, præterea, quæ è provinciis, in quibus hæc Lues suam exercuit stragem. Dicta enim propterea fuit *lues Gallica*, *lues Hispanica*, *& lues Neapolitana*; quippe cùm in Neapolis obsidione circa 14. Sæculi finem, ut infrà dicemus, omnes dictæ Nationes concurrerint, ac lues tunc primò emergens afflixerit, unaquæque earum reliquis sceleratum illud facinus vitio vertebat. Reduces ab Indiâ Hispani ad Neapolitanos in subsidium missi suspicionem dedêre illam luem ab Indiâ eos secùm Neapolim attulisse, quam cùm Neapolitani, & Galli cum mulieribus ab Hispanis compressis coëuntes contraxissent, Hispanicam, & Indicam illi dedêre denominationem, at Gallorum plerique Neapolitanos ab Hispanis non distinguentes, cùm Galliis Luem secùm non attulissent, obsidentesque Neapolim illius paterentur furores, Neapolitanam indigitavêre. Tandèm Neapolitani cùm nunquàm antèà fuissent hanc experti luem, eamque à Gallorum obsidione experirentur, Gallicam dixêre: Hispani interea utrosque Neapolitanos, & Gallos vicissim pro tanto scelere exprobabant. Sanioris deindè judicii viri cùm cognovissent à luxu, Veneriisque congressibus hanc luem erumpere, ac inter homines grassari, relictis nationum litigiis, non ab re hanc *luem* dixêre *Veneream*, quod nomen modum, quo lues propagatur, designat, non autem essentiam.

Medici deindè, dùm sub hujus luis initiis effectus observabant, ob horum diversitatem diversa illi indidêre nomina ab antiquis desumpta secundum symptomatum proprietates. Fuere ex his, qui ob læsionem, quam pluribus hæc lues inferre solet, per *Albotin Avicennæ*, & per *Terminthon* Græcorum eam designârunt; Alii *Sahafatum*, seu scabiei pustulosæ speciem; Aliqui *Arthritidem* ob artuum dolores; Quidam *Pseram*, seu cutis defœdationem; Quamplures antiquorum *Elephantiasim* eam esse dixêre; Plerique hanc luem *malorum omnium congeriem* existimârunt; Nonnulli *morbum vagum, ancipitem, erronem* luem esse, ac sub nullo certo morborum genere collocandum; & tandèm *Scabies scortatoria*, *Mentagra*, vel potiùs *Mentulagra lupanaris*, & ab aliquibus *pudendagra*, *caries Venerea*, *pustula obscœna*, *variola magna* dicta fuit; omnium tamen optimè *Hieronymus Fracastorius* vetustissimus poëta proprio, ac speciali *Siphylidis* nomine, dùm eleganti carmine hujus luis materiam pertractavit, insignivit: fuit enim *Siphylus* primus æger, ut ipse putavit, qui hac lue contaminatus fuit, dùm inquit:

Siphylus (ut fama est) ipsa hac ad flumina pastor.

Nos verò infra cùm hujus luis essentiam, & ejus lædendi modum demonstrabimus, nomen, quod illi adæquatè correspondere possit, proponemus, quo nulla infametur natio, & omnes a noxâ adeò infami vindicentur.

Cap. III.

De Tempore, quo hæc Lues in humanam irrepsit carnem.

De tempore, quo hæc innotuit Lues authorum sententiæ tàm variæ, & discrepantes sunt, ut illi ipsi, qui illo tempore vixerunt, in hac re non convenerint, multo minùs nos, qui ab illo tempore jamjàm ferè duo sæcula remoti sumus, eos conciliare valebimus. Itàque eorum opiniones recensebimus, & transversò notabimus stylo, ut nostram deindè stabilire possimus.

Nonnulli, & præcipuè, *Leonicenus*, Venereum Luem aëris vitio tribuunt, asserunt aërem hoc contraxisse vitium ex magnâ Tyberis, aliorumque fluminum alluvione sub *Alexandro VI. Pontifice Romano*, quæ universam ferè Italiam, & præcipuè Romam devastavit, & tota navigabilis reddita fuit. In cujus funesti eventus memoriam, in publicâ columnâ hæc insculpta fuêre carmina.

Tempore Alexandri sexti, nonisque Decembris,
Intumuit Tybris bis senas circiter ulnas.
Insula quaque domus facta est, mediisque repentè
Circumducta viis, æquabat Cymba fenestras.

Æstate enim sequenti, sordes, & illa colluvies ab aquis relicta radiorum solarium æstu recaduit, totumque aërem putredinalibus effluviis infecit, undè hæc dira Lues mortalibus irrepsit. Verùm illi aquarum inundationi perperàm hæc lues tribuitur, cùm potissimùm hoc malum tantùm Romæ acciderit, & Venerea lues Neapoli primò innotuerit. Prætereà aquarum inundationes potiùs pestilentes quandoque excitare solent morbos, ad breve tempus, nec per sæcula, & ultra duraturos. Imò tales inundationes etiam sæpissimè antè acciderunt, nec anteà talis Venereus excitatus fuit morbus.

Alii hunc morbum epidemicum dijudicavêre, ejusque causam ab astris mendicârunt, inter quos fuit *Nicolaus Massa, & Hieronymus Fracastorius*; scribit námque uterque, quod mirum non videri debet novos, insolentesque morbos certis apparere temporibus, idque variorum morborum historiis probat, & præcipuè de sudore Anglico. Credidit hujus morbi noviter exorti causam ex malâ planetarum configuratione, maleficisque cœlorum influxibus inductam fuisse; refert nàmque eam in Saturni, Martis, & Jovis conjunctionem, quæ tali accidit tempore, undè cecinit:

Intremuit, tactusque novis defluxibus æther.
Paulatim aërei tractus, & inania lata
Accepêre Luem, vacuasque insuetus in auras
Marcor iit, cœlumque tulit contagia in omne.

Sed Massam, & Fracastorium astra deceperunt, nàm eorum effectus æquè sunt benigni, & nil maligni ab ipsis per se dependet, sed per accidens tamen fieri potest, hoc, vel illo

illo modo aërem, aquam, terram, & humana alterando corpora, cùm rerum naturalium generationis, & corruptionis sint excitatores, ut indè mali producantur effectus; quomodò verò hunc in specie, & non alium morbum producere potuerint, non explicant hi authores.

Crediderunt alii hunc morbum non epidemicum, sed sporadicum i. sparsum, ejusque originem Valentiæ, in Hispaniâ Terraconensi habuisse, eo námque loci Gallus quidam elephantiasi laborans, integram à nobili, & pulcherrimo scorto quinquaginta aureis emerit noctem, illudque ità infecerit, ut hanc diram genuerit luem, ut indè factum fuerit, ut omnes alii, qui cum eodem rem habuerint, coinquinarentur, & hinc brevi tempore infectio plurimis communis facta fuerit. Quasi nulla anteà mulier elephantiaco commista fuisset. Verùm differt elephantiasis à luis Venereæ ideâ, ac proindè elephantiacus hanc luem excitare nequivit.

Multi hanc pestem ex Indiâ Occidentali, ubi popolariter grassatur, ab Hispanis in Gallorum exercitum ad Neapolim delatam fuisse autumant; Referunt namque historici: Christophorus Columbus ex novo invento Orbe rediens, plurimos reduxit milites, qui non minùs auro, quàm hac peste gravati, hanc appellentes urbem à Gallis obsessam, cùm ferè, biennium in navigatione consumpsissent, ubi primùm nostram civitatem occupârunt, nulli temperantiæ, & continentiæ generi pepercerunt, ac præcipuè cum scortis avidissimè luxuriantes furibundæ libidinis œstro plus justo perciti, hujus mali generationi ansam dederunt. Dùm Galli obsidione magis, magisque hanc premerent urbem, ob annonæ caritatem ejecta scorta avidè exceperunt Galli ignorantes hostiles dolos, & Hispanorum versutias, cum illis effrenatè coëuntes se infecerunt, & insueta illuxit lues, nec nostro priùs cognita cœlo. Undè inquiunt Hispanos hanc pestem non tantùm in hanc nostram urbem, verùm in Italiam, & totum in orbem invexisse. Verum errant historici hanc Luem in quibusdam Indiæ regionibus epidemicam esse contendentes; nàm alius à Lue Venereâ morbus est, qui an sit aëris, vel aquarum, vel victûs vitio, nondùm ab ipsis explicatus fuit.

Aliam hujus morbi originem adducit *Andreas Casalpinus* traditam à quodam milite Aretino, qui eo in bello militavit: Referebat is, oppidum in monte Vesuvio, quod dicitur *Summa*, ubi generosi copia vini est quod, Lachryma appellatur, clàm noctù ab Hispanis derelictum, obsidentibus Gallis, sed vino infecto, admistò sanguine, quem ex iis extraxerant, qui in Nosocomio Sancti Lazari laborabant. Ingressos enim Gallos, cùm se eo vino explevissent, cœpisse laborare morbis, & symptomatibus elephantiasim referentibus. Verùm si verum hoc esset, elephantiasis potiùs, quàm Venerea Lues hoc stratagemate excitata fuisset.

Leonhardus Fioravanti empyricus de hujus morbi origine aliam pecu-

liarem habet sententiam, quam apud nullum alium scriptorem legimus: Narrat se rerum causas indagandi avidum aliquandò Neapoli fuisse, cùmque variis discendi gratiâ conversationem iniisse, inter quos senex quidam nomine *Paschalis Gibelotto Neapolitanus* annorum 98. sibi retulerit, tempore, quo *Johannes, filius Renati Ducis Andegavensis*, bellum gereret in *Alphonsum, Neapolitanum Regem*, circa annum 1456. se sæpiùs à suo patre audivisse, qui fuerat ejusmodi mercator in Regis Alphonsi exercitu, quòd cùm magna tùm inter exercitus annonæ caritas, & præcipuè carnium extitisset, utriusque exercitûs mercatores nocturnâ clàm cæsorum militum cadavera in frusta concidissent, & varia edulia ex eis parata militibus vendidissent, qui avidè ea insciis assata, cocta in artocreatibus satis longo tempore comedissent, antequàm nullus id scelus resciverit; tandèm hæc lues in toto Gallorum exercitu vagari cœpit, adeò ut vix unus inventus sit inter omnes, qui pustulis, bubonibus, doloribus, capillorumvè defluvio non laborârit. Quibus auditis, Fioravanti ut certior hac de re redderetur, per experimentum certiorari voluit, an humanæ carnis comestio hunc morbum in specie producere posset. Domi suæ suem alere cæpit, omnique ejus pabulo axungiæ porcinæ aliquid immiscuit, atque intra paucos dies sui pili, seu setæ deciderunt, & undique pustulæ, tumores, seu bubones protubuerunt. Hoc non contentus experimento, etiam in cane periculum fecit, clauso in peculiarî conclavi, ac nihil escæ ipsi dando præter caninam carnem per duos menses, & idem in eo deprehendit, qui dolorum, & pustularum plenus, pilosque amiserit, & die, ac nocte dolorem suum hominis ægroti instar misero ululatu testatus fuerit. His duobus experimentis tertium addidit, idemque in Bubone ave tentavit, eundemque notavit effectum. Ex quibus experimentis concludit unumquodque animal propriæ speciei carnibus nutritum hunc morbum, qui hodiè Gallicus appellatur, incurrere. Atque hanc ipsam causam esse putat, quòd in Indiâ morbus hic sit epidemicus, utpotè in qua Antropophagi carnibus vescantur humanis.

Miramur sanè tantùm Empiricum, ideſt bonum tonsorem, his experimentis luis Venereæ causam indagasse, & tot Scriptores Italos, Gallos, & Hispanos de hujus mali tali causâ mentionem non fecisse. Nec Neapolitani senis relatio fidem facit, nec tempori quadrat propter falsam annorum computationem, nàm Lues hæc non innotuit Anno 1456. quo tempore *Johannes, Renati Ducis Andegavensis* filius, contra *Alphonsum, Neapolitanorum Regem* bellum gessit, sed illuxit circa annum 1494. in bello, quod *Carolus VIII. Galliarum Rex* cum *Alphonso, Neapolitanorum Rege* gessit. Præterea demus verum esse, quod falsum nos experientia docuit, animal suæ speciei carnibus nutritum, pustulis, & doloribus affici, ac pilorum casu corripi, adhuc sub judice lis esset, an morbus iste esset ipsissima Venerea Lues,

Lues, & talis, qui per contagium, & præcipuè per Venerem in alios transplantari possit. Insuper rationem reddere deberet, cur animal ejusdem speciei carnibus nutritum, pustulas, dolores, & pilorum casum patiatur, alterius verò speciei non? Fabulosum judicamus Antropophagos, quia humanis vescuntur carnibus, hoc corripi morbo, cùm multi inscii nostris in regionibus ad longum tempus humanis pasti fuerint carnibus, nec hoc correpti fuerint morbo. Pustulas, dolores, & depilationes endemicum esse malum aliquibus Indiæ populis, non humanarum carnium comestione, sed aëris, aquæ, victûsvè vitio verti certum est.

Aurelius Minadoüs credidit hanc luem ex impurissimarum mulierum fœdissimis uteris irrupisse. Hanc luem illuxisse putavit, cùm fœminæ impurissimæ redditæ sunt, quandò variam seminum commistionem recipere cœperunt: Inquit enim sicut unum semen uni utero tantùm familiare, ac sanum est, & fœcunditatem promovet, ità seminum multitudo, & varietas uterum infœcundum, & infectum reddit, ut ex optimâ substantiâ prava, imò pessima corruptela fiat venefica, & explicatu difficilis, undè contagiosa generatur lues.

Sed falsum est ex nimiâ Venere semen putrefcere, nam citra contagium hæc lues genita fuisset, cùm assiduus, immoderatusque Veneris usus ab orbe infantulo fuerit, & præcipuè post feracem illam benedictionem: *Crescite, multiplicamini, replete terram*, & per annorum decursus nunquàm interruptus fuit, cùm ad speciei humanæ conservationem spectet; ideoque.

Per victum, & coitum pugnant animalia quæque.

Libido nunquam satiatur, & extincta reaccenditur, usu crescit, in cæteris satietas, in coitu nulla, & præsertim in mulieribus effervescēs prurigine vulvæ per libidinem inflatæ, perpetuò excandescit, undè jure *Juvenalis Satyr.* 6. inquit:

Et lassata viris nondùm satiata recessit.

Igitur experientiâ constat, ex quavis immodicâ Venere, & multorum putrescentiâ seminum nunquàm genitam fuisse hanc luem citra contagium. Nec hujus observationis mentionem aliqui fecerunt authores, quod utique non omisissent, si aliquam hujus rei notitiam habere potuissent. Præterea falsam quoque existimamus variam seminum commistionem in utero, ac proindè corruptionem veneficam fieri. Credimus Minadoüm parùm versatum fuisse in Veneris palæstrâ; nàm mulieres meritoriæ post coitum semen non retinent, sed indè sponte labitur, cùm lubricam, & sine rugis hanc habeant partem. Si quandóque illud retineri accidat, vel post aliquod tempus réjiciunt, vel si non, concipiunt, & uteri os ità clauditur, ut specilli aciem non admittat, vel ità statim se comprimunt, ut illud rejiciant. Undè in coitu duplicem Veneris voluptatem sentiunt mulieres, unam in seminis virilis ejaculatione, alteram in ejus expressione; ideóque harum mulierum uterus non fit diversorum seminum collu-

viarium. Insuper semen ut plurimùm intrà uteri vaginam ejaculatur, undè sponte labitur, & mulieres à coitu statim indusio, vel petiâ ad id paratâ pudenda abstergunt.

Univocus est Historicorum, & Medicorum consensus in assignando hujus Luis originis tempore, ajunt enim anno 1494. *Carolo VIII. Galliarum Rege, cum Alphonso Rege* bellum gerente, numerosissimo exercitu Neapolim obsidente, primum hæc Lues in Gallorum castris innotescere cœpit. Cùm ob annonæ caritatem Neapolitani inutilem propellerent multitudinem, milites Galli scorta exceperunt, & quia hos non pudet etiam turpissima scorta palàm futuire eorum pulchritudine allecti magno libidinis œstro insatiabiliter fornicari cœperunt. Undè totum inquinârunt exercitum, & vix unus inventus fuit, qui cutiebus, pustulis, ulceribus, gonorrhœâ, bubonibus, doloribusvè non laborârit. Tunc primùm tàm virorum, quàm mulierum partes generationi dicatas hac lue laborare fuit observatum, undè *Fracastorius* eruditè cecinit:

Qui casus rerum varii, quæ semina morbum
Insuetum, nec longa ulli per sæcula visum
Attulerint; nostrâ qui tempestate per omnem
Europam, partimque Asiæ, Lybiæque per urbes
Sævit: in Latium verò per tristia bella
Gallorum irrupit, nomenque à gente recepit.

Verùm, an obsidentes Galli, an obsessi Neapolitani, & Hispani tantum nefas primi in humano patrârint genere, vel passi fuerint, est in tenebris, ac ut suprà dictum est, ex incertitudine originis una gens alterum luis increpabat exercitum, atque gentis cognomentum addebat, Gallicum tamen frequentiùs fuit appellatum, ex eo quia Gallorum occasione Lues irrepsit.

Cap. IV.

An Veteres Medici ante annum 1494 de hac Lue aliquid tradiderint, vel eam cognoverint?

Nll inter homines tàm vetus agitatum, quod aliquandò novum non fuerit; undè ridiculi sanè sunt ii, qui veluti Medusę spectrum attoniti novitatem exhorrent: actum jàm esset de rebus humanis, si quod semel novum & insolitum fuerit, in humani generis usum admissum non fuisset, viverent nunc homines pecudum more, aliorumq; brutorum, quæ cùm artium facultate inventivâ careant, hactenùs ab eorum origine herbis, glandibusque vescuntur sub aperto Jove degunt; nulla apud ipsa futurorum præventio, nulla præteritorum memoria. D. O. M non omnia primo homini manifestavit, vel saltim quicquid ille callebat, remisit; reservavit ipsemet Deus determinatis temporibus passim ea propalare, quæ nunquàm priùs innotuerant; sic suum fuit creationi tempus, suum transgressioni, suum universali dilu-

diluvio, suum incarnationi, suum denique redemptioni tempus, & licèt potuerat, non hæc omnia simul dispositi.

Quis negabit novam olim non fuisse Hippocratis doctrinam? Quis recentiorem illam Galeni? Attamen si dùm nova iis authoribus eam profitentibus vivis inter homines emersit, non fuisset recepta, nunc dictorum authorum doctrina vetus, & antiqua dici minimè posset, ac promittimus, quod quæ à nobis nunc nova, & insueta medicorum vulgo odiosa traduntur, post tria, quatuor, aut decem sæcula, non secùs ac Hippocratis, & Galeni placita pro antiquis, veruftisque habebuntur. Tàm itáque est in hoc inferiori Orbe novitatis necessitas, ut ipsamet natura multoties exorbitet, monstra, prodigia, resque producat insolitas, ac si tribuli, & spinæ ex ingluviis, aliisque luxibus in humanâ naturâ novi pullulant pro inexpertis hactenùs causis morborum, pigra non est novis patefaciendis remediis, quibus novis succurratur languoribus. Ut nunc ad nostrum redeamus propositum, certum est non omnes morbos, quorum hactenùs plenam habemus notitiam, simul in humanam irrepsisse carnem, sed passim nunc unus, nunc alter pro vivendi hominum modo emersit, Antiquitùs simplices erant morbi, & medicina paucis erat contenta medicaminibus. Prisci homines solidiora habebant corpora, facili cibo, nec voluptate, & arte degenerato nutriebantur, non ad appetitum excitandum, sed auferendum, eaque opere, labore, cursu, aut versatâ glebâ soli labantur, undè nec innumerâ medicorum grege opus erat, nec tot ferramentis, pyxidibusque medicina referta erat. Nunc non mutata est humana natura, sed vita à multis ferculis, quæ multos fecerunt morbos. Bone Deus una gula tantorum morborum cohortem in humanam invexit naturam! Addimus & gulæ hominum cupidines, luxus, luxurias, ocia omniumque sensuum illecebras passim per ætates, & sæcula excedentes, quæ ità naturam lacessunt, & subvertunt humanam, ut novorum, insolitorum, inexplicabiliumque morborum semper fiat fœcundior ager, acut lacessita natura tota jàm degener novis est producendis morbis proclivis, ità passim novis opus est medicis, novis medicinis, novis medicaminum præparationis modis, ut novis irruentibus morbis obviam eatur; quòd utilia crepent iis, qui antiquitati strictissimo jure eorum assensum sacrârunt, Lues Venerea jàm cunctis se patefecit hominibus, & cognitis priùs remediis nullo modo cedebat, ex eo quia licèt symptomata, & effectus, quibus Lues hæc Venerea nobis se pandit, fuerint antiquis cognita, novum tamen aliquid in obsidione Neapolitanâ acquisivêre, quod iis remediis, quibus tunc olim expugnabantur, ampliùs posteà expugnari non poterant: fuit sanè illud novum, quod contagium vocamus, quo Lues de corpore in corpus per contactum transfunditur.

Non desunt medici, qui pervicaciter *Hippocrati* hoc malum innotuisse affirmant, & ab ipso *lib. 3. epid.*

epid. sect. 3. accuratè descriptum fuisse, ubi ossium denudationes, capitis, & menti glabrities, carnium, & nervorum suppurationes, sacros ignes cum ulcusculis, variorum membrorum dolores, abscessus circa fauces, dentes, gingivas, & genitalium exulcerationes recenset. Sed levia proculdubio sunt prædicta, & inefficacia ad demonstrandum, quod quærimus; nàm nec quidèm *Hippocrates* citato loco Veneream Luem describere somniavit, sed tantùm pestilentialem ibi refert constitutionem, in qua relatæ affectiones sunt vagatæ, quæ majori ex parte, acutis, febribusque malignis copulatæ fuêre, cùm Venerea Lues ex propriâ vi febrem non afferat. Præterea *Galeni* testimonio constitutio illa epidemica, & popularis fuit, qualis profectò non est Venerea Lues. Adde, quòd curationes longè inter se diversæ idem declarant. Insuper morbi epidemici non semper durant, sed tandem finiuntur, hæc verò lues nunquàm ut malum epidemicum vagatur, & ex quo incepit ad hoc usque tempus durat, & durabit.

Non defuerunt alii, qui luem hanc elephantiasim esse dixerunt, ex eo quia Venereâ lue apparente, cessavit elephantiasis, undè *Gabriel Fallopius* refert, quòd tunc temporis elephantiacorum nosocomia vacua reddita sunt, & Gallorum contrà innumeris repleta ægris. Idem inquiunt in utroque affectu est inficiendi modus, si quis c. ex. in lecto sudet cum infectis, si os ori conjunxerit, si cum infectâ coïerit. In utroque affectu pili, & capilli decidunt, pustulis, squamis, & ulcusculis defœdatur cutis, quare eadem utriusque affectûs erit natura, etsi voces, & nomina sint diversa. In æquivoco volutantur, qui cum elephantiasi luem confundunt Veneream; nàm illa affectus cutaneus est, ac tota cutis redditur crassa, dura, ostrecosa, ejusque sanum nil remanet, labia intumescunt, & crassiora fiunt, sub linguâ tubercula, & glandulæ sub auribus innascuntur, & tota transformatur facies; hæc verò totius corporis est affectio, nec solam cutem, sed partes liquidas, carnes, cartilagines, nervos, & contaminat ossa: non semper, vel infrequenter fœdatur cutis, sed intimæ imperuntur partes, bubones in inguinibus protuberant, partes generationi dicatæ exulcerantur, & pustulæ, quæ in cute nascuntur, nunc plures, nunc pauciores, nunc majores, nunc minores existunt, & nunquàm totam obsident cutem, sed semper aliquid sani inter ipsas mediat, & minùs sæpè visuntur in facie. Elephantiaci perpetuò inficiunt, & proles gignunt elephantiacas sanandi spe destitutas; Gallici autem non semper filios generant infectos, & non ægrè restituuntur. Ad rationes in oppositum facilis est responsio, & ad primam: Verum quidèm est in Italiâ, ubi Venerea Lues est frequentissima, & copiosissima, rarò elephantiasim vexare; non tamen aliis in locis, & præcipuè in Galliâ, ubi innumera ferè sunt pro elephantiacis Nosocomia, adeò ut nullus sit ferè pagus, in quo non sit hoc nosocomium, & tamen aliâ ex parte innu-

Unable to display this page

nil novi secùm habere præter sui in sana corpora per contactum propagationem; affectus verò, & symptomata, quibus se pandit, in veterum sunt authorum observationibus diffusè descripta, nec hactenùs in duorum millium Lue infectorum numero, quos observavimus, symptomata vidisse accidit, quæ apud *Celsum*, *Galenum*, & *Avicennam* notata non invenerimus. Undè concludimus Luem hanc Veneream Anno 1494. dùm Galli Neapolim obsidebant, antiquis morbis fermentale tantùm addidisse virus, quod per contagium ægri corporis cum sano, morbus, qui anteà non propagabatur, deindè propagaretur, non secùs ac scabies, & lepra antiquis quoque contagiosæ fuêre.

Cap. V.

Ratio diffusionis Luis Venereæ per Europæ, Aphricæ, & Asiæ Provincias.

Venerea hæc Lues non solùm Gallos, Hispanos, ac Neapolitanos, in quibus sui apparuêre primordia, afflixit, sed annorum lapsu extra Europam in Lybiam, & Asiam transfretavit, ut innumeræ testantur historiæ, quod multam afferre debet admirationem, nàm cùm inter has mundi partes ob frequentatam nostris temporibus navigationem perenne sit hominum commercium, totaque, ut prædiximus, consistit hujus Luis essentia in acquisito contagio: quoties Europæi Lue contaminati in Lybiam, & Asiam navigârunt, & cum mulieribus Lybicis, Asiaticisque inière commercium, hujus Luis Seminarium jàm in dictas provincias transplantârunt, quod deindè per individua serpens, vulgaris morbus devenit, ut in Europæ magnis urbibus experimur; atque hoc eodem modo ubivis gentium hæc Lues hactenùs suum non diffundit virus, diffundere illud potest, cùm sufficiat polluti hominis cum sanâ contactus, ut Luis Venereæ fiat transplantatio.

Agitari hìc curiositatis gratiâ dubium posset, An bruta animantia huic Luis Venereæ contagio sint obnoxia, cùm experientia nos doceat hominum pestem, pestem non esse brutorum, sicut contrà brutorum animantium pestis, licèt homines cum his commercium habeant, in eos non serpit, neque in sanitate, neque in vitâ læduntur; quapropter requiritur quædam mumialis ejusdem speciei dispositio in vivente, adhoc ut fiat pestilentis auræ transfusio, & impressio: homo itàque peste correptus, si equum ascendat nudum, & simul immediatum habeant contactum, equi pili contagium suscipiunt, alteri homini communicabile, si illius fiat approximatio, sed equus nihil ab impresso contagio patietur, ex eo quia humanâ caret mumia humani contagii susceptiva. Idem eveniet, si in specie equina sit pestis, nàm licèt homines cum equis contaminatis commercium habeant, nil tamen in salute læduntur.

Contrarium tamen de Lue Venerea nos docuit casus, enim verò mere-

mere ricem aliquandò obſervavimus Lue Venereâ undique putreſcentem, & ſordidis ulceribus fœdam, quæ catulam habebat familiarem, hanc lingendis ſibi ulceribus aſſuefecerat, quæ poſt aliquod tempus carcinomate in ore corrupta, totaque ſcabioſa, & in generationis loco exulcerata, tabefacta periit. Differt ſanè peſtis ſimplex à peſte Venereâ, illa enim vitam immediatè adoritur, illamque extinguit; hæc immediatè nutrimentum corrumpit, propterea illa acuta eſt, hæc chronica, illa ſpeciei mumiam requirit, hæc minimè quidem.

CAP. VI.

De Venereæ Luis Duratione prolatum à Scriptoribus Iudicium.

Im ſuprà, quæ ad Luis Venereæ hiſtoricam narrationem attinet, diffusè tradidimus, ſupereſt, ut quid de eâ ſcriptores prædixerint, ſubjungamus.

Hieronymus Fracaſtorius aſſeruit hanc peſtem propriâ ſponte aliquandò finem habituram, ac ut enormentico irrepſit modo, ità certâ adveniente planetarum revolutione, eam à lædendo deſiſtere, exiſtimavitque eam ſuo tempore ſeneſcere, & paulò poſt planè interituram, ac longa poſt ſæcula, eâdem planetarum reverente conjunctione, reverſuram, undè ſic cecinit.

Namque iterùm, cùm fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, cùm nocte atrâ ſopita jacebit
Interitu data: mox iterùm poſt ſæcula longa
Illa eadem exſurget, cœlumque, auraſque reviſet,
Atque iterùm ventura illam mirabitur ætas.

Hujus Luis cauſam *Fracaſtorius* è cœlo evocavit, cœleſtemque ei tradidit originem, tanquàm è matre Venere natam, & à Sideribus expoſitam mendicavit, quorum conjunctiones perennes non ſunt, ſed labente tempore mutantur; ideóque morbum eſſe credidit epidemicum, quem interiturum ſecùm trutinavit, quia tempore, quo primùm hæc graſſari cœpit Lues, ſtatim à coitu puſtulæ ex nigro vireſcebant, ulcera ſordida innumera, & excedentia uſque ad oſſa, ac ſanies ab his emanans, ità pravum ſpirabat odorem, ut cujus nares attigiſſet, is mox infici crederetur, & ipſo magis aſpectu, quàm dolore ægros torquebant. Gonorrhœæ fœtidæ, in mingendo ob acrimoniam luctuoſi ejulatus, in erigendo atrociſſimi ſentiebantur dolores. Bubones ante ſuppurationem ſæviſſimis noctis torturis, & aliis hujus luis inficiebant ſymptomatibus, quæ nullis medelis, nullâ arte tolli, aut ſaltim ſedari poterant. Imò adeò truculentior hæc graſſabatur Lues, ut omnes ægrorum aſpectum fugerent, contactu verò ſic abſtinerent, ut morbi præterea nullius. Tunc ſuo tempore mitiùs ſe gerere accipiebat, quia puſtularum, ulcerumque fœditas cicurata, gonorrhœæ, bubones, gummata, dolores &c. amicitiùs ſe gerere intuebatur; perpetàm credidit luem ſenectutem atti-

gisse, postmodò interituram. Verùm planetarum conjunctiones, eorumque rotationes Fracastorium luserunt, is non optimè astrologiâ callebat, credimus multoties hanc luem in humanam irrepsisse carnem, si ex planetarum conjunctione accidisset. Nec luem senescere, nec experientiâ cessare videmus, imò quò senior, eò evadit fortior, & licet pustularum, ulcerumque fœditas tolerabilior evaserit, dolorum tamen cruciatus, gummata &c. immaniùs torquent. Ea est hujus Luis conditio, ut non statim perimat, estò in primâ origine violentiùs irrepserit, non per hoc ultimam habebit periodum, ea enim, quæ præter naturam sunt, ac vi fiunt, perpetuis carent causis: Verùm est nil præter naturam, & violentum durabile, & ex se perpetuum esse, si tamen causa perpetua sit, ipsum perpetuum erit. Potest pestis quandóque extingui, ut de facto extinguitur, si eadem, quæ in peste præcavendâ, & curandâ adhiberetur sedulitas: modò quia semper dantur homines, qui hac laborant lue, aliosque inficere possunt, alii verò, ab eorum consortio non se abstinent, etiam hæc tamdiù durabit Lues, quandò istæ conversationes cum infectis, vagæ libidines, & coitus durabunt, & tamdiù eam propagaturam, & duraturam judicamus. Præterea experientiâ comprobarum est, quòd quoties morbus in humanâ pullulavit carne per contactum diffusibilis, chronicus, non autem acutus, nunquàm ampliùs cessavit, sed diffuso undequaque semine, semper messem multiplicavit: Lues ergò Venerea cùm jàm in cunctis orbis terrarum provinciis suum transplantavit semen, atque per sæcula semper ulteriùs serpet, eam in humanâ specie ad supremam usque periodum duraturam cognoscimus.

Eustachius Rudius sibi persuasit posse Medicorum ope, & artis auxiliis extingui, inquit enim: *Si unus esset mundi Princeps, aut una multorum adversùs hunc morbum conspiratio, medicorum ope planè extirpari posset. Si nimirùm ii, qui hac premuntur lue, cuncti mediis curandis consignarentur, & interim ab aliorum consortio sequestrarentur, ac illud idem cum hac lue infectis perageretur, quod cum infectis peste, vel leprosis fieri assolet, spes utique esset hanc luem exturpari posse; & eò magis, quia Venerea Lues, non ut pestis ad distans, est contagiosa, sed per concubitum propagatur.*

Optimum profectò pro Lue Venereâ extinguendâ remedium excogitavit Rudius, sed inutile, quia facilius est dictu, quàm factu. Est remediũ quod cõ ra felem excogitarunt mures, de suspendendo nempè in ejus collo tintinnabulo. Si unus esset mundi Princeps, & præcipuè si ipse fuisset, totâ suâ solertia in id incubuisset, & tanto consuluisset malo, sed plures sunt orbis terrarum Principes, nec omnes eodem vivunt voto.

DE VENEREÆ LVIS ESSENTIA,

LIBER II.

AD Luis Venereæ essentiam percipiendam operæ pretium fuit, quæ historica sunt, priùs de hac Lue præmittere; multùm enim ad essentiæ cognitionem juvat quemque esse conscium hujus Luis originis, diffusionis, lædendi modi, symptomatum, accidentium, aliarumque circumstantiarum eam comitantium: Verùm quæ sequuntur, quia altioris sunt indaginis, attentissimum unumquemque exhortamur, etenim pollicemur, quòd si quę ad Venereæ Luis essentiæ intelligentiam trademus, intellexerit, verissimam omnium morborum theoriam percipiet, à qua curationis indicatione desumptâ, nunquàm curandi morbos certitudine frustabitur. Quapropter veteres cùm humores, & intemperies pro morborum caussis tantùm agnoverint, sintque humores occasiones tantùm, quibus animal infirmatur, caussâ pro efficienti occasionali desumptâ, morbi quidditatem non intellexêre, quam omni conatu sugerere aggrediemur.

CAP. I.

Opinionum de Luis Venereæ essentia Examen.

HUcusque secundum Scriptorum libidines multæ, ac diversæ fuêre circa Luis Venereæ essentiam Sententiæ; alii enim illam dixêre caussam, non morbum, alii spirituum alterationem, aliqui venenum, quidam læsionem proprietatis temperamenti; alii excrementum; nonnulli symptoma nominârunt, qui verò morbum illam esse asseverârunt; alii arthritidem, psoram, elephantiasim, variolas, morbum epidemicum, continui solutionem, intemperiem calidam, & siccam; nonnulli calidam, & humidam; alii frigidam, & siccam; quidam morbum à totâ substantiâ, & qualitate occultâ; multi omnium morborum congeriem; tandèm *Minadoüs*, nec causam, nec morbum, nec Symptoma illam esse dixit.

Ex tot opinamentis, quàm intricatum sit negotium hujus Luis essentiam assequi, quisque colligere potest; de tot námque Authoribus, qui de hoc scripsêre morbo, vix pauci inter se conveniunt, quin potiùs phantasiæ ductu per vanas conjecturas peculiarem habent sententiam: sed omnes eodem amiciuntur pilo, eodemque inficiuntur cœno; cùm ex caudâ vulpem, & ex ungue leonem cognoscere profiteantur. Horum rationes in examen adducere joci gratiâ juvat, licèt non conducat, utpotè nimis rusticanæ, cùm confusionem animis in-

inducant, & ignorantiam pariant.

Hercules Saxonia Luem hanc esse tantùm causam, non verò morbum, nec symptoma asserit, quia extra corpus humanum existere potest, in linteis nempè, vel aliis id genus vestimentis, in sudore, fæcibus, præterea semine, & sanguine jàm à corpore secretis; intra corpus humanum etiam, quia partes non viventes, morbisque subjectas inficit, & obsidet, nempè humores, & spiritus.

Iohannes Manardus esse morbum in solutâ unitate ab exustis humoribus contagio affectis pendentem scribit, probat primò, ex *Hip. lib. de loc. in homine num.* 47. ubi habetur: *Morbi quicumque ulcera sunt*, cùm Venerea Lues ex morborum numero sit, ad ulcera reducitur, quæ in solutâ unitate consistunt. Secundò, præcipua hujus Luis symptomata sunt pustulæ plurimæ universum afficientes corpus, necnon ulcuscula, quæ statim à Lue contractâ pudenda afficiunt: Sicuti etiam faucium, columellæ, narium erosio, & casus. Tertiò, dolores nimiùm atroces, qui infectos torquent ægroros, quamvis non sint ulcera jàm facta, saltim sunt dispositiones ad ipsa, cùm in doloribus continuum solvatur solùm, licèt non sit solutum: itáque hoc mali genus ad solutam unitatem, aut unitatis solutionem reducitur, & quicquid in eo observatur, est ulcus factum, vel fiens.

Hieronymus Capivaccius, *Aurelius Minadoüs*, & alii sustinent hanc Luem non esse morbum, & primò, quia ad nullum morbi genus reduci potest; non ad intemperiem, ut pustulæ ostendunt; non ad solutam unitatem, ut docent gummata, bubones, & cætera; nec tandèm in malâ compositione, ut ulcera suadent. Secundò, morbus est constitutio p. n. primò, & per se operationes lædens: Lues verò hæc primò, & per se non lædit: itaque morbus dicendus non est. Minorem probant: ubi quis post coitum Luem contraxit, multo intercedente temporis spatio, benè valet, nullumque persentit incommodum, quousque tandèm ægrotare, & dolere incipiat. Ità multi post duos, tres, vel plures menses, & ferè omnes post aliquot dies Luis incommoda percipiunt. Imò nos quendam militem Hispanum post quadraginta annos, ex carie, quendam monachum post quadraginta quinque, ex gonorrhœâ contracta, attamen ante religionis ingressum, in gummata, & dolores incidisse observavimus. Hoc intermedio tempore nulla adest sensibilis læsio, cùm tamen adsit contracta Lues; igitur Lues non est constitutio lædens, cùm ipsa sine actuali læsione reperiatur: itáque non est morbus. Tertiò, Lues contracta quamvis lædat, non primò lædit: igitur non est morbus, cùm non quæcumque læsio sit morbus, sed illa solùm, quæ primò, & per se fit, ut à morbi causâ differat, quæ non lædit primò, sed introducto morbo: itáque estò lædat Lues, quia dùm lædit, læsionem primò non facit, morbus non erit. Assumptum probant, quia læsio facta à Lue est ulcus; bubo, gonorrhœa, caries, & similia, quæ

sunt

sunt vel verissimi morbi, aut symptomata suos sequentia morbos: ergò Lues, ut lædat, requiritur morbi introductio, cùm nunquàm lædat, nisi facto morbo: ergò ipsa non erit morbus. Quartò, Venerea Lues conservatur in subjecto non vivente: igitur non est morbus, qui est sola, & mera viventis passio, non viventi subjecto nullatenùs communicabilis. Antecedens probant primò, quia est nonnullorum asserentium sententia Luem Veneream posse communicari per sudorem fluentem à corpore infecto, & conservari in linteis similibusque subjectis nullâ gaudentibus vitâ. Quomodò ergò Lues erit morbus, si in hisce inanimatis recipi potest subjectis? Secundò, Lues insidet sanguini, & semini adhuc à seminante deciso, quapropter semine infecto non minùs inficiuntur coëuntes, quàm fœtus, Si gignitur, nascitur infectus: sed neque semen, neque sanguis vivit, præcipuè post decisionem, & ejectionem è corpore: ergò non est morbus. Quintò, Venerea Lues est quid corporeum, imò verùm corpus: ergò non potest esse verus morbus, cùm hic sit de genere qualitatum. Antecedens patet, quia aliud non est Lues, quàm vapor, seu seminarium quoddam contagiosum transiens de uno in aliud, quod omninò distat à qualitate, & accidentibus, & necessariò corporis, seu substātiæ rationem importat, unde Lucretius canit.

Tangere enim, & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Si ergò hujusmodi rationem habeat Lues, morbus esse non poterit. Sextò, ex multis coëuntibus cum infectâ muliere, non omnes inficiuntur, sed aliqui, alii nullâ tentantur labe, & tamen omnes eundem excipiunt vaporem, seu seminarium: ergò Lues ista non est morbus, alioquin omnes ægrotarent, quod falsum est, ut constat experimento à *Falloppio* adducto duodecim Scholarium, qui dùm rem habuerunt cum muliere infectâ, tres tantùm ex illis Venereâ Lue correpti fuêre, ex quibus liquet Luem non esse morbum.

Neque Symptoma esse potest, quia hoc est inseparabile à morbo, sicut umbra indissociabilis est à corpore.

Neque morbi causam esse, quia causa p. n. est illa, inter quam, & actionem læsam cadit medium, morbus nimirum, cum morbus sit id, quod proximè lædit actionem, cùm autem hæc morbi interuentu lædat.

Capivaccius hunc affectum non morbum, sed excrementum putavit, dùm eum definivit, quod sit excrementum p. n. toto genere potens multifariam lædere hominem genitum ex humanâ substantiâ à simili.

Alii medici, dogmata quorum sunt caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis, relictis suprà notatis litigiis, ad causas manifestas hanc Luem reducere, scilicèt ad intemperiem calidam, & siccam, conati sunt, hujus farinæ sunt *Alexander Massaria*, *Johannes Baptista Montanus*, & cæteri, & probant primò, quia proprius caracterismus, sine quo hæc Lues non eluceseit, non consistit, nec viget, est exustio, ut

apertissimè accidentia demonstrant supervenientia, quę affectionis cujus sunt, materiam declarare valent. Ità pustulæ universum ferè occupantes corpus, gingivarum erosio, faucium ulcera, capillorum defluvium, columellæ imminutio, ossium caries, & similia, quæ Luem comitantur, atque ostendunt, certissimæ faciunt exustionis fidem: sed talis, tantaque exustio, non nisi à calore morboso excedente dependet: ergò in calidâ intemperie reposita est Lues. Secundò, hoc idem deducitur ex bubonibus suppuratis, qui præcipuè hunc sequuntur morbum; eorum námque labia multùm callosa, & nimis indurata observantur, maleficio scilicèt caloris exurentis, & callum inducentis. Confirmat tertiò eorum assertionem mordax, & acerrima gonorrhœa, quæ primò, & plerúmque ab hac lue induci solet; adeò enim mordax esse consuevit, ut genitalia frequenter exulceret, & urinæ ardorem afferat, sic discurrendum de aliis incõmodis à Lue inductis, quæ non nisi prævalentem consequi calorem possunt. Excrera tandèm omnia in infectis hac lue si benè observantur, utpotè acria multùm, mordacia, calidam intemperiem certo certius arguunt: comitantia igitur, & subsequentia signa calidam intemperiem in hac Lue significant.

Nonnulli medentes, ut *Nicolaus Massa*, *Rondeletius*, & cæteri, desumpto à curatione argumento, quia Venerea Lues remediis omninò calidis, imò in calore multùm prævalentibus curatur: siquidèm extenuans diæta calida, & sicca abomnibus practicantibus præscribitur ità infectis; validiora, acriora, calidiora pharmaca eisdem administrantur; vehementiora adhibentur sudorifica ex salsâ, guajaco, & similibus parata; unum demùm verbo, quidquid pro hujus Luis curatione usurpatur, calidum est, ut ignis naturam sapere videatur, calidam, siccamque intemperiem pro hujus Luis causâ repudiârunt, cùm calidissimis, & siccissimis curetur præsidiis; meditantes præcipuè famigeratum illud in ore Medicorum theorema, quo sancitur curationem instituendam esse a contrariis: sed quia in eodem volutantur luto, dixerunt hujus Luis causam in intemperie frigidâ, & humida consistere, id probant primò eodem argumento à curatione desumpto: Curatur calidis & siccis: ergò intemperies erit frigida, & hûmida. Secundò, gummata, diuturni dolores, rebelles fluxiones, crassi, & cœnosi sanguinis generatio, & alia similia, frigiditatem, & humiditatem prævalentem demonstrant: igitur.

Judicate vos quantùm à tantâ sententiarum multiplicitate absit hactenùs veritas, & quæ in tanto morbo curando usque adeò adæquata ex theoriis desumpta fuerit indicatio, quòd si in cognitione Luis Venereæ, quæ tàm palam nobis alloquitur, in tantâ confusione j: & intur medentes, in quantâ sanè erunt in aliis morbis, quorum latentior est fiendi & lædendi modus, quisque judicare poterit. Pudet quidèm tanta confusio, sententiarumque contrarietas ab impostură, & falsitate doctrinæ temperamentorum

torum

torum versutè à *Galeno* in rem medicam introductâ.

Alii multa hujus Luis symptomata considerantes, modò calida, modò frigida, modò exustionis signa, quæ siccitatem habent adnexam, modò humiditatis, qua interdùm copulantur, & tandèm solutam unitatem, ut à tot se tricis expedirent, Syndromen, seu congeriem omnium morborum dixerunt, quia hæc Lues nullum denotat peculiare, & determinatum morbi genus, sed per omnia excurrit, & vagatur.

Multi, ut *Fallopius*, *Mercurialis*, *Zacutus Lusitanus*, *Fernelius*, *Sennertus*, & alii, Luis admirandos, contrariosque effectus meditantes, ac nullis primis, vel manifestis qualitatibus agere, imaginati sunt ad nullam reduci posse intemperiem, nec unitatis solutionem, nec formæ, seu structuræ lapsum; etenim cùm major morborum pars, & eorum, qui homines crudeliùs vexant, intemperiebus accomodari non possint, ut à tot se eriperent tricis, necessarium fuit illis, qui præter temperamenta sciebant nihil, ut majorem ingenii hebetudinem patefacerent, inter secundi generis causas recensere, scilicèt ad occultas qualitates recurrere, tanquàm ad sacrum ignorantiæ asylum, & ad speciosum vocabulum, quo apud imperitum vulgus ignorantiam tegere valeant, aliis verò nasutioribus ad plausibiles confugere terminos, uti sunt: Lues Venerea est morbus occultus, à totâ substantiâ, à deleteriâ facultate, à proprietate occultâ, à venenatâ aurâ, similesque, qui si rectè examinentur, eos ignorantiæ arguunt, & sciunt, quod nesciunt. Id colligunt, quia virulentæ Luis natura est arcana, & prorsùs ignoratur, nàm licèt quandóque sublata sit, & expugnata videatur, nisi tamen occulta illa qualitas expugnetur, homo inculpatam nunquàm recuperat sanitatem. Observatum enim est ex parvâ, vel carie malè curatâ, Luem Veneream occultam per triginta, vel quadraginta annos furtivo modo in corpore delituisse, post quos in actum dolores, gummata, ulcera &c. erupisse quasi occultarum qualitatum actione. Ut etiam ex proprio, ac specifico curationis modo eruunt; putant enim remediis à totâ substantiâ agentibus expugnari, non quia calida, vel frigida sunt, sed quia modo nobis incognito, & occulto operantur. Hujusmodi credunt lignum Indicum, salsam parillam, hydrargirum &c. Lignum námque calidissimum est, frigidissimum hydrargirum, quare si hæc Lues calida, aut frigida foret, horum usu intenderetur potiùs quàm remitteretur.

Nos, ut hos vitemus scopulos, & ne in barbatorum impingamus syrtes, non ex nostrâ phantasiâ, sed à rebus, circa quas philosophamur, veritatem hauriemus; quid sit morbus in genere, & quomodo in vivente sano exoriatur, investigabimus, ut deindè ad Luis Venereę quidditatem tutius accedamus, undè sit.

Cap. II.

De Essentiâ Morbi in genere.

Dum vivens animal, quod intra se efficere à naturâ sibi datum est, efficere potest, vel si efficit, vel diminutè, vel depravatè, vel cum dolore, hoc tale vivens animal, vel in toto corpore, vel in aliquâ sui corporis parte, morbum habere dicimus. Præcedunt morbum vita, & vitæ integræ inculpatæque actiones; itáque ut, quid sit morbus, intelligamus, quid in vivente vita sit, & quid requiratur ad inculpatas actiones peragendas, priùs cognoscere necessarium erit; ab hac suppositione neque *Galenus* ipse recessit, nàm Galenus morbum non agnovit, nisi in facultatibus læsis, constituatque apud Galenum essentiam morbi facultatum læsio.

Videndum nunc est, an facultates in vivente propriam habeant substantiam, & à temperamento tantùm dependeant, ut *Galeno* placuit, an verò ipsæ à simplici quadam entitate æthereâ, & enermonticâ in spermaticis viventium partibus implantatæ exerceantur, ut *Hippocrates* priùs, deindè *Plato*, & *Aristoteles* sentiêre.

Galeni sententia, præterquam quòd Atheismum includit, & animæ substantiam, præter temperamentũ obstinatissimè negat, ut *toto titulo de substantiâ facultatum naturalium, & titulo, an animi mores corporis temperiem sequantur*, hac demonstratione de falsitate convincitur: Nemo dat, quod non habet: elementa vitam non habent: ergò vitam dare non possunt. Respondent, distinguendo minorem, vitam nõ habent elementa separata, & simplicia, concedunt; non habent vitam elementa mista, & negant. Sed iterùm contrà: mistio elementorum si vitam efficeret, ubivis fuerit elementorum mistio, ibi vita foret: sed omnia corpora Universi, in Galeni sententiâ, ex elementorum misturâ constant: ergò omnia Universi corpora vitam habent: Sed hoc est falsum: ergò &c. Præterimus, quòd jàm apud omnes sanæ mentis viros, elementorum quaternarium, eorum qualitatum mistura, & ex eâ resultantia temperamenta indifferenter pro fabulamentis habentur.

Ad firmiorem *Hippocratis* sententiam transeamus, quę vitam, spiritum impetum facientem asserit æthereæ naturæ, & hoc *Hippocratis* placitum, ultrò confirmavit *Aristoteles*, qui relictis elementis, eorum misturis, & complexionum figmentis, naturam, & vitam dixit spiritum proportione respondentem elemento stellarum; & in definitione, quam de naturâ tradidit, (idem enim est vita, ac natura in viventibus) profũdiori intellectu hanc veritatem expressit: dùm dixit: *Natura est principium motùs, & quietis in iis, in quibus inest per se, & non per accidens*, quod motûs principium nullo modo in elementis concedi potest, cùm moveantur, & non moveant, & cùm in elementis tali, & tali modo misceri, & non misceri sit merè per accidens, elementorum miscela vitam nullo modo efficere potest, quæ per se, & non per accidens in viven-

te inest. Didicerat id fortassè *Aristoteles à Platone*, qui vitam, sive animam è corpore separabilem, non autem cum complexione corporis dissolubilem docuit.

Horum nos philosophorum sententiam libenter amplectimur, quia veram agnoscimus illam, & cum illis sustinemus vitam in viventibus esse spiritum æthereæ naturæ, simplicis, & homogeneæ, motûs principium in se habentem, in spermaticis corporis partibus stabulantem, & secundum organorum dispositiones, in iis vitam exercentem. Hic spiritus per artus diffusus corporis agitat molem, & ubique unus, & idem membrorum diversitate diversas molitur functiones, non secùs ac eadem manus cum calamo scribit, penicillo pingit, gladio ferit, habenâ equum regit; ità vitæ spiritus cùm naribus olfacit, auribus audit, palato gustat, manibus apprehendit &c. ut fusiùs diximus in nostrâ *Trutinâ Medica lib. 1. cap. 2. de Apoplexiâ.*

Itáque nobis concipienda est vita in viventibus pro entitate quadam simplici, homogeneâ, similari, undequaque corpus penetrans, partibus spermaticis, & tenuibus earum fibris inserta; quam ut percipiamus, sciendum est, quòd Vita animalium est de naturâ lucis, sive ipsa lux est, id quod intellexit Aristoteles, dùm illam dixit *Proportione respondentem elemento stellarum*, nàm elementum stellarum lux est, ac eodem modo se habet vita in corpore viventis, ac se habet lumen cereum in medio obscuri cubiculi positum, quod sui diffusione aërem cubiculi æqualiter penetrans, circumstantes parietes illuminat, ac sicut lumen candelæ in elychnii fibris subsistit: ità animalium vita in fibris spermaticis ex semine productis subsistit; nec aliter lumen candelæ cerâ, sevo, vel oleo per fibras elychnii resoluto inducendo perseverat, ac vita animalium nutrimento ex cibis parato, & per fibras spermaticas diffuso perseverat.

Se habet ergò vita in corpore viventium ad modum Lucis, quæ in cubiculo tunc circumstantes parietes claro splendore illustrabit, cùm nullum corpus opacum inter lucé, & parietes interponitur, & cùm circumstans aër purus, & absque ullâ nebulâ præbet illi transitum, deniq; ut si aliquod corpus sit inter lumen, & parietes positum, illud simplex sit, & crystallinum omni prorsùs colore expers. Nàm contrà, si inter lumen, & parietem ponatur corpus opacum, intercipitur luminis continuitas, reliquitque parietem obscurum. Si verò ambiens aër purus non sit, sed nebulosus, tunc languidum, & inæqualem splendorem lumen in parietes diffundet; ac tandèm si corpus diaphanũ Luci opponatur, quod sit viridè, vel rubro colore tinctum, tunc radii per illud corpus tinctum transeuntes, colore polluti transibunt, ac in pariete colorem corporis diaphani pinget.

Exemplum Lucis ad vitam transferte viventiũ; vel imaginamini ipsâ viventium vitam lucem esse calidâ, se moventem, & in corpore viventis veluti in cubiculo clausam, hæc à centro corporis in totam circumferentiam lumen, & calorem diffũdit, per humores optimè ad vitalitatem

dispositos transmittens radios, non secùs ac lux candelę per ambientem aërem purissimum, atqi dùm sic in vivente res est disposita, inculpata salus in illo observabitur, omnes functiones organorum perfectissimæ erunt, omniaque optimè se habebunt, ex eo quia lumen vivens in corporis centro implantatum absq; ullo impedimento purissimos suos radios calidos per corpus usque in illius circumferentiam diffundit. Salus ergò in vivente semper morbum præcedit, tunc inculpata, & perfecta in viventibus erit cùm quicquid in corporibus informat, illam puritatem, & perfectionem habeat, quam vita exigit, adhoc ut in illud suum lumen, calorem, & motum impertiatur, ac tunc perfectissimæ, & inculpatæ totius corporis, singularumque ejus partium functiones erunt.

Declarandum nunc supereſt, ut morbus in sano corpore accidat, ac ut à similitudine Lucis in cubiculo obscuro non discedamus, dicimus, quòd non aliter morbus in sano corpore producitur ac umbra, caligo, & radiorum coloratio in illuminato cubiculo fiunt. Fingamus enim in cubiculi medio clarissimum lumen ardere, quod purum sit illud, circũstans ambiens aër, & tandèm quòd nullum corpus opacum, vel diaphanum coloratum sit positum inter parietes, & lumen. Certissimum est cubiculum tàm in suo medio, quàm in circumstantibus parietibus æqualiter illuminari, verùm estò ut inter lumen, & parietem, opacum corpus ponatur, illicò in pariete pingeretur umbra corporis, quę umbra licèt occasionaliter à corpore causetur, tamen & effectivè à lumine fit, nàm umbra aliud non est, nisi spatium alio spatio, in quo non est umbra minùs illuminatum. Finge etiam in cubiculo illuminato nullum adesse corpus solidum opacum, sed quod ejus medium sit tenebricoso fumo turbidum, tàm caligans, debile, exileque lumen observabitur, & tàm in medio, quàm in parietibus, quod quidèm occasione fumi advenit, sed efficienter, & effectivè caligo illa à lumine nascitur. Estò demùm fumum non turbare medium aërem, neque corpus opacum interponi, sed corpus diaphanum, illudque viridi colore tinctum, observabitur, quòd lumen, quod trans corpus diaphanum fertur, ubi in pariete terminatur, viridem efformat umbram, quæ etiam à lumine efficienter fit, occasionaliter verò à corpore diaphano viridi. Interest multùm in hac morborum physiologiâ, ut differentiam participantis inter causam occasionalem, & causam efficientem cognoscamus, quæ differentia clarissimè innotescet, si mente percipiamus, quòd causa occasionalis est illa, quæ indifferens est ad aliquem effectum producendum, & perseverare potest absque eo, quod talis effectus sequatur, & hujusmodi in allatâ doctrinâ sunt corpus opacum, fumus, seu nebula, & corpus diaphanum tinctum, quæ umbram, caliginem, & tincturam in lumine induxerunt, nàm si lumen à cubiculo auferatur, licèt ibi dicta corpora remaneant, uti priùs erant, umbram, caliginem, & tincturam tamen non inducent: causa verò efficiens est illa, quæ

ad

Unable to display this page

Cap. III.

De Luis Venereæ essentiâ.

MOrbi in genere constitutâ essentiâ, ad Luem Veneream illam traducemus, ad quàm exactè intelligẽdam dicimus, quòd quicquid suprà retulimus de hujus morbi origine, alii astra, alii Indias, alii imperscrutabilem causam &c. accusavêre; nos ad causam naturalem physicam, & in viventibus corporibus producibilem reducimus, quod sic demonstrandum aggredimur.

Ulcus quodlibet chronicum, quod in vivente corpore ex temporis longitudine, & ex contractâ pravitate esthiomenum, sive malignum factũ est, suam eructat saniem colore, odore, & sæpè acredine virulentâ, & aspicientibus perhorribilem, quæ sanies uti est omnium medicorum cõsensus, aliud non est, nisi ulceratæ partis nutrimentum, tàm ob continui solutionem, quàm ob exortam ibi pravitatem degeneratum, sive transmutatum in hoc aliquid acutum, & acre, quod sui contactu succedens, nutrimentum dulce, quod in ulceris locum natura transmittit, in suam materiam perẽniter transmutat, undè succedit quoq; ulceris perennitas.

Hac doctrinâ positâ, dicimus, quòd si inveniretur homo adeò sordidus, qui linguam, vel denudatum præputium in impuro aliquo ulcere esthiomeno detineret per aliquod spatium, ut halitus calidi ulceris in linguam, vel in glandem impingeret, si statim aliquo lavacro dictarum partium non fieret abstersio, hic in linguâ, & glande jàm ulcus esthiomenum contraheret, verùm id non evenit, nàm talis approximatio existimatur cuilibet homini sani judicii impossibilis, atque si fortassè talis eveniret contactus cum partibus corporis perfectâ cute obductis, non autem tenui epidermide, non induceretur quidèm ulcus, ex eo quia ulceris halitus ob cutis duritiem spiritum sensitivum attingere non possunt, qui deindè halituum ideis imbutus, proprium corrumperet nutrimentum ad ulceris productionem; etenim si quis digitum in saniosâ Lue Venereâ infectæ mulieris vulvâ detineret, digitus Luem non contraheret, quam illicò contraxisset, si glandem, non digitum immisisset. Confirmat id quotidiana experientia, nàm si in congressibus Lue Venereâ pollutis pustulæ, caries, ficus nunquàm in cute externâ penis pullulant, licèt illa cum contagiosâ vulvâ contactum habuerit, sed in glande, in parte internâ præputii, ac circa coronam efflorescunt, & ratio est, quia non sufficit halitum virulentum viventis carnem attingere, ut illam polluat, sed requiritur, ut spiritus sensitivus illius carnis virulentiam halitûs sentiat, quod in partibus, quas tenuissima epidermis cooperit statim accidit; in cute verò aut nunquàm, aut ex longâ applicatione.

Ex his observationibus, & experimentis deducimus id, quod sup à propositimus s. quod ex physicis causis in vivente corpore existentibus Lues Venerea originem duxit; enim verò si demus casum aliquam mulierem ex causâ non gallicâ ulcus malignum intra uteri vaginam contraxisse, illudque sanio-

sum.

sum. Demus casum virum illius ulceris insciun cum dictâ muliere coire : dicimus talem virum ulcus in parte aliquâ sub præputio contrahere, ex eo quia sanies in ulcere mulieris exaltata penetrat suâ acredine epidermidem partiũ intra præputium contentarum, ac spiritus sensitivus sub ipsâ exorbitans ob Venereæ actionis motum Labem illius saniei contrahit, quam deindè nutrimento sibi proximo imprimit, quod à suâ degenerans indole & in corrosivum transiens, ulcus extemplò aperit. Sic contrà, si vir in præputio tali laboraret ulcere, & cum sanâ coiret muliere, mulier ulcus contraheret: nàm cùm ob concubitûs turpitudinem, neque mulier virum, neque vir mulierem intra pudenda aspiciat, alter alterius ulcus non advertit, ac propterea ab eo non exhorret.

Ex hac ratione Sacræ literæ toto *Levit. XV.* huic suspicioni consulunt, quòd tàm severè gonorrhoeâ laborantes, ad alios accedere prohibuerint, omneque quod attigerint pro immundo habendum, & si testaceum quid sit, frangendum, ligneum verò, & cœtera aquæ immergenda, mandaverint, nè aliquis ab eis inficeretur. Non negavimus tamen antiquitùs hunc morbum fornicatoriam non exercuisse turbam, sed à suis ægris semper fuit cœlatus; est enim pudibundus, & in illis locis incipit, quibus à pudore nomen est, & à mulierum sexu nec in optimâ constitutione, multo minùs adeò spuriè pustulata, & non nisi extremâ necessitate lethali medicis ostenduntur, quòd ubi tùm forsan quandòque observatus, pro alio acceptus fuit.

Hoc posito, quod dubium non admittit, dicimus, quòd in obsidione Neapolitanâ cùm è Civitatis lupanaribus meretrices expulsæ fuissent, illæque in Gallorum tentoria se recipissent, facili negotio earum plures tali ulcere in uteri vaginâ laborabant, in quibus cùm se exerceret militum incontinentia, & alternatio, quid mirum fuit, si totus exercitus in pudendis sanioſa contraxerit ulcera? Quid mirum fuit, si meretrices ab exercitu in civitatem reduces Neapolitanos deindè infecerint? Et tandèm quid mirum fuit, quòd Galli in Galliam redeuntes, in illam regionem ulceroſum illum morbum transplantârint? Quod idem de Hispanis quoque Neapoli in Hispaniam revertentibus existimare possumus. Concludimus ex his itàque nostram hanc esse sententiam scil. Luem Veneream semel originem duxisse ex ulcere maligno in utero mulierum, vel intra præputium virorum ab intrinseco producto, non autem ab externo contagio.

Prætereà ex hoc modo originis Luis Venereæ deducimus id, quod à nemine in dubium vertetur, id est, quod sanies, pus, halitus, sive effluvium illud ab infectâ muliere resultans, quod adhærendo epidermidi, præputium sani viri inficit, omnes suæ activitatis gradus, & contaminandi energiam in pollutæ mulieris utero acquisivit; ità ut indè emanans, omnes habeat proprietates, quæ necessariæ sunt ad epidermidem viri penetrandam, ac spiritum sensitivum sub eâ latentem attin-

attingendum, illique imprimendum id, quod suam subvertat œconomiam, ut proximum nutrimentum degener efficiat; nàm si dictas proprietates in mulieris pollutæ utero non acquisivisset, quicquid in viro sano producit, producere non posset: exemplum est in secticis, & escharam producentibus, quæ nisi activitatis gradum à naturâ, vel ab arte exegerint, cutem urere, & escharam inducere non possunt.

Quomodo hos activitatis gradus acquirat senies illa, & quomodò sanum alioquin nutrimentum ad suam convertat virulentiam, philosophandum est.

Dicimus igitur, quòd pars ciborum, quæ ab illis pro nostro nutrimento educitur, spiritus est salsus, & volatilis, ut fusiùs in *Trutinâ Medicâ lib. 4. cap. 1. de Ventriculi actione* tradidimus, hic per corporis fibras, se insinuans, nos recreat, & sustentat, ac deindè in halitus, & effluvia insensibilia per cutem resolvitur: verùm si spiritus iste ob expultricis defectum, vel ob ejus resistentiam totus non resolvatur, & pars illius in aliquo remaneat membro, membri calore agitatus fermentescit, & ex salso fit acidus, ut mechanicè de ciborum actione in ventriculo probavimus: evenit illi spiritui nutritivo id, quod vino accidit, dùm ex novâ sui spiritûs motione in acerrimum mutatur acetum, quod erodit, exulcerat, spiritum irritat sensitivum, lapides, perlas, & corallia solvit, quæ omnia, dùm vinum erat, non efficiebat, ac si deindè vi caloris naturalis ulteriùs exaletur, in secticum, & exulcerantem transit liquorem: Ut de sale nitro observamus, quod si caloris vi in retortâ cum bolo armeno agitetur, exaltatum emittit liquorem, qui si nostræ carni applicetur, in illa ulcus inducit, quod non faciebat, dùm erat in formâ salis; ut hoc modo quoties nutrimentum nostrum non omninò resolvitur secundum naturæ leges, & in membris remanet, fermentescit, acescit, & in erodentem, exulcerantemque abit saniem.

Videndum nunc, quomodo parva particula hujus degenerati nutrimenti, & in saniem versi, magnam quantitatem perfecti, & sani nutrimenti in sui malitiam convertat, quod idem est, ac causam cognoscere, cur una aceti libra vini cadum in acetum convertat, & vini cadus aceti libram in vinum convertere nequeat; & pastæ fermentatæ uncia paulatim quantavis azimæ pondera in fermentatam convertat, & mille libræ azimæ unciam fermentatæ in azimam convertere non possunt, quæ exempla respondent interrogationi, cur in corpore viventi parva pars gangrænata, vel corrupta reliquum sanum corporis mortificet, vel corrumpat, & reliquum corporis sanum parvam partem gangrænatam, vel corruptam sanitati, vel vitalitati restituere non possit. Tanquàm non arcanam insinuant antiqui: *Quod tangitur à putredo, putridum fit.* Sed animadvertere debebant, quòd id est rusticis notum, philosophi judicij erat, quomodò id eveniebat, nàm evenire ex re ipsâ patebat.

Ut luce clarius hoc, quod valdè arca-

arcanum est in naturâ, innotescat, supponendum primò est, quòd adhoc ut inter duo corpora actio, vel motus succedat, debet inter ea intercedere symbolum, scilicèt quòd unum alterius naturam participet, nàm aliter ex amborum contactu nulla succederet alteratio, nullusque motus; nàm si acetum cum oleo, vel melle misceatur, neque mel, neque oleum in acetum convertet, quia mel, & oleum aceti naturam non participat: verùm si acetum cum vino misceatur, quia ejusdem sunt naturæ, acetum ad sui naturam vinum convertit.

Secundò, supponendum est, quòd quoties liquor volatilis in aliud corpus se fixius ejusdem naturæ agit, liquor volatilis fixatur, & in naturam corporis, in quod agit, transit, juxta illud chymicorum: *Omne volatile agens supra fixum, fixatur.* Sic vini spiritus, si cum sale tartari misceatur, pro eâ parte, qua sal est, in sal tartari transmutatur. Sic Spiritus salis communis, vel vitrioli si cum sale communi, vel tartari misceantur, fixantur, & in fixa salia transmutantur. Idem accidit de aceto destillato, quod si corpus aliquod rodit, cum eo figitur, & in sal transmutatur.

Tertiò, supponendum est, quòd quilibet liquor salsus, volatilis, & cremabilis, dùm ex salso in acidum degenerat, fit fixus, amplius non inflammatur & caloris actioni resistit. Clarum est hoc in vino, quod si destilletur, spiritum reddit salsum, volatilem & accensibilem: sed si dictus spiritus in ipsomet vino acescat, ità ut vinum acetum fiat, tunc si destilletur, acetum non ampliùs spiritum salsum, volatilem, & accensibilem reddet, sed liquorem acetosum, non accensibilem, & ab actione caloris in salem fixum reducibilem.

Ex his suppositionibus deducimus, quòd ideò aceti libra mille vini libras in acetum convertit, & non contrà mille vini libræ unam aceti libram in vinum mutare possunt. quia inter vinum, & acetum intercedit symbolum ejusdem naturæ, & quia vini spiritus volatilis, & salsus tangit in aceto alium spiritum acidum, & fixum; sed ex secundâ suppositione, quoties volatile tangit fixum, fixatur, & in fixi naturam convertitur: ergò necessariò evenit, ut parva aceti quantitas quantum vini tangat, tantum in acetosam sui naturam convertat.

Exemplum hoc nunc ad rem nostram traducamus. Ut suprà notavimus, quoties nutrimentum in aliquo membro viventis non resolvitur, acescit, & ex volatili fit fixum, ità ut natura, & membri calor illud resolvere non possit, hoc nutrimento fixato in membro existente, dum sanum nutrimentum salsum ac volatile in membrum advenit, & fixatum illud attingit, acescit illicò, & in naturam illius fixi fixatur, & hæc est fundamentalis ratio, cur parum putridi multum sani corrumpat, & multum sani parum putridi sanum reddere non possit, scilicèt quòd fixum constantius est volatili, & transmutat, & non transmutatur à volatili, cujus participat naturam. Eodem modo de Venereâ lue discurrendum est, nàm nutrimentius liquor volatilis est, & salsus, ac quoties fermentū Venereum, quod acutū, & acidum exaltatum est,

nutrimentum sub epidermide gliscens inficit, degener reddit, exaltat, & figit, proximas inquinando partes, per exaltationem, & fixionem, erodentem acquirit acorem : fermentum hoc non est neque admodùm fixum, neque summè volatile, sed medium quid, nàm oritur ex congressu cum muliere infectâ, & rarò, vel nunquàm per simplicem communicatur contactum, sed vel aliqua requiritur mora, vel concubitus, nec omnes cum eâdem infectâ coëuntes inficiuntur, nec eodem modo. Undè, ut his theoriis finem imponamus, ex traditis doctrinis hanc definitionem veram Luis Venereæ essentiam constituentem deducere possumus. *Lues Venerea est ens naturale physicum in viventium corporibus productum ex spiritu sensitivo, tanquàm ex materiâ, & ideâ corrosivâ, & corruptæ proprietatis à contactu saniei à contaminato membro productæ, desumptâ tanquàm ex semine, quod in vivente proximum prius nutrimentum, deindè sanguinem, tertiò partes spermaticas molles, tandèm cartilagines, & ossa corrumpit.*

Liceat nobis aliquantulùm digredi, & aliqua adducere problemata, quæ ad ulteriorem hujus luis notitiam, ejusque causarum faciunt intelligentiam, &

Primum est, cur hæc lues hìc Neapoli, ubi primùm innotuit, ferè adeò sæva, & formidabilis fuerit, ut ferè semper perniciosa, & lethalis extiterit, quàm nunc temporis adeò mitiùs, & amiciùs se gerat, ut nunquàm ferè sit perniciosa, & lethalis?

Respondemus primò, id accidisse à corporum, qui inficiebantur, dispositione ; cùm enim in castris magna fuerit fames ob annonæ caritatem, pravisque cibis se impleverint milites, magnus, pravusque in eorum corporibus fuit apparatus, in quem cùm lues inciderit, in eo majores exercuit vires, tùm ob passi dispositionem, tùm ob luis agentis activitatem.

Secundò, morbi novitate id accidisse quia initio vehemens timor, & terror omnes capiebat ; in malis nàmq; contagiosis graviùs afficiuntur, fortiter pertimescentes.

Tertiò, quia initio hujus luis curatio non nota fuit, undè omnes morbi contagiosi magis in eorum initiis sunt sæviores, quàm in declinatione. O terque, quaterque miseri, quibus sub horum morborum initio ægrotare contigerit, cùm ferè omnes occumbuerint, nàm medici per hominum mortes tentant experimenta, antequàm ad alexipharmacum deveniant. Nunc multò mitiùs agit lues, tùm quia, quæ inficiuntur corpora non adeò, ut tunc, pravo detinentur apparatu; tùm quia lues parvi æstimatur, imò flocci fit; tùm etiam quia, & verior ratio est, adinventa est ejus curatio, nec ampliùs pernicioſa, & lethalis existit.

Secundum est, cur quandoque hæc Lues illicò post unicum venereum congressum manifestetur ; interdùm post plures concubitus, & maximâ cum difficultate contrahatur ; & quandòque diutiùs lateat, ut post hebdomadam, mensem chymicum, & tandem etiam post triginta annos, ut ultra, ut refert Fernelius de abditis rerũ causis ; quo tempore

nullum

nullum sui exhibeat indicium?

Respondemus id partim fieri ex Lue, partim verò ex corporis constitutione. Ex parte Luis, quandò fermentum Venereum est adeò exaltatum, activius, & volatilius, ut activitate suâ, & volatilitate epidermidem penetret, & liquorem alimentitium volatilem exaltet, vel figat, ut in hujus Luis initio evenit. Multoties nos quosdam ægrè curavimus amicos, qui gonorrhœas, caries &c. contraxerunt, non ex membri virilis in uteri vaginam ingressu, sed tantùm ex penis perfrictione circa labia cunni quarundarum puellarum, quia se virgines simulabant, concepto Venereo fermento ex effluviis, quæ ex istarum colluviariis exhalabant. *Eustachius Rudius* se vidisse narrat quasdam meretrices tàm volatile, & exaltato veneno Venereo infectas, ut omnes, qui cum iis rem haberent, non solùm illicò obirent, sed gravissimis corripiebantur symptomatibus, quæ nullâ arte & præsidiis tolli, vel saltim mitigari potuerint, imò nonnulli non multò pòst suum obierint diem. Tùm ex parte Luis, quando fermentum est magis fixum, quàm volatile, & otiosè penetrat; undè diutissimè delitescit absque sanitatis læsione, non secus ac favillæ sub cineribus, & ejus semen per decennium, & ultra reconditum manet, ejusque progressus est insensilis, donec tandem penetrandi vi majori præditum fuerit, magisque subtile, & & in vetustatem abierit. Ex parte corporis, quandò est optimæ constitutionis, compactum, & densum, crassis exuberans succis, & præcipuè si ictu oculi venereum compleat actum. Hinc prostibulæ non facilè labem concipiunt, quæ membranam uteri vaginam constituentem, lævem, lubricam, & humore oblitam viscido habent ex assiduâ perfricatione, quia immissum semen eodem ferè momento labitur, cum quo simul facilius secedit virulenta illa materia, quæ adhæsioni sufficiens non suppetit tempus. Vel ex parte corporis, si pravis scateat succis, si molle, laxum, veluti raræ texturæ sit; si penem longum, glandem laxam, & præputium contectum, & præcipuè si diù in concubitu moretur Venereo, major inducitur fermenti agitatio, & facilius contrahitur Lues.

Tertium problema est, An vir, & mulier non infecti inficere possint?

Respondemus, quòd non ex famigerato illo axiomate: *Nemo dat, quod non habet.* Hoc tamen non obstante, dicimus cùm virum, tùm mulierem posse inficere licèt actu non infectos. Hoc facilè intelliget, si in actualem, & radicalem distinguamus infectionem. Undè non infecti nec actualiter, nec radicaliter sine dubio inficere non possunt; actualiter infectos experientiâ notum est inficere; radicaliter infecti licèt hac non molestentur Lue, continent intra se ejus radicem per actualem Luem jàm olim susceptam, non curatam, vel negligenter, quæ non otiosa in corpore latet, sed lentè inficit, donec tandem, superatâ resistentiâ, infectio fiat actualis. Undè accidit quandoque mulieres radicaliter infectas, & absque actuali infectione inficere, & præcipuè tunc cùm menstruas patiuntur purgationes, quia tunc periodicè natura pravorum humorum cum aliquâ Luis-

portione inquinatorum colluvies per uretum purgant, & facili negotio inficere possunt. Hinc scortatorum vulgus sanguinum contrarietati conceptam refundit labem. Contrà verò quæ nullatenùs Luem passæ fuêre, estò menstruorum tempore rem habeant cum vitis, nil mali reportant isti, nisi virile membrum sanguinolentum, & veluti elixum, vel vibicibus obsignatum ad breve tempus. Accidit etiam quandoque quòd meretrices nullâ prorsùs labe infectæ rem habent cum aliquo Lue Venereâ infecto, coinquinatum in utero excipiunt semen, si postmodùm illicò alteri conjungantur viro, semen illud coinquinatum in secundo concubitu excernunt, à quo secundus scortator inficitur, & ipsæ liberantur, & sanæ permanent. Idem accidere potest in viris, & nos novimus quendam amicum, qui rem cùm habuisset cum quadam postribulâ, statim adivit quandam mulierem castam, & connubio sociatam, quam pluries incassùm ad Veneris palæstram sollicitaverat, & paucis suasam compressit, cui virulentam transfudit gonorrhœam à postribulâ contractam, & ipsæ liber extitit; & hanc nos mulierem breviter, & clàm curavimus.

Cap. IV.

De Luis Venereæ Sede.

Hactenùs de Luis essentiâ, nunc de ejus sede inquiramus oportet, in qua statuendâ non una, eademque sententia est, sed ingens sententiarum cumulus, & quot in medicinâ sectæ, tot emergunt sententiæ.

Nonnulli cum *Leoniceno* hanc sedem esse cutem voluerunt, quia hæc non minùs quàm in scabie, lichene, & similibus exulceratur, & inficitur. Sed non semper sola afficitur cutis, verùm & aliæ partes internæ, ut pudenda, fauces, nervi, cartilagines, & ossa, quæ cariosa fiunt; ideóque hæc Lues inter cutaneos non connumerāda est affectus.

Alii hujus subjectum esse caput affirmant, tanquàm illud, à quo semen emanare creditur, & quod frequentiùs ulceribus, acoribus, capillorum defluvio, & dolore Luis vitio tentatur. Verùm id non est perpetuum, sed quandóque accidit; ideóque perperàm pro Luis Veneris regiâ caput assignant.

Multi pudenda primariò affici existimarunt, quia in pudendis ex impuro concubitu prima Luis vestigia apparent, quæ nisi suo curentur alexipharmaco, statim affectio invalescit. Sic glans, & præputium cariatur, & exulceratur, caro callosa sæpè longo tẽpore durescit, accedunt gonorrhœæ, & bubones in inguinibus tuberant. Sed estò negari non possit à pudendis Luis originem esse, & præcipuè sese eo loci prodere, tamen id non est perpetuum, licèt utplurimùm accidat, sed etiam per oscula, amplexus, sudores, & vestes idem morbus contrahi potest; attamen per amplexus, sudores, & vestes non ità facilè contrahitur Lues, nisi longum post cõtactum. Imò infantes etiam per Lac, quod à nutrice sugunt, inficiuntur, & qui hoc inficiuntur modo, nil in pudendis apparet. Verùm id experientiâ nos falsum deprehendere fecit, nàm moniales Surrentinæ cùm ferè omnes formosam infantem ubera infectæ nutricis sugentem, deosculatę fuissent, intra quadraginta dierum spatium,

aliæ

aliæ gonorrhœas, aliæ caries, pustulas, vel ulcera, & aliæ bubones in pudoris sinu contraxerunt; & nos multoties Luem in puerorum, & nutricum pudendis ex lactatione contractam curavimus.

Aliqui hujus Luis subjectum partes spermaticas dictas, nervosas, ac membranosas esse crediderunt. Verùm hic morbus non solùm nervosas, & membranosas afficit partes, sed etiam carnosas.

Plerique omnes nostri corporis partes esse Luis subjectum asseverant, cùm nullum membrum peculiare in nostro sit corpore, quod perpetuò in Lue non inficiatur; ideóque nullam partem certò assignare possunt, quæ illam determinatè recipiat, & subjectet. Hoc verum deprehendimus, ut infrà suo modo dicemus, cùm nunc hanc, nunc illam afficiat partem.

Hercules Saxonia triplex huic malo assignat subjectum, aliud in principio, scilicèt dum recens est, pro subjecto ei spiritum naturalem, seu partem massæ sanguineæ vaporosam, & deindè succos excrementitios, & tandem alimentitios. In medio, scilicèt dùm progreditur, succos adustos, & ex partibus ventriculum, & hepar affici, atque hinc chylosim, & æmatosin lædi. In inveterato affectu subjectum fore subdit succos pituitosos, crassos, & seminales particulas, ossa scilicet, nervos, & membranosa corpora. Verùm Saxonia tespitat in Luis assignando subjecto; sive enim Lues recens sit, sive antiqua, idem subjectum habere debet, & non migrare de subjecto in subjectum. Præterquam quòd istum chylum nunquàm natura cognovit à parte rei, nisi in medentium phantasiis, ut rationibus, & experimentis in nostrâ *Trutinâ medicâ lib. 4. cap. 1. De Ventriculi actione* fusiùs probavimus. Nec hepar est sanguinis officina, ut hactenùs creditum est, sed tantùm viscus, per quod sanguis transcolatur venalis.

Omnes nostri barbati, scilicèt Galenistæ, nemine discrepante, sanxerunt hanc Luem hepati figere sedem, his suasi ineptiis: Lues hæc est affectio diuturna nimis, in ò ubi fixerit radices, ferè nunquàm evulsas vidimus illas; ideóque necesse est perennem in aliquo viscere habere fomitè, cujus maleficio tàm pertinaciter perseveret. Præterea universum compati, & condolore corpus in hac Lue videtur, dùm nulla extat pars, quæ ejus infectionem non persentiat: necessum igitur est aliquam statuere partem, qua dùm cæteræ noxium recipiunt succum inficiantur, & in infectione conservantur, alioquin, deficiente hoc assiduo accursu difficile non esset priorem receptum succum dissipari, & evinci, eoque magis quòd aliqua per intervalla fœdus initum videtur, dum per aliqua temporis interstitia feriata tanti hostis arma observantur; sed quia postmodum nova accurrit materia similiter infecta, hinc affectionis perennitas oritur: aptior pars ad hujusmodi perennitatem fovendam excogitari non potest, quàm hepar, cujus actio toti corpori necessaria est, cùm partes omnes nutritione indigeant, & hepate, à quo sanguificatio pendet: hoc igitur viscere malè constituto, depravatéque operante, noxæ, & læsiones, quæ hac in Lue accidere solent, sunt hepatis, & functionum ejus, ac naturalis

ralis facultatis, quæ in ipso resident. Hujusmodi sunt vitiosa nutritio, per quam corpus pravè, & vitiosè nutritur ob excrementorum copiam, quæ ex hoc proveniunt: hoc totum indicat floridus faciei color defloratus, excrementorum in corpore congeries, sanguineæ massæ conspurcatio, coctionum læsiones, corporis emaciatio, pilorum casus, pustularum, aut ulcerum proventus, ossium adesiones, variáque tuberculorum genera. Concludunt tandem Luem hanc specificam habere inimicitiam cum hepate, & per unum contrahi membrum, ejus tamen fontem, seu primariam sedem esse hepar, illudque primariò à virulentâ infestari Lue, & per id reliquas partes hanc contrahere Luem.

Ab *Aristotelis* ævo ad Galeni usque sæculum hepar viscus abjectum, inutile corporis pondus, ignavum parenchyma nullius usus, nullius functionis vixit, per accidens tamen corpori necessarium. At suo sæculo, dùm medicinam faciebat *Galenus*, abjecti hepatis partes fovere cœpit, & græcalicâ loquacitate absolutum in animantis republicâ dominium illi tribuit, ad thronum evexit, illudque omnium partium corporis Monarcham constituit, ipsum vitæ œconomiæ præfecit, & reliquarum in corpore partium famulatum dicavit. Ab eo ventriculum calorem, intestina fotum, cor, & arterias sanguinem, cerebrum materiam pro spiritibus animalibus creandis, generationis organa materiam pro Semine, universumque corpus sanguinem pro nutrimento mendicare sancivit, undè credula, & inepta medicorum posteritas hepati plaudere cœpit. Sed parvo quodam venarum lactearum phœnomene à *Pecqueto* propalato per sacculum lacteum, deindè per Lacteas thoracicas chylum in subclavias ascendere, ac demùm in dexterum cordis ventriculum; hepar suspectum esse, & acceptum per tot sæcula imperium, quod usurpaverat, amittere cœpit, & fatali quoque necessitate hoc nostro sæculo *Galeni* authoritas cùm declinare cœpisset, ejus quoque sectatores declinare cœperunt, & ferè omnes medentes resipiscere, & vertere terga Galeno, solùm pauci remansere barbari hirco obstinatiores, sed præter hos, quod maximè in republicâ medicâ dolendum, *Salernitanum Collegium* ceu *Galeni procurator per epistolam* illius tuetur caussam, medicinæ tyrones cogendo, antequàm diplomate impunè necandi insigniantur, ut jurent in verba Galeni, estò collegium sit Hippocraticum. Adeò Galeni præjudicio allegati hepar morborum omnium patronum tutantur, ut quemlibet sive magnum, sive parvum morbum hepatis tantùm culpâ fieri, vel caussari communiter arbitrentur, & nil corporibus accidit, quod despoticâ non patretur hepatis lege, quod adeò verum est, ut Venereâ Luem, quæ ab externo in corporibus creatur contagio, in insonte hepate suâ habere sedem unico consensu insinuetur. O bella medicina, quæ ità quemlibet agasonem unâ horâ reddere medicum potest, ut inter proceres Galenistas assideat! Sed ad Galenistarum hepar noster redeat sermo.

Hepar in Lue Venereâ primariò affici falsum esse probatur primò: Qui per impurum cógressum statim primò pudendorum cariem, pustulam, ulcus gonorrhœâ &c. contrahûr, certè nemo negabit

negabit Lue affectos esse Venereâ, & tamen in his hepar nondùm laborat, cùm luis initia sint. Eadem ratio procedit in ijs, qui per osculum ex. c. hanc luem ab initio contrahunt, vel in faucibus citra hepatis infectionem. Secundò, Curatur nullâ hepatis habitâ ratione, imò brevi temporis spatio, adhibito medicamento, quod luem extinguit, quod sequi non posset, si communicata hepati labes esset, necessariò nàmque in ejus gratiam plurima, & valida adhibenda essent medicamenta, quemadmodùm facimus in reliquis affectionibus tale viscus affligentibus. Tertiò, Nulla malè affecti hepatis indicia post contractam luem apparent, cùm diù, multùmque perseveret flotidus faciei color, facies nàmque (ut inquiunt) est hepatis probatissimum speculum, & index: quare, si illud semper in hac afficeretur lue, semper etiam faciei color immutaretur, quod falsum deprehendimus; observavimus enim plures viros, pluresque mulieres hac labe infectos floridum facici habere colorem, quod evidens signum est bonæ hepatis dispositionis, eique nullo modo labem fuisse communicatam. Quartò, Quandò impurus exercetur concubitus, quærimus, quomodò à pudendis non primò infectis lues deferatur ad hepar, & ab hepate ad has remeet partes? Quomodò ad hepar deferatur, absque eo quod in itinere non inficiat partes? Quis fidus ductor, & remeator? Qua semitâ id facit? Credunt forsan luem ventris crepitui non absimilem esse, qui calcaneum collimat, & nasum ferit; ita collimare ad pudenda, & hepar afficere.

Aliqui barbati nasutiores hujus sententiæ ineptias meditantes, ut hos effugerent scopulos, luem in duplicem statum discriminârunt, unam incipientem, cui nullam certam consignârunt sedem, quæ illam determinate subjectet; alteram confirmatam, quam in hepate radicatam constituerunt. Sed perperàm distingunt luem, nàm confirmata non tantùm hepar, verùm & omnes in humano corpore partes inficere potest, quod barbitonsores etiâ sciunt.

Hermetici tandèm luis sedem, & portitorem spiritum naturalem esse volunt, præcipuè illum, qui in sanguinis massâ consistit, infici, & inquinari à spiritibus venenatis ex alio sanguine infectis simliter exeuntibus. Verùm hæc sententia Hermeticos fallit, nàm ut docuimus in nostrâ *Trutinâ Medicâ*, præter spiritum vitalem non datur alius in corpore nostro spiritus. Prætereà iste spiritus naturalis nil aliud est, nisi massæ sanguineæ vapor, qui à sanguine non differt, sicut aquæ vapor ab aqua non differt. Verùm Hermeticorum sententia nec pilo quidèm differentior est à Galenistarum placito; nàm isti etiam volunt Luis caussam esse venenum sanguinem depopulans, & jecur primariam offendens sedem.

Pro nostrâ sententiâ de Luis Venereæ Sede præmittimus, quòd Lues nunquàm partibus corporis perfectâ cute obductis communicatur; nàm si quis digitum in vulvam lue contaminatam immitteret, utique digitus Luem non contraheret. Præterquam quòd Chirurgi, & barbitonsores infectorum curationi vacantes, caries, ulcera, bubones &c. non semper Volsellâ, sed ut plurimum manibus tractant, quas frequenter virulentâ conspurcant sanie,

& tamen omnes infectionis sunt immunes, ut quisque in incurabilium Xenodochio observare potest, ubi horum infectorum ingens jacet numerus. Hinc colligimus multò minus credendum est ex vestium, cubilium, linteorum, induviorum &c. usu posse hanc contrahi Luem. Deridendus itàque est *Fallopius*, qui refert quendam Venereâ correptum fuisse Lue, quia easdem adhibuerat caligas, quibus utebatur tempore, quo Lue laborabat. Et idem quandam castam irridet Matronam, quæ ex aquæ Lustralis aspersione se hanc Luem contraxisse affirmabat. Solent quandòque bonæ notæ medici simulare, & credere videntur tali pacto contractam fuisse Luem, ne ægrorum famæ detrahant: Ità asseruit Averroës quandam mulierem concepisse, quia semen exceperat in balneo antecedenter emissum, & reverà eodem in loco semen exceperat, sed more consueto. Sed sub silentio hîc non involvendum, quod cuidam pulcherrimæ mulieri in Urbe accidit: erat huic conjux mercator, qui mercimonij causâ per octennium ab Urbe abfuit, tandèm domum reversus, puerum in aulâ ludentem invenit, de quo quærenti, quisnàm esset puer ille? respondit uxor, non cognoscis? Hic est filius tuus. Interroganti quot habebat annos? Sex inquit: Mirabatur, & secum obstupebat, post octo annorum absentiam reperisse filium. Quærenti, quo modò id accidere potuisset? Respondit uxor: Care conjux, quadam nocte per somnium mihi videbatur inter tuos amplexus, & oscula manere, teque mecùm Veneris fœdus inire, ac in illis conjugij delicijs concepi, & hunc, quem vides, tuum peperi filium. At vir blandis uxoris dictis non acquievit, sed multa secùm volutans, tandem plurium medicorum consilium convocavit ad inquirendum, an mulier per somnium sine mare concipere posset? Mulieris famæ prospicientes medici, utique id casu accidere posse jurejurando responderunt, hos enim pecuniâ corruperat, qui illam compresserat: Multa ad id confirmandum adduxerunt, mulierem sine viri concubitu concipere posse, quia habet testes, in quibus prolificum gignitur semen, vim activam continet, uterum, & pro alendo fœtu materiam habet: Itâque dari potest casus fœminam per somnium concipere posse. Insuper equæ per equorum hinnitum ad distans sine equorum coitu imprægnari possunt, ut multæ extant historiæ, quia spiritus equini deferri possunt ad equæ vulvam, postulante, & attrahente vulvâ, ibique equæ semen informare, & equum producere perfectum absque equi semine: itàque afferre potest casus, ut mulier per somnium etiam concipiat. Præterea admirandi sunt fortis imaginationis effectus; imaginatio nàmque humores, & spiritus movet, corpus alterat, morbos parit, eosdemque curat, & pestem inducit. Matris imaginatio fœtum afficit, & mutat, ac fœtui notas imprimit: quidni dari potest casus per fortem ideam, seu imaginationem, ut mulier per somnium absque viri concubitu concipiat & pariat? Has rationes, multaque exempla adduxerunt medentes, & tandèm communi statuerunt sententiâ casum id efficere potuisse. At conjux his argumentis non contentus, neque persuasus, quia prudens erat, multa volutans animo, tandèm inquit: Ego nescio,

neſcio, an id efficere potuerit caſus cum litterâ S. an cum Z.

Item in congreſſibus Lue Venereâ pollutis puſtulæ, caries, ulcera, verrucæ &c. nunquàm in extimâ penis cute pullulant, eſtò in coitu totus cum cute penis ultrò, citroque ingrediatur, & egrediatur, ſed in glande, & in parte præputij internâ, ac circa coronam efflorescunt: & ratio eſt, quia non ſufficit, ut virulentus halitus viventis carnem attingat, ut illam polluat, ſed requiritur, ut ſpiritus illius carnis ſenſitivus halitûs virulentiam ſentiat, quod in partibus, quas tenuiſſima cooperit epidermis, accidit ſtatim, in cute verò nunquàm, aut poſt longam applicationem. Hinc deducimus Luem tantùm inficere partes cute carentes, ità anus, vulva, glans cum parte præputij internâ, os, lingua, fauces, aut adiacentes particulæ. Undè per oſcula hæc Lues facilè contrahitur, ex his, qui os, gingivas, labia, linguam, vel fauces Lue exulceratas habent, quia ſanies, pus, halitus, ſive effluvium, quod indè emanat ſuâ acredine harum partium epidermidem intra os contentarum penetrat, & inficit. Eodem modo per lactis ſuctionem inficiuntur infantuli, quoties nutrices lue contaminatæ fuerint, vel viciſſim infantuli contaminati nutricum papillas, indè totum inficiunt. Imò pocula, cochlearia, ac communis omnium inſtrumentorum uſus in cibo, & potu, quibus uſi fuerint, qui os, aut adiacentes particulis ex Lue habent exulceratas, imbuta ſordibus, aut ſanie indè emanantibus inficiunt. Viret quiſque cane pejus, & angue venereum virus, nec cum infectis cibum, potumvè ſumat, non ſecus ac fit cum ijs, qui leprâ laborant. Pari ratione in podice, vel vulvâ inficiuntur, alvum ſtatim excernentes in eodem loco, ubi plurima ſanies virulenta ab ægro venerea ulcera in podice patiente, depoſita eſt.

Dicimus immediatum Luis ſubjectum eſſe ſpiritum ſenſitivum ſub tenuiſſimâ epidermide latentem, qui virulentorum halituum ideis imbutus, ſuam ſubvertit œconomiam, & proximum depravat nutrimentum; ſubjectum verò mediatum præter nutrimentum, quod luis portitor eſt, ſunt ſanguis, partes ſpermaticæ, molles, cartilagines, & oſſa prout nunc ad unam, vel plures, nunc ad alias delectit particulas.

CAP. V.

De Luis Venereæ Signis.

DIagnoſtica ſigna hæc Lues nulla habet certa, demonſtrativa, & inſeparabilia, verum omnia ſunt incerta, & fallacia, & licèt quamplurima ab authoribus proponantur, alijs ſunt communia morbis, & contingentia eſſe poſſunt, ità ut non facilè per certa ſigna Lues dignoſci poſſit. Non morbus unus Lues eſt, ſed vagatur per quamplurima morborum genera, eſt veluti Syndrome, & Lerna malorum.

Primò Luis ſtatus diligenter perpendendus eſt, qui quidem alius in Lue incipiens eſt, alius adaudactus, & & alius inveteratus. Luem adultam cognoſcere non multùm operoſum eſt, verùm dùm adhuc latet, & in primâ herbâ eſt, eam cognoſcere hoc opus, hic labor eſt. Ut enim herbæ, & arbo-

res jàm adultæ vulgo etiam notæ sunt, in primo verò germine eas cognoscere non nisi optimi botanici est, ità etiam Lues hæc dùm varijs morbis, & symptomatibus se se patefacit, lippis atque tonsoribus patet, dùm in obscuro latet, non nisi à peritis deprehenditur medicis; ideòque ex his pluribus signis illam colligemus, præter ea, quæ in particulari adducentur.

Ordinariam infectionem ex actionibus læsis, & accidentium speciebus ut plurimùm venamur: inter actiones læsas tristitia, & mœstitia præter rationem post concubitum recensentur, undè qui antèà erant hilares, & jocosi, si à coitu præter rationem mœsti, & taciturni fiant, potissimam hujus luis exhibent conjecturam, & tamen *omne animal post coitum mœret.* Sic spontaneæ laxitudines post Veneris palæstram idem denunciant, ob spiritûs sensitivi coinquinationem. Undè hac de caussâ ad motum segnes fiunt, & toto corpore graviores.

Primùm circa obscœna loca, seu pudenda in utroque sexu incipit ex concubitu cum viro, vel muliere infectâ, cùm hoc modo lues diffusa fuerit, at his nostris temporibus omnes mulieres meritorias infectas esse experientiâ constat; imò, quod pejus est, observantur in dies uxoratæ graviori inficere Lue, quæ quadâ simulatâ castitate, tot Penelopes creduntur, undè incauti juvenes facilè inficiuntur, & quod pessimum est virgines, absque eo quod castitas lædatur, & honor tangatur, aggreditur hæc lues, undè virgines, & lue conspurcatæ inficiunt: Itaque in omni mulierum genere difficillimum est reperire pudicam, ità canit *Juvenalis satirâ 6.*

Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.

Et hac occasione quidam poëta in maritos invectus, ità cecinit:

Vxorem, qui nescit mœcham, in vertice cornu
Vnum habet: Ille potest qui simulare duo.
Qui vidit, & patitur, tria portat: quatuor ille,
Qui ducit nitidos ad sua tecta proces.
Qui nullo istorum se credit in ordine poni,
Credit & uxori, cornua quinque gerit.

Post Veneris usum si in pudendis, & præcipuè circa præputium, coronâ, vel glandem ulcuscula appareant, certissimum contractæ luis indicium, & licèt quandòque à multâ perfricatione, & loculorum muliebrium angustiâ possint excoriari, sive exulcerari pudenda, si nullum adsit contagium, estò evenerit sanies, vulgaribus facilè cedet medicamentis.

Quandòque in pudendis vesiculæ crystallinæ, caries vel pustulæ prurigino sæ grani millij similitudine apparent, vel totam circumdant coronam, quæ postquàm rumpuntur, ulcera alba relinquunt, quæ pedetentim profunda, callosa, & dolorosa fiunt. Interdùm gonorrhæa sanioso prorumpit fluxu, vel in inguinibus bubones apparere incipiunt. Si malum augeatur, floridus faciei color coinquinari incipit ex turbatâ coctione, & vitiatâ sanguificatione, undè sub oculis circulus lividus apparet, qualis in mulieribus menstruatis apparere solet.

Solent ulcera à pudendis quandòque ad alias serpere partes, nempè ad pu-

pubem, inguina, femora, brachia, manus, faciem, collum, capitis cutem, & universum corporis habitum, vel circa oris angulos. Ubi lues per compotationem, vel oscula, aut lactationem contracta fuerit, tunc in ore, & partibus adiacentibus apparere incipiunt excoriationes, & ulcera, quæ etiam in infantibus, si à parentibus sanis orti sint, fiunt, ubi à nutrice infectâ lac sumpserint, vel ab infantibus infectis nutricum papillæ, & partes circumjacentes exulcerantur, quæ vulgaribus non curantur medicamentis, & indè ad pudenda fit luis diffusio. Si parentes hoc morbo laborarent, vel laborarint, & in infante quædam se offerant signa, quæ Luem arguant Veneream, vix dubitandi locus supereſt. Vel serpendo, gingivas, fauces, palatum, tonsillas, columellam, & narium pinnas exedunt, tunc loquelam vitiant, undè vox rauca, vel sibilosa, & omni sonoritate destituta, vel per nares clangosa.

Invadit interdùm capillorum, pilorumque radices, eosque excidere facit à capite, supercilijs, mento, cunctisque locis pilosis. Manuum ungues ut plurimum finduntur, vel planè decidunt. Manuum volæ, pedumque plantæ in rimas, & rhagades dehiscunt. Sic si in obscœnis partibus excrescentiæ, ut verrucæ, mariscæ, thymi, mora, condylomata, cristæ, aut in ano conspiciantur.

Certissima hujus luis indicia sunt dolores non in articulis, sed in eâ regione, quæ medio ossium est, & prope articulos, ut anteriore tibiarum parte, cruribus, brachijs, & spatulis, & capite, qui intensissimi, & acerbissimi sunt, ac circa vesperam exacerbantur, noctu ingravescunt, & sunt diuturni.

Hujus morbi soboles sunt gummata, & tumores duri, qui in ossium locis pullulant, dolore divexantes nocturno, à quibus ossa dilatantur, & non rarò exeduntur, vel cariantur, sanâ existente cute, & hoc sæpissimè accidit in cranio. Accidunt tandèm tabes, febres hecticæ, cachexiæ, dentium casus, surditates, cœcitates &c.

Addimus & nos prædictis signis esse veluti hujus luis proprium signum, affectuum contumaciam in affligendo, & rebellionem, in desistendo; Nàm nullus affectus est tàm contumax, & rebellis, ut Venerea lues: Si quoties vulgaribus non cedat remedijs, nec remittatur, sed crudelius vel denuò exacerbetur, de latente hujus luis naturâ meritò est suspicandum.

CAP. VI.

De Luis Venereæ Præsagijs.

VEnerea Lues cùm primò grassari cœpit, multùm ferox extitit, multasque hominum myriades jugulavit; at nostris temporibus aut neminem, aut pauciſſimos interemit, postquàm Veneris corruptæ Mercurius vindex innotuit. Solet quandòque hæc lues fœdus inire, & planè extincta interdùm, & veluti hydra videri, & tamen post plures, ut triginta, vel quadraginta annos, & ultra, eam non nunquàm sæviſſimis doloribus, pertinacibus gummatibus, ossium adesionibus, tabe, cæterisque symptomatibus, quasi clàm corpus invadere observavimus, quia pustula, caries, ulcus, gonorrhœa,

& bubo non alexipharmacis, sed vulgatibus curata fuêre præsidijs. Est hæc lues veluti parva favilla, quæ nisi optimè, & totaliter extinguatur, maximum parit incendium.

Faciliter curatur hæc lues recens, quàm inveterata, quia hæc continentes, illa contentas contaminavit particulas. Qui aliàs hanc passi fuerunt luem, & denuò eandem contrahunt, majori curantur difficultate, quia fortiùs in ijs imprimitur lues. Quò ad anni tempora hæc lues facilius æstate, quàm hyeme curatur. Ulcera in pene recentia non ægrè curantur, quàm in vulvâ, vel in, & circa podicem, quia hic locus est excrementis dicatus, & medicamenta non satis commodè applicari possunt. Si nasi ossa sint adesa, & simul lenta adsit febris; difficilis curationis malum denotat, cum cerebro, vel ejus membranis sit impertitium. Vertigines, epilepsiæ, surditates, & cæcitates, gravissimę, & pertinaces sunt; indicant enim Veneream luem cerebrum obsidere. Facilius curatur hæc lues, quæ per Veneris congressum contracta est, quàm quæ alio modo, qui per præposteram Venerem contrahunt luem, difficiliùs curantur, Sic quoque difficillima, & ferè insanabilis erit lues contracta sanguinis, & seminis vitio ex primâ generatione, aut lactatione; hujusmodi nàmque occasiones connutritam reddunt luem, ac radicatam in partibus nutritis, aut solidioribus genitis ex principio, aut alimento coinquinato. Quò plures graviores morbi, & symptomata lui Venereæ copulantur, eò magis ægri periclitantur; quò pauciores, & leviores, minus. Quapropter ij in primis pereunt quibus lui Venereæ febres putridæ dictæ, & malignæ associantur; virulentia enim Venerea non tantùm alimentum corrumpit, malignitatem adauget, & febrem reddit graviorem, verùm etiam innatum debilitat calorem, undè nec febris, nec morbus ille malignus à natura superari potest. Parem infert difficultatem habitualis febris juncta lui; hæc enim paulatim partes omnes consumit, & tandèm erit immedicabilis propter contrarias coincidentes indicationes, quibus simul satisfacere nimis arduum est, undè ægroti necessariò moriuntur. Ex læsâ ventriculi coctione pertinaces oriuntur obstructiones, & ex læsâ sanguificatione hydrops lethalis. Sed fusiùs in prognosi particulari.

Hic unum pro coronide notandum est, quòd nunquàm natura pro luis curatione crisim moliri visa fuit, nec critici supputandi, vel expectandi sunt dies; imò nec sanctorum preces valent, ut in alijs suffragari solent morbis, nec unquàm votivas tabellas de more suspensas vidimus pro hoc curato morbo, cùm in scortatorum flagellum immissus videatur, ut criminis luant pœnas.

Tandèm ad infectorum solatium non tacendum censemus, quòd hæc lues nullius infamiæ, nulliusque opprobrij notas infectis inurit, & hoc est maximum almæ Veneris privilegium, aliter totum humanum genus ignominiosum esset, cum non tantùm hæc dira lues conjuges, viduas, juvenes, & senes inficiat, & quotquot in Veneris castris militant, sed etiam nec uxorum pudicitiæ, nec virginum castitati, nec infantum innocentiæ parcat.

DE

DE LVE VENEREA.

LIBER III.

De Curatione ſpecierum Luis Venereæ.

EX ijs, quæ ſuprà diximus, jam conſtat, quòd Lues Venerea primò ultimum partium nutrimentum corrumpit, ſecundò ſanguinem, tertio partes ſpermaticas duras, ac quælibet dictarum corporis partium, dum morbi virulentiâ imbuitur, ſuos producit in corpore effectus pro ſui proprietate. Quippè pollutum ab hoc morbo nutrimentum producit gonorrhæas virulentas, puſtulas, caries, ulcera, bubones veros, vel ſpurios, ſcabiem per univerſum corpus, alopecias, coloris depravationes per totum corporis habitum. Si deindè à nutrimento fermentum in ſanguinem diffundatur, tunc in promptu erunt capitis dolores, in periofitijs dolores, in artubus noctù crudeliter cruciantes, qui deindè in gummata, & nodos abeunt: maciem poſteà inducit, ſive maraſmum Venereum, vel faciliter cachexiam univerſalem, & hydropem. Quartò, ſi ubi ſanguis contaminatus dolores, & gummata excitat, continentes partes, uti ſunt venæ, arteriæ, nervi, membranæ, & cartilagines, inficit, tunc in promptu erunt ulcera cavernoſa, & profunda, gangræne, membrorum ſtupores, paralyſes, contracturæ, ulcera corroſiva in linguâ, faucibus, uvulâ, larynge, naribus, tinnitus aurium, & capitis dolores fixi, & profundi: Quintò, ſi à ſpermaticis mollibus virus in oſſa, quibus adhærent, imprimatur, caries oſſium, gangrænæ oſſium, palati foramina, naſi putredo, dentium corruptio, & cranij mortificatio uſque in cerebrum evenient. Verumenimverò licèt ab uno, eodemque ſemine tot fructus in vivente pullulent, unam tandem, eandemque curationem non admittunt; diverſificatur enim illa tàm ratione partis, quàm ratione modi, quo pars à morbi virulentiâ læditur; itàque ſigillatim uniuſcujuſque ex enumeratis affectibus trademus nomen, & quid per nomen intelligatur, ejus ſigna, cauſſas, prognoſim, & curationem, verùm de noſtro more, perpetuò vulgarium cauſſas, & curationes trutinabimus, eaſque ſemper repudiantes: Unum tamen hîc notandum, quòd Lues Venerea neque gradus, neque ſpecies mutat. Sed ſemper in uno gradu acquiſitæ ſuæ activitatis perſiſtit, horribilior, & vehementior tamen devenit, vel ratione partis læſæ, vel materiæ quantitate ab ejus virulentiâ corruptæ.

CAP.

Cap. I.

Vulgarium præsidia in examen adducuntur.

Antequàm affectuum à Lue Venereâ pullulantium curationem exordiamur, operæ pretium duximus juxta nostram Trutinam vulgarium præsidia in isto curando morbo examini subijcere, ut eorum indicationes, & curationes potius ludamus ineptas, quàm indè aliquid boni eruamus. Luem nullatenus isti curare poterunt, cùm juxta eorum principia ex occultatum ægritudinum numero esse fateâtur, quarum natura est illis intrinsecè abscondita, & hinc occultos morbos non solùm ignorantiam in theoriâ, sed & errores in praxi parere certum est; nàm methodus, quæ per indicationes à rei naturâ desumptas procedit, morbi naturam, qui curandus assumitur, cognitam, & manifestam supponit, cujusmodi apud ipsos non est lues. Ità fatetur *Gal. 3. meth. cap. 16. Eorum, quæ sunt nobis incognita, vera methodus haberi nequit.* Curant vulgares morbum ignotum in causâ, & in effectu cognitum à posteriori, & per experimenta; omnia enim remedia per experientiam inventa fuisse credunt, & *Sennertus*, *Falloppius*, cæterique hujus farinæ vulgares docent, nisi Hispani, qui primi hanc ab Indis attulêre luem, unà simul remedia etiam non asportassent, lignum nempè guajacum, salsamparillam, chinæ radicem, & *Jacobus Carpus* vel casu, vel analogismo ductus curationem per hydrargyrum non inveniisset, usque modò vera hujus mali curatio lateret, & medicamenta occultâ qualitate agentia ignorarentur: hujusmodi igitur remedia per experimenta inventa, & non per indicationes curativas nostros barbatos empiricos reddunt, præclarosque doctores, nihilo à tonsoribus dissimiles.

Tria sunt vulgarium præsidia pro lue curandâ, primum est phlebotomia, secundum purgatio, & tertium sunt ligna, & radices. Verùm phlebotomia & medicamentum purgans sunt veluti duæ firmissimæ columnę, quibus tota vulgarium medicina nititur, has cunctis adhibent morbis, quibus remotis, tota quanta est, ruit. Perpetuo eorum medicina in sanguinem, & stercus terminatur, non mirum, sunt de hirudinum, & scarabeorum genere. Sunt vulgares Agyrtarum instar, qui oleum, vel emplastrum nacti, illud ad omnes protsùs efferunt morbos, atque alios insuper quamplurimos valere.

De Phlebotomiâ.

Rixantur, & digladiantur vulgares, an sanguinis missio locum habeat in hoc affectu; & ferè omnes plenâ aulâ, paribusque votis eam probant, credentes sanguine misso non minus pravos educi humores, quàm infecto hepati magnum præstari beneficium. Præterea eam admittunt, ut sanguinis copia minuatur, & fervor in hepate compescatur, præcipuè si ex eo febris oriatur. Insuper, si sanguis nimium calidus sit, & habitus plethoricus, quia propria luis remedia calida, & sicca esse debent, quæ tutò administrari non possunt, nisi sanguis priùs diminutus

sit

sit ratione cujus major evadat luis fomes, & excrementorum copia augeatur.

Locus sanguinem deplendi est: Si virulentia nullum peculiarem ad aliquam partem motum habeat, *Fallopius*, *Sennertus*, & alij ex cubito sanguinem mittunt, ex venâ scilicet interna, seu basilica ob hepatis rectitudinem; Si verò ad partem aliquam peculiariter habeat motum, & quidem ad inguina, si delitescens bubo, aut suppurationi reluctans, vel gonorrhœa recens suppressa, aut parcè fluens, in partibus inferioribus venam tendunt: ità enim virulentia versus inferiora trahitur, & propter calidi sanguinis affluxum postea bubo factiùs suppuratur, & gonorrhœa refluit. Eodem modo si caries, ulcus &c. in pudendis adsit, in pedibus venam aperiunt: Itaque si infra hepar partes laborent, ex inferioribus venis sanguinem educere congruum erit; Si supra hepar, scilicet ad caput virulentia ruat, & ibi vehementissimos excitet dolores, prava ulcera, capillorum defluvium, in brachio cephalicam aperiunt. Hirudines podicis venis non rarò in lue locum habere credunt, scilicèt dùm vires debiliores venæ sectionem sustinere non possunt, vel dum sanguis crassus, & fœculentus plus justo in corpore redundat, aut dum ejus suppressa, vel saltem imminuta est evacuatio, aut cum è propinquo hepar, & naturalia viscera evacuare, & expurgare intendunt.

Cucurbitulis etiam utuntur, dùm ad inguina attrahere volunt, ut cùm bubones, postquàm apparuerint, non crescunt, vel delitescunt. Item cùm ad partes cutaneas evocare intendunt.

Sed errant vulgares sanguinarij, sanguinem mittentes, quia vitium in sanguine excitatum à lue non est ejus conditionis, ut phlebotomiâ emendari, & corrigi possit; nàm quantumuis sanguinem detrahas, ille, qui remanet, est ejusdem energiæ, ac qui missus fuit, cùm non sit in quanto, sed in quali venenoso, quod antidotis expurgari debet, & sanguinem educi non indicat virulenta lues, nec est appropriatum præsidium, cùm ei tantum alexipharmaca adversentur. Imò phlebotomia multùm nocere potest, quia vires, & calorem minuit, cum noster calor à sanguine excitetur, virulentiam adauget, refrigerat, & refrigeratæ partes minùs veneno resistunt, imbecillæ vires concoquere non possunt, undè continuus excrementorum proventus cumulatur, nec tám citò restituuntur ij, quibus sanguis detractus fuit. Quare propter aliena pericula cauti ægri nullum aliud reformidant præsidium, quàm phlebotomiam. Testes sint ejulatus, plantus, & clamores tot in hac urbe infectorum, qui vulgarium sanguificinam tolerârunt. *Clamitat de terrâ ad cœlum sanguis in lue eductus, & suam habet vocem, sicut clamavit in Abel.*

In lue correpto sine noxâ è pedibus sanguinem extrahi credunt, ac si sanguis è pedibus extractus non esset ejusdem conditionis, ac ille, qui è brachijs extrahitur, ac eliminatus à toto, & in pedibus depositus, ac si extra vitæ œconomiam stagnaret, & Harvejano non reparetur motu. Crudele barbatorum subterfugium, quia ipsi crudeles.

Hirudines venis sedis locum habere cre-

credunt, & præsertim, si vires ità debiles sint, ut phlebotomiam ferre non possint; vel dùm sanguis crassus, & fœculentus plus justo in corpore abundet; vel dùm suppressa est aliqua evacuatio. Verùm toto cœlo errant credentes sanguinem è venis eductum hæmorrhoidalibus non debilitare, id facile videre est in ijs, qui hisce obnoxij sunt evacuationibus, qui magis ab hac, quàm ab omni aliâ debilitantur. Observate quæsò, & comparate eos, qui hæmorrhagiam ex aliquâ corporis parte patiuntur, & videbitis eâdem sanguinis copiâ exhaustâ, magis debiles apparere subditos infernæ evacuationi. Ridiculum est, cum imaginentur sanguinem crassum, & fœculentum excerni; nàm talis apparet ex stricto orificio, ex quo guttatim exit: quapropter statim coagulatur, dùm educitur, cùm sit orificium strictum, quod facilè quisque observare potest etiam in brachio ex angusto foramine. Ex orificio autem stricto nulla aquosa sanguinis pars, sed crassior, in qua volatiliores partes conduntur, & consequenter melior, & utilior sanguinis pars excernitur, serosâ excluså. Imò venæ hæmorrhoidales extimæ non ex splene, ut volunt, sanguinem recipiunt, sed ad ipsum reportant, quem hauriunt ab arterijs, & quia proximè illum exhauriunt, ideò sanguis est florentissimus. Id, quod ex suppressâ aliquâ evacuatione hæmorrhoides tundere dicunt, vanidum arbitramur, nàm non semper ars imitari potest, quod natura facit: non enim semper scit medicus, an natura id facere debeat, & non possit, ut ille suppleat. Evacuat natura sanguinem aliquandò per inferiores partes, sed quandòque id non rectè facit, & quandòque rectè, ut quod in venis fluctuat excrementitium, evacuet: sed quomodò scit medicus excrementitium hoc in venis fluctuare, & qua arte assequi datur partem, ex qua natura excrementum vacuare intendit, nàm licet circuletur sanguis, & excrementum fluctuet, nec semper cum toto circulatur sanguine per totum corpus, & interdum misso sanguine ex parte ab excremento distanti, minuitur sanguinis motus, & excrementum vel in vasorum parietibus remanet, vel in illis, per quas ex uno vase in aliud transit sanguis. Isti medici sanguinarij sunt publici grassatores, urbani Sicarij, horrendi lictores, spurci carnifices, crudele, & exitiandum hominum genus, sunt tandèm ministri, scilicet divinæ ultionis executores, sanguinem ebibunt, & peccatis vescuntur populorum, ità habetur *Ecclesiast. cap. 38. num. 15. Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Sunt morbi Dei flagella propter peccata, ideòque imponè, proprioque genio fortunas hominumque vitam negotiantur, dùm incerta, & periculo plena audent tentare remedia: saltim sanguinis eductionem tanquàm maledictam rejiciant, & à remediorum censu eliminent.

De Purgatione.

Purgatio per pharmaca cathartica multùm in lue locum habet, corpus enim cacochymum, & vitiosos exturbat humores, ejusque antidotis meliorem sternit aditum, aliàs hujus mor-

morbi alexipharmaca impuro corpori parùm prodessent, ea propter detrimentum afferre, & corpus alijs obnoxium morbis reddere possunt, estò lues expugnetur. Non omnes per sudores vitiosi discutiuntur humores, sed tenuiori dissipatâ parte, crassior remanet, quæ, nisi eliminetur, siccescit, & visceribus adhæret, & quandòque acrimoniam adipiscitur, & vasorum substantiam lædit. Undè lues curatu pertinacior redditur, & obstinatæ fiunt obstructiones.

Verùm ante purgationem corpus reddunt fluidum tribus præparantibus *Syrupis, de boragine*, scilicet, *lupul. cichor. endiv. fumar. pomis &c.* cum appropriatis *aquis* s. *Lupul. fumar. borag. cichor. capill. ven. &c.* quos ità præscribunt.

℞. *Syr. fumar. &*
lupul. ana ℥. j.
aquæ fumar. ℥. iij. *m.*
Vel ℞. *Oximell. simpl. aut compositi* ℥. ij.
aquæ betonicæ ℥. iij. *m.*
Vel ℞. *Syr. Capill. Ven. &*
Cichor. ana ℥. j.
aquæ lupul. ℥. iij. *m.*

Nonnulli vulgares tanquàm efficaciores earundem herbarum decoctiones ad uncias quinque, vel sex Syrupis præferunt, addito ad saporem saccharo.

Altercantur vulgares, an in lue percurandâ purgantia lenia, vel fortia propinanda sint: Verùm quia lues, cum sit gravi affectio, lenia respuit, eisque non cedit, fortiora, & validiora aliqui commendant medicamenta, quæ radicitus luem exterminare valent. Contra alij valentiora exhorrent, ne vires infirmentur, quas conservare tenetur medicus, & in chronicis præsertim morbis. Verùm hæc lis, ne diù inter barbatos agitetur, facilè dirimi potest, si juxta corporis, & evacuandorum succorum conditionem diversificentur medicamenta, quò circa: Si corpora robusta, & humores educendi sint tenaces, potentiora administrare expedit, nullam timendo virium jacturam, quæ ut potè robustæ hujusmodi permittunt medicamenta excrementorum crassitiem exturbantia: Quòd si delicata sint corpora infecta, neque succis admodùm crassis abundent, rationabile erit mitiora propinare medicamenta, ut viribus consulatur.

Præparato corpore tribus syrupis, ad purgans deveniunt medicamentum, sed juxta eorum nænias assignant humores bilioso, pituitoso, vel melancholicos, vel ex his congeriem, cum hoc tamen discrimine, quod in recenti lue bilioso magis, in diuturnâ verò pituitosi, & melancholici dominantur. Inter medicamenta bilem expurgantia recensent *rhabarbarum*, præstantissimum remedium, ceu hepatis animam, addito *syr. viol. aut ros. solut. vel de cichor. Nic. in decoct. fol. sen. prun. Damasc. & pulp. tamarind.* Inter pituitam, & melancholiam purgantia principem habere locum credunt *Syr. Suess. & de fumar. mai. additâ confect. hamech in decoct. fol. sen. agaric. polyp. epithim. &c.* Ità concinnant pro bile purgans.

℞. *Fol. sen. or.* ℥. j.
prunor. damasc. num. vj.
pulp. tamarind. unc. ß.
f. decoct. & in suff. colat. diss.
Syr. ros. solut. onc. iv.
de Cichor. Nicolai unc. ij.
rhabarbari ℥. j.
m. f. p. & adde
aquæ Cinnam. parum.

Pro pituitâ, vel melancholiâ.

℞. *Agarici trochiſc.* ʒ. iij.
polyp. quere. ʒ. ij.
fol. ſen. ʒ. j.
(Si aliqua adſit obſtructio)
tart. vin. alb. ʒ. ß.
f. decoct. & in ſuff. colat. diſſ.
Syr. Sueſſ. &
de fumar. maj. ana onc. iij.
confect. Hamech. ʒ. ß.
m. f. p.

Pro variâ ſuccorum congerie:

℞ *fol. ſen. &*
polyp. quere. ana ʒ j.
prun. damaſc. paria iij.
Cinnam. ʒ. j.
f. decoct. in aquis cord.
& in ſuff. colat. diſſ.
ſyr. roſ. ſolut. &
ſueſſ. ana ʒ. iij.
confect. hamech. ʒ. iv.
m. f. p.

Si æger à pharmaco potabili abhorreat, parant pilulas, ut

℞. *Pilul. aggregat.*
de fumaria, &
de tribus, ana ʒ. j.
cum cathart. roſ. fermentur.
pilul ix. *& deaurentur.*

Poſt quatuor deindè horas exhibent apozema, ut

℞. *Conſ. roſ. perſ.* ʒ. iij.
elect. de ſucc. roſ. ʒ. iij. m.

& deſuper comedat æger.

Non loquimur de aljs *compoſitionibus ſcamoniatis, aquis ſolutivis, ſyr. de ſpinâ ponticâ, jalap. turbit, colocynthide, mannâ &c.* quia lippis, & tonſoribus patent. Hæc, & alia ſunt vulgarium quamplurima purgantia, quæ vertiginoſo feruntur motu, & curriculo iſto abſoluto, ſemper eadem recurrunt. Magnum errorem in quatuor purgãdi humoribus patrãt vulgares, dùm in iſtis luem quærunt, in quibus reverâ non conſiſtit, & in omnibus producitur, nec demonſtrari poteſt, cùm per ipſos ſit occulta. Eſt medicamentum purgans maximæ impoſturæ inventum, remedium pecunioſum, emungendarum pecuniarum officina, quotidianus cenſus, & ægrorum certiſſima pernicies, quod naturæ vim facit. Purgantia igitur nos acri ſtudio rejicimus, quia nullum juvamen præſtare poſſunt: quod vel minimam luis ſpeciem nos curare dicimus, ſed ſaltem occultare valent; à diſſitis enim partibus, & à circumferentiâ ad centrum trahunt, & hujuſmodi attractio majorem luis penetrationem juvare poteſt, quàm hoc deſtituta auxilio non præſtitiſſet, undè luis univerſalis imminet metus. Non eſt medicamentum purgans id, quod alvi ſolutionem promovet, nàm in hoc minimam ſpem collocare debemus, ſed quod morbum per ſuum emunctorium ſolvit, ità ſunt reliquæ evacuationum ſpecies, vomitus nempè, urinæ, ſudores, inſenſilis tranſpiratio &c. Sunt vulgarium purgantia mucida, & rancida, quia vetuſtatem ſapiunt, & ante luis ortum extabant, nec tunc quicquàm profuerunt; conſiderate, ſi nunc pro tanto curando morbo prodeſſe poſſunt. Non ſunt medicamenta huic morbo propria, ſed communia per applicationem, ideòque de communi morborum omnium, nullum alexipharmacum pro lue continent, niſi virus laxativum, quod eſt de veneni corroſivi genere, ac pro ejus curatione noxia. Eſt lues morbus novus, ideòque nova medicamina, novoſque requirit medicos.

De Ligno Guajaco.

Sufficienter corpore per plures phlebotomias, tùm plurimis purgantibus depleto, ad reliqua procedunt præsidia, quæ propriam, & specificam hanc luem expurgandi vim habent, & totalem, ac omnimodam ejus extirpationem operandi, non quia calefaciunt, aut siccant, vel sudores, aut aliam movent evacuationem, sed id patrant propriâ vi, ac formâ, sive occultâ, & arcanâ quadam proprietate, sicut ejus causa est occulta, & deliteria. Hunc extirpant morbum ad eum ferè modum, ac theriaca venena, & malignitatem expugnat, undè luis antidota, & alexipharmaca vocantur. Hæc tria sunt, primum Lignum guajacum, secundum Salsaparilla, & tertium Chinæ radix.

Inter luis antidota principem tenet locum lignum Guajacum, quod etiam *lignum sanctum*, seu *palus sanctus* dicitur: sanctum appellant ob eximias vires quas adversus Veneris luem habet. Nonnulli à ligno sancto guajacum distinguunt, verùm hæc differentia tantùm se tenet ex ligni adolescentiâ, vel senectute, ideòque hæc duo confundi solent, & pro uno, eodemque accipiuntur, estò in oppositum blateret *Fallopius*. Dicitur *Indicum*, quia ex Indiâ ad nos vehitur. Nascitur hæc arbor apud Indos, ubi Venerea lues endemia esse fertur, atque ibi unicum ejus præsidium. Guajaci planta ad fraxini proceritatem, & ad hominis mediocris habitûs crassitudinem plerùmque assurgit. Folia refert quadantenùs plantaginis æmula, dura, ac brevia; flores ejus producuntur luti; fructus verò juglandis magnitudine, quæ esu alvum subducit; cortex annosis niger, juvenibus verò subrutilus. Hallucinantur, qui putant buxum, quę apud nos nascitur, idem esse cum guajaco; Siquidèm guajacum pingue, & resinosum visitur, materia intùs nigra, ebeni ferè modo: quin & sapor amarior, & acris, quibus siccam buxi materiam carere constat.

Divinum ad luem arcendam prædicant guajacum quantùm ad vires, quia admodùm calidis, & siccis constat particulis, ut ex sapore, odore, & acrimoniâ conjicere licet insigni, qua linguam mordicat, & quidem calidum putant in principio tertij gradûs, vel in fine secundi, ac simul tenuium partium, undè crassa attenuandi, lenta incidendi, & detergendi vim habet, sudores, & urinas ciendi, superfluos humores frigidos dissipandi, & absumendi. Quapropter specificum hujus luis credunt alexipharmacum, verùm non ob istas manifestas qualitates exhibent guajacum vulgares, cùm non desint nostris in regionibus medicamenta hujusmodi qualitatibus prædita, sed ob peculiarem, specificam, & occultam qualitatem, qua Lui adversatur.

Eligendum est optimum, & præstantissimum, quod non sit tempore, & vetustate consumptum, sed recens, non sit totum nigricans, nec totum albicans, densum, ponderosissimum adeò, ut in aquis non fluctuet, sed mergatur, resinosum, odoratum, gustui & acre, & subamarum. Cortex optimus censendus est crassus, & fortiter ligno adhærens, adeò ut vix ferro sequestrari valeat, nàm qui facilè

ſeparatur à ligno vetuſtatem ſapit.

In luis curatione totaliter pendent à ligno vulgates, illudque in varias parant formulas, ſed præſtantiſſimum judicant, ſi limetur, & in minutiſſimam redigatur ſcobem, quia ſic citiùs, & meliùs ex eo extrahitur virtus. Ità præparatum infundunt, macerant, viginti quatuor horarum ſpatio in aquâ nonnulli, ali in hordei decocto, quidam in aquis ſtillatitijs, aliqui in vino, alij in ſero lactis, quidam in jure carnis ad calentes cineres ſervant, poſtmodùm lento decoquunt igne ad tertiæ partis conſumptionem, & decoctum formant, quod maximè in uſu eſt, quia in formâ liquidâ totum penetrat corpus, ut

℞. *Lig. guajac. cum cort.* ℥. *iij.*
infundantur in aquæ font. lib. iij. ſtent per h. 24. ad calentes cineres. Deindè bull. lento igne ad tertiæ partis conſumptionem, addendo in fine ſ. a.
flor. cord. p. j.
paſſul. enucleat. ℥. *j.*
liquiritiæ raſæ ℥. ß.
coriand. præp. ℥. iv.
cinnam. ℥. *iij.*
f. colat. & ſervetur.

Doſis lib. ß. Hoc ſimplici utuntur decocto in delicatis, imbecillibus, excarnibus corporibus in lue recenti, temporibus, & naturis calidis, quandò tantùm alterare intendunt. Quòd ſi minus excalfacere velint, lignum infundunt *in aquas cichor. lupul. endiv. ſonchi &c.* & herbas concoquunt refrigerantes. Si verò humectare intendunt, in tabidis, & emaciatis in jure pulli, vel carnium vituli, aut arietis decoctum parant addendo melonum ſemina, ptiſanam hordeaceam &c. Pro infantulis, & lactantibus lue infectis julepum parant, ut

℞. *Lign. limat.* ℥. *ij.*
aquæ graminis lib. ij.
infunde per 24. horas, bulliant deindè ad duarum partium conſumptionem f. colat. & cum ſaccharo q. ſ. f. julep. De quo detur parùm, & ſæpè.

Vel compoſitum formant decoctum, cui dejectoria addunt pharmaca, quod non ſolùm alterat, ſed purgat, & alvum ſolvit. Uſurpant illud in corporibus duris, & ruſticis, aut temporibus, & naturis frigidis, aut in Lue confirmata, quæ citam evacuationem tolerare poſſunt, ut

℞. *lign. guajac recenter limati* ℥. *iij.*
in aquæ fontis lib. iij.
infundantur per 24. horas. Deindè lento bulliant igne ad medietatis conſumptionem, addendo ſ. a.
polyp. querc. ℥. *ij.*
prunor. damaſc. num. x.
fol. ſen. or. ℥. *j.*
endiviæ,
plantaginis,
fumariæ ana m. ß.
flor. cord. p. j.
coriand. præp. ℥. ß.
f. colat. & ſervetur.

Doſis lib. ß. pro vice.

Poſtquàm etiam primum decoctum ſimplici modo paratum, & colatum eſt, reſiduo ligno poſt primam coctionem iterùm majorem aquæ quantitatem affundunt, & ad tertiæ partis conſumptionem coquunt, & in ventriculi gratiam paſſul. coriand. debitam addunt quantitatem, & colaturam faciunt, vel ſaccharo edulcorant. Colaturam pro potu ordinario in prandio, & cœnâ exhibent. Vel guajacinum parant vinum, ut

℞. *ligni lib.* v.
sacchari alb. lib. iv.
Vini alb. lib. CL.
Lign. cum saccharo in cadum inde, & vinum calefactum affunde:

Hoc vinum prævalet in luis inveteratæ vestigijs delendis, præcipuè ubi prolixo remediorum usu defatigatus æger à medicamentis jàm abhorret; commodius autem tempus, & opportunior modus hoc vinum parandi erit tempore vindemiarum, ut

℞. *Musti alb. dulciss. amphoras LX.*
lign. guajac. recens limati lib. iv.
passul. enucleat. unc. vj.
pomor. redolentium. num. XL.
fermentescat mustum in vase ligneo, & finito fermentationis tempore, hoc vino utatur æger pro potu ordinario, vel semel inter prandendum, & semel inter cœnandum.

Aliqui tertiâ vice lignum coquunt, & decoctum pro ciborum elixatione inservit, pro panificio, pro manuum, & faciei ablutione, narium elotione, ulcerum mundatione &c. usurpant. Propinant decocta composita vulgares ad dies 25. simplicia verò ad dies 60. & ultra, quia lues Venerea morbus chronicus est.

Nautæ, & mercatores, qui lignum sanctum ad nos tàm ex occidentalibus, quàm orientalibus Indijs invexerunt, præclaros ejus effectus in lue curandâ adeò versus è omni extulêre conatu quo venale redderetur, ut scriptores veluti psittaci ejus virtutes mitis decantare encomijs non sint veriti, fidem tantùm illorum relationibus potius adhibentes, quàm experientiæ; undè plura de ligno scripsêre, quæ vel nunquàm, vel rarissimè observantur in praxi, nec nominis rumor promissis respondet, sed magno in pretio fuit in luis principio; quapropter nunc in officinis prostat, & est vile abjectum, ignavum & nullius compos efficaciæ. Ità evenit, ubi res ad summum devenit fastigium, eam retrocedere, & declinare necesse est. Aliquos non puduit medicos firmiter credere hujus ligni decoctum non minùs nutrire, quàm jus pulli nutriat; & extenuata ab eo non offendi corpora, sed impinguari; easdem quoque impinguandi vires salsæ parillæ, ligno sassafras, & præcipuè chinæ radici perperàm tribuerunt: Observârunt nàmque nonnullos lue Venereâ ferè tabefactos horum decoctorum usu hebetiores redditos fuisse, & statim protulerunt horum decoctionibus corpora pinguescere. Verùm hi malè de ligno cogitârunt, nam estò vegetabile sit, calidum tamen, siccum, & tenuium partium prædicant vulgares, & si aliquid in decoctione deponat, hoc potius medicamenti, quàm nutrimenti rationem habet. Quod nonnulli post luem Veneream opimi fiant, id accidentaliter evenit, nàm nutrimentum, quod ad cunctas corporis partes affluit cõtaminatur, nec nutrit ob depravatam impressionẽ, cùm non sit de partium indole; si enim cibus quantumvis optimus non nutrit; imò *Corpora impura quò magis nutries; eòmagis lades*: considerate, si lignum, radices &c. in tanto morbo nutrire possint. Per medicamenta lui adversantia, per secessum, sudores &c. eliminatur lues, purificatur nutrimentum, & statim corpus benè nutriri, & impinguari incipit. Id in mercurialium, & antimonialium exhibitione quandòque observamus. Numquid mercurius, & antimonium nutrit, & impinguat? In quibusdam alijs morbis, & præcipuè

se-

febribus, diarrhoeis, dysenterijs &c. accidit, ante quas, cùm homines ob depravatum nutrimentum erant graciles, per morbum absterso pravo nutrimento, & optimâ ventriculo restituta coctione, posteà benè nutriri incipiunt, & corpulentiores evadunt.

Naturam ut novercam accusare deberemus, si pro nostratibus curandis morbis medicamenta ex utriusque Indiæ locis, alijsque dissitis terræ plagis mendicaremus, & mercatores lucri cupidine allecti in nostras magno nostro sumptu asportarent regiones; latitant in nostratibus plantis adhuc summæ virtutis medicamina, quibus nostrates morbos curare valemus.

Indiæ populi quodam endemico laborant morbo, qui cum lue Venereâ quandam habet cognationem, quicquid aliqui dicant scriptores, quem ligni guajaci, salsæ parillæ, & chinæ decoctis curare satagunt, sed non eorum votis respondet sanatio, & experimenta de ijs facta fallacia reperta fuêre, licet hæc vegetabilia viridia, & succiplena possideant, tamen ij fucatam tantum, & palliativam sanationem ab illorum simplicium decoctionibus adipiscuntur; undè symptomatum remissio, & quædam comparatæ valetudinis species emergit, ità ut iterum illa repullulent, & deinceps sæviora, quàm anteà exuscitent. Considerate quæso nunc, an hujusmodi sicca corpora nimio virium detrimento ex dissitis regionibus ad nos convecta infectis profutura sint. Verùm quia jam pridèm parta fama multum eis contulit, ut ridiculum sit ea omninò repudiare, quæ aliàs communi applausu sunt recepta, adhuc nostri vulgares impostoram meditantes, ea multis præparationum formulis usurpant, ac testati hujusmodi plantas, quas celebriores reddiderunt, idem emolumentũ contaminatis impertiri tenentur hîc loci, ac in solo natali. Hos vulgares secuti sunt Spagyrici, arcanorũ distributores, & ex his extracta, salia, olea essentialia, spiritus, tincturas, quintas essentias speciosis decoratas nominibus concinnârunt, auro contra caras, & aliorum simpliciũ medicamẽtorũ admistione adulteratunt, & ignarũ vulgus, & stolida plebecula pretiosa chymicorum medicamenta, seu impostoras existimant, quia maximo emũtur pretio.

Credunt vulgares lignum, & radices luis esse alexipharmaca, quia qualitate agunt occultâ: sed vellemus scire, quo instrumento, sensu, & ratione id vos assecuti fuistis? Quis eam qualitatẽ occultam vobis inesse ostenderit? Undè ejus virtus vobis innotuerit? A calore forsan? Pondere? Duritie? Nonnè idẽ pondus, durities eandẽ in buxo, ebeno? Quandò horum vegetabilũ decoctionibus in alijs utimini morbis, illi morbi numquid occulti, dum medicamentis utimini occultâ qualitate agentibus? Occultâ illa qualitas potiùs in vestris depravetis phantasijs, quàm in his vegetabilibus consistit, cùm eam demõstrare non possitis. Si tanta vis ligno, salsæ, & chinæ inest, quare jejunia quadragesimalia, & tenuem instituitis diætam? Si alexipharmaca, quid coctione opus est? Quid prodest arcanum componere? Si insit occulta qualitas, quid & compositione opus est? Non charitas lui medetur, verùm lucri cupiditas cum crassâ Minervâ conjuncta, pecuniæ jactura, & majus aliud damnum, quòd tàm malè ægrorum corpora multantur. Casu luem curant, si quandòque curant, cùm hujus mali caussa, & præ-

præsidia apud ipsos sint occulta, & veluti cœci in tenebris ambulant, undè ambo, æger, & medicus in foveam cadunt, ideóque in morbis occultis, occultis præsidiis, tàm medendi artem callet agaso, quàm medicus vulgaris: Undè factum est, ut tonsores, balneatores, veterenarij, & veteramentarij in luis curationem sese ingerere auserint.

Horum vegetabilium decocta fucatam, & palliativâ luis sanationem præstare possunt, nõ quia alexipharmaca sunt, & vi operâtur occultâ, sed quatenus solũmodò sudores movent, & superficialiter venereũ disperdunt fermentum, eapropter non solũ guajacum, salsa, & china lui prosunt, sed ea omnia vegetabilia, quæ sudores eliciunt. Nos parvo sumptu nostratibus plantis, ut ligno buxi, viſci quercini, cedri, cupressi, rhodiâ radice feliciter multos deploratos sanavimus gallicos, quos guajacum, salsa, & china, quæ non nisi ficca, & omni succulentâ substantiâ emuncta in nostras asportantur regiones, curare potuerunt. Paravimus nos domi ex nostratibus plantis decocta mediâ maceratione, digestione per 24. horas, & ebullitione, & ad commodiorẽ, & faciliorem salium essentialium, seu tincturę extractionẽ pro qualibet aquæ communis libra spiritûs vini alkoholizati unciam dimidiam admiscuimus. Verùm hęc nunquàm in vase aperto, sed perpetuò in duplici, junctûris tritici farinâ, & ovi albumine optimè clausis, ut vini spiritûs, & horum vegetabiliũ volatile sal in decoctionis aquâ solutum nullo modo aufugiat, sed in vas ascẽdat, superius, ac iterùm decidat. Vasa semper fuerunt vitrea, & horum defectu terreis, sed vitreatis usi sumus.

Barbati decocta cũ Vino parant, & reverâ laudabilior extrahendi ratio vegetabiliũ vires, quàm cum aquâ, & præcipuè ubi vẽtriculus frigidior, & debilior est, ac æger vino assuetus, quia decocti vis ad omnes corporis partes faciliùs penetrat, & sudoris provocationẽ adjuvat. Non negamus vinũ commodissimũ esse ad vegetabilium extrahẽdas vires, sed quia decocta cũ vino in vase aperto ad tertiæ partis consumptionẽ parant, totâ errant viâ; nàm unusquisque, qui leviter destillãdi arte est imbutus, scit, quod si vinum leviter urgeatur igne, spirituosa ejus pars, & optima ab eo prolicitur, & nihil remanet præter aquosum, & ingratum, vel nauseabũdum phlegma omni virtute, odore, ac sapore vini spoliatum: sic tali modo decocta concinnãtes, vini faciunt jacturã, cùm in decoctione deperdatur, remanatq; phlegma ipsâ aquâ simplici minùs commodum. Corrigant decocta parandi modum, etsi cum vino vase benè clauso cõficerent, ut nil exspiraret, certè nec tormina, nec nauseam excitarent, sicuti præfato modo parata. Prætereà ligni caliditatem aquâ hordei, sero lactis, & aquis stillatitiis refrigerantibus corrigunt, si in decoctis vino uterentur, ligni caliditatem potiùs intenderent, quàm corrigerent.

Vulgares decocta vim habere siccãtem, atq; adeò ad exsiccandos multos ab eis fictos humores propinari asserũt. Verùm nos nõ adducimur, ut credamus unciam cujusq; exsiccantis vegetabilis Sex aliis aquæ unciis immistam, quę ut Sex humectare valet,

exsiccare posse, cùm siccitas ex Aristotele nil aliud sit, quàm *humidi defectus*, atque ipso naturæ lumine constat exsiccationē perfici per humidi evaporationem à calore factam; non igitur videmus, quomodo in sex aquæ unciarum exhibitione siccatio fieri possit, quin potiùs oppositum, scilicèt humectatio succedat.

Verùm pro hujus rei intelligentiâ juxta nostra principia dicimus decocta propriè non exsiccare, cùm siccitas non sit qualitas positiva, neque posito, quòd exsiccandi vim haberent, ideò morbos curare valerent, cùm non simplex humiditas, cui supponitur contraria siccitas, sed humorum degeneratio à naturali statu utplurimùm similes gignit morbos. Præterquam quòd semper cum ægri maximo propinarentur damno, quia non minùs excrementitium, quàm nutrimentitium humidum suâ siccitate resolverent decocta; tùm quia non esset major ratio, cur unum potiùs, quàm alterum resolverent, exsiccarentque, tùm etiam quia non adest in nostris visceribus sedulus aliquis separator, qui ad medicamenti exsiccantis nutum, excrementitium à nutrimentitio sequestret, illudq; subjiciat, exponatq; medicamento, ut illud tantùm exsiccet, insonte remanente.

Prædicant vulgares lignum, salsam, chinam &c. calidum, siccum & qualitate occultâ præditum, sed per coctionem ab his non extrahitur caliditas, siccitas, & occulta qualitas, quia hæ sunt de accidentium genere, quæ non possunt de subjecto in subjectum migrare, sed juxta nostra principia, ut fusiùs egimus in *nostrâ Pyrotechniâ*, dicimus, quòd omnis corporum actio ab intrinsecâ eorum essentiâ, seu spiritu seminali eorum constitutivo dependet, qui in vegetabilibus præsertim sub formâ salis essentialis ludit; ita ligni, salsę &c. decocta agunt virtute hujus spiritûs, sive salis essentialis soluti in aquâ decoctionis. Undè ligni, salsæ &c. decocta vim diaphoreticam habent, vel diureticam, quatenùs sal illud essentiale aliud sal mordax, piperinum, vel acidum exaltatum corrigit, & resolvit, à quo Lues fovetur. Hic spiritus sub formâ salis essentialis ludens in nostratibus reperitur affluenter plantis Luem curantibus.

Hinc deducimus nunquâ ex ligno, salsâ &c. decocta aperto vase fieri debere, nàm spiritus ille, sive sal essentiale cùm sit summè volatilis, facilè abit in auras, & quod remanet, nil est, nisi phlegma inutile, ignavum, & omnis virtutis expers. Hinc etiâ eò magis secundum, & tertium vulgarium decoctum vanum, & nullius efficacię judicamus. Adest in ligno pingue, & resinosum quid, at nunquàm illud in decoctis supernatare observatur, sed sub olei formâ tantùm in destillatione per descensum, & non nisi aperto igne.

Chymici meditantes longâ decoctione, vase aperto, ad dimidiæ, vel tertiæ partis consumptionē subtiles, ac spirituosas dissipari partes, vel medicamētosas saltim minui vires, alio modo ligni decoctum parant, ne ejus virtus pereat: Cornutæ ligni scobem cum sufficienti aquæ quantitate, induunt, cui receptaculum adaptant, ac supposito igne, primo digestionis, deindè

deindè destillationis, spiritum sulphureum, sive essentiam è ligno cum aquâ evocant ad dimidiæ partis aquæ destillationem. Hujus destillatæ aquæ, in qua ligni purum ens essentiale ludit uncias quatuor magno cum juvamine exhibent. Continuant deindè aquam destillare, quam pro quotidiano præscribunt potu. Nonnulli spiritum ex guajaco eliciunt, qui prolixâ & solerti digestione, fermentatione, & destillatione indiget, ut proliciatur, attamen summis virtutibus est præditus. Quidam summoperè guajaci oleum, tanquàm alexipharmacum commendant, quod variis exhibent modis: Verùm nullum oleum per alembicum destillatur, sed tantùm per descensum, aperto igne, quod nullius est efficaciæ, & intra corpus non commodè, imò vix tutò exhiberi potest. Multi guajaci extractum miris efferunt encomiis: verùm nos nulli profuisse, imò cunctis obfuisse observavimus ob admistam sulphurei menstrui partem, quod lui maximè adversatur. Præstat gummi guajacum naturale, sed debiles habet vires, nec recentem, aut antiquatam luem debellare potest, estò ex arboris incisione fluat.

De Salsaparillâ.

Primas in Lue curandâ guaiaco tribuunt vulgares, post quod salsæparillæ radix succedit, quam aliqui Sparramparillâ, & Hispani Sarsamparillam nuncupârunt. Advehitur illa ex Perù, ubi in sepibus nascitur, nõ aliter ac apud nos smilax aspera, vitis alba & nigra, ac lupulus salictarius, oblõga est, per terram longè, latéque serpit, ut sex cubitorum longitudinè æquet, & ultra, modicæ est corpulétiæ, & in fasciculos alligatur. Optima censetur, quæ intùs alba, & solida est, corticem habens plenum, & dùm finditur, foraminulenta non apparet; quę verò rufa est, & dùm finditur, pulverulenta, inefficax est, quia vetustatem sapit. Credunt nullam manifestam excedentem habere qualitatem, ex qua temperiei excessus induci possit, undè omni corporis constitutioni, & ætati tutò exhiberi posse fatentur, ac propterea temperatior, & moderatè calida est in primo ordine, ac insipida, nullius acrimoniæ, amaroris, aut adstrictionis, aut odoris particeps, sed obscuram quandam habet dulcedinem; existimant tamen illam in siccitate magis excedere, quàm chinam, ac tenuibus cõstare particulis, & proindè potenter incidit, attenuat, discutit, insigniter exsiccat, sudores movet, & nimiam absumit humiditatem; attamen non ob has manifestas qualitates, Lui adversari fatentur, sed ob qualitatem occultam, scilicèt quam nesciunt. Quare multùm valet salsa ad Luem profligandam, nec invidet ligno, nàm multos curavit salsa, quos non potuit lignum; estò hoc salsâ efficacius à plerisque credatur; tamen in hoc lignum superatur, quod ob insignem tenuitatem laxandi, & penetrandi vim habet, dolores sedat, nec ullus dolor quantumvis contumax, & diuturnus erit, quem non tandèm aliquandò sopiat, & superet, si ejus decoctum constanter, & diutissimè sumatur. Sic pariter tumores duri, & gummata multo breviùs à salsâ, quàm à guaja-

co discutiuntur per insensilem evacuationem, eorum consumptâ materiâ, quapropter in aliis multis affectionibus feliciter usurpatur.

Ejus decoctum pariter parant simplex, vel compositum, vase aperto, & ad duarum partium consumptionem, ut

℞ *Salsaparill. minut.concis.* ℥ ij.
infunde in aq.font.lib. iij.
& per horas 24. macera, Postea levi igne bulliant ad dimidiæ partis consumptionem addendo s.a.
passul. ℥ ij.
coriand.præp. ℥ j. *f. colatura.*

Dosis lib. ß. Addunt nonnulli in ventriculi gratiam mentham, absynthium, cinnamomum &c. aut simplicia cephalica, hepatica, vel nephritica juxta partis laborantis conditionem. Post primum decoctum per reaffusionem secundum prò potu ordinario parant, & tertium pro carnium, & ciborum elixatione, manuum, & faciei ablutione, ut de ligno diximus. Pro infantulis, & delicatis, addito saccharo in primo decocto Iulepum formant. Ex salsâ etiam decoctum parant compositum, additis medicamentis purgantibus, eo modo ac de guajaco retulimus.

Parant vulgares pulveres salsæ, quos summoperè efficaces pro lue curandâ celebrant.

℞ *Salsaparillæ* unc. ij.
fol.sen.or. &
hermodactyl.ana unc. j.
turbit. ℥ vij.
iva arthetica ʒ iv.
Cinnamomi, &
zinziberis ana ʒ jß.
f. omnium pulvis subtilissimus.

Dosi ʒij pro vice, *cui adde diagrydij gr. vj. usque ad x.* Infunde per noctem in suff. vin.alb.opt. quantitate, manè sumat æger cum pulvere vinum.

Habeat apud vulgares salsaparilla omnes roris marini virtutes, & miris celebretur encomiis, appelletur parilla, eò quod cũ illâ nil aliud medicamentum cõparari possit; illud interim à nobis quotidie observetur, minùs etiã guajaco, & chinæ radice exsiccare, ac urinæ vias magis, quàm cutis poros affectare, quapropter ad gonorrhœæ sanationem, quæ à seri virulẽtiâ fotum suscipit, eximia est, cùm testes, aliasque partes semini, coctioni, & distributioni inservientes, occupet. Ejus decoctum ventriculũ nimis laxat, ut estò simplicia pro eo roborando admisceas; frustrà tentaveris. Reperitur passim apud nos Smilax aspera, quę vulgò dicitur *Salsa paesana* majoris energiæ, qua felici cum successu plures à Lue Venereâ eripuimus, & hanc pauperes pharmacopolæ pro salsaparillâ usurpant, quoties parilla præscribitur illis. Discrimen, quod inter Peruvianam salsam, & nostratem intercedit, est, quod illa magno, nostras ferè nullo emitur pretio; in reliquis tamen idem sapor, & cortex, eadem medulla, & facultas, imò in nostrate vividior, & vegetior.

De China radice.

Inter plura Venereæ Luis antidota Chinæ radix celeberrima recensetur, quæ à mercatoribus Lusitanis è Chinarum Regno advehitur, ad

ad quam pro hoc fugando morbo confugiunt Chinenses. Radix hæc non est valdè longa, verum admodum nodosa, & arundinum radici non absimilis. Color subrufus, pondus mediocre, ideſt neque levis, neque ponderosa, recens sit, & nullatenùs carie exesa, nullum insignem referens odorem, nulloque sapore præpollens; propterea in activis nullum excessum habere credunt, sed potiùs temperata, vel si excedit à temperato, ad frigiditatem in primo gradu inclinat: de recenti tamen radice *Garzias ab Horto* refert: *Eam insigniter adeò calefacere, ut siquis ejus decocto paululùm meraciori utatur, aut calidum hauriat, ob nimium medicamenti calorem in maximos hepatis ardores, in erysipelata, in phlegmonas, atque alia gravissima incidat symptomata; in passivis verò sicca non leviter, quapropter nec oleum, nec unctuositatem habere videtur.*

Tenuis est substantiæ cum aliquâ adstringendi vi, & substantificâ quadam humiditate, qua mediante vulgares miseris adulantur ægrotis, ejusque usum homines pinguescere dictitant, quia ejus decoctum facilè acescit; verùm hoc fusius etiam de guajaco repudiavimus, quod ejus decoctum acescat, non est sufficiens impinguandi ratio, cùm omnium lignorum, radicumque decoctum acescat. Cùm primùm mercatores in Europam advexissent miris laudibus Chinæ radicem, tanquàm auxiliare medicamen à divinâ auxiliatrice manu promanatum ad chronicos, deploratósque morbos celebrare cœperunt lucri cupidine tracti. Undè bardi medici nimiùm quàm par est, mercatorum technis fidem præbentes, psittacorum more citra experientiam, & ultra vires eximiis præconiis commendare aggressi sunt: ut quæ tenuium partium digerendi vim habeat, siccitatis ratione attenuet, omnis generis excrementa liquet, quæ deindè in urinas, & sudodores transeunt. Lui Venereæ non ob manifestas qualitates, sed ob occultæ formæ proprietatem non solùm prosit, verùm etiam ulcera abstergat, obstructiones reserat, sanguinem à corruptione vindicat, destillationibus medetur diuturnis, phthisim curat, hepatis inflammationes restinguit, hydropisim sanat, atrophiam tollit, lepram depellit, elephantiasim abigit, articulorum dolores aufert, & quia temperata est, omni ætati, omnique sexui, quocumque anni tempore, ipsisque adeò febricitantibus tutò exhiberi potest. Quæ facultates omnes cùm in guajaco desiderentur, à nonnullis tunc temporis supra guajacum china evecta est, & non solum ad Luem Veneream, sed ad sexcentos alios morbos adhibita fuit.

Ob tot, tantasque virtutes à scriptoribus decantatas, *Carolus V.* partim ob Luem Veneream, partim ob atrophiam, & partim ob artuum dolores de quorundam medicorum consultatione hujus radicis decoctum accepit, & maximam ei largitus fuit famam, quæ vagata per orbem, Chinæ radix tanquàm pretiosum medicamen auro carius maximo venundari cœpit, unde:

Pauperiem fugiens, currit mercator ad Indos.

Sed experientia ejus rumorem posteà derogavit, & celebritati nominis proportione nequaquàm respondit, neque ejus pretio enormi: scribit

nàmque de hac re *Julianus Palmarius de Lue Venereâ cap.14. Multos magno suo incommodo radicem hanc guajaco prætulisse, seque experientiâ comperisse, quòd etiam in magnâ victûs parsimoniâ adversus hanc Luem inefficax fuerit, sæpè etiam ejus decocto ità humescere ventriculus visus sit, & nativus calor opprimi, ut lienteria gravis, magnaque cruditas non rarò subsecuta fuerit, quibus imbecillus insitus caloris fomes inerat. Præter has incommoditates, & vitia, non rarò etiam lienis tumores, atque duritiem diutiùs utentibus inducere* scribit. Non agit qualitate occultâ, quia hæc qualitas est sacrum ignorantiæ asylum; nec adversùs Luem est verum prophilacticon, cùm plura de hac radice circumferantur, quæ nunquàm, vel rarò observantur in praxi. Plurimi ægroti diuturnum hujus radicis usum adhibuerunt, nihilominus neque vel tantillum morbi vis se remisit, vel alleviata, recidivam passi fuêre, ità diuturna experientia nos edocuit maximo ægrorum incommodo: est itáque vana chinæ exhibitio pro ægrotis, non verò pro pharmacopolis, & medicis, & tamen stolidum vulgus magnum medicamenti vim esse credit, quoties impendium maximum est, & medicamentum putat pretiosum, quod cariſſimè emitur. Hujus farinæ est China, ac proindè non exiguam obtinuit famam; laudamus propterea pharmacopolas, qui pro chinæ radice à medicis ordinatâ arundinum radices substituunt, quibus parem, & fortassè majorem inesse virtutem in praxi comperuimus, quia arundinum radix succi plena haberi potest in nostris hisce regionibus, chinæ verò omni succulentiâ emuncta in nostras asportatur regiones. Sed quia veterum corrigere errorem difficillimum est, expedit idcircò ægris, & vulgo morem gerere aliquando: Verùm tantum divitibus ægris hæc propinent decocta, nec sumptuum, & crumenæ pauperum immemores illis fortunas absque salutis spe eripiant.

Hujus radicis decocta ità parant vulgares:

℞. *Chinæ in galeolas dissect. ℥. j.*
infunde in aq. font. fervent. ℔ iij. per 24. horas. Deindè bulliat lento igne ad consumptionem duarum partium, addendo in fine.
fumariæ,
lupulorum,
capill. Veneris ana m. j.
coriand. præp. unc. *ß.*
cinnamomi ʒ. ij.
f. colatura, & servetur.

Dosis ℔ *ß.* pro vice. Ex radice, quæ primo inservivit decocto, paratur secundum pro potu ordinario, ut

℞. *Rad. chinæ primò adhibitæ* unc. *j. Infundatur per 24. horas in lib. 9. aquæ fontis ferventis, deindè bulliat ad tertiæ partis consumptionem addendo in fine.*
coriand. præp. ʒ. vij.
cinnamomi ʒ. ij.
f. colatura, & servetur.

Post secundum per reaffusionem tertium parant pro ciborum elixatione, manuum, & faciei ablutione. Hæc decocta magnâ aquarum copiâ, & longâ indiget ebullitione, ut virtus extrahatur, & aquæ communicetur, & ad 30. 40. vel 50. dies assumuntur.

Hæc sunt vulgarium alexipharmaca pro Lue fugandâ, quorum unumquodque eam profligare valet, verumtamen

Unable to display this page

excrementa purgandi vim habeat ità sunt *Syr. de fumar. mai. Syr. Sneff. ros. solut. manna &c.* Nostrates vulgares hoc utuntur pharmaco:

℞. *Syr. de fumar. mai.* ℥ iv.
decoct. cord. ℥ ij. *m.*

Imperant tamen, ne tali die sudor proritetur, quia æger duas non potest ferre evacuationes, & altera alteram impedit. Interim per totum decoctorum tempus ægrum ità in cimmeriis claudunt, ut ne aëris quidem claritatem aspiciat, nec dùm pedem è cubiculo efferat, & interim quoque exactissimam victus rationem scilicèt mira ieiunia instituunt per panis biscocti, & vuæ passæ, aut amygdalarum modicum, & si ad summum adeò exactam tolerare diætam non possit æger, vel parvam concedunt carnem assam. Verùm sæpiùs evenit, ut ante constitutum tempus quidam ob tenuissimam victûs rationem ità imbecilles, & viribus destituti conspiciuntur, ut:

Vix habeant tenuem, quæ tegat ossa cutem.

Et penè spiritu, & vitâ deficiant. In tàm conspicuo vitæ discrimine versantur miselli ægroti, ut in sceleti formam redacti, cum magnâ æris jacturâ, vitam quasi deperditam vix recuperare possint, nec mendicata sanitas ex voto succedit, nisi palliata, & fucata, dùm dira Lues paulò post truculentior recrudescit.

Nostri malè feriati vulgares præter decocta urbanas habent stufas calidas, & siccas, ad quas Lue correptos ablegant ægrotos, sed præcipuè Sole cancri signum percurrente, innumeras hominum, mulierumque infectas copias ad Tritholi vaporosum sudatorium in Puteolano, vel ad Pithecusæ sudatoria, ubi maximus de toto corpore fluit sudor, sed hic vanâ spe miseros ludit, levat quandóque, non eradicat Luem, nàm calor ille sudorem proritans nullum antidotum, sive alexipharmacum ad Neapolitanum extinguendum venenum servat, sed est simplex, homogeneus, nec differt à quocumque culinario calore, sive igne (calor enim, & ignis non differunt, ut luculenter probavimus in nostrâ *Pyrotechniâ sophicâ lib. 2. cap. 1. de igne*) ideóque licèt degeneres attenuet humores non sine capitis mortui residuo id exequitur, undè Lernæa hydra latens paulò post majores suscitat iras, & hinc lerna malorum, nec Vulcanus clandestina Veneris adulteria ulcisci potest, quia claudus, nisi vindice Mercurio. Venerea Lues est morbus mineralis, & minerale requirit remedium; curandum itáque, ut Mercurii naturam in stufam convertamus, hoc est absque stufâ procedat sudor: nàm statim ac à Mercurio provocatus fuerit sudor, jàm in proximo est sanitas; omnis igitur sudor absque mercurii interventu inutilis est. Sunt nonnulli, qui absque Mercurio sudoribus factis, aliquos Lue correptos curant, tamen res fundamento caret, & ferè semper in deterius malum minatur.

Cap.

Cap. II.

De Curandis affectibus Venereis à nutrimento corrupto nascentibus, & primò.

De Gonorrhœâ.

E Fluvium sanioſum ex interiori pudendi parte viri, seu mulieris medici gonorrhœam appellant, sed falsò, nàm hoc nomen græcum gonorrhœa seminis profluvium designat, quod ex vesicularum seminalium debilitate retentricis, vel aliâ de causa procedit; sed id, quod ex urethrâ fluit ex cõtagij gallici communicatione, semen non est, sed penis nutrimentum in saniem à contagio degeneratum: Neapolitanis dicitur *scalfatura*, reliquis Italis *purgatione*, Latinis verò rectè dicetur fluxus Venereus sanioſus.

Signa.

Non immediatè post pollutum concubitum hic sanioſus adveniet fluxus: sed utplurimùm ante quartũ diem, multoties ante septimum, rarò ante quadrageſimum, sed post quadrageſimum à concubitus die nunquàm obſervatus fuit. Quiſque in concubitûs actu facilè futuram gonorrhœam cognoſcere potest, ſi intra urethram in illâ Veneris palæſtrâ, veluti lancinati, vel quoddâ effluvium sentiet. Magna erit in mingendo acrimonia, in pene erigendo dolor, & ſi patiens penem emungat parvam saniei quantitatem; veluti perlam è glandis foramine educet. Acrimonia in mingendo, & dolor in erigendo utplurimùm post 21. diem ceſſabit. Sanioſus fluxus adeò erit aſſiduus, & quandóque magnus, ut induſium ex eâ parte saniei immerſum appareat; undè juvenes, qui parentibus sunt subjecti admonitos esse volumus, ut penem petiâ obvolvant, ne induſia, quæ à matribus utplurimùm obſervari ſolent, conſpurcent. & sanioſæ Veneris clandeſtina connubia pateſcant.

Multoties contendunt ægroti gonorrhœam exortam fuiſſe ob immoderatum motum, renum calore, equitatione &c. Tu verò facilè diſtingues, num gallica, aut non, gonorrhœa ſit; ſi ſimplex námque illa fuerit, & ſine contagio, nullam oſtendet virulentiam, excretio proindè colorata non erit, ſed albida, nullumque afferet dolorem, nullum urinæ ardorem, & inflammationem nullam, at ſi copioſa, & diuturna erit, ſequitur corporis conſumptio. Contra ſi viridis, flava, multùm varicolor fuerit expurgata materia, in ejus fluxu dolor perſentiatur, penis arrectio impediatur, urinæ verò ſit ardor, glandem inflammet, præputium in tumorem elevet, & fluxus diuturnus, & copioſus ſit, non ſequitur corporis tabes, apertiſſimum habebis indicium illam eſſe virulentam.

Cauſæ.

Ridiculi ſunt medici vulgares, qui ex hepatis intemperie, & renibus hunc sanioſum fluxum oriri autumant. Non negarimus quandó-

que hepar, & renes ex diuturno contagio Venereo infici posse, sed fluxum, qui ex polluto succedit commercio, ex quo fluit, suam habere productionis caussam, non autem in hepate, & renibus asseruimus.

Hujus sanioſi fluxûs causſa est effluvium halituum ab utero Lue Venereâ polluto prodeuntium, & per urethram viri in ingressu se insinuantium, à quibus penetratâ illius partis epidermide, spiritus sensitivus sub epidermide gliscens, ideam contagij induit, cujus ope totius urethræ nutrimentum in saniem vertit, illam inflammat, & ad reliquos disponit affectus.

Prognosis.

Solet in gonorrhœâ ex sanioso illo fluxu præputium inflammari, & in tumorem elevari, ac vitreum videri, & in rimas dehiscere. Multoties inflammantur testes maximo cum tumore, Interdùm supprimitur, & quandóque obstinata plurium annorum spatio perdurare consuevit, adeso quandoque grano hordeaceo, nullis cedens præsidiis. Utplurimùm in carunculam, vulgò carnositatem, terminare, quæ vel nunquàm, vel tardissimè curatur. Itáque nisi statim ab urethrâ contagium illud omninò abstergatur, omnes luis Venereæ species, quas enumeravimus, temporis tractu ab eâ produci possunt; nàm paulatim Venereum fermentum ex nutrimento in sanguinem, ex sanguine in partes spermaticas, & ex spermaticis serpit in ossa.

Curatio.

Vulgares medici pro gallicâ gonorrhœa curâdâ præstolantur, ut sanioſus fluxus absque remediis propriâ sponte cesset, undè eorũ malitia, quia efficacibus remediis ad fluxũ gallicum persanandum hactenùs caruit, infirmis proponit, ut gonorrhœâ fluat per 40. dies, interim vana, & inutilia quædam exhibent medicamenta quæ contra contagij virulentiam nil efficaciæ habent, sed ex 40. diebus spontaneam expectant curationem. Instituunt interim victûs rationem, & prohibent austera, & acria, ut vinum rubrum, & acetum, prohibent aromatica acuta, & salsa; consulunt deindè victum humidum, & refrigerantem. Nos errores invictu non laudamus in gallicis, neque in præscribendâ diætâ multùm immoramur; scimus enim contagium gallicum cuicumque extremæ diætæ cedere omninò non posse. Institutâ victûs ratione, vulgares medici sequentia recepta per multos dies exhibent:

℞ *semin. melon.* unc. ß.
contunde, & cum aquâ Capill. ven. unc. ij.
diss. f. expressio.
Sacchari unc. ß.
m. ut f. p.

Vel ℞ *Quatuor sem. frigid. ana* unc. ß.
contundantur modo, quo suprà, & diss. in eâdem aquâ, f. express. cum additione sacchari, & exhibe, ut suprà.

Vel

Vel ℥ *Syr. capill. ven.*
malvarum, & viol. ana ℥ ß.
aq. Capill. Ven. cum express. sem. mel. unc. iij.
Spiritus vitrioli gutt. vj. m.

Consulunt *malvarum caules conditos, melonum semina condita* post prandium, & cœnam, & assiduum *aquæ capill. ven.* usum neque desunt, qui suprà allatis viliora, & ignaviora præscribant, credentes prædictas seminum, syruporumque mucilagines, ut urinæ acredinem infringunt, ne adeò acutè urethram stimulet, contagium gallicum semel impressum è corpore eliminare posse: sed ejulatus, clamores, & planctus tot miserorum, qui ex gonorrhœis præscriptis remediis curati, nunc morbi gallici furores ubique in corpore patiuntur dictorum medicaminum ignaviâ, medicorumque obstinatâ ignorantiâ, ubique in hac civitate testantur: mirum sanè est, quod hujus morbi virulentiam supra omnia venena extollant, & quod deindè à melonum seminibus, & ab aquâ capillorum Veneris tantæ virulentiæ debellationem expectent! Morbum in causâ occultum prædicant, & manifestis, ac vulgaribus deindè medicamentis sanationem perficiunt!

Per quindecim, aut viginti dies, & ultra notatis mucilaginibus exhibitis, aliqui *terebinthinâ utuntur lotâ aquâ violarum per os assumptâ ad quantitatem* ℥ ß. quolibet manè jejuno stomacho per sex, vel octo dies cum *pulvere glycyrrhizæ, & saccharo ad formam boli*, sed insciter faciunt; multum enim sui balsami per lotiones deperdit, fitque merè inutilis. Latet in terebinthinâ mirabile balsamum, quod in vias urinarias specificâ fertur proprietate, illisque balsamicam suam impertitur virtutem, ne earum nutrimentum degeneret, corrumpatur, vel fixetur: Undè est, quod post assumptam terebinthinam urina, quæ redditur, violaceum à longè sensibilem secùm ferat odorem. Nonnulli procedunt hoc modo:

℥ *Terebinth. lib. ß.*
coquunt in aquæ lib. xxiv.
donec odorem amittat, & inspissetur, adeò ut refrigerata digitis in pulverem verti queat, ac vitri modò dissiliat; sed etiam ineptè faciunt, cùm tota pars essentialis in aquam transeat, remanetque tantùm pars inutilis balsamicâ spoliata virtute. Aliqui tandèm medicastri terebinthinam propinant crudam in ovo sorbili, quod medicaminis genus, ferculum nimis ingratum, ob olei rosacei defectum, à digestivo parum differt.

His parùm proficientibus ad Cassiæ fistulæ usum patientem inducunt, eamque ità præscribunt:

℥ *Pulp. Cass. noviter extract. per setam* unc. ij.
fol. sen. or. pulverisatæ unc. ß.
cinnam. contus. ℥ ij.
Sacch. q. suff. f. conserva.

quæ exhibeatur in formâ boli,

Nos Cassiæ usum non omninò inutilem judicamus, nàm omnes humores cujuscumque generis dulces reddit, difficillimum lotij exitum facilitat, urinæ ardorem cicurat, & veneni gallici virulentiam

mitigat, licèt non extinguat: errant tamen vulgares medici in foliorum Senæ additione, nàm simplicia omnia, quæ suaptè naturâ in renes, & vesicam properant, si solutivis misceantur, propter vim solutivam per intestina præcipitant, antequàm in renes descendant. Nos itàque sequenti modo cassiam exhibemus, & non parùm juvamus in virulentis gonorrhœis:

℞ *Pulp. Cass. recenter extract. per setam* ʒ ij.
pulp. tamarynd ʒ j.
pulv. glycyrrhiz. ʒ vij.
Sacch. parum f. conf.
in patinâ super calidos cineres. Dosis unc. j. usque ad ij. Immediatè ante prandium exhibeatur quinque, aut sex successivis diebus.

His sic exhibitis, si gonorrhœam patientes medicos urgeant pro integrâ curatione, ad asylũ medicum, scilicèt ad sanguinis missionem, & purgãs deveniunt medicamentum, scilicèt ad sanguinis, & stercoris eductionem, quibus si gonorrhœa non cesserit, infirmo suadẽt fluorem illum utilem esse, cùm natura per eum locum virulentam materiam expurgare conetur, neque cohiberi debere, quia corpus inficere potest, & pejora eveniunt mala; hac malitiosâ industriâ, quod illi perficere nequeunt, per alios curari sub pœnâ majoris damni infirmis prohibent. Ex pedibus itàque sanguinem mittunt semel, & bis, quasi retractum deorsùm versus crura venenum intra corpus non remaneat. Deindè ad sequens, vel simile deveniunt medicamentum purgans, absque ullo tamen Anti-Venereo, sed solùm per applicationem commune morborum omnium, quo semel, bis, & ter corpus solvunt:

℞ *fol. sen. or.*
tart. vin. alb. &
polyp. querc. ana ʒ j.
flor. cord p. j.
f. decoct. s. a. in aquâ capill. ven. & in suff. quantitate pradict. decoct. diss.
Syr. Sueff. &
ros. solut. ana ʒ iij.
confect. hamech ʒ ß.
m. f. potus,
ad le aquæ cinnam. parum.

Verùm nos fraternâ charitate vulgares medicos admonitos volumus, (licèt de errore admoneri nolint) ne audeant sanguinem mittere, neque purgans exhibere medicamentum, saltim dùm in gonorrhœi perseverat urinæ acrimonia, & in erigendo dolor, sed usque hunc perseverare debent in aperientibus, & diureticis, nec aperientium, & diureticorum usus debet esse prolixus, quia testium inflammationem, & tumorem, vel podagram, vel involuntariam urinæ excretionem caussare potest, ut nos multoties observavimus. Verùm his syrupis aperientibus, & diureticis Laconicè res absolvi potest:

℞ *Syr. de quinque radic. aperient. &*
de althæâ Fernel. ana ʒ j.
aq. capill. ven. unc. iij. m.
Vel ℞ *Syr. de Nymphæa, & malvar. ana* unc. j.
aq. ejusdem malvæ unc. iij. m.
Vel sequenti in hunc modum concinnato, quo plures curavimus gonorrhœas:

℞ De-

℞. *Decoct. capill. Ven.*
agrimoniæ,
hepaticæ,
plantaginis,
Cetera ℏ. ℥. v.
Syr. de succ. Viol. ℥ ij. *m.*

Et ratio est, quia tàm sanguinis missio, quàm medicamentum purgans à corporis circumferentiâ centrum versùs trahunt, & venenum gallicum, quod in pene, viciniſque ſtagnat partibus, intrò trahitur, aut ejuſdem materiæ in teſticulos deductio, & horrendi morbi indè ſequuntur. Terque quaterque infelix ille, qui virulentâ adhuc fluente gonorrhœâ ex miſſo ſanguine, vel ab adhibito purgante gonorrhœa à fluore ceſſat, vel enim febre malignâ corripitur, vel intra menſis ſpatium acerbiſſimis in toto corpore doloribus cruciabitur. Expectent itáque, ut in gonorrhœis omnis dolor, omnis urinæ acrimonia, & omnis materiæ fœdus color ceſſent, nàm tunc licèt ſanguinis miſſio, quæ tamen nullo modo fieri debet, & purgans medicamentum, nihil proficiant, multùm nocere non poſſunt.

Si his præſidiis gonorrhœa non ceſſerit, oleis adſtringentibus ex *maſtiche*, *menthâ*, *rosâ*, *myrto* paratis Lumborum regionem, & perinæum inungunt, vel ex rebus adſtringentibus fovent.

In diuturnâ gonorrhœâ prædicta non ſufficiunt, & ad fortiora confugiunt, nempè ad ſalſæ parillæ pulverem, quam tali modò deſcribunt.

℞. *Salſæ parill.* unc. j.
turbit, &
hermodactyl. ana unc. iij.
fol. ſen. or. unc. ß.
fiat omnium pulvis ſubtiliſſima, de qua

℞. ℥. ij. *pro vice.*
in qua doſi ſingulis vicibus ſunt addenda gr. v. vij. vel viij. diagryd. & infundatur de ſerò in vino albo generoſo. Poſteà manè ſumatur ad plures dies uſque ad morbi declinationem.

Solet quandóque tàm ſæva, & rebellis eſſe, & tunc labem hepati impreſſam eſſe ſignum eſt, & decocta ſudorifica ex ligno guajaco, & ſalsâ parillâ in vino auſtero parata, vel æſtuaria multùm prodeſſe poſſunt, quibus non juvantibus utendum cenſent intra mentulam lotionibus *ex aquis plantag. roſ. rubr. portulac. & Nymph. additis ceruſſa lota in aquâ roſ.* ℥ *ij. litharg yr. bol. armen. or. & terr. ſigillat. ad* ℥ j. *Bulliant. ad tertiæ partis conſumpt. & colaturæ addatur ſacchari alb. parum*, & ſ. injectio pluries in die uſque ad gonorrhœæ ſanationem.

Tandem aquam commendant ſolutivam, quam ità parant:

℞. *Tartari, &*
polyp. querc. ana unc. iij.
ſen. or. unc. ij.
paſſul. ſine arillis unc. iv.
coriand. præp. unc. j.
cinnam. elect. parum.

Bulliant ſ. a. in ſufficienti aquæ quantitate, & facta colatura ſervetur. De

Unable to display this page

℞. *Viridis æris* unc. ß.
aquæ font. lib. ij.

ſtent ſimul uſquequò aqua coloretur, decanta, & decantatæ diſſolve.
Mercurii meteorizati gr. ij. vel iij. & filtra.

Tandem nos ſpecificum nacti ſumus medicamen, & omni laude dignum pro curandâ virulentâ gonorrhœâ trium dierum ſpatio, quod nunquàm gonorrhœâ correptum fefellit, illudque ſine invidiâ communicamus.

℞. *Aquæ plantag. lib.* ß.
Draconis mitigati in pollinem reducti ʒ. ij.
m. in phialâ, & agita.

Vel loco Draconis mitigati (in dictâ aquâ diſſolui poteſt *ſalis Saturni* ʒ. ß.) Hanc aquam recipe cum ſyringâ, ac permitte, ut ſyringæ fiſtula, quæ tenuiſſima eſſe debet, & ſyringa ex ebore, parùm ultra glandem intret, ac tunc ſiphonis preſſurâ fac, ut aqua per urethram interiùs excurrat, digitis premendo balanum, ne ſyringa ulteriùs intret, & aqua immiſſa fluat. Hæc lavatio ter fiat in die, & ter qualibet vice per tres, vel quatuor dies; ubi quiſque advertere debet, quòd ad hæc noſtra applicanda remedia non requiritur, ut per aliquod ſpatium gonorrhœa fluat, ſed ipſo tunc, quo apparet, imò ſi ſuſceptæ gonorrhœæ, vel bubonis ſuſpicio adſit, qui non adhuc ſe manifeſtavit, hujus medicaminis uſû ritè præcaveri poteſt, nàm exterminantur cauſſæ, quibus poſitis, pullularet.

Conſervatio balſami nutrimenti eſt altera indicatio, quæ nos cogit invenire remedium, cujus energia nutrimentum, quod in partem contagio pollutam advenit, ſuam putitatem, & volatilitatem ſervat, nec per contactum cum corrupto ipſum quoque corrumpatur; hoc auxilium mirabiliùs, quàm credi poteſt præſtat terebinthina per os aſſumpta ad quantitatem unc. ß. quolibet manè jejuno ſtomacho per ſex dies in formâ boli intra hoſtiam convoluta. Veràm nos feliciter utimur in gallicis gonorrhœis terebinthinâ Venetâ illotâ ad quantitatem ʒ. ij ß. alternis diebus intra hoſtiam convolutâ aquâ medefactam *cum Draconis mitigati gr. x. vel xx.* in formâ pilulari, cui medicamini nulla gonorrhœa quantumvis virulenta reſiſtit, movetque duos, vel tres receſſus, & urinæ quantitatẽ. Illicò urinæ acredinem, & in erigendo dolorem aufert, materiæ fluentis colorem immutat, omnia ſymptomata reddit benigna, & ad octo vices integrè curat fluxum, nec æger alio indiget medicamento purgante. Spiritu terebinthinæ in gonorrhœis percurandis nil eſt potentius, ſuâ namque balſamicâ vi renes, & omnia vaſa à venenatâ Luis labe abſtergit, & purificat.

Quercetanus contra gonorrhœam virulentam ſuam commendat aquam, quam ſe centies expertam eſſe gloriatur, cujus componendi talis eſt modus:

℞. *Menth. ſicc.*
dictamn. Cretenſis,
radic. Ireos florent. ana unc. j.
ſemin. agni caſti,

tuta,

rutæ,
lactucæ ana ʒ. vi.
terebinthin. Venet. unc. iv.
viri albi unc. x c.

m. omnia, & destilla in vase vitreo, in balneo vaporoso. Dosis cochlearia duo per aliquot dies, manè jejuno stomachio, corpore priùs purgato.

Sed nos non satis commendare possumus nostras pilulas in gonorrhœâ virulentâ, quæ nunquàm nos, & ægrotum fefellerunt, hactenùs pro reconditis habuimus, at nunc charitas nos monet, ut eas communicemus absque invidiâ ad proximi utilitatem, ut

℞. *Stibii diaphoretici* ʒ. iiß.
succ. liquiritiæ insp. ißat. ʒ. v.
succini alb. ʒ. ii.
gummi guajac. nativi ʒ. iv.
Mercurii dulc. ʒ. vj.
Mastich. elect. ʒ. ij.
terræ exanimatæ Vitrioli ʒ. iß.
m. & cum suff. q. terebinthina Cypriæ efficiatur massa, ex qua pilulæ parvæ efformentur, quarum quatuor, aut quinque pro dosi unâ exhibeantur ad plures dies. Nulla gonorrhœa quantumvis virulenta, & antiqua his nostris pilulis resistit, sunt veluti specificæ pro hoc malo. Non inferioris conditionis sunt sequentes nostræ pilulæ, licèt compendiosiores, ut

℞. *Gummi guajaci nativi* ʒ. iij.
Stibii diaphoretici ʒ. ß.
cinnab. nativi, vel antimonii ʒ ß.
merc. dulc. ʒ. iß.
m. cum balsamo Peruviano liquido, & formentur pilulæ XII. & deaurentur. Dosis pilulæ ij.

Multùm conducit *spiritus terebinthina mistus cum saccharo Saturni* in gonorrhœâ virulentâ, non absumendo semen, ut vulgares perperàm credunt, sed absorbendo acidum vitiosum in hac gonorrhœa peccans; & eâdem ratione conducit *Camphora*, non quod castret per nares, ut vulgò putatur, undè versus:

Camphora per nares castrat odore mares.

Sed tanquàm sal volatile oleosum detergit, & corrigit acidũ Venereum. Hac eâdem ratione *infusum cantharidum in vino* expertum est remedium contra gonorrhœam cujusdam Belgæ, quod hîc pro secreto apud quosdam pharmacopolas, & medicos habetur in spiritu vini infusum; & nos multos, qui tale infusum acceperunt à faucibus orci eripuimus. Verùm cantharidibus inest vis salis volatilis caustici, quæ magnâ sedulitate, & cognitione temperari debet ab acido aceti, vel vini, ut abeat in salsum temperatũ, non adeò corrosivum, aliàs estò potentissimè urinam ciat, corrodit, vesicat, & exulcerat non tantùm vesicam, sed in transitu alias internas corporis partes, & ultimò vesicam, & indè inducit mictum cruentũ. Adhiberi tantùm debent cantharides externè in vesicatoriis, & tamen quoque mictum cruentant. Aliqui *sale petræ, vel prunellæ* utuntur, quia abstergit, & resolvit omnia salia Venerea, & per urinæ ductus expurgat.

Extincto syringæ, terebinthinæ, vel pilularum nostrarum usu gonorrhœæ gallicæ fluxu, tutò, citò, & jucundè, magna cautela adhibenda est, ut si fortassè aliqua contagii aura intra corpus delitescat, omninò exterminetur. Nonnulli aquâ solutivâ magistrali utuntur à celebri Viro *Paulo Æmilio Ferrillo* inventâ;

ejus

ejus enim usus post symptomatum gonorrhoeæ virulentæ remissionem, illam omninò extinguit, & de totali veneni gallici extinctione aliquo modo ægros tutos reddere potest, ejus descriptio talis est.

℞. *Salsæ parill. scissæ,*
minutim incisæ, & benè lotæ,
polyp. querc. contusi,
tartari alb. pulverisati,
uvarum Corinthiacar. ana unc. ij
santal. rubr. contus. unc. j.
limaturæ ligni sancti,
rasuræ eboris,
corn. cerv. non calcinati ana unc. j.
Ponantur hæc ultima tria in pipatellâ, & simul cum alijs projiciantur in
aquæ fontis ferventis lib. xx.
ac deindè operto vase detineantur in loco tepido per 24. horas, bulliant postea ad consumptionem tertiæ partis aquæ, & tunc adde.
fol. sen. or. unc. iij.
cinnam. elect. contus. unc. j.
bull. parum, & auferatur vas ab igne, ac benè coopertum frigescat. Aqua per inclinationem à materialibus pura separetur absque expressone, & post separationem in eâ exprimatur fortiter pipatella, & servetur. Dosis lib. j. usque ad j. ß. pro patientis dispositione. Exhibeatur frigida post anisorum conditorum comestionem, jejuno stomacho per quinque, aut sex dies. Leniter solvit corpus septies, vel octies in die. Lauto indiget prandio, & ex carne, cruda omnia interdicuntur.

Verùm, ut in futurum æger tutus esse, & absque suspicione vivere possit de luc, si sequentibus pilulis, quisque utatur, procul dubio succedet.

℞. *Pilul. de tribus ʒ. ij. in gracilibus; robustioribus verò ʒ. j. ß.*
mere. dulc. ʒ. j.
m. f. pilul. v. & deaurentur.

Et exhibeantur ante cœnam, eandem dosim ter exhibe trium dierum spatio posito inter unam, atque alteram, & perfectè curatus erit infirmus. Vel melius.

℞. *Extract. Catholic. ʒ. j.*
mannæ mere. gr. x.
m. f. pilul. iij. & deaurentur.

Cæterùm si æger nostris utatur pilulis, nullo alio purgante indiget.

Præscriptis remedijs indubitanter recens gonorrhoea virulenta curatur, & contagij suspicio, in posterùm regerminatio omninò tollitur; verùm si gonorrhœa fuerit antiquata, ijsdem remedijs tentari potest, facilè tamen evenire poterit, ut ob impressum profundius virus non ità extinguatur, ac si recens esset; atque tunc ut fluxus curetur, qui faciliter in urethrâ caruncula inducere potest, quæ illam occludere solet, ad efficaciora transeundum est, nam quò antiquior gonorrhœa, eò remedijs fit rebellior. Itáque ubi in recenti lavatio per syringam, & terebinthinæ usus per sex dies fuêre præscripti in antiquâ per 12. dies præscribi debent eodem modo, quòd si jàm pertinax persistat; jam hæc sunt inutilia, tunc *ad turpeti mineralis, vel mercurij diaphoretici in nostrâ Pyrotechniâ* descripti usum recurrendum est, vel *ad lacertæ viridis* præparationem, cujus remedij tanta est in curādis gonorrhœis efficacia, ut recentem unâ vice exhibitum curet, antiquatam verò quatuor vicibus absumptum radicitus abstergat. Hoc remedium versatum in spagyricis requirit artificem, nec indifferenter cuilibet pharmacopolæ est pro eo fidendum, modus illud conficiendi hic est.

Unable to display this page

quandòque exprimi solet, quæ verum semen est; adhæret namque pollici, & indici cum aliquali extensione, quod non contingit in fluxu sanioso, & hæc dicitur vera gonorrhœa. Contingit hæc vel à seminis ubertate: hi enim gonorrhœâ Venereâ correpti à coitu se abstinent, & semen augent, undè ut plurimùm nocturnas patiuntur pollutiones cum magnâ seminis excretione; vel provenit à laxitate vesicularum seminalium non secùs ac prostatarũ glandulosarum, quæ à fluxu sanioso introducta fuit. A seminis copiâ illis curatur medicamentis, præter extenuantem diætam, quæ semen diminuunt, ut.

℞. *Fol. rutæ siccæ,*
sem. agni casti,
menthæ ana ʒ. j.
m. f. omnium pulvis, de quo accipiat aliquid æger manè jejuno stomacho in ovo sorbili. Utilissima est aqua castitatis alibi à nobis descripta. Vel sequens medicamentum per aliquot dies sumptum ut.

℞ *Syr. de Nymphæâ unc. ij.*
trochis. de vitice ʒ. j.
aquæ Lactucæ unc. iij. m.

Vel sequens propinetur emulsio ad plures auroras, ut

℞. *Sem. cannab.*
melonum ana ʒ. ij.
quatuor frig. maj. ana ʒ. j.
aquæ Lactucæ.
portulacæ, flor. Nymph. ana unc. iij
fiat. emulsio,
& edulcoretur cum sufficiente quantitate syr. papav. albi.

Si à vesicularum seminalium laxitate ortum ducat, ea conducunt medicamenta, quæ hæc vasa correctant, & ad naturalem partium structuram dispo-

nunt, ità sunt *coralliorũm tinctura*, vel horum *syrupus*, *vel magisterium*. Vel sequentes pilulæ ad finem usque continuentur, ut,

℞. *Extract. rad. tormentil.* ϑ. ij.
magist. corall. ʒ. ß.
sperniol. Croll. ϑ. j.
m. f. pilul. xx. pro tribus dosibus
Vel ℞. *Croc. Martis adstring.* ϑ. ij.
trochis. de carabe ʒ. j.
ossis sepiæ prep. ϑ. j.
Sacch. Saturni gr. xv.
m. cum syr. de Nymphæâ, & formentur pilulæ magnitudinis ciceris. Dosis pilulæ iij.

Solet quandòque gonorrhœa ità rebellis esse, ut omnibus adhibitis remedijs reluctetur, hoc provenit, quia granum hordeaceum est læsum, vel ulceratum, & hæc est illa gonorrhœa, quæ ad plures annos, & ultra perdurare solet, nisi nostra adhibeantur medicamina.

Cap. III.

De Testium Tumore.

TEstes variis tumorum generibus infestari solent, inflammatione scilicet, scirrho, erysipelate, œdemate &c. quæ sunt alijs communia partibus, de quibus hîc non agimus; quædam alia sunt particularia, & propriè ipsis competunt testibus, non enim fiunt in extimâ scroti parte, sed in intimâ, & circa ipsos, hujusmodi autem sub herniæ nomine comprehenduntur, de quibus in Primo Tomo tractavimus, sed hîc de illo testium tumore, qui ex virulentâ gonorrhœâ ortum ducit, agimus, quæ *Hernia Veneris* dicitur.

Signa.

Hujus affectûs signa sunt: Si actu gonorrhœa fluit, vel ejus intempestiva præcessit suppressio, & ingens rigor corpus invaserit, deindè febris, testes intumescunt, insignis, & dolorificus exoritur tumor, quandóque in uno, & quandòque in ambobus testibus, cum pondere, quasi testes deorsum trahente, rubore, & pulsatione, ut plurimum ad renum loca se extendente.

Causæ.

Vulgares medici testium tumorem per viam fluxionis fieri credunt, imò per confluxionem catarrhalem ex hepate, quia gonorrhœam esse penis catarrhum opinantur.

Fit testium tumor, si æger diætæ leges parùm servet, & ex ejus arbitrio pendeat, variosque committat errores; vel potiùs si sanios us fluxus adstringentium ope repulsus fuerit; vel à vehementioribus catharticis vel intempestivè adhibitis; vel à nimio aperientium, & diureticorum usu, vel ex phlebotomiâ in pede celebratâ. His mediantibus causis occasionalibus, sanios us gonorrhœæ fluxus, vel aliqua ejus portio inhibetur, stagnat, nec ampliùs quandóque fluit, & consuetam obstruit viam, tunc è prostatis per testium fibras, vel unâ cum sanguine, vel succo nutriente, vel lymphâ ad testes propellitur, & diffunditur, ibique excitatâ ferveseentiâ, vasa intumescunt, succi inter testium fibras stagnant, fermentescunt, & arrepto veneno Venereo, ità exagitantur, ut acidæ, & cuspidatæ eorum particulæ vehementiùs commotæ fibras vellicent, lancinent, contrahant, vel distendant, & hinc non modò tumor, & ingens dolor, sed febris, rubor & pulsatio nunc in uno, nunc in ambobus testibus exsurgit. Sæpè plures testium canaliculi à materiâ stagnante aperiuntur, & succi intùs contenti effluunt, & hypersarcosin producunt insanabilem.

Prognosis.

Testiũ tumor est malũ non contẽnendũ, cùm testes ad speciei conservationẽ non solùm sint necessarij, illisque valdè læsis, læditur & generatio, sed etiam testantur humanitatem; undè tumor hic in principio non ægrè curatur, si illicò convenientia adhibeantur medicamenta, & nullus nec à patiente, nec à medico committatur error: at neglectus rarò suppuratur, vel perpetuò in scirrhum degenerat, si succi stagnantes ab initio non attenuentur, & resolvantur, præter alia diræ luis symptomata, quæ huic malo supervenire solent.

Curatio.

Curant vulgares testium tumorem, præmisso clystere refrigerante, & emolliente, peccant testes, & anum plectunt; deindè venæ sectionem revulsivam celebrant, quæ multùm nocet, ut fusius demonstravimus, quia non peccat sanguis, & in morbis venenatis sanguinis missio est ipso veneno nocentior. Postmodùm victus refrigerantis, & humectantis institutâ ratione, ad cataplasmata refrigerantia deveniunt *ex malvarum foliis, radicibus althææ, floribus chamomillæ, & meliloti, seminibus lini, ac psyllij.* Vel

℞. *Succ. solan. lib. ß.*
flor. alth. exsiccat.
ros. rubr. ana ℥. j.
aquæ persicar. maculat.
plantag. ana ℥. iij.
farina hordei lib. ß.
olei ros. ℥. iv.
f. cataplasma.

Verùm in magno versantur errore, quia licet copiosiùs refrigerent, tumorem non tollunt, nec resolvunt, sed in scirrhi duritiem vertunt. Nonnulli *fabatam* applicant, quam concinnant, fabas coquendo ad cataplasmatis formam usque cum oleo ros. & eodem modo *ex ciceribus cataplasma* conficiunt, quæ juvare credunt ob signaturam cum testibus. Dato, quod cicera ob signaturam juvent, fabæ quam signaturam habent? Interim non desunt *syrupi refrigerantes*, & renum *ex unguento rosaceo*, & *Comitissæ* injunctiones. Corpus semel, & bis *cassiâ* purgant, sed malum pejorant, & tumorem augent; cassia námque per urinæ vias purgat.

Testium tumorem ex virulentâ gonorrhœâ contractum nos curamus, dolorem sedando, fluxum sanioſum avertendo, diffusum dissipando, & tumorem resolvendo. Undè æger in lecto quiescat, & statim ad doloris sedationem, testibus cataplasma de micâ panis sæpius applicetur, quod fit *ex lacte, micâ panis albi, vitellis ovorum recentium, ac oleo rosaceo.* Magnæ efficaciæ est hoc cataplasma in inflammatione, & sedandis testium doloribus, non quia frigidum, sed ob anodynam energiam, quam continet. Verùm si dolor sit ità acerbus, ut totam ad se curationem trahat, tunc maximo juvamine applicetur cataplasma *ex foliis hyoscyami, papav. alb. & umbilici Veneris confectum in aqua spermatis ranarum* & addi possunt *mucilagines seminis psyllij cum eâdem aquâ extracta.* Vel inungi possunt *oleo sem. papav. alb. per expressionem elicito:* Præsentissimum est etiam *Cataplasma ex rutæ, & ebuli folijs aceto coctum*, & applicatum. Vel fiat fomentum *ex decocto radicis china cum floribus sambuci in vino generoso*; hoc enim decocto si fomentetur scrotum, & testes, discutit, & inflammationem resolvit cum gonorrhœâ conjunctam. Pro pauperibus tamen expertissimum est cataplasma factum *ex farina fabarum coctâ cum poscâ*, scilicet *aquâ, & aceto*, & reverâ tale cataplasma est expertissimun ad quamcumque testium inflammationem; Cujus rei aliquot experientias videre poteritis in Riverij observationibus, adeò ut hoc ipsum cataplasma non tantùm in simplici testium inflammatione, sed etiam quæ interdùm suppressis intempestivè gonorrhœis supervenit, commodè applicari possit.

Sanioſus avertitur fluxus, si nostra adhibeantur medicamina pro gonorrhœæ curatione, & præcipuè ea, quæ balsamica comprehendunt. Virulentam à testibus resolvunt materiam sequentes pilulæ, ut

℞. *Gummi guajaci nativi* ʒ. j. ß.
stibij diaphoretici ϑ. ij.
balsami Peruv. ʒ. ij. ß. *m.*
cum syr. card. sancti, & f. pilul. xx. *& deaurentur.* Dosis pilul. ij.

Pro tumoris resolutione, transactâ inflammatione, & dolore, unicè valet *oleum sanctum rectificatum, & corroboratum cum oleo ligni sancti, vel oleum cera cum oleo gummi ammoniaci vigoratum*, pluries injunctum, vel *balsamus sulphuris à Rulando descriptus*, vel applicati potest *emplastrum stibicum*: Sed

in horum medicaminum applicatione, ut partem tangant, & actuentur, ac ne suo pondere testes deorsum trahantur, & dolorem adaugeant, necessarium est subligaculum.

Tumorem antiquatum tollunt purgationes nostræ pilulares capite præcedente de gonorrhœâ descriptæ, quibus parùm proficientibus, quia scirrhi naturam sapit, ad nostra decocta infrà describenda recurrendum est, vel ut tumor scirrhosus curandus.

Cap. IV.

De Caruncula Penis.

SI gonorrhœa virulenta fuerit antiquata, vel sextum præterierit mensem, faciliter evenire potest, ut virus profundiùs impressum in urethrâ sordidum inducat ulcus, & indè eveniat caruncula penis; rarissimè verò ex aliâ caussâ prægressâ hoc oritur malum.

Signa.

Facilè cognoscitur penis increscens caruncula, seu excrescentia carnea in urethrâ latens, ex prægressâ fœdâ gonorrhœâ, quæ modò stranguriam, modò disuriam, jàm ischuriam infert: observatur nàmque urinam non eodem tenore ac anteà prodire, aut bifurcatam, ac obliquam; tandèm ità subtiliatur, ut guttatim tantùm exiliat, aut omninò intercipiatur. Undè cathetere, vel parvâ candelâ cereâ immissâ in penis canalem, mox se offert obstaculum carnosum, modò, anteriùs, modò idque ut plurimùm posteriùs, circa penis radicem non longè à prostatis glandulosis, ibi enim ut plurimùm hæc ipsa caruncula excrescere solet.

In mulieribus cognoscitur, cùm in uteri collo formatur, quia membri virilis introductionem impedit.

Causa.

Penis carunculæ causam credunt vulgares esse humores lentos, viscidos, & pituitosos ad urethræ ulcus defluentes, & cum aliquâ sanguinis portione admistos, in carneam excrescentiam abire. Verùm errant in hujus affectûs assignandâ causâ, non enim humores viscidi, & pituitosi, vel sanguis ipse hujus excrescentiæ causa esse possunt, sed hujus mali origo pendet à fœtidâ gonorrhœâ, quandò nempè acrimonia acido-salina corrosiva liquaminis effluétis corrodit urethram, & nonnihil exulcerat. Undè sequitur tandèm, ut in loco corroso ex ulceris impuritate, & crassitie unà cum alimento naturali affluente succrescat substantia quædam carnosa cujusdam verrucæ instar, ut in alijs ulceribus videre est, quemadmodùm à turdi conspurcatione arboribus viscum innasci dicitur. Hæc sylvestris caro vivit alienâ quadrâ, scilicet vitâ totius, non aliter ac viscum frutex arboris vitâ.

Prognosis.

Penis caruncula malum est periculosum, & curatu satis difficile, ac tardæ sanationis; circa enim initia mollis, & laxa percipitur, quandóque parva, & non multæ observantur, temporis verò diuturnitate plures, grandiores, duræ, & callosæ, & tunc vix curationem admittunt: siquidèm levioribus

non

non cedunt medicamentis, à fortioribus irritantur, & potissimum si medicamenta in formâ liquidâ administrentur, à quibus potiùs sanæ partes, quàm caruncula eroduntur. Præterea curationis difficultatem auget affecti membri nobilitas, compositio, & connexio, quam cum præcipuis partibus habet, adest viarum angustia, & tractandi difficultas, ac proindè vix sine majorum malorum metu curari possunt, nàm absque exedentium medicaminum usu vix superantur, & quod malum adauget, medicamenta in parte affectâ commodè applicari nequeunt, nec commodus est locus ad amputandas has carunculas. Insuper curandi difficultas oritur, quia pars est mobilis, & frequenter ab urinâ humectatur, & irritatur. Imò malum comitatur modò stranguria, modò dysuria, & modò ischuria. Est stranguria urinæ stillicidium & sæpè ad mictionem stimulat, parum tamen, & guttatim saltem redditur urina, idque qualibet vice cum mordicatione acerbâ, & ustulatoriâ inter mingendum in meatu urinario perceptâ, imprimis autem circa mictionis finem, ubi mordacissimus ardor usque ad glandis extremitatem sentitur. Dysuria est urinæ difficultas, quandò urina cum laborioso conatu, diuturniorique quàm aliàs fieri solebat, occupatione, & quandóque cum hypogastrij dolore vix tandèm omnis ea quantitas, quæ pro vice in vesica collecta est, emittitur, interrupto, subindè mictionis filo, atque in guttationem converso, imò integram subsistentiam minante, ut proindè patiens opus habeat ducto priùs integris pulmonibus spiritu fortiùs conari, atque unà nonnunquàm manibus hypogastriũ comprehensare, quò omnis urina foras propelli queat, tanto labore, & dolore urinæ redditio fit, ut interdum etiam tenesmum concitet, & alvum ad se exonerandam stimuler, & saltim ani sphincter simul per consensum doleat, ac hæmorrhoides inflentur; unde miseri ægri ejulare cogantur. Ischuria est penitus urinæ suppressio, ità ut planè nihil, & ne guttula quidèm emanare possit, & ad superiora regurgitat. Et hinc difficillima emergit curatio, & luem Veneream comitem habet, quia hujus soboles est. Nec radicitùs tollitur, & post remediorum applicationem licet absumpta videatur, tamen temporis progressu regerminat, & tandem ad sepulchrum usque comitari solet.

Curatio.

Pro Carunculæ curatione præmissis internis purgantibus tàm mercurialibus lui dicatis, quàm appropriatis, sed blandioribus; nàm satius est bis, vel ter corpus purgare, quàm viribus prostratis, agitatis, ac calefactis humoribus malum exacerbare: deindè idoneâ institutâ victus ratione, ad decocta confugimus sudorifica. Si caruncula in magnitudinem, & duritiem excreverit, emollienda est fotu *ex radicibus liliorum alborum, althææ, semine lini, fœnugræci, floribus camomillæ, & meliloti, quæ concisa, & contusa bulliant* intra crura, ac pannis undique circumtecta, ne quid exhalet, & fomentetur penis, post fotum applicetur cataplasma ex prædictis materialibus contusis, & trajectis. Vel fiat linimentum *ex unguento de althæâ, butyro, adipe humano, & oleo* simul mistis.

Emol-

Emollitâ carúnculâ, sequitur, ut extirpetur; hujusmodi autem opus non expectandum, neque sperandum est à naturâ, sed ab arte. Si omnimoda urinæ suppressio ægrum fatiget, vel stillicidium, pro urinæ excretione ad cereæ candelæ usum deveniendum est, estò in ejus introductione intensissimi excitentur dolores, sed candelæ cuspis illinenda est aliquo medicamento non valentiori, & acriori, ne ob dolorificam erosionem aliquod exitiale succrescat malum, sed talis energiæ esse debet, ut carunculas dissipandi, & consumendi vi potiatur citra mordicationem. Absumetur caruncula sequenti pulvere.

℞. *Draconis mitigati* ʒ. ij. ß.
sebij crudi ʒ. ß.
tutiæ præp. ʒ. j.
m. f. pulv. subtiliss.

Utimur hoc pulvere cum candelis cereis ex cerâ virginea factis quatuor, vel quinque filis cerâ obductis. Ceræ verò præparatæ tenuissimis obvolvendæ sunt fascijs ex lineo panno carbasino, ne nempè fabrefactæ candelæ relinquant ceram, & ut commodiùs unguentum recipiant. Pulvis istè prius cum oleo amygdalarum distemperatus sit, eoque superiori illinatur candela cerea, & in penis ductum immittatur, eò usque ubi caruncula viget. Si æger mingere volet, dematur candela, & post mictionem nova indatur, idque fiat integro quatriduo. Vel melius, fiant candelulæ ex cerâ albâ quatuor filis ex serico crudo cerâ obductis, ne intra urethram rumpantur, ut multoties observavimus. Pars, quæ urethram ingreditur, parùm calefactæ volutetur supra *simplicem draconis mitigati pulverem*, & modo quo supra adhibeatur; vel eodem modo utimur *Calomelano Turqueti* feliciori eventu. Non credibile est quantũ hìc pulvis valeat ad penis carunculâ absumendâ, nã medicamentũ pro carunculâ talis energiæ esse debet, ut sanâ nõ exulceret partẽ, & luxurianté tantũ absumat, cujusmodi est Draconis mitigati, & Calomelani Turqueti pulvis.

Nonnulli in carunculæ absũptione cãdelæ vice, chordâ ex intestinis contortâ, & oleo amygdalarum dulciũ oblitâ utuntur, quæ nullatenùs rumpi potest, & multũ pro unguẽti illitione valet; chordæ nàmque apici, & vacuitatibus adhæret. Multa sunt unguẽta pro hoc malo ab authoribus descripta, sed ab actibus, & corrosivis abstinere oportet, quia urethræ molliſſimæ, & tenerrimæ fibræ facilè lædũtur, & discinduntur; periculũ námque est, ex nimiâ corrosione, ne gãgræna oboriatur, & esset malũ priori pejus. Mitia itàque conducunt, & quæ sensim absumendo procedunt, ità est sequẽs, quod sat extollere nõ possumus, ut

℞. *Ossis sepiæ, tutiæ præp. ana* ʒ. ij.
cornu cervi usti, aloës Lotæ
aristoloch. rotund. ana ʒ. j.
al. usti ʒ ß. *f. pulv. subtiliss. postea*
℞. *Ol. rosar.* ʒ. ij.
Lithargyr. aur. ʒ. j.

f. decoct. quousque acquirat emplastr. consistentiã deindè ab igne depositо, addẽ illũ pulverẽ & ad ignem tractato, ac misceto. donec medicamentũ evadat duriusculum; hoc remedium emplastri habet consistentiam, & extremitati candelæ, vel chordę, præsertim si illa tenuior facta sit, satis commodè annecti potest.

Quòd si caruncula admotis vulgaribus præsidijs nõ dissipetur, & urinę stillicidiũ

om-

omnimodam ità minetur interceptionem, ut patiens periclitari videatur, tunc ad ſpecillum plumbeum confugiendum eſt, præmiſſis emollientibus; ſic enim vehementes non concitantur dolores, & non ità facilè inflammationes ſequuntur.

Si omnimoda ſit urinæ ſuppreſſio, parvus chateter in meatum urinarium intrudatur uſque ad veſicæ fundum, ſic carunculæ atteruntur, & comminuuntur, & urina evacuatur; interim permittendum eſt, ut ſanguis copiosè educatur, ità enim, ne prava accidentia ſequantur, prohibetur. Opus crudele videtur, attamen longè crudelius eſt, cùm nihil urinæ excernitur, ſinere, ut ad alias partes recurrat, & patiens citiùs, & certiùs periclitetur.

Abſumptas eſſe carunculas per noſtra medicamenta deprehenditur ex urinâ, quæ liberè, promptè, & pleno meatu prodit, vel ex candelâ, quæ liberè, & abſque ullo impedimento ad veſicam penetrat: tunc incumbendum eſt, ut per ſyringam medicamentis vulnerariis inducatur cicatrix, quibus tamdiù utimur, quouſque nulla humiditas educatur, nec quicquam ex urethrâ reſudet.

CAP. V.

De Bubone Venereo.

NOn infrequenter ex Venereo concubitu cum ſcorto impuro Originem trahit Bubo Venereus, tuberculum in inguinibus, à principio admodùm parvum, & obſcurum, in quo maxima Veneris virulentia latet; appellatur Venereus ad illorum differentiam, qui Venerei non ſunt. Bubo ab inguine, tanquàm utplurimùm exiſtente loco affecto ità dictus eſt. Bubo vulgò dividitur in benignum, vel ſimplicem, & malignum, & hic rurſus in peſtilentem, & Venereum. Simplex bubo eſt pueris, & adoleſcentibus familiaris, undè & vulgò augmenti corporis index habetur. Peſtilens peſti, ceu fructus, & effectus, ac peſtilitatis tempore graſſatur; Venereus lui Venereæ debetur. De ſimplici, & peſtilenti primo Tomo diximus, de Venereo autem impræſentiarum agimus.

Signa.

Ex prægreſſo concubitu cum muliere infectâ, vel ſaltim ſuſpectâ de Lue Venereâ, & maximè ſi nulla alia externa apparuerit cauſa, vel caries, vel ulcus, aut gonorrhœa præceſſerit non ritè curata, vel ſuppreſſa parvus tumor in inguine apparet, qui in dies augetur cum dolore, & rubore, circa veſperas rigor, capitis dolor, & cum totius corporis laxitudine, febris moleſtare ſolet, quæ manè præter tuberculum omnia remittuntur, atque evaneſcunt.

Solent quandóque malè feriati Chirurgi decipi in ruptură, & eam pro bubone accipere, ut nuper cuidam accidit, qui prægreſſo inſueto itinere, catarrho cũ vehementi tuſſi, & in inguine parvo tumore correptus fuit in principio, procedente verò tempore magis increbuit, & dùm ſtabat, protuberabat cum dolore punctorio, ac velut lancinativo, dùm verò ſupinus decũbebat, retrocedebat. Accerſivit urinæ medicum, duoſque

Chirurgos, qui inſpectum tumorem bubonem Venereum eſſe aſſeverârunt ex malè curatæ gonorrhœæ ſuſpicione, in quam tunc quartus decimus agebatur annus, inciderat. Inito itáque conſilio, corpus mannâ deplent, deindè maturantibus per tres menſes incubuerunt, quibus irritis, tumorem rebellem, ideóque maturantibus, vel reſolventibus reluctantem eſſe ſanxerunt. Secundum ineunt conſilium, & tumoris inciſionem decreverunt, quæ peracta nil præter ſanguinem fudit. Sunt medici buccinatoribus non abſimiles, qui amiſſam buccinant rem, cujus ad unguem omnes delineant notas, licèt poſtmodùm non agnoſcant, etiam ſi eam intueantur. Introſpicientes foveam verſus glandulam bubonariam, pro magno ſinu acceperunt, quem ſecuerunt, ſed peractâ ſectione extemplo excarnificatus languens ſævâ teneri febre, linguæ ariditate laborare, anhelâ excruciari ſiti, in parte laniatâ dolores ſentire truces, varios vomere humores, urinas reddere confuſas, nulli ſuccumbere ſomno, & innumera pati ſymptomata, quæ præſentem intenzabant mortem, cœpit. In tantâ ſymptomatum procella ſanguine conjuncti de vita decumbentis hæſitare cœperunt, tertioque conſilio accerſitum Chirurgum *Prudentem*, & peritum adjunxerunt, qui percepta relatione, aſſidentibus medicis rupturam, non bubonem reſecuiſſe exprobravit, inciſionem repudiavit propoſitam, & ut errori conſuleret, Rulandi balſamum ſulphuris pro inciſæ partis ſanatione propoſuit. Patefactâ Chirurgorũ craſsâ Minervâ, demiſſo ignaviæ indice, ad eorum exitiale ſcelus tegendum, duorum Chirurgorũ opem implorarunt, qui, quia canis caninam non eſt, jure jurãdo, imò perjurio aſſeverarunt non rupturam, ſed Venereum eſſe bubonem, & multùm collegis aſſentantes, tertiam lanienam profundè faciendam inſtituerunt, in hac tertia inciſione non tantùm pyramidales muſculos, verùm etiam qui pubem conſtituunt, ſecuerunt. Tùm demùm exitialia ſymptomata increbuêre, & fractis viribus languens, pauciſſimis diebus in mortis angone jactatus, non exenteratus obiit, ſed abiit.

Non infrequenter Chirurgi accipiunt quid pro quo, & pro eorũ tuenda ignavia acerrimè diglandiantur, ac ut inter ipſos auxilij imploratio colatur, facilè in tertium conjurant. Æger in manu medici eſt velut ovis in faucibus lupi. Pecuniæ cauſa, non ægrorum ſalutis gratia diſcurrunt; ideóque medicorum avariſſimum genus eſt, & quod mirari ſubit: ſunt quidam medici, qui pro ſeſquihorâ vitam non habent, ac in lecto perforato cubare deberẽt, & tamen ſe trahunt, vel trahuntur per urbem, ſchedulas ſalutis, qua carent, jactant in vulgus, nec urinã quidèm gratis, aut merdam inſpiciũt, aut eductum ſanguinem aſſula volutant, aut ægrum vel ſemel tãtùm viſitant. Sunt veluti pediculi, qui alienis ſaginantur ærumnis; ut diteſcant nullis fraudibus, nulliſque parcunt mendaciis: omnes in iis ambulant, & in iis volutantur, quæ pro fundamento agnoſcunt, & veritatem vocitant mendacium. Hinc hortamur ægrotos, ut à morbo potiùs occidi ſinant,

quàm

quam à medico, ille enim mitjùs, hic verò inhumaniùs agit.

Cauſæ.

Vulgares medici pro bubonis cauſa ad ineptas hepatis nænias recurrunt; inquiunt enim bubonem non fieri, niſi hepar fiat certius, quia venenata qualitas per penis ductus, partiumque genitalium meatus primò ad proximas venas, deindè per majores ad hepar ſe inſinuat, cujus ſubſtantiam vehementer lædit, & conſpurcat, quò fit, ut ſanguinis loco virioſi generentur humores, quos eſtò natura ad varias propellat partes, frequentiſſimè tamen ad inguina, tanquàm propria emunctoria deponit: Verùm ſi accidat, ut pravos humores ad extimas partes non propellat hepar, in venis retenti varia, & prava accidentia concitant, febres nempè putridas, diuturnas, & pravi moris, quæ ſæpè in hecticas degenerare ſolent, vel innumeras puſtulas, veluti exanthemata, vel variolas, vel ulcera in univerſa cute, vel cætera luis ſymptomata producunt. Quare lue Venerea contaminatus hepati perennes gratias pro tanto beneficio referre debet, quia ſecus ſi labem ad partes intimas, & nobiliora demandaſſet viſcera, graviora excitaſſet ſymptomata: patet id, nàm hepatis motus, quo humores virioſi ad inguina demandantur, inhibeatur, aut perturbetur, & omni ſedulitate non adjuvetur, iraſcitur hepar, & bubonis materia recurrit, ac ſymptomatum emergunt procellæ. Sed has vulgarium inſulſitates, fuſius reſpuimus *lib. 2. cap. 4. De luis Venereæ Sede.*

Genuina bubonis Venerei cauſa eſt acidum acre à pure ulcuſculorum in mulieris pudendis elevatum, & viri urethræ exceptum, quod vaſorum ſanguinis tunicas penetrans, illius maſſæ immiſcetur; in complexu enim Venereo penis ductus, partiumque genitalium, omneſque pori dilatantur, & aperiuntur, undè malignus vapor, ſive halitus mediante circulatione unà cum ſanguine per anguſtiores venas circa glandularum tunicas ad inguem advehitur, illic remoram contrahit, coagulat, & apoſtema, qui bubo Venereus dicitur, parit. Bubo intra tunicas glandulæ corpus veſtientes erumpit, non verò intra glandulosam ſubſtantiam, aliàs eſſet bubo ſpurius, de quo ſequenti capite agemus. Excitantur quoque bubones ex repentina gonorrhææ virulentæ feriatione, quoties ab efficaci aliquo remedio ceſſatio illa cauſata non fuerit, ſed ſpontanea evenit, vel ex aliqua, quæ virulentiam non ſuperavit Veneream, uti ſunt natatio, medicamentum purgans, ſanguinis miſſio, & ſimiles.

Prognoſis.

Bubonum præſagium quò ad ſuppurationem eſt, quòd diſponuntur multoties circa quartum, multoties circa ſeptimũ aut circa undecimum, decimum quartum, & vigeſimum primũ pro patientis robore, & materiæ, tùm quantitate, tùm qualitate; quò citiùs extrà emergũt, extuberãt, & ſuppurantur, eò pro infirmo meliùs: ſeçus qui pigrè elevantur, ſubſi-

dent, duritiem contrahunt, & artis auxilio indigent, ut suppurationem nanciscantur. Curationis vaticinium à Chirurgi diligentiâ, & peritiâ, quæ si rectè fuerit administrata, nil mali bubones portendunt; si malè, gangrenas, mortificationes, musculorum abdominis corrosiones, & tandèm mortem bubones producere possunt. Vel si negligenter curentur, in fistulas abeunt. Vel post curationem, nisi interna adhibeantur præsidia, præter pustulas, ulcera, dolores, gummata &c. ex transmisso intùs veneno à bubonibus temporis cursu excitari possunt.

Curatio.

Vulgares Chirurgi, seu barbitonsores pro bubonis curatione nunquàm resolventia adhibent, sed potiùs curant, ut suppuretur, quàm resolvatur, nã meliùs tùm corpus, tùm hepar in cujus emunctorio nascitur, ab excremẽtis vindicatur. Omni itáque industria primò studeant, ut contagiosus humor ad effectum trahatur locum, & suppuretur. Secundò, omninò à sanguinis missione ex brachiis abstinent, ne prava qualitas ad principes ducatur partes. Solùm igitur si bubo post apparitionem per multum tempus neque crescere, neque decrescere, neque ad suppurationem disponi videtur, & præcipuè si in corpore plethora adsit, ex pede ejusdem partis affectæ semel, & pluries sanguinem mittunt, ut materia ad inguina trahatur: quasi sanguis stagnaret, & non in vertiginem ageretur, & ejus extractione corpus non refrigeraretur, & suppuratio non impediretur. Deinde statim ac bubo apparere incipit, *quatuor oleis*, scilicèt *utriusque lilij*, *amygdalarum dulcium*, *& chamomillæ* bubonem inungunt, superponendo lanam succidam, idest sordibus redundantem, nàm hæc partim laxando, materiam faciliùs ad patiens inguen defluere faciunt, partim præparando ad suppurationem: verùm hæc olea potiùs subuculas conspurcant, quàm bubonem suppurant. Si hoc non sufficiat, commendant supra partem affectam cucurbitulam magnâ flammâ apponi, quod terriculamenti genus optimum censetur, quia Vulcanus adulteræ minatur Veneri. His vanidis, plenissimum præscribunt victum: *Sed impura corpora quo magis nutries, eò magis lades.* Imponunt ægro, ut valido se exerceat motu, ludat pilâ, folle, palestrâ, arte digladiatoriâ &c. adhoc ut ratione motûs, materia in hepate agitata ad partem affectam transmittatur: Verùm quis spondere poterit his validis motibus potiùs ad inguen virulentiam transmitti, quàm ad alias partes?

Quibus omnibus parùm proficientibus, apponere solent *emplastrum diachylonis magni cum gummatibus*. Si verò istis præsidiis postquàm apparuerit tumor, neque crescit, neque decrescit, ad corporis purgationem deveniunt, nàm sublatâ cacochymiâ, & minoratâ materiâ, id quod relinquitur, facile à naturâ superatur, undè tribus syrupis humores præparant, ut

℥ Syr.

℞. *Syr. de ſucc. fumar.*
lupulor.
cichor. ana ℥. ß.
aquæ lupulor. ℥iij. *m.*

Poſt quos purgans exhibent medicamentum, ut

℞. *fol. ſen. or.* ℥. j.
polyp. querc. ℥ ij.
flor. cord. p. j.
f. decoctum, & in ſuff. colat. diſſ.
Syr. Sueſſ.
roſ. ſolut. ana ℥. iij.
confect. hamech ℥. iij.
m. f. p.

Vel in formâ pilulari, ut

℞. *Pilul. de tribus Gal.* ʒ. iß.
cum cathartico roſ. f. pilul.
vii. & deaurentur,

Vel in formâ boli, ut

℞. *Pulp. Caſſ. recent. extract.*
per ſetam ℥. j.
confect. hamech ℥. iv.
pul. fol. ſen. or. ℥. j.
m. f. bolus.

Et poſt tres horas exhibent *apozema ex ſyr. roſ. ſolut. cum levi decoctione.* Sed eſt purgans de communi morborum omnium, quod à circumferentiâ ad centrum trahit, non verò à centro ad circumferentiam, undè certior erit univerſalis Lues, quàm ad inguen depoſitio.

Si ab aſſumpto purgante extuberat, maturentia adhibent, inter quæ præſens principem locum tenere credunt, ut

℞. *Radic. utriuſque lilii,*
althea ana ℥. ii,
fol. malvæ.
althææ.
Violarum,
Scabioſæ ana m. j.
Bulliant, & contundantur, addendo
axungiæ porcinæ putridæ,
butyri recenter loti ana ℥. iv.
adipis anatis,
anſeris,
gallinæ ana unc. j.
ol. utriuſque lilii,
amygdal. dulc.
chamomill. ana unc. ß.
fermenti unc. ij.
Croci fila x.
& f. cataplaſma.

Si hoc non ſufficiat, uti ſolent emplaſtro diachylonis magni cum gummatibus, ut

℞. *Empl. diachyl. cum gummatibus* unc. j.
ammoniaci,
bdellii,
ſagapeni ana unc. ß.
m. f. empl.

Poſtquàm maturatus fuerit, ad apertionem deveniunt, ferro aperiunt in formâ crucis, incidendo apices, ne ſuccedat fiſtula, totâmque cavitatem turundis ex ſtuppâ, ovi albumine conquaſſato oblitis complent ad ſanguinem ſiſtendum per 24. horas. Apertum detinent ſaltim 40. vel 60. dierum ſpatio, & ultra, quia non ſolùm materia, quæ ad emunctorium fluxit, evacuatur, ſed habent naturæ irritamentum, quo ipſa cogitur ad expellendam materiam, & ſic tùm hepar, tùm totum corpus meliùs expurgatur. Ab initio digeſtivo, quod *ex ovi luteo, terebinthinâ, & oleo roſaceo* conficiunt, bubonem regunt, exteriùs ad inhibendam inflammationem circumliniunt oleo roſaceo, mox unguentis mundificantibus, tùm implentibus, tùm cicatriſantibus utuntur. Aperto bubone, & jàm digeſto, iterùm corpus purgant medicamentis ſuprà poſitis,

& eò magis si pus non laudabile excerni videatur ; ad contagiosæ Luis extirpandam qualitatem, ut nullum ex ipsâ superstit in hepate seminium, decocta propinant.

Hæc sunt chirurgorum, & barbitõsorum pro bubonis curatione medicamina, quæ an contineant pro Lue extinguendâ antidota, dicant, qui in eorum inciderunt ungulas. Luem prædicant magnum morbum, & magni morbi magnum medicamentum esse testantur, & pro ejus exterminio irritis, ridiculis, & hisce diris utuntur medicamentis! Satem ob ejulantium voces, planctus, & querulos gemitus eorum, qui perperàm ab ipsis curati, in doloribus, gummatibus, ossium exesionibus &c. contabescunt, infestam experti artem, resipiscant, & dediscentes, veram discant medicinam, quia, quam exercent, non est vera medicina, sed carnificina. Verùm querelarum in medicinâ caussa est, quòd homines, qui nullius pretii, vel intellectûs existunt, animum medicinæ dant, quo fit, ut hoc nostro tempore nulla gens contemptior existat, excepto Monacho, non propter artem, sed per personas, quæ ex omni nequitiarum genere ad medicinam, tanquàm ad refugium, confluunt, undè in hac nostrâ civitate plures sunt medentes, quàm ægroti. Non omnibus datum est medicinæ ministerium nosse, nec omnibus sapientibus, sed tantùm illis, quibus datum est intelligere, quia est peculiare Dei donum, non omnibus concessum. Hinc oritur, ut vulgares, qui medicinam faciunt, ægrotis duobus assibus, vix majori pretio medeantur, quare ob vi[illegible]modi mercedem, medicina meretrix esse & unicuique subjici compellitur, quia non potest aliter se alere. Eapropter non multùm vulgares culpamus, à quibus id provenit: nàm rarò vili pretio bonæ emuntur merces, sed ineptos insimulamus ægrotos, non ideò duobus assibus medentes æstimamus, quia pro tantillâ pecunia medicinam faciunt, cùm vix aliud præstare possint, licèt scirent, & tamen fideliter se agere putant, & interim hæc tantilla merces utinam illis tota persolveretur. Discant meliùs, & postea medicinam exerceant.

Non possumus non criminari vulgarium chirurgorum impostu[illegible]am, qua quæstum indies novum faciunt, sed dolo, & fraude, quod est eorum artis fundamentum : circumferunt ærea scrinia cum sepimentis in disponendis colorum varietate unguentis, in pharmacopolio emendicatis, nec unguenta habent, quæ in bonum tendant finem: ceu pictores suos circumgestant asserculos variis coloribus exornatos. Non loquimur hîc de quorundam chirurgorum impostur[illegible], qui in phialis liquores triviales, sed auro cariores pro balsamo pretiosissimo circumferunt, ut ab ægrotis extorqueant aurum. Delendus hic abusus est, & talia unguenta putida, quæ tanquàm arcana gestant, per fenestras abijcienda sunt. Multùm seipsos jactant, & extollunt, potissimum eorum est magisterium mentiri, imponere, optimum est unguentum, sed his minimè curare possunt, curant loculos, nõ ægros, quos ars curat, non ipsi, quia iis non inest.

Bubonum curatio optimè instituitur, si chirurgus ante apertionem perfectam inducat maturationem, quæ medicaminum internam fermentatio-

nem

nem promoventium ope inducitur, ea sunt, quæ blandis suis particulis volatilibus succos stagnantes acido acri conspurcatos incalescere, effervescere, æstuare, & exaltari faciunt; undè tubuli cum contentis succis, tunicæ, fibrillæ, aliæque partes corroduntur, discinduntur, dilacerantur, & in pus degenerant, & dùm cutem versus viam sibi parat, bubonem, prominentem, mollem, digitisque cedentem efficit, ità est sequens cataplasma, ut

℞. *Stercoris columbin. pulverisati,*
Croci contusi,
axungiæ gallinaceæ ad libitum.
m. & cum panis fermento reduc in cataplasma,

quod duodecimâ quâque horâ super bubonem renova. Vel medicamenta crassa, pinguia, mucilaginosa, & resinosa conducunt, quæ poros obstruũt, insensilem perspirationem impediunt, materiam intùs contentam mediante impeditâ perspiratione exagitant, fermentationem promovent, & in pus degenerare faciunt, ità est sequens emplastrum, ut

℞ *Empl. de mucilag.*
filii Zachariæ ana ℥ *ß. m.*

Sed præstat solùm emplastrum filii Zachariæ, quòd si bubo ignavè ad maturationem procedat, acui potest *oleo de lateribus* ad eam sollicitandam. Emplastrum supra tumorem applica, & quolibet duodecim horarum spatio renova. Bubonem suppuratum aperi; sed minimè quidem ferro, ut vulgò fieri solet, sed sectico mercutiali, nàm cum aperit, & veneno resistit Venereo, quod ferro non evenit: sectico ad hoc opus peragendum ità paratur,

℞. *Merc. meteorisati* ℥. *j.*
farinæ hordei ℥. *iij. m.*
& cum sputo f. massa, miscendo cum spatulâ ligneâ, ex illâ massâ trochiscos in pineorum formâ compone, & exsiccari permitte.

Exsiccatos hujusmodi trochiscos ità adaptato: Expandatur *emplastrum de Gratiâ Dei, vel fodicationum* super alutam, & in medio emplastri ponatur trochiscus, quem adapta super bubonem, ità ut in declivi parte illum aperiat, post duodecim horas emplastrum exime, nàm adapertum reperies bubonem, cujus materiam expressione evacuabis.

Verùm, quia ægri tàm ferro exhorrent, præcipuè si chirurgus ex ignorantiâ inciſionem, ut convenit, efficere nescit, quàm sectícum; nos ob charitatem erga fratres, nobilissimo, & efficacissimo emplastro, quod *Benedictum* appellamus, Rempublicam medicam ditamus, cujus solâ superpositione, & renovatione non tantùm Venereus bubo matureſcit, & aperitur, verùm strumas, ad quas utimus, cunctos tumores tùm calidos, tùm frigidos dictos, imò tophos podagricos matureſcere facit, & ad cicatricem usque sanat, ejus compositionem ingenuè communicamus:

℞. *Ol. com. lib. iij.*
radic. arund. ℥. *ij.*
lilior. Cœlest. unc. iij.
althææ unc. *ß.*

Dùm oleum ebullire incepit, affunde radices mundatas, & in taleolas subtiliter incisas, coque ad nigredinem usque quas auser, & pedetentim inice

ceruſſæ unc. iij.
tutiæ prep. unc. *ß.*
ceræ citrinæ unc. iij,

semper spatulâ agitando. Coque ad emplastri consistentiam, quousque nigrum evadat, tandem adde

balsami

balsami nigri ℥. *ij.*
aufer ab igne, & serva.

Non credibile est quantùm emplastrum hoc ad maturanda omnis generis apostemata rumpenda, & sananda valeat, ità major est experientia verbis, ut æger sui ipsius sit chirurgus.

Adaperto foramini pulvillos immitte inunctos sequenti hoc nostro *Unguento Magistrali*, quod ità paramus:

℞. *Litharg. aur.* unc. viij.
Cerussæ unc. iij.
tutiæ prap. unc. ß.
plumbi usti unc. j.
merc. sublimat. dulcis unc. ß.
Stibii crudi tantundem,
cinnabaris unc. ij.
ceræ unc. vj.
ol. ros. lb. ij.
f. Ung. s. a.

Vel utere pulvillis unguento albo, & aureo inunctis, quod immissum contineat *magnum calcinatum Paracelsi*, vel *mercurium præcipitatum incarnatum præparatum*, scilicèt supra quem bis, vel ter incensus fuerit vini spiritus, & infra pauciſſimos dies à bubone omnem absterget pravitatem, illumque exhibet mundum, prosequere ad carnis reductionem usque juxta artis præcepta, & tunc emplastrum Benedictum, vel fodicationum adhibe, nàm perfectam inducet cicatricem; facta cicatrice, sunt infirmo exhibendæ pilulæ ex mannâ mercurii, quas suprà descripsimus.

Verùm quia plerique sunt, qui bubonum suppurationem exhorrent, cupiuntque eos vix apparentes internis medicamentis resolvere, tunc in tali casu hac nos utimur methodo.

Primò accuratè nos observamus, an suppuratio inceperit, nàm suppuratâ existente materiâ impossibilis est per interna remedia resolutio. Secundò advertimus, an patiens sit robustæ naturæ, & ad vomendum facilis, nàm si gracilis, & ad vomendum difficilis, tunc ter exhibemus pilulas ex mannâ mercurii suprà descriptas, & à sequenti medendi modo est removendus; cùm igitur suppuratio non incepit, patiens est robustus, & ad vomendum facilis, incipienti buboni sequens superponimus emplastrum, quod post 24. horas renovamus.

℞. *Empl. de Ranis cum triplici Mercurio*
q. suff. extendatur super alutam.

Deindè infirmus in lecto se contineat, & manè illi exhibemus *Turpeti mineralis dulcis gr. vj.* in ovi vitello, hoc vomitum provocabit: ter illud exhibemus alterno die, exactæ diætæ indulgeat æger, vinumque bibat, perque integrum medicaminis tempus, frigidum, humidumque fugiat aërem, sic paulatim bubo omninò resolvetur absque ullo futuri mali periculo.

Et reverà optimus videtur buboném resolvèndi modus, absque eo quod patiens experiatur ferrum, vel ignem, & quidem ex Hippocratis, & Galeni sententiâ tutior, utilior, & compendiosior est suppuratione resolutio, sed non semper ex voto succedit, post prædicta medicamenta quandóque minoratâ materiâ, bubonem in suppurationem abiisse observavimus, quòd si resolvatur, brevi temporis intervallo omnia ditæ Luis symptomata superveniunt, nisi ad productum tempus pro Lue Venereâ extirpanda efficaciſſima exhibeantur præsidia. Tutior, & utilior est suppuratione resolutio in tumoribus

nullam

nullam pravam qualitatem habentibus, at bubones Venerei virus continent: tutior itáque & utilior est resolutione suppuratio, quia per apertam vomicam, tanquàm per emissarium universum corpus virulentiâ expiatur. Resolutionis praxis tantùm exerceri potest tanquàm remedium pro mulieribus nuptis, quæ furtim inscio viro compressæ bubonem contraxére, ut nos non paucas ab ore gladij uxores vindicavimus.

CAP. VI.

De Bubone Spurio.

EST & aliud bubonis Venerei genus priori deterius, qui Bubo spurius, & illegitimus appellatur, suam cognoscit genesim ex male curatis in præputio cariebus, vel ulceribus; nàm non ob sanguinem à viro Venereo remoram contrahentem in venulis circa glandularum tunicas in inguinum emunctoriis, sed per alicujus partis spermaticæ consensum ab ulcere contaminatæ glandulosum aliquod corpus in inguine fit turgidum, illi venenum communicatur, & impertitur. Sic vulneratâ manu, aut digito, in brachio, & sub axillis; vulnerato pede, tibia, vel crure, in inguine tumores fieri assolere, & malum communicari experimur: non aliter ac materia vitiosa, subtilis, & prava latenter per nervos ad cerebrum defertur, ut in epilepsiâ fieri videmus, à partibus extremis aurâ venenatâ sine insigni dolore in partes per quas transit, ascendente.

Signa.

Signa suadet ipsius tuberculi extumescentia, qua est circumscripta, incrementum sensim suscipit, sed non magnum, duritiem demùm habet, quæ neque emollientibus cedit, neque suppurantibus suppuratur, neque resolventibus resolvitur, imò una glandula susceptum virus alteri & alteri cõmunicat, nõ aliter ac strumis in collo succedit, febris abest, dolore vacat, non rubescit, quia non ex sanguine fit, carni est concolor. Interdùm sub aurorâ sudat æger, quia multa vasa lymphatica vel originem ab inguinum glandulis habent, vel ad ipsas terminant. Sicut aliis locis glanduloſis evenit; virus glandulis communicatum impedit lymphæ elaborationem, & transitum, tunc regurgitat, diffunditur, & per poros in formâ sudoris eliminatur.

Causa.

Bubonis Venerei spurij causæ sunt caries, vel ulcera in præputio, glande, coronâ, vel frano malè curata, vel à medicamentis nimis corrodentibus, & acerbum excitantibus dolorem, quàm par est, tunc acidi actis subtilis substantia à carie, vel ulcere elevatur, & per partem spermaticam ad glandulas in inguine furtim defertur, ibi hæret, lympham vitiat, acidam reddit, coagulat, ejusque motum impedit, & tuberculum fit, deindè per partes spermaticas virus Venereum ab unâ glandulâ ad alias inquinando procedit, & glan-

dularum lympha vitiatur, & messis multiplicatur.

Prognosis.

Bubones Spurij pessimi sunt, neque ex naturæ efficaciâ, neque artis auxiliis suppurationem unquàm admittunt, breui temporis spatio dolores, gummata, & cœtera diræ luis symptomata inducere solent; si quandóq; in suppurationem abeant, utplurimùm in putrida, maligna, cavernosa, & valdè dolorosa ulcera degenerant.

Curatio.

Fallentur utplurimùm in his curandis bubonibus inepti Chirurgi, nàm ex suppurantium applicatione aliquid sub cute mollescit, & nil indè extrahunt præter nigricantem sanguinem ex glandulâ manantem, adducuntque hoc modo infirmum in magnum discrimen, quippè glandula incisa nunquàm digeritur, ac propterea pessima semper emergunt symptomata.

Si itáque hujusmodi bubones occurrent, primò attendendum est, ut si adhuc persistant caries, vel ulcera in præputio, glande &c. curentur; nàm absque carierum, vel ulcerum curatione frustrà glandulæ resolutio tentabitur. Curatis ulceribus, vel cariebus, glandulam emplastris tentabis, ut sensim per contenti resolutionem ad temperiem reducatur. Multi sequens commendant emplastrum diaphoreticum ex *Mynsichio* depromptum, correctum, & in acris formam redactum, ut

℞ *Gummi ammoniaci* ʒ ij.
elemi ʒ jß.
Sagapeni ʒ j.
Solvantur in sufficienti quantitate aceti, ad pultis formam: cui adde pedetentim, & quasi guttatim
ceræ flavæ odoratæ lib. j.
terebinthinæ claræ ʒ iij.
colophoniæ ʒ iv.
liquata invicem leni igne, in sartagine, separatim, & non nimis calidè, superioribus gummatibus sensim, & alternatim, uti dictum sub continuâ agitatione, infusa, hinc alternatim etiam inspergantur successivè hi pulveres: utpotè,
Pulv. gummi bdelij ʒ iv.
succini citrini unc. iij,
olibani,
mastichis ana unc. j.
sandaracæ ʒ vj.
Post agitentur, donec omnia commissa, atque dextrè unita sint, per horam integram, in diplomate vase scilicèt duplici, calore leni fiatque emplastrum. Extendatur super alutam, quod renova secundo quoque die, & sensim per diaphoresim resolvetur glandula, & ad suam reducetur temperiem: verùm non semper felici cum successu applicatur. Alij vulgò *emplastro de ranis cum triplicato mercurio* utuntur: sed hoc tantæ efficaciæ, ut extollitur, non est. Efficacissimum nos experti sumus *emplastrum nostrum Benedictum*, quo omnes bubones tantùm legitimi, verùm etiam spurij utplurimùm ad suppurationem, ut in strumis quotidiè experimur, & quandóque ad resolutionem reducuntur. Post glandulæ resolutionem appropriatum remedium est aqua Anti-Venerea,

vel

vel decocta sudorifica, præcedente medicamento cathartico. Verùm accidit quandóque & utplurimùm, ut his, aliisque adhibitis, optimis præsidiis bubo spurius invictus, irresolubilis, & inexpugnabilis resistat, tunc non ità relinquendus est, sed ad nostram curationem confugiendum est. Solet quandóque in corpore juvenili athletico, naturalibus facultatibus, robore, & vigetiori calore prædito resolvi, sed in occiduâ ætate cùm vires enervantur, lues, quæ furtum delitescit, vires reassumere solet, & tot diræ luis emergunt symptomata, quot milites ex quo Trajano, nisi opportuno tempore medicamentis admodùm prævalidis succurratur. Unum salutare, & efficax remedium in bubone spurio experti sumus, quod est apertio, & glandulæ vitiatæ consumptio: hic bubo eandem cum bubone pestilenti sortem sortitur, qui nisi aperiatur, & virulenta educatur materia, totum inficit corpus. Hæc apertio non ferro fieri debet, ut diximus, sed caustico, ad quem finem sequens in formâ liquidâ efficacissimum experti sumus, ut

℞ *Lixivij saponariorum lib.j.*
Salis ammoniaci unc.j.
vitrioli Romani ʒ ij.ß.
Opij Thebaici ʒß.

Coque ad duarum partium evaporationem, factâ colaturâ, insignem habebis liquorem causticum ad quemcumque tumorem aperiendum.

Vel ℞ *Lixivij saponis, vel matris lib.ij.*
Calcis vivæ lib.j.

Affunde aquam fervente, bis invicem misceantur, cùm clarescit, affunde sartagini, adde

Salis ammoniaci unc.ß.

& in qua coque ad duarum partium evaporationem, & cola, omnes tumores. Si tàm primum, quàm secundum causticum tamdiù coquas, quousque fiat lapis, dicitur infernalis. Hoc, vel illo causticò in formâ liquidâ madefac plumaceolum ex filamentis, ad bubonis proportionem, super quem impone cum plumaceolo superstrato, servatis partibus circulo, ne liquor causticus foràs effluat, & partes exedat sanas. Inductâ escharâ, procuretur ejus casus medicamentis laxantibus, ut *butyro, vel unguento de Althæâ,* deindè non ferro glandula extirpetur, sed corrosivis dulcibus est totaliter absumenda, ità est *mercurius præcipitatus dulcificatus, magnum Calcinatum Paracelsi, Lapis infernalis ex Lunâ cupellatâ, in aquâ stygiâ solutâ & ad caticulam evaporatâ, vel mercurius dulcis, vel arcanum corallinum.* Absumptâ glandulâ, vel glandulis, sarcoticis, & tandèm epoloticis pars tractetur. In cursu curationis non desint *pilulæ ex cerussâ antimonij, & gummi guajaco naturali* ante cœnulam, deindè virus Venereum, præmisso cathartico, à toto eliminetur decoctis juxta nostram descriptionem compositis, vel aquâ Anti Venereâ.

CAP. VII.

De Pustulis.

PUstulæ inter Venerea symptomata recēsentur, quę in luis primordio penis

penis præputium sibi vendicant; attamen in lue confirmatâ præcipuè in capite, canali inter utramque natem, & cœteris corporis partibus erumpunt: harum pustularum cognatæ affectiones sunt phlictenæ, epinyctides, scabies, exanthemata, variolæ, impetigines, consimilesque aliæ cutaneæ affectiones, quæ interdùm pauciores ad summam cutem à vitiata radice assurgunt; interdùm frequentiores, & numerosiores, non rarò adeò copiosiores, ut universum corporis habitum obsideant; nonnunquàm unicam tantùm occupant partem, caput nempè, & faciem, vel manus, aut crura, & pedes. Præterea quandóque sunt latiores, quandóque minores &c. Sed sæpissimè orbiculares, vel acuminatæ, vel depressæ, & mox unius, mox alterius rei figuram ostendunt. Insuper interdùm sunt duræ, & siccæ, nihil ichoris profundentes, imò squamosæ; interdùm sunt molles, & humiles, & cùm disrumpuntur, ichorem, vel saniem, vel virulentum pus admodùm fœtens eructant. Quò ad colorem visuntur lividæ, fuscæ, cineritiæ, vel rubræ, insuper dolorosæ, & prurigìnosæ magis noctù, quàm interdiù.

Signa.

Ex his quæ diximus, signa facilè patescunt, nàm post commercium cum scorto Venereâ lue conspurcato, quædam bullulę superficiales veluti millij grana, quæ pruriginosum inducunt sensum, in præputio oboriuntur; epidermidem, & cutem lacerant, & sanioſum eructant fluorem. In lue confirmatâ prorumpunt pustulæ, earumque cognatę affectiones in capite, facie, manibus, circa loca naturalia, crura, pedes, & quandóque totum obsident corpus, modò latiores, modò minores, & utplurimùm rotundæ, nunc fastigiatæ, nunc depressæ; interdùm molles, & humiles, & in disruptione ichorem, vel saniem, vel pus profundunt; interdum sunt durę, & siccę, interdũ squamosę.

Verùm quia Venerea lues per se nullum morbi genus constituere videtur, & perpetuò falsam, aut apparenter veram alicujus morbi imaginem repræsentare, quin cuicumque morborum generi adeò insolubili nexu cohæret, ut veriùs ejus naturam ęmulari videatur; hinc vestiganda est inter pustulas Venereas, & simplices distinctio. Pustulas Venereas à simplicibus discriminant coitus prægressus cum muliere lue conspurcatâ, aut caries, vel ulcus malè curatum, aut gonorrhœa suppressa, aut bubo resolutus, aut negligenter sanatus, aut capicis, artuumq; dolores evanescentes; nàm nunquàm ejusmodi pustulæ absque internâ aliquâ horum affectuum concomitantium, aut evanescentium notâ prorumpunt. Præterea pustulæ Venereę medicamentis vulgaribus non cedunt, imò in peius ruunt, quia causam foventem, & conservantem habent, quæ nisi auferatur, nunquàm sanescunt.

Causa.

Pro immediatâ pustularum causâ statuunt vulgares virulenti succi, de naturâ bilis effervescentis cum aliquâ salsæ pituitę portione permisti, quem jecur lue Venereâ conspurcatum

Unable to display this page

ctum in aquâ plantaginis, pimpinellæ, & hordei paratum, aut cerotum lithargyrii, aut unguentum de tutiâ cum unguento Isidis commistum. Maximoperè extollunt *spumam guajaci, scabiosæ, & aristolochiæ rotundæ.* Quibus non juvantibus, ad *saponem nigrum, vel ad mercurii præcipitati pulverem unguento rosaceo admistum, vel ad oleum scorpionis, sevum hircinum, pinguedinem gallinaceam, vel ad oleum viperinum confugiunt.*

Opportunum ad curandas pustulas auxilium est, ne in caries, vel ulcera abeant; medicamenta se insinuandi vim habere debent vel in formâ pulveris, vel liquoris, hujusmodi sunt *lithargyrium aureum* vel nullo alio præstantior erit *mercurius dulcis*, in pulverem redactus, & per setam trajectus. Indolens est ille, & hic pulvis, qui præputio aspersus bis in die, infra duos dies pustulas curat, si vino tepido leviter humectentur, & dictus pulvis adhibeatur, & præcedens abstergatur, multùmque valet in his præcavendis; Mercurii nàmque pulvis omnem acredinem, & aciditatem in se imbibit, & omnia corrosiva obtundit, immutat, & cicurat, non aliter ac in mercurii dulcis opificio contingit, ubi partes acutæ, & corrosivæ mercurii sublimati supra corpus mercurii obtunduntur, infringuntur, hebetantur, dulcescunt. Vel

℞. *Aquæ ros.* ℔. *j.*
merc. meteorizati gr. x.
f. horum in aqua solutio,

qua ter, vel quater in die pustulæ laventur, & curatæ erunt. Ejusdem, & majoris efficaciæ erit *aqua Venerea, vel lapidis medicamentosi*, si post singulas ablutiones, petia madida dicta aqua superponatur; Post earum curationem mercurii dulcis, vel mannæ mercurii pilulas infirmo exhibe ter eodem modo, quo eas, dùm de gonorrhœâ egimus, præscripsimus.

In pustulis ex confirmatâ Lue hæc medicamenta non sufficiunt, sunt nàmque germina, quæ à vitiata radice pullulant, & nisi extirpetur: internis itaque avertruncenda est, & primò corpus purgandum est illis medicamentis, quæ Lui appropriata præsidia in compositione admittunt, hujusmodi est *Aqua solutiva magistralis à Paulo Æmilio Ferrillo* inventa, quæ salsam parillam, limaturam ligni Indici &c. recipit, sumi debet jejuno stomacho per quinque vel sex dies; vel quæ Luem exterminant; ità sunt *pilulæ de tribus Gal. vel extracto catholico*, in quas *mercurius dulcis, vel manna Mercurii* ingreditur. Deindè propinari possunt *decocta ex lignis, & radicibus* juxta nostram descriptionem, & interim pustulæ, & cognatæ affectiones, nisi sensim resoluantur, leviter inungantur *unguento pomato*, in quo *Mercurius vivus ità immistus sit, ut nullum ejus granum appareat.* Vel si corpus sit pustulis, aliisque cognatis affectionibus refertum, tunc præmissis præmittendis. Suffumigari potest, & brevi temporis intervallo cessant. Vel exhiberi potest *aqua Anti-Venerea*, & absque ullo adjuvante extrinseco spontè arescunt, ut nobis experientia pluries indicavit.

Cap.

Cap. VIII.

De Cariebus.

Pustulis non, vel malè curatis, quædam ulcera parva, & rotunda producuntur ab humore virulento, & sub epidermide pudendorum carnem exedente, & contaminante, quæ caries appellantur, quia quorundam vermiculorum ligna erodentium instar, in cariem altè se insinuant, eamque eroduut, & estò peculiari nomine caries ad ossa pertinere videantur, quia hujusmodi vitium est ossibus attributum, attamen etiam certo quodam analogismo ad carnes exesas se extendit. Protumpunt autem, & observantur hujusmodi ulcuscula non solùm in partibus pudendis, nempè in præputio, glande, coronâ, & mulierum sinu, verùm etiam in labiis, mamillarum papillis, linguâ, & palato.

Signa.

Primùm in pudendis parvæ erumpunt pustulæ, quæ millii figuram repræsentant, his minimè curatis, & disruptis, remanet ulcusculum pruriginosum, ichore madens parvum, & rotundum, in medio exiguum habens foraminulum albicans, nunc unum, interdùm plura, aliquandò tota glandis corona est his referta, & hujusmodi ulcusculis copulantur, & ex duabus, vel tribus, vel quatuor unum fit, & tenuem fundit ichorem. Decipiunt multoties caries, nàm superficie tenus nil ulcerati ostendere solent, interim radicem in carne profundant, nunc magis, nunc minùs: id cognoscitur ex tactu, nàm percipitur duities, & dolor.

Causæ.

Medici hepatici credunt caries fieri, quia hepar infectum pravum, & tenue excrementum generat, ad pudenda transmittit, & ea exedit. Barda est hæc vulgarium sententia, nàm caries non curaretur, nisi curato hepate. Quoties pustulæ non curantur, & inlatum se non extendunt, in profundum progreditur earum venenum, quod callosam quandam inducit radicem, deorsum semper petentem, eructatque ichorem, qui ubi residet, in pudendis similes excitat caries.

Prognosis.

Caries pessima hujus morbi species est, nam ab ignaris curari nescit, ac faciliter in horrenda ulcera exedentia, vel mortificantia abit, excitatque bubones utplurimùm spurios, qui sunt legitimis multo pejores.

Curatio.

Carierum curatio fit cum totali radicis averruncatione, & ulceris remanentis consolidatione. Grex barbitonsoria, ad quam omnes hodierni chirurgi reduci possunt, ad carierum curationem utuntur solâ *ablutione ex aquâ rosaceâ, vel plantaginis, aut portulacæ, vel vino albo, in quo rosæ rubræ ficcæ incompletæ ebullierint*, vel ut plerique faciunt, *urinâ* sanant, vel *pulvere pyrio*, quæ medicamenta non tantùm sidi-

ridicula, & inefficacia pro tanto curando malo, sed ipsum peiorant, caries multiplicantur, & perpetuò deorsum exedunt, undè in pessima, & maligna sævissimè serpentia degenerant ulcera.

Alii, altioris doctrinæ vulgares unguentis utuntur, unusquisque pro suâ Minervâ, *minii*, *litharg yrii*, *cerussæ*, *tutiæ*, *apostolorum*, *Ægyptiaci*, similiumq; nec, hactenùs animadvertunt, quòd unguenta radicis cariei profunditatem attingere non possunt, ac proindè sunt inutilia.

Curationis cardo consistit in cognoscendo totalem radicis extirpationem, & de hac quisque certior esse potest, cùm ex remediorum applicatione cariei fundus non appareat albicans, sed rubicundus, sanguinemque profundat, non saniem, & cùm nulla circùm observetur durities. His positis signis, ulcus sine scrupulo consolidari potest, sin minùs pro consolidatione insano indulgetur labori; curet quisque priùs linteis partes sanas à carierum ichoribus defendere, deindè sequentibus pulveribus profunditatis cariei tatione uti potest, ut

℥ *Merc. præcipit.* ʒ. j.
vini sublimati ʒ. ij.
Stent simul in vase, & vinum sublimatum accendatur, ut totum cremetur, id cum novo vino sublimato ter repetatur, nàm mercurius præcipitatus dulcescit, extirpatque caries sine ullo dolore, & inflammatione, quod magnum est arcanum, & nemini cognitum.

Vel ℥ *Merc. præcipit.* unc. ij.
Sp V. ardentis unc. iv.
Ponantur ambo in retortâ, & spiritus vini à Mercurio præcipitato destilletur, & in vas recipiens accipiatur, hunc spiritum serva, nàm ejus contactu callositates, durities, excrescentiæ carneæ, fungi, mora, cristæ, ac hujusmodi symptomata à Lue Venereâ pullulantia brevi tempore exterminantur absque dolore, & inflammatione. Felix ille, qui hæc remedia propriâ manu parat, eorumque efficaciam, & applicationis modum intelligit, nàm miraculosè curabit.

Vel ℥. *Merc. vivi opt. purgati* ʒ. j.
quem solve in aquæ fortis unc. ij.
Solutioni superfunde aquam communem, postea paulatim oleum tartari correctum guttatim adde, & Mercurius luti instar præcipitabitur, quem probè à corrosivis per aquam simplicem vindica. Hic præcipitatus vocatur *Luteus*, ab aliquibus verò *Magni Calcinati Paracelsi* nomine insignitur.

Est hîc sedulò advertendum, quòd quotiescumque hujusmodi remedia applicantur, quæ corrodendi habent efficaciam partes circumvicinæ sanæ linteis, unguentis, emplastris, aliisque similibus muniri debent, ne corrosivorum actio eas tangat, & lædat.

Hîc advertendum, quòd tàm pustulis, quàm cariebus, & ulceribus, post veneni Venerei extirpationem cum mercurialibus, aliisque suprà descriptis remediis, remanet, ut citò fiat earum consolidatio, quæ multoties pigra esse solet; sequenti *proprietatis balsamo* quisque uti poterit post veneni eradicationem, nàm 24. horarum spatio ulcus licèt magnum, consolidatum erit:

℥. *Aloës.*

℞. *Aloës*,
myrrhæ, &
crocì ana unc. j.
f. omnium pulvis.
& misceantur,
ponantur in vase vitreo, *& affunde*
sp. V. ardentis lib. j.
stent simul per dies duos, deindè per inclinationem tantùm vini spiritum separa, & in vase optimè clauso serva. Aspergatur ulcus ter, vel quater in die, & consolidatum erit. Verùm hujus balsami aspersio nimis dolorosa est, ac proindè ut avertatur dolor, & quandóque aliqua veneni suspicio latere potest, ad suspicionem tollendam consolidari potest unguentis vulgaribus, ut *tutiæ*, *de plumbo &c.* aliquam suprà dictorum pulverum aspergine admiscendo, quæ curatio licèt pigrè incedat, tamen tutò fit. Post carierum curationem utatur infimus pilulis mercurialibus suprà descriptis.

Accidit interdùm, ut hujusmodi caries sub præputio lateant tumefacto, vel constricto, adeò ut cerni non possint, in hoc casu per siphonem medicamenta in formâ liquidâ injicienda sunt. Vulgares *aquâ hordei*, *& melle rosaceo* utuntur, qui etiam usu urgente, quidpiam *unguenti Aegyptiaci*, *& decoctionis ligni guajaci* admiscent; Verùm nos felici cum successu per siphunculum injicimus *aquam nostram Veneream*, *vel de lapide medicamentoso.* Advertendum quoque est, quòd quoties glans tegi potest, nunquàm detecta relinquatur, ut quidam chirurgi, & tonsores faciunt, ne tandèm cutis exsiccetur, & contrahatur, sic nunquàm postmodùm tegi possit; quod si ità vulgares nihil proficiant, & necessitas urgeat, ad incisionem procedunt.

Sæpè in ipso penis meatu caries suboriri solet, quæ difficilem reddit curationem, tùm quia latet, nec facilè pulveres, unguenta &c. admittit linimenta; tùm etiam quia promptè carunculas gignit. Cognoscitur ex sanie manante, & maximo dolore mictionis tempore, ac glandis apex rubet. Hanc cariem curabis *aquâ nostrâ Venereâ*, vel meliùs *drazone mitigato cum aquâ plantaginis per siphunculum.*

CAP. IX.

De Vlceribus in Præputio.

NUllibi tàm frequentiùs, quàm in præputio, & in glande ulcera eluceſcunt, cùm pustulæ ex impuro concubitu contractæ citò non abstergantur, vel in caries, & indè in ulcera corrosiva degenerant.

Signa.

Nunquàm ulcera ex abrupto efflorescunt, sed perpetuò pustulæ præcedant oportet, quarum sanies non absterſa ulcera in latum producit, quæ si opportuno non curentur tempore, fiunt sordida, livida, profunda, dolorosa, callosa, & cum labiorum tumore, quæ pessima, & maligna sunt.

Causæ.

Hujusmodi ulcera ex hepate Lue inquinato ortum habere maleferiati vulga-

vulgares obstinatè contendunt, in quo, tanquàm in propriâ sede maligni generantur humores, & à robore ejusdem facultatis pulsi, ad penem transmittuntur, non aliter ac si penis esset hepatis emunctorium, ad quem sua excrementa deponit. Verùm, ò quàm horum ulcerum difficilis esset curatio, quia non nisi curato hepate, contingeret, quòd si lue esset affectum non tantùm difficile, verũ & impossibile, dijudicaremus, quod opositũ observamus: curamus nàmque hæc ulcera, nullo habito hepatis respectu. Fiunt ulcera quoties pustularum non absterſa sanies subjectam carnem suâ acredine in latum serpendo procedit.

Prognosis.

Penis ulcera contemnenda non sunt, est námque exquisitissimi sensûs pars, sensûs Veneris organum, ac proindè idonea medicamenta, quæ pro ejusmodi ulceribus curandis sunt valdè proficua, citra tumoris, & inflammationis metum nunquàm adhibentur. Prætereà medicamenta, quæ in hac parte administrantur, admodùm difficilè adhærent, & retinentur, ac utplurimùm labuntur. Tandem hujus partis ulcera citra contagium sunt contumacia, & prava, ac cum contagio erunt contumaciora & sæviora. Ulcera hæc facilèr sorditiem in superficie contrahunt, sub qua subjectam occultè carnem depascunt, ac tunc bubones spurios excitant, qui nunquàm ad suppurationem deveniunt, neque facilitèr resolvuntur, Suntque majoris mali infelicissima præludia. Si opportuno tempore non curentur, sic sæva, & exedentia evadunt, ut penem absumant, vel saltem aliquam ejus partem minuant, quo fit, ut in coitu nectarea Veneris dulcedo vel minuatur, vel depravetur, vel prorsùs deperdatur, ceu illis contingit, qui meritâ pœnâ pene viduantur. Sed quod pejus in prava, profunda, & cancerosa degenerant ulcera, minitanturque utplurimùm gangrænas, & mortificationes, quæ citra ferrum, & ignem superari non possunt, & ex penis abscissione ferè semper vitæ periculum impendet.

Curatio.

Pro ulcerum præputii, & glandis curatione utuntur vulgares chirurgi *unguento de tutia, aut plumbo*, & demùm siccis filamentis pro cicatrice inducendâ. Quod si nihil profecerint, adhibent *vinum album austerum, in quo incoquunt lignum Indicum, & rosas*, quo ulceratam balneant partem, & post balneationem lithargyrio inspergunt. Si hæc non sufficiant, & ulcus sordidum fuerit, recursum habent ad *mel rosaceum simplex, unguentum Aegyptiacum, apostolorum, ad alumen, calchantum ustum.* Alii utuntur *unguento rosaceo cum pauco præcipitato.* Utitur *Fallop. Aqua aluminosa magistrali*, id est aquâ mercuriali, quam describit *Tratt. de Morbo Gallico, de pustulis cap. 93.* ut

℥. *Aquæ.*

Unable to display this page

tissimum est hoc Luis symptoma, à quo non multos eripuimus, sed postquàm Hispanorum classis ad hæc nostra littora pro Messanæ expeditione appulit, Neapolitana ganea hoc sæviſſimo germinavêre symptomate, sed brevi tempore suo alexipharmaco extinctum fuit.

Est lethalis, si optimis adhibitis non cedat remediis, quia ab igne non patitur, nec affectus coalescit locus, licèt quæcumque pro Venereis exulcerationibus medicamenta adhibeas valida.

Solus *tabaci spiritus* laudem hîc invenit, qui fit *ex tabaci foliis viridibus cum malvatico solâ infusione, sine destillatione.*

Ubi hæc vesicula priùs mortificata fuerit mercurio præcipitato, vel sublimato, tangatur hoc spiritu quinquies ad summum, & tacta spontè evanescit absque aliorum medicaminum ope. Hoc fiat jacente patiente, alioquin ad levem spiritûs tabaci tactum sideratus cadit, & convellitur. Post vesiculæ crystallinæ curationem Venerea labes è corpore elicienda est pilulis mercurialibus, & decoctis sudoriferis, aliàs sicuti est sæviſſimum Luis Venereæ symptoma, ità temporis cursu pernicioſissimas calamitates eniti potest.

Cap. XI.

De Vlceribus, quæ per universam cutem erumpere solent.

NOn solùm in obscœnis ex contractâ Lue erumpunt ulcera, verùm ex malè curatis gonorrhæâ, bubone, pustulâ, carie, & temporis progressu ex his partibus in totum corporis habitum veneni minera pro subjectorum ratione, ideſt ob salium varietatem in nutrimento latentium transplantantur, & multipliciter defœdatur cutis, ità sunt pustulæ, scabies, impetigines, serpigines, lichenes, ulcera, aliæque innumeræ defœdationes extrinsecùs apparentes, quæ quandóque ità altè radices figunt, ut optimis averruncari nequeant remediis.

Signa.

Signa, quæ hæc ulcera ex Lue Venereâ procedere arguunt, sunt his dolor, & pruritus circa vesperas, eorum diffusio, & remediis resistentia, quibus simplicia ulcera parere solent.

Causa.

Clamitant vulgares ulcera, quæ per universam cutem erumpunt, hepar Venereâ labe pollutum propagare, tunc cùm ob debilem facultatem expultricem non propellit ad vasa spermatica, vel ad penem, vel ad inguina, tanquàm ad proprium emunctorium, ut à Lue se vindicet eductâ virulentiâ; hepar sanguinis officina, Lue laborans depravatum gignit sanguinem, illumque corrumpit, & hinc pravi procreantur succi, quos tanquàm inutiles, & molestos ad corporis peripheriam natura deturbat, in quatot erumpunt ulcera, quot ex equo Trojano non emerserunt milites.

Suf-

Susceptο veneno Venereo quinque suprà notatis modis, si illud à nutrimento internis remediis omninò non exterminetur, licèt gonorrhœæ, bubones, pustulæ, caries, & ulcera in obscœnis curentur partibus; temporis tamen cursu, uti est unius, vel alterius anni pro patientis dispositione in diversos prorumpit effectus. Fiunt hæc ulcera à salibus acribus, & acido-salinis, quæ furtim serpendo unà cum nutrimento, vel sero, ad glandulas cutaneas pro insensili transpiratione transmittuntur, ibi se exaltant, glandulas cutaneas, & ipsam cutem exedunt, corrodunt, exulcerant, & pro diversâ partis dispositione diversę ulcerum differentię emergunt pruriginosæ, quæ proximas inficiunt partes, segetes multiplicant, & per totum serpunt corpus, sed præcipuè per scrotum, circa labia, faciem, collum, frontem, aures, capitis cutem, brachia, femora &c.

Prognosis.

Horum ulcerum præsagium est, quod si non curentur, in esthiomena, cancerosa, & putrefacientia degenerant.

Curatio.

Vulgares primò medentur hepati, & deinde ulceribus; ac proindè statim ac aliquis Venereis ulceribus defœdatus in eorum incidit ungulas, inito priùs plurium barbatorum consilio, idoneum instituunt victum ex cibis exsiccantibus, & minimè calefacientibus, tres syrupos & medicamentum purgans de communi morborum omnium, ut *de fumariâ majori cum confect. hamech, & vipera pulveribus* pluries propinant: postmodùm quia hepar, & sanguinis massa sunt infecta, *decocta ex ligno guajaco, salsâ parillâ, & santalis* ad triginta, & plures dies, intercalaribus quinto quoque die ad hepatis fervorem temperandum, ejusdemque intemperiem corrigendam exhibitis purgantibus ex *syrupo de fumaria composito.* Vel stufis, seu Laconico exulceratum tradunt, non timentes hepatis adustionem, quia illud *cerato santalino, vel unguento refrigerante Galeni* post earum egressum inungunt. Post plura decocta, vel stufas ulcera Linteolo *decocto guajaci* madido ter, & quater in die humectant, ut exsiccent. Vel ad attemperandum fervorem, qui in parte læsâ quam maximè viget, Lotiones commendant ex *decocto fol. plantag. hordei, lupinorum, limaturæ ligni Indici, fol. myrthi, pimpinellæ, & aluminis saccharini.* Tandèm *aquam aluminosam magistralem* cum plumaceolis adhibent. His, vel similibus detersis ulceribus, *unguento de minio, vel lithargyrio, vel tutiâ* curationem absolvunt.

Horum ulcerum curatio erit, si priùs remediis appropriatis Veneream labem è corpore extermines, deindè si ulcera purificaveris, & consolidaveris. multùm proderit in his curandis affectibus, si corpus humorum crassorum multitudine exonerabis, quod hoc modo obtinebis:

℞. *Aquæ solut. suprà de gonorrhœâ descripta lib.* j.

propinetur infirmo manè jejuno stomacho cum anisis conditis, & successivè eadem dosi per quatuor dies. Corpore exonerato, mercurialibus venenum infringes, exhibendo per vices pilulas de mannâ Mercurii suprà descriptas, vel pro expertissimo medicamine aquam nostram Anti-Veneream propinabis, cujus usu Luem exterminabis, & absque ullo extrinseco adjuvante exsiccantur ulcera.

His præmissis:

℞. *Merc. meteorizati* ʒ. *ijß.*
aq. font. lib. ij.
vaqua in vitro incalescat, & in eam injice merc. & serva. Hac aquâ semel in die ulcera irrora, nàm infra quatuor dies curata erunt, prodest *aqua lapidis medicamentosi, & aqua nostra Venerea, vel aqua persicariæ spiritu, seu oleo merc. alb. impregnata.*

Solent meretrices, & pueri meretorii frequentissimè tentari ulceribus intra podicem, vel extra eum ex infando concubitu: Hæc ulcera, præmissis universalibus, curabis per siphunculum, injiciendo primùm *vinum in myrrhâ, & aloë infusum, & colatum*, deindè *aquam nostram Veneream* adhibendo.

Cap. XII.

De Vlcere Narium.

Etiam nasus in Lue Venereâ suam patitur cladem, non aliter ac si in Veneris palustrâ adhiberetur, sed hic nullam cum membris generationi inservientibus habet sympathiam, & in coitu minimè usurpatur; attamen physiognomi potiùs vanâ conjecturâ, quàm ratione ducti ex nasi magnitudine membri genitalis magnitudinem, & molem hariolari audent. Verùm enim verò conjectare possumus, quòd qui prægrandem nasi formam nacti sunt, genitalibus illecebris sùt obnoxii, undè legimus Heliogabalum Imperatorem omnis generis lasciviæ studiosum, nasutorum virorum congressâss manipulos, ut secùm in turpi certamine arma aphrodisia pertractarent strenuè. Hoc idipsum de fœminis clariùs percrebescat, quæcumque enim magno, & oblongo præditæ sunt naso, ad luxuriem sunt proclives: nasus itáque cùm peccandi ansam præbeat, si deindè ipse meritas peccati pœnas subeat, admirationem afferre non debet.

Nasus multum usum, commodumque nostro corpori affert, per eum enim omnes intrant odores; itèm aër ad respirationem maximè necessarius, clauso ore per eum ingreditur, & egreditur; itèm multùmque facit ad faciei ornatum, & pulchritudinem. Hinc si maximus, vel parvus, vel simus, aut aquilinus, aut nimis longus, vel ulceratus, vel penitus absumptus sit, maximam faciei deformitatem affert. Sic quoque per nasum, ceu canalem effluunt excrementa, qua de re Veteres eum putârunt esse cerebri emunctorium, & mucum pro cerebri excremento venditârunt, undè prisci vulgares ad humores pituitam potissimùm è cerebro evacuandum, errhina medicamenta naribus attracta; itèm eandem ex eodem cerebro

Unable to display this page

intervallo fordidum, cruſtoſum, putridum, & graveolens evadit, & tandèm naſi oſſa cum aliis ejus partibus exedit, iiſque deſtructis, intolerabilis exoritur fœtor.

Prognoſis.

Narium ulcera circa ſui exortum non ægrè curantur, debitis adhibitis remediis, præſertim ſi ſuperficialia munda, & externa ſint, verùm quia Luem Venereàm comitem habent, ſemper pro ſuſpectis habenda ſunt, ideóque perpetuò in deteriorationem abeunt, & prava excitant ſymptomata. Utplurimùm cruſta nares obſtruit, & reſpiratio læditur, ac ulcere ampliato, olfactûs ſenſus extinguitur, vel ſi in ſarcoma, vel polypum degeneret. Multoties narium hæmorrhagia ſupervenit, narium venis exeſis. Annua, cruſtoſa, interna, occulta profunda, putrida, & fiſtuloſa difficillima habent curationem; ſenſim enim ſerpunt, narium pinnas eſodiunt, interſtitiumque corrumpunt, vel tenella naſi oſſa, præſertim cartilaginem exedunt, deformitatem inducunt, & vox vitiatur. Furtim palatum perforant, & fœtore contagioſæ putredinis ad cerebrum uſque ſenſim ſerpunt, & primùm oſſa, deindè carnem corrodunt, & tunc nulla ſalutis ſpes ſupereſt.

Curatio.

Vulgares in Venereis narium ulceribus curandis victûs rationem ad humorum acrimoniam temperandam, & eorum geneſim inhibendam præſcribunt, Corpus illis pharmacis, quæ hepar lue conſpurcatum reſpiciũt, & ſi ſanguis exuberet, phlebotomiâ utuntur. Caput fluxionis fontem exſiccant, roborantque, ne vitioſam materiam ulteriùs ulceris curationem impedientem tranſmittat, deindè ulcus exſiccant, & conſolidant.

Ad topica deveniunt, & primò cruſtas emolliunt, & auferunt, pro quibus emolliendis unguentum commendant, quod conficitur *ex medullâ oſſis bovis, cerâ novâ, oleo nenupherino, & roſaceo.* Vel utuntur *butyro recenti, anſeris, vel gallinæ adipe aquâ roſarum loto, oleo amygdalarum dulcium*, & ſimilibus. Cruſtæ emollitæ ſpontaneum expectant caſum, vel per ultroneam ſternutationem. Cruſtâ remotâ, ulcus *decocto ligni guajaci, vel ejus ſpumâ* eluunt, deindè *unguento de tutiâ, vel albo Rhaſis* illiniunt. Si hæc non ſufficiant, ulcus bis, ter, quatervè *unguento Ægyptiaco in aqua hordei diſſoluto* abluunt.

Vel utuntur medicamento *ex melle roſaceo, farinâ hordei, terebinthinâ, & pulvere aluminis ſaccharini, additis aliquot granis mercurii præcipitati.*

Ulcere deterſo, illud exſiccant, probantque *Rondeletii* ſuffumigiũ, ut

℞ *Ladani puri,*
hypociſtidis,
maſtiches,
myrrhæ ana ʒ.iij.
ſtyracis calamitæ,
cortic. thuris,
ſang. draconis,
auripigmenti rubri ana ʒ.ij.
ſandaracha ʒ.ſſ.

Exci-

Excipiantur terebinthinâ, & f. trochisci. Verum venenatum est suffumigium ob auripigmenti, & sandarachæ admistionem, quæ inter venena recensentur. Vel summoperè commendant *aquam* ejusdem *Viridem*, ut.

℞. *Æruginis æris* ʒ.j.
auripigmenti ʒ ij.
Tundantur subtilissimè, & coquantur in
Vini unc. iv.
ad consumptionem mediæ partis, cùm refrigerent, adde.
aquæ rosarum, &
solani ana unc. ij.

Vel *ligni guajaci decocto* utuntur, *in quo dissolutum sit unguentum Ægyptiacum.* Sed tale unguentum ob viride æs, & acerrimum acetum vehementem habet acrimoniam ulceribus hostilem, præcipuè ubi adest ossis exesio, illud nigredine infi.it. Optimæ notæ chirurgi hujus unguenti usum Veterinariis consignârunt.

Ulcus narium ex Lue Venereâ difficillimæ est sanationis, ac proindè medicamina, quæ ex Mercurii penu eruuntur, exposcit, undè præmissis pilulis de Mercurio alibi descriptis, conveniunt lignorum, radicumque decocta, & post hæc, quæ particulas acido salinas in affectæ partis nutrimento exaltatas hebetant, corrigunt, & ad naturalem redigunt constitutionem, *ut gummi guajaci naturale, antimonium diaphoreticum, cerussa antimonii, vel Mercurius diaphoreticus* per vices in formâ pilulari, vel alias assumenda. Interim non omittenda sunt topica, inter quæ efficacissimum est *unguentum nostrum magistrale* cap. V. de Bubone descriptum. Non credibile est, quantùm unguentum hoc valeat in omnibus ulceribus etiam recentibus, & præsertim Venereis, putridis, malignis, vetustis, & exedentibus. Mundificat, carnem bonam producit, consolidat, putrefieri, ac corrumpi non permittit, nec carnem excrescere, & tandem sanat unâ hebdomodâ magis, quàm aliud integro mense. Sequens balsamus in narium ulcere est remedium rarè fallens, ut

℞. *Ocul. cancr.*
spermatis ceti ana ʒ ss.
Cinnab. nativi gr. vj.
sacch. Saturni gr. v.
camphoræ gr. iij.
balsami Peruviani q. s.
f. balsamus.

quo sæpiùs pars affecta illinatur. Vel sequens linimentum adhiberi potest, quod est magnarum virium, ut

℞. *Ung. basil.* ʒ.j.
ol. guajaci,
balsam. Peruv.
ol. sassafras.
gummi elem.
ammoniaci dissolut. ana ʒ.j.
præcipitati alb. gr. ij.
m. f. linimentum.

Si verò ulcus sub oculos non cadat, medicamenta in formâ liquidâ commendamus, inter quæ præstantissima est *Aq. Viridis Hartmanni* alibi à nobis descripta, quæ cum penicillo, vel gossypio, vel calefactâ tamen ulcus tange, vel irrora syringulâ, quæ mirificè non tantùm ulcus mundificat, sed insuper consolidat. Vel adhiberi potest sequens mistura, ut

℞. *Aquæ plantag.*
ſampſuci ana ℥.ß.
mell. roſat ℥ vj.
ſpiritûs vini rectificati ℥.iij.
mercurii meteorizati gr. vii. m.

& guttatim naribus abſorbeatur, vel linteolum hac miſturâ madefactum, & contortum naribus inſeratur, vel ſyringulâ intrudatur. Vel tandem fiat ſequens ſuffumigium, quod egregias obtinet vires, ut

℞. *Thuris*,
gummi animæ ana ℥.ij.
cinnabaris ℥.j.
m. f. pulvis

pro ſuffumigio carbonibus injiciendus, & naribus excipiendus.

Cap. XIII.

De Oris Ulceribus.

SUnt quædam Oris ulcera ſuperficiaria, vulgò Aphthæ nominari ſolent, quæ præcipuè infantibus lac ſugentibus accidunt, & lactucimen appellantur. Sunt exulcerationes in ſummâ cute, & in palatum, gingivas, linguæ latera, radicem, & quamlibet ejus partem ſerpunt. Quandóque profundiùs ſeſe demittunt, & palatum, carnemque linguæ exedunt, & ulcera abſolutè nominantur. Verùm de his non eſt noſter ſermo, cùm ſint ulcera ſimplicia, non negamus tamen aphthas infantibus interdùm adeò eſſe pernicioſas, ut penitùs eorum tenellam exedant carnem; ſed præſens noſter ſermo eſt de ulceribus à Lue Venereâ ortum ducentibus, quæ per ora non tantùm ſuperficie palatum, gingivas, linguæ latera, ejuſque radicem ſerpunt, verùm etiam brevi temporis intervallo profundiùs ſeſe inſinuant, & harum partium carnes exedunt.

Signa.

Si oris ulcera vulgaribus reluctentur præſidiis, ſub Gallorum vexillo militare cenſemus, hæc per ſe viſui patent, primùm levia, & ſuperficiaria, deindè profunda, & adeſa, vel albo, vel cineritio, vel nigro imbuta colore.

Cauſæ.

Aſſignant vulgares pro oris ulcerum causâ biliоſos, aut pituitoſos aut melancholicos humores Lue infectos, in ore collectos. Verùm iſti humores vel antequàm ad os colligantur, ſunt infecti, vel in ore infectionem contrahunt, ſi primum, pravitatem partibus, per quas tranſeunt, communicant; ſi ſecundum, quomodò in ore pravitatem nanciſcantur aſſignare tenentur. Cenſent à capite in os mediatè per deſtillationem per deſcenſum, ut Chymici loquuntur, ſed de his fabellis ad tædium uſque in noſtrâ *Truciâ lib. 1. cap. 8. de catarrho* egimus. Immediatè verò oris ulcera uni infecto tribuunt hepati, tanquàm ignorantiæ aſylo, & omnes morborum cauſas à plantâ pedis ad verticem capitis uſque hepati refundunt.

Contrahunt Venerea ulcera infantes in ore cum lacte nutricum non aperto, ſed furtivo quodam modo

Lues

Lues se insinuat, inficitque. Miselli infantuli, qui dùm Lac pro sustentandâ vitâ ab uberibus mendicant, cum lacte nutrix, ceu sæva noverca mortis insidias struit alumno, inficiendo pocula!

Contrahuntur etiam in ore ulcera ex osculis cum scorto in ore infecto, imò per solam conversationem, halitu, vel compotatione. Quapropter plurimùm nocet inter bibendum (ut plurimorum mos est) to am combibonum turbam in uno, eodemque cyatho bibere, cùm quandóque inter combibones semper unus, & interdùm plures reperiri possint, qui in labiis, gingivis, linguâ &c. Venereâ patiantur ulcera: & talis Labiorum, gingivarum, linguæ &c. sanguinolentia, corruptio, & sanies in compotatione à potu eluitur, à qua cessando, aliquid putridi circa cyathi margines remanet, & quid in ejus fundum refluit, quod postmodùm non infectos inficere potest.

Fiunt oris ulcera ex susceptο veneno Neapolitano, & non rectè à nutrimento extirpato, quod tempore serpendo, ad os tanquàm ad aliquod corporis emunctorium devenit, ibi labiorum, gingivarum, palati, linguæ &c. fibras adoritur, eorumque proximum nutrimentum degenerare facit, exaltatur, & solvendo vim adipiscitur, & ulcera emergunt exedentia.

Prognosis.

Ulcera Venerea in pueris, si superficiaria sint, & recentia, facillimè curationem recipiunt, attamen profunda, & diuturna pernicios ssima censentur; tùm ob carnis mollitiem, quam facillimè exedunt, & serpendo, palatum, totumque os occupant, & ad gurgulionem, & fauces descendunt, & validiora expostulant medicamenta, quæ ob eandem carnis mollitiem, & ætatis imbecillitatem ferri nequeunt; tùm quia infantuli nimiâ oris humiditate abundant, & facilè salivâ eluuntur; tùm quia partes valdè sensiles sunt, & facilè ab acribus medicamentis, quibus quandóque uti necesse est, irritantur; tùm tandèm quia metus est, nequid de medicamentis acrioribus in fauces delabatur, & majus vitæ discrimen oriatur, Undè necesse est ob has causas malum invalescere propter loci naturam calidam, & humidam, ac proindè infantulos consumere, & hinc fit, ut interdùm ex ulceribus Venereis acerbo succumbant funeri.

Si adultorum ulcera debitis adhibitis medicamentis non profligantur, sed putrescunt, & à gingivis serpendo per palatum, totumque os occupant, & ad columellam, fauceſque descendunt, pessima censentur, & fortissimis indigent medicamentis, quibus si non cedunt, lethalia sunt, præsertim si exedentia, æger debilis, si livorem, nigredinem, & veluti crustam contraxerint, periculosa sunt, & irreparabilis mors præ foribus cubat.

Curatio.

Curant vulgares gallica infantulorum ulcera, idoneam victûs ratio-

nem nutricibus præscribendo, quæ refrigeret, & exsiccet; verùm refrigeratio ulceribus mordax, & quia ulcus exsiccatione indiget per se ipsos, nunquàm sanaretur ob assiduam, superfluamque oris humiditatem. Deindè ad oris medicamenta recurrunt mitiora, ut sunt *aqua plantaginis, rosarum, violarum cum syr. de rosis siccis, grant. de moris* pro oris illinctu. Vel ad *decoctum ligni guajaci cum syr. de moris, portulacâ, & myrtill.* Si fusca, vel livida pro illinctu utuntur

℞. *Aquæ plantag. unc. ß.*
mell. ros. ʒ ij.
diamori ʒ ij.
aluminis gr. vj. m.

Venerea adultorum ulcera curant vulgares iisdē remediis ac in infantulis, sed paulò fortioribus pro corporum naturâ, ut *decocto hordei, ligni cum iisdem syrupis, melle rosato &c.* quibus nihil proficientibus *Ægyptiaco* utuntur *unguento in aquâ plantaginis cum panco aceto, & melle dissoluto.* Verùm hæc medicamenta erodentia adjunctum habent periculum, ne in fauces illabantur, & sic majus malum, quàm oris ulcera producere possunt. Vel ea *spiritu vitrioli, vel aquâ forti* leviter tangunt. Sed hæc medicamenta corrosiva sunt, carnem exedunt, & eorum acutie potiùs malum adaugent, quàm levant. Si hæc ulcera putridam habeant carnem, eam totam præscindendam, vel ex eâ parte *præcipitati pulverem* admovendum *cum gossypio in aquâ plantag. priùs infuso* jubent; attamen frustrà præcipitatum adhibent ob assiduam oris humiditatem, cum in parte diù persistere non possit, nec in ulcus agere.

Nos ità in infantulorum ore ulcera curamus, si contracta fuerint ex infectâ matre, vel nutrice, hæc pilulis purgetur mercurialibus, & in purgationis actu infantulo lac præbeat, ut unà purgetur. Cibus præscribatur melioris nutritionis, vitentur acida, & salsa, omissis aromatibus. Postmodùm sumat nutrix aquam nostram *Anti Veneream*, & interim ulcera in ore *decocto hordei, & melle rosato simplici* illiniantur, vel *decocto Veronicæ, cui addatur aliquid spiritûs Vitrioli, vel sulphuris per campanam*: Verùm expertum est à nobis majoris energiæ sequens medicamentum, ut

℞. *Aquæ plantag. unc. j.*
mell. ros. simpl. unc. ß.
spiritûs vitrioli philosophici,
ad gratissimam aciditatem m.

& tangantur, & sic non resistent. Vel *aquâ viridi dilutâ cum aquâ persicariæ* tangantur.

Adultorum ulcera Venerea, si recentia sint, facillimè cedunt medicamentis, quæ proposuimus pro infantium curatione, vel ea leniter tangendo *spiritu vitrioli, vel sulphuris cum melle rosaceo diluto*, ut gustus spiritûs acidior adhuc percipiatur; vel *mellis rosacei tinctura, vel lapidis salutis aquâ* tangantur.

Si contumacia, rebellia, & inveterata sint aliter tractari debent, curatio itaque instituatur, corpus pilulis deplendo mercurialibus, & postmodùm suprà descriptis medicamentis fortioribus redditis tangantur, quòd si his reluctentur, quia putrida, & callosa, expertum erit

erit remedium, ea pluries *aquâ saphireâ, vel melle ros. sale armoniaco immisto* tangere, vel *spiritu salis armoniaci perficariæ aquâ diluto ad sensilem aciditatem.* Cave, ne *aquâ stygiâ* ea tangas, (ut aliquorum vulgarium mos est) quæ vires in metallis eluserit, vocaturque *aqua Mortua*, nàm non per hoc veneni corrosivi indolem deposuit. Si serpentia sint, *lixivii ex Reguli fœcibus* attactu sistuntur. Verùm *aquâ mercuriali* leniter contacta brevi sanescunt, & *gargarisma ex perficariæ decocto cum sublimato dulci* expertum est apud nos remedium. Interdùm tàm maligna evadunt, ut quodcumque optimum spernant medicamentum, præsertim si profunda sint, tunc *aquâ viridi* cum gossypio, vel penicillo madefaciendo, & cavitates tangendo, funditùs exulcerationem mundificat, & mirificè sanat, quòd si hæc parùm, vel nihil profecerit, ad oris suffumigium, tanquàm ad sacram anchoram, confugere necesse est.

CAP. XIV.

De Tonsillarum Vlceribus.

DUæ carunculæ exiguæ, & naturales in oris termino, utrinque circa linguæ radicem, paulò supra laryngem, videlicèt ad uvulæ latera in omnibus hominibus positæ sunt, quæ rotundæ sunt, duorum nucleorum amygdalinorum instar, ac proindè vulgò à figurâ amygdalæ, latinè tonsillæ, & glandulæ vocantur, græcè verò paristhmia ob similitudinem ab isthmo significante angustam terræ partem, seu telluris brachium inter duo maria jacens; necnon antiades, quia primò oculis se offerunt.

Conditæ sunt à naturâ tonsillæ spongiosæ, ut salivali humiditate fauces, laryngem, linguam, & œsophagum humectent, ut cibum sicciorem, & duriorem madidum reddant ad faciliorem deglutionem, itèm ad laryngis irrigationem, ut ejus cartilagines ad motum aptiores reddantur, quod imitantur ij, qui fistulas irrigant.

Sæpè hæ partes, licèt exiguæ, magnum medico, sed majus ægroto facessunt negotium; intumescunt enim sine inflammatione, ardore, colorem retinent naturalem, & dolore vacant: at interdùm inflammatione, ardore, dolore, & siti infestantur cum deglutionis, & respirationis difficultate. Qua inflammatione in abscessum degenerante, pus intra fauces effunditur, undè sæpè ulcus sordidum, & fœtidum relinquitur. Quandóque non suppurantur, & in scrofulas, scirrhosque degenerant tumores. Tandèm citrà inflammationem fit ulcus illas exedens, quod utplurimùm Lui Venereę familiare est, de quo præsens est noster sermo.

Signa.

Præcessit Lues malè curata, vel clandestinò cum lacte, osculis, compotatione &c. se insinuavit. Tonsillæ aliquantulùm majores tactu, & visu cognoscuntur; intus verò ceu quoddam carnis frustulum fau-

cibus adhærens molę suâ premit, obstatque ne facilis deglutitio fiat. Ardorem, & dolorem inferunt molestum, sitim, & siccitatem excitant, paulatim fiunt ulcera, partim alba, & maculis similia, partim colori cinericio, aut crustis non dissimilia, quæ ferro inurunsur.

Causæ.

Tonsillarum ulcera excitari clamitant Galenici ab humoribus biliosis, & pituitosis in hepate Lue conspurcatis, qui in caput transferuntur, & indè in tonsillas, illasque erodunt, & exulcerant.

Fiunt tonsillarum ulcera post contractam Luem vel per lac, oscula, compotationem, vel concubitum, tunc cùm particulæ acido salinæ in latice hospitantes, à quo anteà diluebantur, in laxam, & spongiosam tonsillarum substantiam vehuntur, nec per salivosum liquorem excluduntur, sed inibi exaltantur, & tantam corrosivam adipiscuntur indolem, ut unà cum epidermide non tantùm mollium tonsillarum continuitatem solvant, & corrodant, sed etiam sæpè in totum auferant

Prognosis.

Ulcera tonsillarum, si mox ab initio medica adhibeatur manus, facilè curantur; at si negligantur, quæ munda sunt, & exigua, sordida, lata, & profunda evadunt quodam concreto humore albo, aut nigro. Exigua quandóque, & rara oriuntur ulcuscula, quibus supervenientia alia in unum ulcus latum coalescunt. Si ulcera depascendo serpant, gurgulionem, linguam, palatum, & gingivas exedunt, ac dentium præsepiola occupant, dentes labefectantur, nigrescunt, vacillant, & tandèm decidunt; undè ægri inediâ, & fœtore consumpti moriuntur. Quòd si ulcera per tracheam serpant, quia pulmo, & cor neque odoris fœditatem, neque ulcera, neque ichorem sustinent, obortâ tussi, spirandique difficultate, eodem die strangulant.

Curatio.

Tonsillarum ulcera venerandi barbati curant phlebotomiâ, medicamento purgante, & aliis diversionibus. Deindè quia talia ulcera à salivâ perpetuò humidiora fiunt, adstringentibus, & exsiccantibus utuntur medicamentis; undè si ulcus sit superficiarium, cicatricem inducentia usurpant, collutiones nempè *ex vino, cui balaustia, malicorium, gallæ immaturæ, folia myrti, oleæ, & sumach fuerint ineocta, & parum aluminis dissolutum.* Vel utuntur gargarismis, ut

℞. *Aquæ mulsæ lib. j.*
diamori unc. ss m.

Vel ℞. *Aquæ plantag. lib. ss.*
syr. de moris unc. ij.
meli. ros. unc. j.
alum. scissil. ℈ j.
aceti ros. parum m.

Sed nescimus, an hæc magis exsiccare, quàm humectare valeant. Vel frequentius abluunt os *vino, in quo bolus Armenus sit dissolutus.* Si sor-

sordidum sit ulcus, pro gargarismate utuntur *decocto ligni sancti cum alumine, & melle.* Quandóque penicillo exulceratas tangunt tonsillas *spiritu vitrioli, vel sulphuris vel aquâ aluminosâ Fallop.* ut eas magis exulcerent.

Ulcera tonsillarum Venerea nos curamus primò pilulis mercurialibus totum deplendo bis, vel ter, interim gargarismo de peto, vel efficaciùs utimur sequenti

℞. *Decoct. Satureiæ, perficariæ, plantag. lib. j. mell. ros. simpl unc ij. salis armoniaci ʒ ß m.*

Si sordida sint, ea mundificat, & consolidat *infusio lapidis salutis, & tinctura mellis rosati simplicis.* Vel sequens gargarismus, ut

℞. *Rad. tormentillæ, & salsæ parillæ ana unc ß. Veronicæ, & fol. querc. ana m. ß. f. decoct. in aquâ rad. consolidæ ad remanentiam lib. j. in qua diss. merc. dulc. subtiliter pulverisati ʒ j.*

Si depascentia, tangantur *lixivio ex reguli fœcibus*, verùm præ cæteris maximè valet *Aqua Viridis Harim.* calefacta, qua cum penicillo bis in die tangantur, & hac aquâ in oris, tonsillarum, & columellæ ulceribus nos familiariter utimur, & sic feliciter cedunt, quòd si non eveniat, ad partis *suffumigium ex cinnabari, & thure*; tanquàm ad sacram anchoram confuge, nec ægrotum ulcerum sanatione defraudabis, ut experientia millies nos edocuit; imò tantùm hoc suffumigio multos, quos tanquàm incurabiles, & deploratos barbati post varios cruciatus desiruêre, pristinæ restituimus sanitati.

CAP. XV.

De Columellæ exulceratione.

DEscendit in os teres caruncula ex palati tunicâ reduplicatâ, penitùs juxta narium meatus, supra Laryngis rimam, inter tonsillas, quæ Uvula appellatur, est morbosa hujus carunculæ affectio, cùm ejus summum uvæ acino non absimile appareat. Proprium hujus carunculæ nomen est columella, quia oblonga, & rotunda, columnæ adinstar, parvam columnam, seu columnellam efformat. Dicitur quoque gurgulio, seu gargareon, à sono illo, qui in gargarisatu auditur. Ejus substantia est glandulosa, mollis, spongiosa, & rubro donata colore, communi oris tunicâ amicitur, figuram habet, ut diximus, rotundam, teretem, superiùs crassiorem, & inferiùs in acutam obtusè desinit. Hæc caruncula suos patitur manes, scilicèt laxitatem, tumorem, inflammationem, & atrophiam, de quibus hic nos non agimus, sed solùm de hujus carunculæ Venereâ exulceratione noster erit sermo.

Signa.

Hujus affectus signa sub oculos veniunt, aperto ore, & depressâ linguâ, columellæ exulceratio cognoscitur

ſcitur: laxa, & flaccida apparet, albo mucore obductâ, quandóque cineritio cum ardore, & ſorditie graveolentem ſpirat anhelitum.

Cauſæ.

Columellæ exulcerationem fieri autumant vulgares ab humore acri, & ſalſo Lue Venereâ infecto, à cerebro in columellam fluente. Verùm hæ vulgarium putatitiæ fluxiones ſunt veluti Siſyphi ſupplicium, ut fabulantur poëtæ, qui ſaxum ingens in montis verticem provolvere cogitur, & cùm ad culmen benè extulerit, repentè deorſum relabitur.

Ulcera columellę fiunt ex veneno Venereo contracto ſive furtim; ſive quinque ſuprà notatis modis, & non ritè eliminato internis remediis à nutrimento, non aliter ac de oris, & tonſillarum ulceribus diximus.

Prognoſis.

Columellę exulceratio feſtinam requirit opem, aliter in perniciosſum, & operoſum deſinit ulcus, quo tota exeditur, & quibus columella adeſa eſt, potus ex ore in nares regurgitat; inſuper rarò clarè, & articulatè loqui poſſunt, inſervit enim ad vocis modulationem, undè vocis plectrum ab Anatomicis appellatur. Inſuper, & quod pejus phthiſis imminet periculum, cùm particula jàm deficiat, quæ aëris frigiditatem moderatur, ne in pulmones irruat, eoſque lædat.

Nos juvenem, & ſcortum, columella quorum tota adeſa fuerat à Lue, curavimus, qui nunc vocem claram, & ſonoram, expeditamque conſervant, quia vicinæ aliæ partes ad vocem conferentes non læſæ fuerant. Item mulierem ſanitati reſtituimus, cujus columella non totaliter adeſa fuerat à Lue, ſed veluti filo pendula remanſerat à Luis curatione, & quia multum illi faciebat negotium in ſermone, cibo, & potu, nos, ut moleſtiam tolleremus, apprehenſam volſellâ forfice reſecuimus, & ſanguinis fluxum terrâ exanimatâ vitrioli ſtatim compeſcuimus: ſed quia aliæ vicinæ læſæ fuerant partes, vocem in raucam, clangloſamque mutavit. Omnes incolumes vitam degunt, ſed horum deploranda eſt falus, nàm qui columellâ deſtituuntur, phthiſici moriuntur.

Curatio.

Ad columellæ ulcera ex Lue vulgates hoc utuntur linimento, quo ea tangunt, ut

℞. *Ung. Ægyptiaci unc. ß.*
alum. uſti ʒ *ß.*
mell. roſ. unc. jß. m.

Sed parùm feliciter in hoc linimento utuntur unguento Ægyptiaco propter viride æs, quod ejus compoſitionem ingreditur; potiùs enim corrodendo, quàm ſeparando, ſuas abſolvit operationes. Inſuper Ægyptiacum partem aſſ. & im nigredine tingit, quod omninò vitàdum eſt. Si verò contumacia fuerint, *aq. fortis dilutâ, vel aquâ, in qua mercurius ſublimatus decoctus fuerit*, utuntur.

Verùm

Verùm aqua fortis, licet diluta venenatam non respuit qualitatem, ideóque si per se metalla corrodit, diluta & in gradu remisso carnes absumere, & corrodere valebit, & eò magis columellam, quæ molli, & spongiosâ dotata est substantiâ. Mercurius sublimatus in aquâ decoctus non desinit dilutè continere vim corrosivam, venenatam, & causticam, ideóque non tantum columellam, & proximas partes cò magis venenatè exulcerabit, verùm etiam si fortè in asperam arteriam, vel in œsophagum gutta aliqua delabatur, in magna noxa, & vitæ discrimine versatur ægrotus. Insuper sanguinem inflammat, undè sputationes cruentæ, aliaque gravissima oriuntur symptomata, & ipsa patientis destructio.

Ulcera ex Lue Venerea tam columellæ, quàm cujuscumque oris partis curamus universalis luis extirpatione, & hac ratione ulcera incipientia in istis locis unà cum lue sponte evanescunt; quòd si interim curare velis, *ad aquam lapidis salutis*, *Veneream*, *vel mellis tincturam*, & tandem *ad aquam viridem*, quæ omnem puttedinem, exulcerationemque tollit fœdam, & consolidationem inducit perfectam, vel *ad suffumigij topici* usum deveniendum est, & sic facilè eliminantur. Prædicta remedia his ulceribus adhibita, non præmissis universalis luis curationibus, nunquàm medicum, & ægrotum fallent, quæ remedia mille experimentis à nobis comprobata fuêre: verum aliquo temporis spatio interjecto, vel recidivam patiuntur, vel graviora luis Venereæ symptomata excitantur. Undè post perfectam horum ulcerum sanationem, præmisso leni cathartico, propinari debet Aqua nostra *Anti Venerea*, quæ universalem luem, ejusque omnia symptomata ex toto corpore radicitus eliminat.

Verùm fusius de labiorum, dentium, gingivarum, faucium, palati, laryngis, œsophagi, tonsillarum, uvulæ, linguę, & nasi morbis, necnon de ranula, balbutie, cœterisque vitijs, quatenus loquelam depravare possunt in *nostrâ Grammaticâ speculativâ* egimus *capite de Barbarismo*.

CAP. XVI.

De Alopeciâ.

ACcidit quandòque in lue Venerea non solùm in capite capillorum, verùm etiam in mento, & supercilijs capillorum defluvium: Malum hoc Alopecia vocatur, cui plures sunt species, nempè Ophiasis, Area, & Calvitium. Area est quandò in aliqua capitis parte capilli ateatim decidunt, & sub se comprehendit Alopeciam, id est omnimodam depilationem, sive ea fiat in capite, mento alijsque locis pilosis, & Ophiasin, in qua semper capilli à capite decidentes, certam quandam figuram depilatam constituunt, nimirum ab occipite ad aures, frontisque partem anteriorem in modum carinæ. Quandò autem capillorum pars undique à capite decidit, & pars remanet rara, tunc simpliciter capillorum defluvium appellatur.

Signa.

Ex his, quæ diximus, & dicemus, hoc malum facilè innotescit.

Unable to display this page

licitatis partem sibi duceret capillitio tegumento ex alienis capillis confecto calvitium occultare. Imò nostris temporibus, & præsertim hac in nostrâ civitate ad juventutem simulandam adscititia coma multùm confert; omnes námque senes hoc artificio, & bis in hebdomadâ mentum, & mostaces abradendo, antiqui videntur juvenes.

Curatio.

Vulgares corpus ab infectis succis purgant, & siqua sanguinis excretio cohibita fuerit, infernas tundunt venas, deindè capillos, vel pilos deradunt, & ob alopeciam credimus capitis capillos abradendos, pro quibus artificiosâ quisque utitur Cæsarie, & barbam decurtandi usum hispanico more introductum fuisse: Verùm id non omnes admittunt, & præsertim religiosi, quorum morbos occultos esse decet. Et quia capillorum defluvium non est laxantibus tractandum, nàm hæc malum tedderent deterius, adstringentibus utuntur decoctis pro capitis ablutione, post ablutionem laudant *succum ladani concretum, contusum, & maceratum in oleo myrtillorum, & rosaceo omphacino*, quo bis in die locum inungunt: Sed hæc etiam malum pejorant, ulcera, dolores, & gummata ex pravis retentis succis oriuntur. Interim masticatoria præscribunt *ex radice pyrethri, angelica, masticbe, caryophyllis &c.* ut copiosissimo excitato sputo, pravi retrahantur succi à partibus capillosis, vel pilosis.

Si hæc non juverint ad ligni, & salsæ decocta cum sudoribus, & dejectorijs accedunt, quòd si non profecerint, ad particularia capitis, & faciei suffumigia confugiunt: Si autem malum obstinatè particularibus reluctetur suffumigijs, ad totius corporis suffumigationem descendunt, ut

℞. *Aloës,*
thuris,
benjoini,
camphoræ ana ʒ. iij
gall. mosc. ʒ. j.
lign. aloës ʒ. ij
cinnabaris,
auripigmenti, &
marchasitæ aureæ ana ʒ. j.
m. f. pulvis.

Inspergendus super accensos carbones ad totius corporis suffitum. Bardum suffumigium, quia ipsi bardi; putant enim vulgares odoratorum fumum aliquid antidoti pro lue continere, & corpus penetrare posse, quod falsissimum est. Credunt quoque auripigmentum esse pro lue præsidium, & tamen venenum est, nisi dicere velint, quod unum venenum expellit alterum, & non intendit, cùm ambo hæc sint corrosiva. Ponamus hominem auripigmenti suffitum inspirare, & certissimè veneno necabimus illum. Tandèm opinantur marchasitam, quæ est cautes metallica, ad ignem in fumum converti, & lui consulere. Isti maleferiati sectatores decipiuntur, & decipiunt, nec medicamina examini subijciunt, sed pecudum more eunt, quò itur. Luis Venereæ sanatio tantum in cinnabari consistit, tanquàm proprio alexipharmaco, alia adjuncta sunt mera inutilia.

Si ceciderint capilli, vel pili, diversis lixivijs caput, vel faciem lavant, deindè aspero linteolo illud fricant, donec cutis erubescat, & tandèm, ut capilli, vel pili renascantur, pluries caput, vel faciem urinâ lavant.

Alopeciam curabis præmittendo dejectiones per aquam solutivam magistralem, ac deindè per mannam Mercurij, ut paulò suprà præscripsimus: postmodum in hypocausto infirmo sudores consule, quos præcedat sequens vulnerarium per horæ quadrantem:

℞. *Limaturæ ligni sancti* ʒ. ij.
limaturæ cornu cervi ʒ. j. ß.
Croci ϑ. ß.
Zinziberis ϑ. j.
Santalor. rub. contus. ʒ. j.

Ponantur hæc omnia in vas vitreum cum lib. j. *aquæ fontis, illudque optimè occlude, ac in M. B. bulliant per tres horas, postea refrigeretur, & aqua à pulveribus exprimatur.* Hujus aquæ uncias quatuor infirmo exhibe ante ingressum in hypocaustum, post sudorem capitis cutem sequenti aquâ irrora:

℞. *Aquæ vitæ opt. lib.* j.
in eâ diss. merc. meteorizati gr. xv.

& posteâ cum eâ cutem irrora.

Tandèm, ut citò renascantur capilli, caput inunge *oleo Busonum* alibi descripto, vel *de ovorum vitellis, vel oleo mellis* quod ità paramus:

℞. *Favos residuos post mellis expressionem q. s. pone in tigillo supra ignem, & misce cum arenâ ad sufficientiam, forma globulos, & inde retortæ vitreæ adapta recipiens, perge destillando, & eructabit oleum flavum.* Cave, ne ursi pinguedine caput ungas, nàm cani renascentur capilli. Item si locus depilatus sequenti famoso inungatur liquamine, largiter regignuntur capilli, ut

℞. *Carnium limacum,*
apum,
vesparum,
sanguisugarum,
salis fortiter adusti ana partes æquales.

Inde omnia vitro in fundo multis foraminulis perforato instar cribri, ac subtus illud aliud colloca vitrum, quod ex superiori liquorem stillantem recipiat, qui sensim intra multos dies è superiori misturâ resolvetur, quo locus depilatus prius ad rubedinem fricatus inungatur.

Nos experti sumus remedium pro renascendis in aream capillis, & tale est *limonum succus, in quo dissolvitur nitrum*, pluries depilato loco affrictus. Si glandulæ pilosæ planè deficiant, vel pori, per quos capilli erumpere solent, vel planè coaliti, & obliterati sunt, incurabilis est alopecia.

Cap. XVII.

De Rhagadibus.

Inter alia luis Venereæ importuna Symptomata, quæ inquinatos torquere solent, annumerantur Rhagades, sive fissuræ in volis manuum, & plantis pedum, quæ sunt ulcuscula oblonga discindentia in rimas, sive rugas, suntque sciffuræ his non absimiles, quæ sæpius inferius, & quandóque superius oris librum, & mammarum papillas occupant. Hæ rhagades ex lue Venereâ non solùm in

in volis manuum, & pedum plantis fiunt, verùm etiam in ano, & utero nunc humidæ, & sanioſæ, nunc ſiccæ, & calloſæ. Nos hîc tantum loquimur de rhagadibus, quæ luis Venereæ ſeminio affligere ſolent, nàm extra hanc luem etiam moleſtare poſſunt, & harum à priſcis medicis facta mentio eſt, antequàm Venerea lues incepiſſet.

Signa.

Ex his, quæ diximus, ſigna manifeſta ſunt, nàm ſunt ulcuſcula rimoſa, & oblonga cum pruriginoſo dolore, tetro odore, ac virulento humore, ità ut nigrum quid, vel viride, vel citrinum fœtens effluat; aliquandò tamen nihil ſcaturit, ſed ſiccæ, & calloſæ ſolummodò apparent ſciſſuræ.

Cauſæ.

Vulgares ineptè credunt hepar lue inquinatum humores phlegmaticos, ſalſos, & aduſtos generare, & his ad volas manuum, & pedum plantas tanquàm ad emunctoria ſe exonerare, quibus cutis in rimas dehiſcit. Ecquis barrus de plebe homo in trivijs nutritus non fieret unâ horâ celeberrimus medicus de ſolo hepate in unoquoque morbo differens? Certè ſine labore, & ſtudio hepaticam aſſequetur medicinam, quam omnes profitentur vulgares, & ſine dubio inter Galeniſtarum proceres aſſidere, iſtis negotium faceſſere, & minimè garrulitate ſuperari ſolo hepatis commento. Docent vulgares volas manuum eſſe hepatis ſpeculum, quaſi chiromanticorum more, inſpiciendo manuum volas, divinare ſalubrem, vel inſalubrem hepatis conſtitutionem. Concederemus, ſi res ità ſe haberet, hoc in dextræ manus volâ, quæ vergit ad hepar, non verò in ſiniſtrâ, quæ tantum è lienis conſpectu ſita eſt, & ſplenem non hepar reſpicit. Crederemus utique cum vulgaribus, ſi noſtrum judicium eſſet limitatum, rhagades non ſolum in manibus, verum etiam in pedibus, labijs, utero, & ano, ſi hepar eſſet veluti totius corporis monarcha, & ut tyrannus in cuncta dominaretur non jure, & legibus æquis, verùm quadam animi inſolentiâ, & fetitate.

Fiunt rhagades ex prægreſſâ lue Venereâ, cujus virus appropriatis remedijs non fuit exturbatum à nutrimento, ſed temporis curſu particulæ acres, acidæ, & ſalſæ furtim ſerpendo ad manuum palmas, & pedum plantas cum latice deveniunt ibi exaltantur, alimentum inficiunt, & ulcera ſecundum rectitudinem rugarum corrodentia producunt.

Prognoſis.

Rhagades pruriginoſæ ſunt, ideóque moleſtiſſimæ, quæ ſi negligantur, ad plures annos durare ſolent, vel facilè in ulcera exedentia degenerant.

Curatio.

Pro rhagadum curatione vulgares prius de communi propinant purgans, deindè ſalſæ decoctum ad plures ex-

exhibent dies, & tandem ad topica deveniunt medicamenta. Abluunt manus, & pedes *decoctо guajaci, ejus corticis, scabiosæ, & pentaphylli*, si vero duities adsit, manè, & vesperi pedes, & manus macerant in *decoctо ejusdem guajaci parato cum radicibus althææ, foliis malvarum, violarum plantaginis, & hordei in jure pulli*: postmodum adstringentia addunt, & tandèm manuum palmas, & plantas pedum inungunt *butyro, adipe anseris, vel gallinæ, vel pomatâ, unguento albo camphorato, de plumbo, cerussâ*, vel tangunt rhagades *aquâ aluminosâ magistrali*. Herculeſ Saxonia refert se mulierem cognovisse, quæ octo annis continuis manuum rhagádes passa fuerat, & inutiliter omnium, & Venetorum, & Patavinorum Medicorum operâ usa fuerat, brevi, & facilè curatam fuisse succo herbæ, quam alij *artemisiam*, alij *tenacetum* vocant, in omnes fissuras diligenter pennâ illito, & omni manuum lotione omissâ. Verum ex his vulgarium medicamentis nil frugi sperari potest, & licet per longissimum tempus adhibeantur, morbum protrahere, non verò curare possunt.

Curamus rhagades, particulas acres, acidas, & salsas lue Venereâ temeratas diluendo, educendo, vel demulcendo, pro quibus assequendis primò patiens bis, vel ter pilulis cum mannâ mercurij purgetur, deindè manè & vesperi aquâ mercuriali tangantur. Vel cutis rigiditas emollientibus compediatur *mucilaginibus seminum cydoniorum, psyllij*, quibus *mercurij dulcis parum* addimus. Vel rhagades manè, & vesperi inunge hoc unguento, ut

℞. *Axungiæ porcinæ q. pl. m. cum oleo tart. p. d. facto, donec f. ung.*

Verum solent quandóque ità rebelles, & obstinatæ esse rhagades, ut cuique optimo topico reluctentur, tunc *suffumigentur* manus, & pedes *mercurij sublimati*, vel *inunctione fricentur mercuriali*, vel *mercurius ità misceatur cum unguento pomato, donec nullum granum appareat*, & affectæ obliniantur partes, & interim ab omni manuum lotione abstineat æger. Vel tandèm aquam nostram Anti-Veneream sumat, & absque topicis medicamentis sponte sanantur, ut pluries nos experientia docuit.

Cap. XVIII.

De Moris, Cristis, Verrucis &c.

Nullus ager tàm ferax reperitur, quàm Gallicus; in ipso enim semel tectum seminium Venereum suo fermento vegetat, germinat, crescit, floresçit, fructificat, suisque successivis generationum periodis uberem fert messem: Verùm hi fructus sunt corruptæ genetricis soboles, non secus ac à turdi conspurcatione viscum frutex in arboribus innasci dicitur. Hujusmodi sunt quædam carneæ excrescentiæ dictæ, mora, cristę, verrucæ, ficus, condylomata, thymi &c. quæ in pene, mulieris sinu, & podice ex lue Venereâ innascuntur.

Signa.

Prædictæ excrescentiæ Venereæ cognoscuntur his signis, nàm.

Mora sunt excrescentiæ similitudinè quan-

quandam mororum arboreorum referentia, atque nomen sortita. Oriuntur in pene, pudoris sinu, & podice.

Cristæ sunt carunculæ ani cristaceæ, pullorum gallinaceorum cristas referentes, ex infando, ac naturam pervertente concubitûs abusu nascentes.

Verrucæ, aliàs dicuntur porri, sunt quædam carneæ excrescentiæ, quæ exterius quasdam obtinent radiculas ad porrorum similitudinem, & id ob majorem siccitatem.

Ficus, seu Sycoses sunt quædam excrescentiæ tàm circa anum, ejusque circulum, vel pudendum, quàm circa uterum, ubi hæmorroidales, & menstruales terminantur venæ, quæ basim habent strictam, supernam verò partem latam, ficubus, non absimiles, à quibus nomen sortitum est. Vocantur etiam mariscæ.

Condylomata sunt tumores in sinu muliebri, vel in ani margine excitati, similes digitorum pugno, aut maturis moris, aut ficui, aut grano uvæ nigræ.

Acrochordon est verruca pensilis, orbicularis angustę basis, ità vocata, quod chordæ nexu suspensa videatur, una vel sola vix nascitur, sed ferè semper pluralis, magnitudine pisi, vel ad summum fabæ, rarò major, in summitate latior, in inferiori circa corporis cutem est tenuior, ità ut quasi pediculo suffulta appareat cuti est ferè concolor, perdura, & aspera.

Thymus est protuberans quædam excrescentia aspera, subrubra, oblonga, thymi summitatis colorem referens, & augescens, ac in excisione plurimum sanguinis profundens, ejus generatio est circa sedem, & pudenda.

Myrmecia sunt verrucæ humiliores, inferiùs latiores, superius tenuiores, & duriores, quę radices suas altiùs figunt, doloremque movent, colore nigricantes, nomen suum indè habent, quod ad contactum dolorem exhibeant, qualis fit à morsu formicæ, magnitudine lupinum vix excedens.

Causæ.

Pro harum excrescentiarum causis statuunt vulgares humores lentos, viscidos, & pituitosos cum aliquâ sanguinis portione ab hepate lue infecto ad podicem, mulieris sinum, & penem demandatos, in quibus locis in varias carneas excrescentias abeunt. Verùm decipiuntur vulgares in harum excrescentiarum statuendâ causâ, quia humores lenti, & pituitosi cum sanguinis portione non possunt esse causæ. Id quod perpetuò de hepate repetunt, non sunt hæ partes hepatis emunctoria, sed næniæ, & aniles fabellæ.

Harum excrescentiarum causa est succus alimentitius Venereo contagio imbutus, nimirum viscosus, qui extra solidas fibras agglutinatur, & juxta partis texturam, & dispositionem in luxuriantes degenerat carnes; datur enim quandóque in parte vel crassa ulceris impuritas, vel ipsa unguentorum crassamenta, & tales excitantur excrescentię, ut in alijs ulceribus videre est, ceu à turdi consputatione arboribus innasci viscus dicitur. Et hac de causâ fe-

re

rè ſemper Venerea lues per podicem contracta in moras, criſtas &c. deſinit. Hæc ſylveſtris caro vivit alienâ quadra, ſcilicet vitâ totius non aliter ac viſcum frutex arboris vitâ.

Prognoſis

Supradictæ excreſcentiæ familiares, & frequentes ſunt in noſtrâ Italiâ; paucæ enim ſunt meretrices, & pathici, ob innumeras pædiconum catervas, in ano hujuſmodi non habentes excreſcentias, quas ſub hæmorrhoidum titulo occulunt. Hæ excreſcentiæ nunquàm ſolitariæ, ſed plerumque plures ſunt, quia ſpurcum fundunt ichorem, qui vicinas fœdat partes, & multiplices pullulare facit magno cum pruritu ità ut ſæpiſſimè ſcapere cogatur æger.

Si initio ob pudorem celentur ab ægrotis, ut plerumquè fieri ſoler, multiplicatur Gallica meſſis, & niſi appropriatis averruncentur remedijs, in cancroſam migrant naturam. Quandòque in ani orificio, & vulvæ labijs exurgunt, quandóque ità profundæ in recto inteſtino, & uteri collo, ut attingi non poſſint, ac proindè curationi non ſubjiciuntur, niſi quantum utriuſque ſpeculum ſinit, vel ſaltim difficillimæ curationis cenſentur. Quæ exiles habent pedunculos, facilè curationem admittunt: contrà verò, quæ latiſſimis potiuntur radicibus, quibus adhærent, ægrè curantur. Ubi exciduntur, nullaſque relinquunt radiculas, non renaſcuntur; ubi verò radicula remanet, neceſſariò regerminant.

Curatio.

Curant vulgares carneas excreſcentias, quæ tenuem habent baſim eas ſerico vinciendo filo, ſenſimque ſtringendo, uſquequò æger dolorem percipiat, donec ob nutrimenti privationem exſiccentur, & decidant. Verùm non omnes filo vinciri poſſunt, quia ut plurimùm lata eſt baſis vel calloſa. Prætereà vinculi uſum repudiamus, licet eas vulgares vincire poſſint, quia dolorificus eſt curandi modus, ſemper tumorem accerſit, & inflammationem, & ſi tali pacto curentur, promptiſſimè repullulare poſſunt.

Quandòque eas forcipe præſcindunt, quia his non eſt magnus dolor; in eis enim non viget exquiſitus ſenſus. Verum ferrum pro præciſione formidoloſum eſt ægris, nec radiculas, quibus hæ carneæ excreſcentiæ adhærent, præſcindit, undè impromptu eſt harum regerminatio. Tandèm ſemper inflammatio, vel tumor accedit, qui curationem impedit, & chirurgus pro uno curando morbo, alium, magni negotij inducit, pejorem forſan cum aliquo vitæ diſcrimine junctum.

Nonnulli has excreſcentias ſi fuerint complicatæ, vel duplicatæ, candenti exurunt ferro. Sed hoc medicamenti genus eſt periculo plenum, quod maximoperè exhorrent ægri, & hæ excreſcentiæ nimis ſenſitivæ ſunt, licet ſylveſtres ſint carnes, vivunt tamen vitâ totius, & adhærent partibus nimio exquiſito ſenſu gaudentibus, ut ſunt penis, podex, & cunnus, quæ iſtius medicamenti

applicatione intumescere solent, & ægri vitam in quæstionem adducunt.

Multi ferri, & ignis edacitatem reformidantes, Vulcanum, & ferrum contra Veneris carnes repudiant, & pro actuali igne utuntur potentiali. Hujusmodi est *arsenicum crystallinum, & auripigmentum.* Verùm hæc duo letalia sunt venena, quæ contra veneficas adhibent soboles: sunt hæc duo adeò vitæ nostro balsamo infensa, ut non modò intùs assumpta, sed etiam extrinsecùs adhibita, horrenda introducât symptomata, de quibus fusiùs egimus in nostra *Pyrotechniâ, & Trutinâ*, ubi de Venenis sub prætextu icteritiæ ex veneno agimus.

Alij has excrescentias *aquâ forti communi* extirpant. Verùm magnâ sedulitate illinienda est, quia caustica & multùm spirituosa, ideóque se diffundit, prurítum excitat intolerabilem, carnes exedit, tumorem, inflammationemque producit, nec laudabile medicamen est apud optimæ notæ Chirurgos.

Omnes tandèm nostræ tempestatis gregarij Chirurgi, si latam hæ excrescentiæ habeant basim, *unguento* utuntur *Ægyptiaco*, *vel præcipitati pulvere unguento aureo admisto, vel pulvere viridis æris*, *vel sabina, alumine usto, aquâ aluminosâ Fallop. &c.* Sed hæc vulgaria medicamenta nimis trivialia sunt, nec efficaciam pro excrescentiis absumendis, nec aliquid alexipharmaci contra luem continent.

Mora, cristas, verrucas, marisca condylomata, & cæteras carnes ex impure Venere ortas nos eradicamus non solùm externis adhibitis, prout etiam externi sunt affectus, sed etiam internis luis Venereæ remediis: præmissâ igitur corporis evacuatione pilulis mercurialibus pluries à nobis descriptis, sequentibus topicis eas absumimus:

℞ *Alum. rocc. usti,*
viridis æris ana ʒ j.

Bulliant in aquæ rosarum lib. iij. ad tertias, filtra & excrescentias ablue ter in die, & insensibiliter evanescunt. Magnæ energiæ ad has eradicandas erit *pulvis ex alumine usto, & pulvere sabinæ ana*, quem solâ superpositione, felici eventu centies experti fuimus. *Vitriolum* pulvere tenus non solùm ulcera sordida mundificat, verùm carnes excrescentias absumit.

Optimum remedium erit oleum viridis æris, quod ità paratur:

℞ *Viridis æris part. j.*
nitri ij.

Pulverisentur, optimè misceantur, ponantur in tigillo, & carbone incendantur, donec deflagrârint, quod remanet, solvatur in cellâ p. d. vel in vesicâ suillâ diligenter clausâ in aquâ demersâ, Sed præstat *oleum sulphuris, vel vitrioli*, attamen in applicatione summa solertia adhibenda est, ne naturalis caro tangatur.

Maximoperè præstat *spiritus Mercurij albus*, quo nos felici cum successu utimur, bis, vel ter has tangendo carnes sylvestres, quas felicissimè persanamus absque ullo recidivæ timore, & ita paratur:

℥ *Merc. meteorizati tenuiter pulverisati part. j.*
argillæ rubræ part. iij.
misce, & efforma cum aquâ communi globulos in umbrâ exsiccandos, destilla deindè ex retortâ vitreâ per arenam igne suppressionis (gradatim tamen) horis duabus adhibito, prodit elegans spiritus, quem serva. Siquid mercurij sublimetur, cum recenti argillâ misce, & procede, ut anteà.

Præstantissima erit ad hos curandos affectus *Aqua salis armoniaci*, quæ ita paratur.

℥ *Tart. crud. pulverizati* ℥ ij.
Salis armoniaci pulverizati ℥ j.
misce, & in vase sublimatorio sal sublimabis, quod iterùm cum eodem tartaro, hoc quater repete. Tunc sal sublimatum in humido loco repones; ibi enim resolvetur in aquam, quæ sine dolore has excrescentias exterminat absque recidivâ.

Verùm efficacissimus omnium erit *spiritus salis armoniaci* tali modo elicitus:

℥ *Salis armoniaci q.v:*
misce cum argillâ humidâ, ac exindè fac globulos. Destilla s. a. Sal armoniacus est ità summè volatilis, ut nullo modo destillari possit, præditus est enim mercuriali naturâ, abundat sulphure, quod facilè sublimatur: attamen argilla per minima inter salis particulas interjecta sublimationem inhibet, & faciliùs ignis activitate cogitur in spiritum. Quod omittentes plures spagyrici, omnem laborem, & operam perdiderunt, nàm sal armoniacum cùm sit summè volatile, in salis volatilis formâ in retortæ cacumine, & collo sublimatum invenêre, non autem attenuatum in formâ spiritûs intra receptaculum receperunt. Mediante destillatione essensificatur, majoremque nanciscitur perfectionem, dùm ad summam essentiæ puritatem devenit, & suâ subtilitate permeabilis evadit.

Siquis admiretur nos tantoperè salem armoniacum in excrescentiarum absumptione decantasse, is sciat non tantùm in ulceribus putridis, & gangrænâ, putridâ carne absumendâ summum esse remedium, verùm etiam sublimatum aptum esse ad metalla in fluidum mercurium reducenda. Nec fabricari potest aqua regia, quæ aurum solvit, absque sale ammoniaco. Imò etiam valet ad sublimanda multa metalla aliaque fixa corpora mineralia, eaque transmutanda. Undè *Paracelsus lib. 7. de transmutatione rerum naturalium*: inquit *Notandum hîc, quod quodlibet metallum, quod in sublimationem per Sal ammoniacum perducitur, postea in frigore, vel aëre solvatur in oleum, & contrà in igne, coagulatur in lapidem.*

Salem ammoniacum emortuas absumere carnes non tantùm ratione didicimus, verùm etiam id experientia nos edocuit; accepimus námque bovis os carne vestitum, & armoniaco Sale salavimus, post 48. horas carne absumptâ nudatum invenimus. Item Sal armoniacum terræ optimè commiscuimus, & in dictâ terrâ sale gravidâ os carne refertum sepelivi-

livimus,& item carne exutum invenimus.

Hinc quisque discere potest, qua ratione terra, quam sanctam appellant, in qua cadavera sepeliunt, eorum carnes absumat, & nudata ossa relinquat: ista terra est illa, in qua martyrum millena pro Christianæ fidei confessione sanguinem suum, veluti aquam fuderunt, & quia referta sanguine, ideò sale armoniaco; sanguis enim præcipuè humanus armoniaco scatet sale, id Luculenter patet ex salis armoniaci confectione, quæ talis est.

℔ Sanguinis humani lib.j.
sang. bovis, vel alterius animalis lib ij.
aquæ putei lib.vj.
misce, & filtra, pone ad ignem, ut bulliant ad aquæ consumptionem. & sal armoniacum manebit in fundo.

Prætereà terram dictam sanctam sale armoniaco refertam esse propriâ didicimus mechanicâ, nàm accepimus supradictæ terræ lib. iij. aquæ putei lib. x. miscuimus in tigillo figulino, supra ignem ebullivimus, deindè amoto igne, & frigefacto tigillo decantavimus, & filtravimus. Relictæ terræ novam aquæ quantitatem bis, ter, & quater reaffundimus, & ut suprà peregimus, & omni sale prorsùs nudatam reliquimus, & ex terra sancta in terram, quam damnatam vocant chymiei, redegimus: omnes aquarum decantationes, & filtrationes ad ignem posuimus ad totalem aquæ consumptionem, & magna salis armoniaci copia in fundo concrevit. In prædictâ terrâ omni sale spoliatâ cadaveris digitum humavimus, nec unquàm absumptam vidimus ejus carnem, ideóque terra sancta religiosè custoditur tùm ob sanctorum martyrum sanguinem illic effusum, tùm pluviarum ratione, ne sale diluueretur, & aliò transferrentur, & effœta in cadaverum exesione langueret.

Vocatur terra sancta, ex eo quia tot martyrum sanguine decorata fuit, non quia cadaverum carnes exedit; neque hoc, quod naturale est, pro miraculo sancta declaravit Ecclesia, ut rude vulgus sentit: nàm quælibet terra humano sanguine fœta, ut in prælio, ubi multorum millium militum interfectio obtingit, si in eâ cadavera sepeliantur, carnes absumendi energiam habet. Sed ad luis Venereæ excrescentias noster redeat sermo.

Nonnulli has excrescentias leviter *spumâ venenatâ duorum draconum rectificatâ* illiniunt, & eas penitùs eradicant; nàm est medicamentum causticum, & has sylvestres destruit carnes solâ iteratâ illinctione. Sed in hoc illiniendo liquore magna diligentia adhibenda est.

Si prædictæ sylvestres carnes non veniant in conspectum, sed profundè in colli uteri, vel intestini recti latebris recondantur, tunc matricis, vel ani speculo patescant, & nostris suprà descriptis tangantur medicamentis; & prorsùs eradicantur, ut nunquàm eodem loci repullulent, quibus perfectè absumptis, iterùm mercurialibus pilulis expurgetur cor-

pus, ut Venerea lues exterminetur.

Cap. XIX.

De Torturâ Noctis:

Sive

De Doloribus Venereis.

Inter omnia luis Venereę symptomata, nullum est, quod magis laborantes torquet, quàm sævissimum illud dolorum genus, quod plerúmque in capite, vel toto, vel dimidio, vel circa articulos, & maximè in internodiis tantoperè exquisitiùs excruciat; profectò huic nec crudelissimum quodlibet quæstionis genus, nec severum equulei judicium est comparandum. Sunt Venerei dolores arthritide, & nephritide crudeliores, sunt, ut uno absolvamus verbo, inferni dolores, quos nec ipsæ naturæ vires, nec preces, nec vota, nec quandóque Deorum numina, præter Mercurium, depellere possunt.

Signa.

Dolores Venerei incipientes sunt vagi, & non stabiles, præsertim modò in capite, humoris, cubitis, & modò in artubus, quos imperiti medentes pro flatibus accipiunt, maximè noctù, & ad vesperas excruciare incipiunt; temporis tamen protractu per omnes artus, internodia, membranasque sævissimi excitantur, distendentes, lacerantes, & terebrantes, noctù etiam magis, quàm interdiù, Undè doloribus, Venereis noctis torturæ nomen jure imponimus ex eo quia circa matutinas horas ij ferè non sentiuntur, at dùm advesperascit, torquere incipiunt, & usque in mediam noctem, & ultra semper vehementiùs terebrant. Hinc nullum certius habemus signum dolores à fomite Venereo originem ducere, quàm hoc eorum circa vesperas incrementum sumere. Non uno, eodemque modo omnes excruciant, nàm cùm permanentem sibi construunt sedem, alij arroci capitis dolore corripiuntur, vel solummodò hemicraniâ, alij in scapulis, pedibusque vehementer torquentur, vel ex coxendice conqueruntur &c.

Causa.

Credunt vulgares Venereos dolores fieri ab humoribus melancholicis, & pituitosis adustis ab infecto hepate, ad internodia missis, ibique hos humores per paulatinam congestionem depositos, vel ob acredinem, sive ex propriâ naturâ, aut ex putredine, sive deleteriâ qualitate, continui solutionem efficere, vel intemperiem inducere & sic ingentes excitare cruciatus.

Rentur dolorum causam esse humores melancholicos, & pituitosos, quia lues vetusta hos apprehendit, & quia melancholia vespere, & pituita noctù exacerbatur, hæc est eorum ratio, cur Venerei dolores ad vesperam incrementum sumant, & noctù magis affligant,

Si fomes Venereus ab ultimo partiù nutri-

nutrimento in sanguinem transit, horribiliores repræsentat scenas, nàm sanguinis nutrimento salsior est, ejusque sal quoties à fermento Venereo exaltatur, vel figitur, corrosivum evadit, & dolores excitat acerbissimos. Ferè semper dolores Venerei in cranio, & ossium superficiebus, non autem in eorum articulationibus sentiuntur, fortassè quia in periostiis venulæ, & arteriolæ capillares grumefactum ferè sanguinem à veneno Venereo deponunt, cujus sal non potest à calore per insensilem transpirationem resolvi, concoquitur, fixatur, ac proindè exaltatur, undè periostia admodùm sensibilia corrodit, pungit, vellicat, lacerat, & continentes distrahit, convellitque partes, hinc dolores crudeliores, & atrociores sentiuntur.

Prognosis.

Si Venerei dolores efficaci non cedentur remedio, in gummata, vel in universalem totius corporis cachexiam abeunt, ex qua deplorabilis sequitur hydrops.

Curatio.

Medicorum vulgus triplici præsidio dolorum Venereorum curationem tentant, purgante scilicèt, decocto, & sudore ab externo calore provocato. Purgans medicamen producta à veneno Venereo non purgat, nec minùs venenum ipsum, quia est de communi morborum omnium, nec dolentes adit partes. Decocta saltim ratione modi, quo illa præparant, sunt inutilia, & licèt quadragesimale instituant jejunium, nunquàm ad inculpatam perveniunt salutem. Sudores palliatum afferunt juvamen, nàm productum à veneno, non autem venenum ipsum educunt, undè infra mensis spatium dolorum recidivæ experiuntur.

Nonnulli vulgares suorum medicaminum insufficientiam aspicientes, pro dolorum curatione ad hoc elect. confugiunt, ut

℞. *fol. sen. or.* ℥. *ss.*
turbit opt. ʒ. *vij.*
salsæ parillæ,
chinæ elect.
scobis ligni sancti ana ʒ. *ß.*
sassafras,
hermodactyl. &
cinnam. ana ʒ. iv.

fiat omnium pulvis subtiliss. & cum saccharo diss. & ad syr. consistentiam cocti cum decocto radicis chinæ, & salsæ parillæ q. suff. f. elect. in formâ opiat. Dosis uncia una manè per quinque horas superjejunando, & eadem modo vesperi per dies octo.

Alii sequens propinant decoctum, ut

℞. *Salsæ parill. minutim incisæ*
rad. chinæ in taleolas dissect:
ana ℥ *j.*
turbit ʒ. *ijß.*
rad. glycirrhyz. ℥ *j.*
agrimoniæ,
capill. Ven. ana m. ß.
coriand. ʒ. *viij.*

Infunde in aquæ font. amphor. vij. stent in loco calido spatio 24. *h. Deindè bulliant ad tertiæ partis consumptionem, & adde fol. sen. or.* ℥. *ij. bull. parùm, cooperi vas, & remove ab igne, cola, & ad usu serva.* Dosis ℥. vj. manè, & vesperi, corpore purgato priùs, cibus

sit affitus, & optima observetur diæta. Pro potu ordinario residuo magmati aqua communis reaffunditur.

Quidam hanc infusionem pro arcano in doloribus Venereis præscribunt:

℞. *fol.sen.*
lign.sancti limat.
cortic. ejusdem,
salsæ parillæ ana ℥.*iij.*
sem.fœniculi,
rhabarbari optimi,
galang.ana ℥.ß.
colocynth.
card.sancti ana ʒ *ijß.*
antimonij ℥.ß.
vini græci lib.viij.
f.s. a. infusio.

Dosis lib.ß. pro vice. Attamen ab hac infusione eliminandum est antimonium, quia cum vino horrendos ciet vomitus, & sic æger in magno vitæ discrimine versaretur, evacuando per superiora, & inferiora. Verùm hæc inutilia sunt pro extirpandis doloribus, & corticem tantùm, non verò nucleum attingunt.

Sequens decoctum pluries experti fuimus dolores sedasse, cujus præparationem ingenuè communicamus:

℞. *Salsæ parillæ minutim incisæ* unc. iv.
hermodactyl. à cortice exteriori mundat.
& contus. ℥ *ij.*
anis. ad libitum.

Infunde in aquæ font. amphor. x. stent per 24. horas in loco calido, deindè bulliant clauso vase ad horas tres, aperi vas, & infunde

fol. sen.or. unc. iv.

post simplicem ebullitionem cooperi vas, aufer ab igne, frigefacto vase cola, & utatur æger pro potu ordinario, observatâ exsiccante diætâ.

Partibus à dolore obsessis applicant digerentia, & attenuantia, ac sacculum *furfuribus, millio, & sale* repletum imponunt, cùm hæc parùm profecerint ad fotum recurrunt *ex decocto ligni, & salsæ, additis foliis betonicæ, salviæ, rorismarini, pulegii, florum chamomillæ, meliloti &c.* Dolores liniunt *oleo liliorum alborum, rutaceo, vel guajacino:* Verùm olea poros obstruunt, & dolores augent. In doloribus vehementissimis obstupefacientibus utuntur, tamen in Venereis nunquàm his utendum est, quia materia magis incrudatur, fixatur, & deindè pertinaciter torquet. Præterquamquòd anodynorum usum nunquàm aliquid adjumenti attulisse experti sumus, imò nec somnum conciliasse; ideóque anodyna in doloribus Venereis è remediorum censu eliminamus.

Si his vanidis medicamentis reluctentur dolores, & vehementissimi sint, sanguinem fundunt, quia in magnis doloribus salubertimum est sanguinem mittere, deindè in brachiis, & tibiis cauteria aperiunt. Tandem his nihil proficientibus, ad empirica confugiunt medicamenta, ad suffumigia scilicèt, extremas inunctiones, quibus non juvantibus, doloribus affectum, deserunt tanquàm insanabilem. Imò major est nostrorum vulgarium impostura, qui postquàm aliquis doloribus Venereis tortus in eorum incidit ungulas, post quinque vel sex menses cum totali æris, & salutis jacturâ eum destituunt. Nonnulli, quod pejus est, malum naturæ viribus insanabile proclamant, quia

pro

pro suis viribus juxta artis pandectas omnia possibilia applicuerunt medicamenta : purgans propinârunt medicamentum , clysterum myriades injecerunt, sanguinem detraxerunt, sedis venis hirundines imposuerunt, syrupos magistrales, & salsæ parillæ , ac ligni guajaci decocta per duos menses, & ultra accepit æger, duo cauteria aperta fuêre, suffumigia, & extremas Mercurii præbuerunt inunctiones, & his magnis remediis sanus non evasit, aliquid divini submurmurantes inesse morbo, sacrificulis tradunt, & terga vertunt.

Siquis hac eâdem methodo uti velit, sequentia adhibeat remedia, prout præscribuntur parata, nàm ex utilitate, quam sentient ægri, aliorum medicorum ignorantiam cognoscet.

Venereis doloribus vexatum in cubile degere curabis, & à frigore, & humiditate sit exactè munitus, exactâ deindè illi præscribe diætam, & sequenti medicamine ejus ventrem solves :

℞. *Syr. de spinâ pontica* ʒ. iij.
electi. de succ. ros. ʒ. ij.
Syr. de succ. Viol. ʒ. j.
vini graci q. s. m.

& propinetur immediatè ante prandium, si infirmi vires sint validæ, iterùm repetatur, deindè decocta hoc modo parabis:

℞. *limaturæ ligni sancti* ʒ. iij.
salsæ parilla contus. ʒ. ij.
betonicæ,
sampsuci,
limaturæ cornu cervi ana ʒ. j.
cinnamomi contusi ʒ. ß.
aquæ card. bened. lib. j ß.

Ponantur omnia in vas vitreum amplum, quod optimè cum subere, & charta pergamenâ claudatur, ne exhalet, deindè bulliat in MB. per quatuor horas, posteà refrigescat vas, aperiatur, & decoctum coletur à pulveribus leni expressione: Hujus decocti recipe uncias quatuor quadrantis horæ spatio ante ingressum in hypocaustum, ægro propina, in quo se detinebit, usque dùm sudores erumpere incipiunt, tunc lecto se componat, & profusos procuret sudores: hoc modo procedat per duodecim, aut quindecim dies, si venter exsiccatus appareat, quartâ, vel quintâ qualibet die prætermisso decocto, & sudore, hoc utatur dejectivo:

℞. *Manna Mercurii gr. x.*
pilul. de tribus ʒ. ij.
m. f pilul. iij.

propinentur vesperi ante cœnam immediate.

Vel si æger hypocaustum exhorreat, purgato prius corpore, sequenti decocto immunem à doloribus reddes, ut

℞. *salsæ parill. minutim incis.* unc. j.
lign. visci querc. unc. j. ß.
limaturæ corn. cervi,
rasuræ eboris ana ʒ. ij ß.
aquæ card. sancti ℔. ij ß.

Ponantur in vase vitreo amplo, quod optimè claudatur, ne quid exhalet, collocetur in loco calido per 24. h. deindè bull. in cinerum, vel arenæ igne ad tres horas, amoto igne, & frigefacto vase, aperi, & cola leni expressione. Hujus decocti ℔. ß. infirmo exhibe manè quatuor horis ante prandium, totidemque vesperi, detineatur æger in lecto, & stragulis optimè tectus profusos expectet sudores, hac methodo procedat per xx. dies, & ante dictum tempus immunis erit à doloribus absque futuræ recidivæ timore. Si

alvus

alvus non deponat onus, quinto quóque die, prætermisso decocto, sumat pilulas de tribus cum mercurio dulci, exsiccantem observet diætam, & pro potu ordinario bibat aquæ communis residuo magmati reaffusionem cum ebullitione, quæ fiat etiam clauso vase.

Verùm ad dolores Venereos radicitus extirpandos non datur in toto orbe potentius medicamen, quàm *Aquanostra Anti-Venerea*, quæ reverà, longè superat omnia antidota contra Luem Veneream, & primum inter omnia alia medicamenta sibi vendicat locum; adeò omnibus palmam præcipit, ut nulli in toto naturæ ambitu comparanda videatur. Hujus ope inutilia vulgarium decocta, & æstuaria ab aulâ medicorum recesserunt, & quos ægrotos Mercurii suffumigia, & extremæ inunctiones deluserunt, hæc ad pristinam evocavit sanitatem. Adeò in hoc affectu infallibilem in dies experti sumus, ut multos, quos tanquàm deploratos vulgarium grex post decocta, suffumigia, & inunctiones omni salutis spe orbatos deservit, hujus aquæ beneficio ab orci faucibus revocaverimus, ejus compositio talis est:

℞. *Salsæ parill. minutim incis.* ʒ. ii.
ligni visci quer. unc. iß.
limaturæ corn cervi, &
rasuræ eboris ana unc. iß.
antimonii crudi minutim incis.
petræ pumicis ana unc. iii.

Hæc duo ligentur in petiâ lineâ, & simul cum aliis infunde in
aquæ fontis ℔. viii.
Detineantur per 24. horas in infusione, demùm bulliant lento igne ad medietatis consumptionem, in fine adde
cinnam. acuti ʒ ii.
cola, & ad usum serva.

In hujus aquæ confectione pumex admiscetur pro antimonii correctivo, aliàs enormes excitaret vomitus; ideóque ad sistendas superfluas vomitiones ab antimonio excitatas, tanquàm incantamentum valet patum pumicis in pollinem redactum, & in vino propinatum, ut fusiùs in nostrâ *Trutina Medicâ lib. 4. cap. 8. de nausa, & vomitu* egimus.

Verùm, ut verum dicamus, pumicis admistio cum antimonio frustranea est, nàm experientia nos cum aliis docuit antimonium decoqui posse absque tali correctivo, & non provocare vomitus, neque secessus. *Zvvelferus*, uti etiam *Borellus* tale habent decoctum in Lue Venereâ ex

Radicis salsaparill. unc. vj.
& antimonii pulverisati s.
nodulo inclusi ʒ ij.

coquunt l. a. & sic propinant ægroto. Item *Willisius* in Lue Venereâ pro potu ordinario commendat sequens decoctum, ut

℞. *Rasuræ ligni salicis* ℔. ß.
radic. salsæparillæ unc. viij.
santali alb.
ligni lentisc. ana unc. ij.
rasuræ eboris,
corn. cervi ana ʒ. vj.
antimonii crud. in petiâ ligati unc. iv.
radic. liquiritiæ unc. iß.

Infunde, & coque in aquâ fontan. lib. xvj. ad medietatem, colatura servetur ad usum.

Vulgares

Vulgares delusimus medicos, eorumque repudiavimus decocta tàm in hoc secundo libro de lue, quàm in nostrâ *Pyrotechniâ*, quia aperto vase decocta parant, at nunc nos hanc aquam fieri aperto vase ad medietatis consumptionem præscribimus; verùm non extra limites prosilimus: ea enim ingredientia, quæ sal habent fixum, vel non adeò volatile, eorum decoctiones aperto vase fieri possunt, cujusmodi sunt hanc aquam ingredientia, quæ dura sunt, & compacta vegetabilia, quæ longam sustinere possunt coctionem; quæ autem sale abundant volatili, rara, humida, & aromatica sunt, quorum omnis vis, & facultas in superficie consistit, brevem, lentamque exigunt coctionem, in vase clauso faciendam. Verùm nos semper in decoctionibus faciendis vas clausum ad majorem cautelam commendamus, & clauso vase nos hanc aquam paramus, quem modum nunc amplius reticere non possumus, & qui clauso vase eam parabit, miracula efficiet, nàm citò, tutò, & jucundè luem radicitùs extirpabit.

Quandóque hæc aqua admirandos, & à nobis decantatos non patrat effectus ob aliquorum malitiam, & parsimoniam pharmacopolarum, qui non tantùm salsæparillæ loco, smilace asperâ, vulgò salsâ paesanâ utuntur, verùm etiam, quod peius est, lucri cupidine allecti, & ut laboribus parcant, residuo magmati novam aquam reaffusam ebulliunt. Ad hanc igitur evitandam impostoram, ò quàm præstaret in ægrorum domibus parari.

Pro magnatibus, & divitibus delicatulis, & medicamenta respuentibus alium usitatum à nobis aquæ Anti Venereæ conficiendæ modum ingenuè communicamus: materialia, quæ pro hujus aquæ confectione ingrediuntur, post viginti quatuor in loco calido infusionem, destillentur per alembicum cum suo recipienti optimè lutato, sed non ad siccitatem, ne empyreuma concipiat. Hujus aquæ ea destillari potest quantitas, quæ pro sanando ægroto sufficiat; conservatur enim ad plures, & plures menses incorrupta, imò aliò transferri potest pro luis curatione, nec nauseam parit, nec stomachum subvertit, nec ructus nidorosos parit, ut accidit, tunc cùm fit per viam decoctionis: mediante destillatione majorem nanciscitur perfectionem, & ad summam devenit puritatem, & suâ subtilitate permeabilis evadit, undè jucundè, citò, & tutò luem radicitùs eradicat, quia salia volatilia ingredientium non evanescunt in auras, ut in decoctione fit, sed intra recipiens recipiuntur, & salia fixa mediante destillatione attenuantur, & in recipiens transeunt.

Bibitur hujus aquæ amphora una pro potu quotidiano, & non tantùm ejus usus est in doloribus Venereis, quos statim post decem dies sedat, verùm etiam bubones tàm legitimos, quàm spurios resolvit, gummata discutit, & plura præstat, quæ ejus

usus, & quotidiana experientia te docebit, si rectè operatus fueris. Cibus debet esse ex carne assatâ, cruda, acida, & salsa vitentur. Corpus debet esse purgatum, operaturque per diaphoresim, sudores, urinam, & leniter per secessum, verùm notandum est, quòd si diarrhœa superveniat, cessare debet aquæ usus, aliter enim ægrotus in vitæ discrimen conjicitur, ut multa testantur exempla. Ejus usus continuari debet per mensem chymicum, nàm licèt intra decem dies dolores sedet, tamen aliud est dolores sedare, & aliud radicitùs sanare. Quolibet anni tempore sumi potest tàm rigido, quàm fervido.

Optimus est hic modus, quo nostram præbemus aquam, attamen majori cum fructu energiam stupemus, dùm hujus infirmis Galenicum propinamus Cyathum quatuor horis ante prandium, eundemque vesperi, qui in lecto lodicibus operti sudores expectent, & pro potu ordinario secundam affusionem in residuo magmate cum ebullitione, & vase clauso præscribimus. Si ità operatus fueris intra decem dies admiraberis effectum, sicut nos quotidiè experimur. Evidens futuræ sanitatis signum erit, si doloribus vexatus ab aquæ assumptione, nocte somno indulserit.

Verùm si hominis status, & necessitas, vel tempestatis rigor præscripta non tulerit medicamenta, ad nostram confugiendum est Pyrotechniam, quæ medicamina præparat ad exterminandos dolores Venereos efficaciora; primò itáque à levioribus, & paratu facilioribus incipiendum est. Vexato igitur à doloribus ægro, dùm gracilis non sit naturæ, hoc vinum exhibe.

℞ *Croci metall.* ʒß.
infundantur in vini unc.ij.
per 24. horas, post quas illud à pulveribus separa, & ægro propina, lenem ciet vomitum, & aliquot secessus, alternis quibusque diebus illud reitera quater, aut sexies, & dolores pedetentim cessabunt. Vel

℞ *Mercurij Vitæ gr.vj.*
infunde in vini unc,ij.
per 12. horas, deindè vinum separa, & propina. Eosdem producet effectus; ac crocus metallorum, sed aliquantulùm vehementiores, verùm citiùs à doloribus liberat. Hoc medicamen repete ter, vel quater alternis diebus. Vel eodem modo nostrum *Hippocras emeticum* in nostrâ *Trutinâ* descriptum, cap. *de Apoplexiâ*, propina. Vel

℞ *Turpeti mineralis dulcis gr.xv.*
Sensim augendo, & exhibeatur cum pilulis solutivis, vel confectionibus cordialibus, nàm vomitum, & lenes secessus ciet, & utplurimùm ptialismum ter assumptum, & omnes exterminabit dolores. Non credibile est, quàm efficacissimum sit turpetum minerale in exterminandis doloribus, & gummatibus, nàm nos plures, quos vulgares post decocta, suffumigia, & extremam hydrargyr

gyri inunctionem omni sanitatis spe destitutos deseruerunt, perfectè sanavimus,

Multoties adeò pertinaces sunt dolores Venerei, ut neque vulgaribus, neque pyrotechnicis cedant medicamentis; Sed post eorum applicationem crudeliùs cruciant. Tunc ad mercuriale suffumigium, vel inunctionem, veluti ad efficaciſſimum, & ultimum deveniendum est remedium; nec vos aliquorum Medicorum horror terreat, quem absque experientiâ à solo mercurij nomine contraxêre, nàm præterquam quòd nos plusquàm mille ægrotos doloribus vexatos hoc medicamine curavimus, & nullus fuit ex iis, qui vel integram salutem, vel dolorum remissionem per annos integros ab hoc medicamento non receperint, *Falloppius*, *Quercetanus*, & *Epiphanius Ferdinandus hist.* 17. verum, genuinum, & infallibile alexipharmacum luis Venereæ in Mercurio tantùm esse affirmant, & multorum ab iis curatorum referunt historias, qui alia remedia inutilia experti erant, & de curatione jàm desperaverant. Imò idem *Epiphanius* eodem loco fatetur, quòd nonaginta authores, qui de lue Venereâ scripserint, quatuor tantùm invenit, qui hydrargyri usum in hac lue improbarint. Fatemur nos libenter horribiliora symptomata ab hujus remedij applicatione emergere: sed docto, & experto medico symptomata illa metum nullum afferre debent, siqua evitanda sunt in hoc remedio, æger vitabit, & quæ facienda sunt, faciet. A symptomatum apparatu non solùm vitæ discrimen, dentium, capillorumque casus expectanda non sunt, sed perfecta infirmi salus cum totali contagij Venerei exterminio. In quibus optimè peragendis, medici prudentia est necessaria, & quæ à medicamenti applicatione evenire solent, ægro, præsagire debet, ut iis deindè supervenientibus neque infirmus, neque astantes terreantur, sed procellæ cessationem securo expectent animo.

Antequàm ad medicamenti praxim deveniamus, non erit à re alienum, quid sit Mercurius, ejusque proprietates examinare, quid de eo protulerint antiqui, & quid recentiores observàrint, docere.

Hìc nos non loquimur de Mercurio, qui unus est ex tribus principiis, sed de vulgi mercurio, quod dicitur argentum vivum, quia lunæ instar est albus; vivum verò ratione mobilitatis, qua semper irrequietum agitatur, undè dicitur animal currens sine pedibus. Dicitur Mercurius à notâ Mercurij cœlestis velocitate, & inconstantiâ, de qua fabulati sunt poëtæ. Dicitur hydrargyrum, quia aqueum videtur argentum, & reverà aquæformis est mercurius, non verò aqua madefaciens omne, quod tangit.

Constat argentum vivum, ut singula, ex sulphure, sale &

mercurio. Sulphuris copiam habet, mercurium perquamoptimè mistum cum sale, ità ut mercurius suo sale cohibeatur. Sulphur indè ità est anatizatum cum mercurio, & sale, ut non faveat nec mercurio, nec sali, sed ambo æqualiter amet. Undè ob sulphur perpetuò est fusile, & currit in superficie planâ absque adhærentiâ suæ substantiæ; ob ejus copiam perpetuò est in motu, & non adhæret, & quia mercurius perquamoptimè mistus est cum sale, ità ut mercurius suo sale cohibeatur, non madefit, nec madefacit.

Antiquiores Græci admodùm tenuem de hydrargyro habuêre notitiam, ut colligitur ex *Dioscoride lib. 5. cap. 70. ex Oribasio lib. 13. ex Actuario lib. 5. cap. 12. & ex Avicennâ lib. 2. tract. 2. Gal. lib. 9. simpl. medicament.* temerè pronunciavit: *Argentum vivum ex sponte nascentibus non esse, sed ex iis, quæ parantur, velut cerussa, æruga, psoricum, lythargyros:* fateturque se nullum istius mineralis feciisse periculum, an interimat, si devoretur, vel ubi foris fuerit admotum.

Posterioribus vero sæculis in communem ferè usum adscitus est mercurius, & in contumaciissimorum morborum curationem, undè non paucæ circa illius facultates exortæ sunt inter medicos recentiores controversiæ, quidam naturæ esse calidæ pronunciârunt, alij verò frigidæ, alij temperatæ, quidam veluti toxicum, ac perniciosissimum venenum à communi hominum usu, atque commercio proscribendum docuerunt. Demùm quidam adeò extulerunt, ac pro tàm admirabili remedio habuerunt, ut angelicum pronunciârint, cùm tàm admirabilis, & stupendæ naturæ sit, ut quascumque formas, veluti novus Proteus sibi induere videatur, & tamen propriam nunquàm amittit, nàm in altum in atomos elevatus, deorsùm præcipitatus, mortificatus, fixus, aut quomodocumque mutatus, naturam semper suam, & essentiam servat, ut ad pristinam suam facillimè redigatur formam. *Fallopius* inquit esse imaginem & speciem resurrectionis, miraculum soli Deo reservatum, & hoc exemplo apud incredulos confirmare possumus, ut verbo Dei ex nostro cinere resurgamus, cùm pulvis præcipitatus iterùm in argentum vivum reviviscat. Semper quippè suum retinet corpus, nec ullam subit corruptionem, aut alterationem, eo quod in sui corporis consistentiâ homogeneus sit, nec partium alteritatem habet, quam homogeneitatem etiam auro ejus filio præstat, ideóque inter utrumque magna illa familiaritas, & necessitudo, illudque præ cæteris avidè amplectitur, protinùs cum illo congreditur, amalgamatur, & amicabiliter unitur, tanquàm verum, & homogeneum auri menstruum, & sicut facilius est aurum construere, quàm

de

Unable to display this page

Balliat per ſpatium dimidii quadrantis, deindè aqua à mercurio decantetur, & ſumetur pro quotidiano uſu. Nàm vermes non ſoiùm illicò necat, ſed eorum generationem prohibet, corporis temperamentum ſervat, & contagia arcet. Id quod mirum eſt, eadem mercurii uncia quantumvis aquæ quantitatem eâ imbuit virtute, ut paulopòſt de hac veluti infinitâ mercurii virtute explicabimus.

Mulier cùm abortum tentaſſet diverſis remediis, ad eundem obtinendum libram integram argenti vivi, eam ingurgitaſſe refert *Matthiolus*, & apud me conſtat pro eodem fine mulierem mediam libram mercurii ingeſſiſſe, ſed ut abortum non obtinuit, ità illæſa à mercurii aſſumptione remanſit. Verum eſt, quòd obſtetrices laboriosè parientibus ſcrupulum unum mercurii exhibere ſolent pro partûs acceleratione, & non fruſtrà. Imò obſervatum eſt quoſdam ſitibundos noctu in tenebris vaſa argento vivo plena pro poculo attripuiſſe, & plenis faucibus argentum vivum magnâ quantitate exhauſiſſe, id tamen ſine damno per alvum rejeciſſe. Tentavêre adulteræ mulieres multoties argenti vivi exhibitione Zelotypos necare maritos, ſed argentum vivum uxoribus humanius ſcelus non complevit, undè extat apud *Auſonium* epigramma:

Toxica Zelotypo dedit uxor macha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſiquis, faciunt diſcreta venenum.
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergò inter ſeſe dùm noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutifera.
Protinùs ut vacuos alvi petiêre receſſus,
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quàm pia cura Deum, prodeſt crudelior uxor,
Et cùm fata volunt, bina venena juvant.

Servi in mineris argentum vivum colligentes, ut dominos fraudent, argenti vivi aliqua pondera ebibunt, illudque deindè per ſeceſſum ejiciunt, & ſecretò venumdant.

Ac tandem uſum mercurii externum innoxium experimur in diem in necandis pediculis, cimicibus, & pulicibus; nàm ſi veſtis eo ſpargatur, mercurius vivus pediculos omnes inflato corpore interimit, ità ut per excuſſionem omnes decidant: at ſi verò dictæ ſordities in capite inter capillos fuerint, ut frequenter pueris accidit, tunc

℥. *Mercurii vivi quart. j.*

ponatur in mortario, & cum ſaliva reducatur in atomos adde tunc
unguenti albi unc. j.

& cum pistillo agita, ut unguentum fiat nigrum.

Hoc unguento caput in tribus, aut quatuor partibus inunge semel, aut bis, & omnes pediculi turgidi, & mortui decident; multum quoque levaminis affert hoc unguentum venis hæmorrhoidalibus turgentibus, ac dolentibus.

Non prætereundum est hic unguentum illud, quod ex mercurio conficitur pro enecandis illis pediculis, qui loca pilosa secretiora incolunt, tenacissiméque cuti adhærent, velut adnati, citissimè tamen ab uno loco in alium per infectionem transferuntur; adeò ut siquis unicâ saltem nocte in eodem lecto cum aliquo dormierit, qui his scatet pediculis, mox ubertimos secum reportabit, tàm firmiter cuti affixos, ac si agnati essent, atque hic pediculi vocantur *pessolatæ*, vel *petalæ*, vulgò *piattole*:

℞. *Ung. ros.* unc. j.
argenti vivi ʒ. *j.*

misce diligenter in mortario lapideo, quousque argenti vivi nullum appareat vestigium.

Citati omnes authores, & decantatæ experientiæ dilucidè concludunt argentum vivum purum, crudum, & nullâ præparatione antedatum, non solùm non esse venenum, sed innocuè intra corpus assumi posse.

Contrà non desunt, cùm argentum vivum non solùm non tetigerint, sed neque viderint, qui illud lethiferum toxicum esse crediderunt, credulis professoribus eorum scriptis eundem metum impresserint, hujus farinæ homines fuêre *Galenus*, *Aëtius*, *Conciliator*, *Cardanus*, *Fernelius*, & alii, qui sine ullo fundamento argentum vivum stuporem, tremorem, convulsionem, paralysin, epilepsiam, apoplexiam, lipothymiam excitare, & interdùm mortem afferre insinuant, sed horum hominum de hoc minerali ignorantiam diffusè demonstrat *Quercétanus in Alexicaco, & in consilio de Lue Venereâ*, & ab aliis plurimis præcipuè à *Sennerto*, & *Zacuto* controversia decisa est,

His de argento vivo traditis, quæ quicquid de eo vulgaria ingenia protulêre, continent, aliud superest examen faciendum, an scilicèt argentum vivum pro Luis Venereæ antidoto fuerit communiter receptum. Tale esse argentum vivum sustinet *Quercetanus* cit. suprà locis, *Epiphanius Ferdinandus Hist.* 17. jurejurando affirmat 150. gallicos curasse ætatis, sexûs, regionis, & temperamenti varios, & vario anni tempore; atque *Laurentium* memorat plusquàm 1000. sine recidivâ curasse, & hanc mercurii alexipharmacam vim ab occultis qualitatibus pendere, & à proprietate specificâ disputat *Felix Platerus*. Qui argentum vivum Luis Venereæ antidotum esse negant, ii sunt, qui ex ignorantiâ illud venenum esse existimant: cæterùm passim experientia docet, & hactenùs docuit, eæ morbi Venerei species, quæ à vegetabilibus remediis, atque à provocatis sudoribus evinci non possunt, ab applicatione mercurii absque ullo

periculo

periculo radicitùs curantur. Nunc noſtras obſervationes, & de argento vivo fundamentalem doctrinam ingenuè communicabimus.

Sciendum itáque eſt primò, quòd argentum vivum eſt corpus metallicum, in cujus productione cauſſa eſt naturæ induſtria, ut ſub lege omnium corporum miſtorum illud non poſuerit; quippè omnia corpora miſta corruptioni, alterationi, diviſioni, & tranſmutationi experiuntur obnoxia, tantùm argentum vivum hoc gaudet privilegio, ut incorruptibile, inalterabile, indiviſibile, & immutabile non ſolùm ab ordinariis naturæ, & naturalium agentium viribus, ſed etiam à vehementiſſimis liquoribus, aliiſque mediis, quæ humana induſtria hactenùs invenit, & impoſterùm inveniet; ac propterea multùm à cognitione hujus mineralis abſunt ii, qui illi primas tribuunt qualitates vel in exceſſu, vel in remiſſo, nàm qualitas à toto miſto manat, ſuum corpus deſerit, & in aliud imprimitur; argentum verò vivum, cùm ſit corpus indiviſibile, & inalterabile, nil ſui alteri corpori conferre poteſt: nàm ſiquid ex ſuâ ſubſtantiâ deperderet, illud non eſſet, quod anteà erat, quod falſum eſt in hydrargyro innumeris experimentis.

Neque qui toxicum, & venenum argentum vivum eſſe credidêre, ob eandem rationem ſuæ indiviſibilitatis aliquid rationi conſentaneum retulêre, cùm id quod venenum eſt, aliquid à ſe, quod vitam adoriatur, & occidat, emittere neceſſe eſt, quod cùm in argento vivo impoſſibile ſit, impoſſibile quoque eſt, ut venenoſum eſſe poſſit: Verum tamen eſt, quòd cùm argentum vivum neque venenum, neque cibus dici poſſit, medicamentum illud nobis ſuadere debemus; undè neque exteriùs applicandum, neque interiùs exhibendum eſſe præter neceſſitatem, & morbi urgentiam; quæ curare ſolet, exiſtimamus, more aliorum medicamentorum, nàm præter neceſſitatem aſſumptum, ſi uti venenum non lædit vel ratione admirabilis ſuæ penetrationis, vel ratione exceſsûs ponderis (quod graviſſimum præ omnibus metallis, excepto auro) lædere faciliter poteſt.

Secundò ſciendum eſt, quod argentum vivum conſtantiam, indiviſibilitatem, & inalterabilitatem, uti illud ſemper idem, in ſuo corpore conſervat, ità quicquid quod acutum ſalinum, vel ſulphureum eſt, quoties in argentum vivum agere conatur, ſupra illud emoritur, & in aliquid aliud à priſtino omninò deſtinatum, tranſmutatur, argento vivo ſemper eodem perſeverante, licèt illud aliquâ larvâ mutatum appareat. Hinc diſcite, quàm ſit innocens, & omnis venenoſitatis expers, dùm ſimplex, parum, & nulli alii corpori commiſtum erat argentum vivum:

vivum : cùm deindè liquoribus acutis, salsis, sulphureisque commiscetur, tantam venenositatem acquirere potest, ut infra quadrantis horæ spatium hominem perimere possit, ut de ejus sublimato experimur.

Ubi est advertendum, quòd non est argentum vivum, quod in venenum convertitur, sed sunt salia acuta liquorum acrium, quæ dùm impenetrabile mercurij corpus strenuè adoriuntur, illudque corrodere præsumunt, quia debilia sunt ad tantam hujus corporis evincendam constantiam, ipsa super mercurij corpus transmutantur, exaltantur, & corrosivi veneni proprietates, acquirunt ; itàque venena non ex mercurio, sed supra mercurij corpus producuntur, & coagulantur : nàm mercurij corpus post calcinationem venenosam, si à salibus calcinationis separetur, idem remanet mercurius, qui ante calcinationem erat, quod evenire non posset, si aliqua mercurij pars in venenum abijsset, nàm *de privatione ad habitum facilis non est regressus.* Dupliciter ergò argentum vivum adjuncta sibi in venenum transmutat, vel per sublimationem, vel per præcipitationem.

Primò per sublimationem sal vitrioli volatile in corrosivam, ac veluti igneam naturam mercurius convertit, nam vi ignis illud secum rapit, & suis partibus commistum illam acutiem sollicitat : fit autem argentum vivum sublimatum hoc modo.

℞. *Mercurij purgati,*
vitrioli rubificati, &
salis præparati ana lib. j.
salis nitri ℥. iv.
Terantur, & misceantur simul in mortario lapideo cum modico aceti tâm diù, donec mercurius nullo pacto appareat vivus. Quæ omnia benè mista pone in cucurbitâ luto munitâ, cui superimpone alembicum rostratum : Da ignem per gradus ſ. a. per viij. vel x. horas, & excipe aquam fortem, quæ per alembici rostrum destillabit, & habebis mercurium sublimatum adinstar nivis album. Operam ut melius perficias, poteris iterùm sublimare, addendo pro qualibet libra mercurij sublimati aliam libram salis præparati, & vitrioli uncias quatuor, ac tertiò cum sale tantum sublimabis.

Verùm, ut argenti vivi invincibilem constantiam cognoscatis, quamvis illud in crystallum sublimatum cernitis, immutatum tamen sub illâ salinâ laruâ persistere hoc artificio animadvertis.

℞. *Lixivij com. fortis lib.* iv.
mercurij sublimati lib. ß.
Fiat hic pulvis, & in dictum lixivium tepidum projiciatur, nàm infra unius horæ spatium sal volatile vitrioli aliaque salia relinquentur in suâ libertate, & tunc argentum vivum vasi fundum petet in pristinâ suâ formâ fluidâ, & sal volatile vitrioli &c. sali lixiviali associatur. Ex qua mechanicâ vobis I. In aperto est constantia, & indivisibilitas, quam de argento vivo prædiximus. II. Quòd spiritus acuti, & salsi super argenti vivi corpus immutantur, & absque reactione in mercurium à mercurio patiuntur. III. Quòd argentum vivum non sit per se venenum, sed id quod suo corpori conjungitur, & exaltatur, novas proprietates acquirit, & in hoc aliquid transmutatur, quod corrosivum, corruptivum, ac putrefactivum erit.

Præcipitatur argentum vivum per liquores fortes ab igne antè exaltatos, hujuſmodi ſunt aqua fortis, oleum ſulphuris, ſpiritus vitrioli reverberationis igne expreſſus, ſpiritus nitri, & ſimiles qui arte pyrotechnicâ præparantur, quorum ad præcipitati præparationem talis erit proceſſus.

℞. Aquæ fort. vel alterius ex dictis ſpiritibus ℥. ij.
mercurij crudi currentis ℥. j.

Ponantur ambo in vaſe vitreo, ità ut mercurius totus ſolvatur in aquâ, factâ ſolutione, vaſi lentus ignis ſupponatur, ut aquæ humiditas in vapores exhalet, & in vaſis fundo flava coaguletur materia, tunc ignem aliquantulùm auge, nàm paulatim flava illa materia in rubicundiſſimum pulverem exſiccabitur, & tunc argentum vivum præcipitatum dicitur, quod vehementiſſimè corrodit, & cauterizat; eſt tamen in agendo ſublimato mercurio aliquantulum pigrius.

Evenit mercurij præcipitatio ex eo, quia ſal exaltatum in liquoribus fortibus deſtillatis, dùm argentum adoritur, ſuper illius corpus coagulatur, & humidum aqueum per quod diffuſum erat, derelinquit: Sal illud mercurij partibus admiſtum, & omni humiditate privatum igneam penetrationem acquirit, & mediante mercurio corroſivi veneni indolem præſefert, mercurius tamen ſub ipſo immuratus perſeverat; etenim mercurius præcipitatus, ſi in aquâ communi fortiter maceretur, deponit ſal à ſpiritibus fortibus mutuatum in ipſamet aquâ ſub formâ aluminis rocchæ invenitur: currens verò mercurius in vaſis fundo colligitur eadem quantitate, antè præcipitatus fuit.

Præter dictos modos ſublimandi, & præcipitandi mercurium, quibus mortificatur, nullo modo intra corpus aſſumi debet propter irreparabilem mortem, quam affert: ¶ Pyrotechnica praxis tertium invenit, cum quo mortificatur mercurius, velut id cum quo mortificatur, ex eo quia ſalinam non habet indolem, igneas, ac venenatas proprietates ſuper mercurium non acquirit: eſt illud ſulphur commune, cui à naturâ datum eſt metallica corpora penetrare abſque neceſſitate artificialis exaltationis per ignem, hoc modo.

℞. Sulphuris vivi com. lib. j.
Permitte, ut igne liqueſcat in vaſe terreo, tunc paulatim injice
mercurij vivi lib. j.
agitando cum ſpatulâ uſque dùm mercurius cum ſulphure optimè ſit commiſtus, tunc maſſam illam reduc in pulverem, & in vas ſublimatorium injice, hunc per ſex horas urge per ignis gradus, & aſcendet mercurius ſimul cum ſulphure in cinnabarim, qua in apothecis venalis eſt, vini lateribus in ſublimatione adhæreſcit, concreſcitque in formâ ſtrioſâ.

Mercurius hoc modo cum ſulphure ſublimatus nullius eſt ſaporis, nulliuſque activitatis, & in quavis doſi intra corpus aſſumi poteſt, nàm ſicut inutilis eſt, & nullius actionis, ità innocuus per inteſtina deorſum deſcendit: mirabilis tamen eſt in formâ fumi cinnabaris uſus, ut infrà dicemus. Ubi advertendum, quòd multi, qui hoc remedio empiricè utuntur, cùm illis non conſtet, quòd cinnabaris ex mercurio fiat, jurejurando promittunt ſe argento vivo in curatione non uti, ſed quodam pulvere ijs tantùm noto.

E mercurio in cinnabarim converso fit etiam in pristinum mercurium reductio hoc modo.

℥ *Cinnabaris pulverisatæ lib. j.*
Calcis vivæ pulv. lib. iij.
misce simul, ac projiciantur in retortam vitream, cui vas recipiens annectendum ignem deindè suppone per gradus, nàm paulatim mercurius vivus in vas recipiens decidet, relictâ in calce sulphuris farvâ. Mercurius iste è cinnabare redivivus purissimus est, & ab omni labe, & impuritate immunis eoque uti debemus in mercurialium præparationibus, ut apothecariorum impostutam aufugiamus.

Commiscetur etiam argentum vivum per ejus mortificationem rebus pinguibus, & unctuosis ac tunc corporibus perunctum ob analogiam, quam cum vitâ animali habet, intrà trahitur, omnesque corporis partes penetrat, & ab omnibus contagijs liberum reddit. Mortificatio argenti vivi multipliciter fit, cùm aliud non denotet argenti vivi mortificatio secundum communem sententiam, nisi ejus corporis in atomos reductionem. nàm quoties in atomos fuerit redactum, faciliter cum pinguibus, & unctuosis fit ejus commistio. Tu itáque sic mercurium mortifica:

℥. *Mercurij vivi ℥. ij.*
ponantur in mortario lapideo, illique saliva recens hominis injiciatur, cum pistillo agitetur, nàm paulatim in atomos exilissimas dividitur:
Vel
℥. *Argenti vivi ℥. ij.*
succi limonum ℥. j.
ponantur simul in mortario lapideo, & cum pistillo agitentur. Sic etiam argentum vivum in atomos reducetur.
Vel.
℥. *Argenti vivi ℥. ij.*
urinæ humanæ ℥. j.
eodem modo in mortario agitentur, nàm habebis argentum vivum in atomos divisum.

Didicistis jàm mercurij proprietates, & quomodò salia ineunt, suas vires exercere conantur, in corrosiva venena degenerant, mercurio suam immotam conservante substantiam: operæ pretium nunc erit aperire, an actione penitus imperscrutabili mercurius luem curet Veneream, an penitus investigantibus manifesta esse possit. Nostra quidem sententia est argentum vivum manifestissimâ actione Luem Veneream è corporibus, in quibus impressa est, exterminare, & id hoc modo investigandum aggredimur.

Ex allatis jàm suprà argenti vivi præparationibus apertissimè acutos, salsos, & ignis vi exaltatos liquores supra mercurij corpus suas exercere vires, & impetuoso motu illud aggredi constat; quòd licet acuti liquores mercurium per eorum actionem superasse videantur, tamen super mercurij corpus, quod semper perseverat idem, eorum mortuos, ac transmutatos esse ex reductione mercurij in suum corpus jàm patefecimus. Certum quoque est ex superius adductis, quòd argentum vivum crudum, & in suâ formâ fluidâ viventibus corporibus venenum non est, imò quod intra illud assumptum nonnullis medeatur morbis, abire tamen illud in venenum, dùm super ipsum acuti liquores mutantur. His sic per allatas mechanicas, & per constantia experimenta determinatis, ad theoremata de

luis Venereæ essentiâ accedimus; tradidimus enim morbi venerei essentiam sitam esse in degenerato nutrimento, quod per fixionem erodentem acorem contraxit, cujus effectus ipsi passim testimonium præstant: enim vetò ulcera, caries, dolores acerbissimi, tonsillarum erosiones, partium spermaticarum, cartilaginum, ossiumque corruptiones, corrosivi liquoris sunt necessarij effectus, fateri undè absque dubio possumus luem veneream nutrimenti sal exaltare, illudque acidum, corrosivumque reddere.

Ponamus nunc argentum vivum lue venereâ contaminatum corpus ingredi, ac suâ, qua maximè pollet penetrandi energiâ, in omnes ejus partes se insinuare; certum est, quòd exaltatum nutrimenti sal ulcus, dolorem, erosionem, corruptionemque actu in parte producens, adveniente argenti vivi corpore, in illud agere tentabit, & eâ actione se à partibus separabit, totumque super argenti vivi corpus pro lue, eique commistum unum fient, non secus ac aqua fortis, & mercurius post solutionem una res apparent. Hoc modo separato à partibus degenerato jàm a lue venereâ nutrimento, & exaltato, mercurijque super corpus præcipitato, natura partium antè à materiâ luis oppressa libertatem pristinam acquirit, & ad expulsionem præcipitati mercurij insurgit, ac ut plurimum per fauces, laceratâ epidermide, per putentissimum ptyalismum illum expurgat, aliquandò per urinam ejicit, aliquandò per intestina, & aliquandò per sudores, qua expurgatione completâ, tanquàm à pugnâ lacessita quiescit natura, vires resumit, corpusque tàm à luè, quàm à medicamine labefectatum recreat, & restaurat.

Supereſt tantùm recidivæ suspicio, quoties mercurius integram materiam à lue productam non omninò ad se traxit, & habuistis jàm à posteriori deductas demonstrationes, quibus aptè cognoscitur argentum vivum unicum, verum, & singulare esse medicamentum venereæ luis curativum.

Supereſt quoque nunc docere mercurij legitimas præparationes, quibus turò uti possitis artificio pyrotechnico, ejus omninò venenositate sublatâ, ac primò suprà asseruimus mercurium sublimatum potentissimum esse, corrosivumque venenum, sequēti artificio omnem ejus corrosivam activitatem auferetis, & in suave mutabitis medicamen, quod *Mercurius dulcis*, vel *Draco mitigatus* communiter indigitatus.

℞. *Merc. sublim. &*

Merc. vivi currentis ana lib. ß. ponantur ambo in mortario lapideo, & eò simul pistillo misceantur, ut vivi mercurij nullum appareat vestigium, sed in massam nigricantem ambo redigantur. Tunc massam illam pone in aludele, & igne arenæ administrato per sex horas, sublimabitur mercurius, frigidum posteà vas frange, nàm ad ejus latera mercurium dulcem sublimatum crystalli instar invenies remanentibus in fundo facibus, quas unà cum nigricante materiâ in collo vasis adhærente reijce. Si verò sexies sublimabis, efficies Calomelanos Turqueti. Mercurij dulcis dosis est à scrupulo j. usque ad 3. ß. pro personarum conditione, commiscetur potest cum pilulis solutivis,

lutivis, conservis catharticis, theriacâ confect. Hyacinth. & Alkerm. alijsque similibus pro medici cupidine, & infirmi exigentiâ cujus efficacia luem è corpore efficaciter expellit, priusquàm dolores, gummata, alizque species his graviores non apparuerint, nàm in his aliquod affert levamen, minimè quidem integram sanationem.

Mercurius non æquè bonus existit, sed variat, primò ratione matricis, seu loci naturalis, undè naturali loco censetur optimus, qui eruitur è mineris vicinis auro, vel argento, & hinc optimus censetur Hispanicus, & Hungaricus. Secundò, ratione inquinamentorum, qui nonnunquàm per se in terrâ conspurcatus est; undè ut plurimùm scatet commistione arsenicali, antimoniali, saturninâ, cadmiosâ, quibus nonnunquàm in terræ cuniculis venenosus redditur. Tertiò, nonnunquàm ab impostoribus adulteratus venditur; adeò enim exactè eum adulterare norunt plumbi beneficio, ut quoque simul per corium transire possit, adeòque difficile sit fucum cognoscere. Quapropter nequis incautus decipiatur, non à re erit hæc bonitatis signa observare. Primò, bonus censetur, qui per retortam propulsus nihil recrementi relinquit. Secundò, qui in cochleare argenteo evaporationi super prunis impositus maculam relinquit flavam, aut albicantem; qui nigram, aut fuscam purgari debet. Primò, expressione per corium, qua fæcibus crassis in corio remanentibus, mercurius transit, sed hic modus non est tutus, ut diximus. Secundò, lotione, lavetur autem vel per acetum simpliciter, aut cum sale mistus, vel per lixivium calcis vivæ, & cinerum clavellatorum, vel etiam per lixivium saponariorum, sæpiùs nimirum cum his agitando, & vicissim à sordibus eluendo. Purgatur quoque agitatione fortì cum spiritu vini in vitro obturato, separatur enim nigredo ad latera. Tertiò, destillatione, destillatur nimirum in arena per retortam igne fat fortì, idque per se sine additione, vel addito sale tartari, calce vivâ & similibus. Optimè verò purgatur amalgamando cum metallis perfectis, ac postmodùm per retortam, à corpore admisto separando. Optimè purgatus censetur mercurius ille redivivus, qui ex sublimato, præcipitato, & cinnabare elicitur, ut diximus.

Præcipitatum verò argentum vivum, quod suprà corrosivum venenum esse descripsimus, hoc modo in *Turpetum minerale* parabitis, nàm habebitis mirabile medicamentum:

℞. *Merc. præcipitati* ℥. ij.
ol. sulph. per campanam extracti ℥. iv.

Ponantur ambo in retortâ vitreâ super calidos cineres per dies duos, tunc destilla, quod humidum est à reliquo in retortâ mercurio ter cohoba, ac ultimâ vice ignem vehementem urge: remanebit tunc in retortâ turpetum minerale, quod in pulverem redactum ter, vel quater aquâ communi calidâ lavabis pulverem, ab omni humiditate exsiccâ, vini spiritum destillatum affunde, quem accende in totalem conflagrationem, id ter repete, & habebis indè pulverem dulcem. Hujus ℞. *gr. v. usque ad viij. pro perso-*

Unable to display this page

acquiret, quippè licet horrenda accidentia huic remedio ritè administrato supervenerint, si infirmus erit obediens, ac patiens, & medicus accuratus, infallibilis, & absque salutis periculo intentus habetur à remedij in sanando efficaciâ, & omnes in admirationem trahet.

Operæpretium nunc erit de his horrendis symptomatibus notitiam tradere, & causam docere, & cur talia eveniant, & præclariori intelligentiâ, quę in theoricis tradidimus, in memoriam vestram reducemus, scilicet quandò contagij venerei producta in corporibus affectis sunt de naturâ salis exaltati, & corrosivi, indolemque habent aquæ fortis, & aliorum liquorum per ignem exaltatorum, hæc producta utcumque in corpore suam exerceant lædendi efficaciam, & in quo mercurij fumus accedat, non secus ac aqua fortis si mercurio supponatur, illa apprehendit, & unum simul fiunt, hoc modo mercurius per corpus apprehendit morbi Venerei producta à partibus, quas prius torquebant, separat. Verùm quia natura intra soliditatem suarum partium, quod extraneum est, tolerare non potest, materiæ mercurio admistæ expulsionem sollicitat, perque eas illam dirigit vias, quæ sunt ad opus perficiendum congruentiores; hinc est, non uno, & invariabili modo ab assumpto mercurij fumo fit materiæ expurgatio, nàm aliquandò per os, aliquandò per sudores, aliquandò per urinas, & aliquandó per intestina à naturâ expellitur id, quod mercurio victum, & calcinatum est.

Cæteris paribus insolentissimum est hoc remedij genus, quoties per os, & fauces, cùm calcinatam materiam expurgat; nàm lingua, fauces, gingivæ, palatum, labia, & interna genarum pars priùs vehementer intumescunt, ità ut multoties linguam os non capiat, neque bibere, neque comedere possint infirmi, deindè exulcerantur, & sanioſam, putidamque eructant salivam in maximâ copiâ, summo cum dolore, acri mordacitate, quæ omnia sunt infirmo prædicenda. Medicus intereà in tantà symptomatum vehementiâ trepidare, aut timere non debet, sed forti debet esse animo, & tunc plusquàm maximè certam jàm infirmi salutem pronunciare, nàm si, ut convenit, negotium gubernat, intra decem dies expurgatâ materiâ, cessabit ea symptomatum procella, & infirmus ab omni morbo se liberatum agnoscet.

Aliquandò in fauces non ascendit materia expurganda, sed in mesenterium fluit, & primò diarrhoeam, deindè dysenteriam excitare solet cum levibus torminibus, quæ omnia neque infirmum, neque medicum terrere debent; nàm nullo adhibito remedio, intra tres dies sponte cessabunt cum integrâ infirmi salute.

Multoties per urinam materia expurgabitur, & tunc nullum affert horribile symptomata, nisi urinæ exorbitantem quantitatem crassæ, & albæ, qui etiam aliquot post dies sponte cessabit cum infirmi salute.

Tandèm materia percutis poros sibi aditum aperire solet, ac tàm per sudorem, quàm per insensiles halitus foras erumpere, & hic modus

cæ-

cæteris tutior, ac jucundior est, nullumque incutit metum.

His animadversis, quæ adhibito mercurij fumo evenire solent, subjungendum est, quid medico sit agendum, ut cautè procedat, & à notatis supervenientibus symptomatibus infirmi salutem expectet, & non ejus mortem. Primò ergò simplicis aquæ potus tanquàm venenum est infirmo interdicendus, nimium enim frigefacto, vel humectato corpore, sistitur materiæ exitus: potet ergò æger vinum generosum, & in debitâ quantitate. Secundò, ambiens aër, in quo æger degit, ne frigidus sit, medicus curare debet, imò positivè calidum esse oportet, ut poros servet laxos. Tertiò, à cibis crudis est ægro omnino cavendum, & proderit, ut nonnullus sit cibus, qui per quam optimè nuttiat. Quartò, sanguinis evacuationes, purgantia, & quæcumque naturam valdè debilitant, vel spiritus resolvunt, sunt fugienda. Tandèm veneris usus est omninò, tanquàm exitiale venenum, fugiendus, quia spiritus dissipat, & vires enervat; ægri nàmque curationis tempore maximoperè veneris œstro exagitantur, quia antidota, quæ luem curant, sympathiam, seu consensum cum partibus naturalibus habent, illasque impetunt, titillant, vellicant, & inexplebilis oritur luxuria.

His omnibus exactè perpensis, quæ accuratam remedij praxim includunt, ad cinnabrij describendum adhibitionis formulas devenimus, & primi advertendum est, quòd cinnabrium emi non debet in pulverem jàm redactum, nàm seplasiarij lucri cupidine illi minium admiscent, quod in fumum non resoluitur; & sic curationis eventu medicus defraudatur. Emite illud itàque integrum striosis frustulis constans, ac vosmetipsi deindè in pulverem redigite, vel propria manu parate.

Prima ergò formula administrandi mercurij fumum, inscijs quondàm medicis, fuit pilulas quasdam ex diversis materialibus componere, non enim illis cognita erat radicalis remedij energia, & prout Agyrtæ imponebant ijs, ità varia, & diversa simul miscebant materialia, potiùs ad ægrorum perniciem, quàm salutem: hujusmodi mistio hic Neapoli in Incurabilium Nosocomio pro magno arcano hactenus habita fuit:

℞. *Litharg yrij* ℥. v.
antimonij,
cinnabaris ana ℥. j.
rhapontici ℥. vj
polyp querc. ℥. iij.
calami aromatici,
cinnamomi,
macis,
nucis mosch.
aluminis,
virid. æris,
aloës ana ℥. iij.
minij,
sandarach. græcorum ana ℥. j.

fiat omnium pulvis, & terebinthinâ excipiantur, ut fabricentur pilulæ carbonibus imponendæ.

Mira sanè authoris hujus recepti simplicitas, qui sibi suasit lithargyrium, & antimonium igni imposita fumum eructare posse, cùm fixissima sint, & à placido igne non patiantur; simplicior fuit author, qui

qui credidit reliquorum simplicium vegetabilium fumum posse corpus penetrare: tota itaque efficacia juvandi est in solâ cinnabare, quæ tot inutilibus commista rebus, ferè inutilis ipsa quoque efficitur.

Altera fuit *Fallopij* formula, quæ tantùm à scopo non aberrat, licèt à suâ simplicitate recedat, illa talis est:

℞. *Cinnabaris* ʒ. iij.
sandarach. gracor. ʒ. j. ß.
myrrhæ,
thuris,
ligni aloës.
ammoniaci ana ʒ. j.

Tundantur hæc crasso modo, & cum terebinthinâ formentur pilulæ, quæ imponantur super carbones. Hoc receptum, cùm cinnabarim pro basi habeat, non adeò improbamus; verùm quia cætera adjuncta sunt inutilia, & pretiosa, ut lignum aloës, & cinnabaris correctione non indiget, nàm præter suum fumum nil aliud in corpus penetrat relictis tot additamentis, vos simplici cinnabare uti potestis, addito tantummodò thure, ut odoris ingratitudinem tollatis, & cinnabari larvam addatis, ne à vulgo remedium floccipendatur:

℞. *Cinnabaris pulverisatæ, & thuris pulv. ana* ʒ. j.

Hæc ambo optimè misce & misturâ deindè divide in x. chartulas, si ager sit perquam maximè debilis; in viij. si mediocres sint vires; in vj. si validus sit ager, quas sequenti modo administrabis.

Infirmum priùs vel syr. de spinâ ponticâ, vel pilulis de tribus cum mannâ mercurij à crassis Humoribus libera, deindè in cubiculo, in quod ventus non intret, vel quod facilè incalescat, illum pone cum suo lectulo, circa quod sit dolium ex tenui ligno, uti est Neapolitanum, utroque fundo carens, vel alio modo, dolio simile constructum, hypocaustum adapta, intra hoc sit constituta sedicula cum fundo aperto, in qua æger commodè sedere possit, tigillum deindè prunis imple, & intra dolium pone, panno laneo superposito, ac in dolio tigillum permanere permitte, ut illud perquam maximè incalescat. Tunc æger nudus dolium intret, in sediculâ sedeat, & à tigillo carbones eximè, remaneantque in eo tantùm tres, vel quatuor, infirmo da chartulam cum cinnabare, illique præcipe, ut cùm sudare incipiat, chartulam prunis imponat, nàm fumus ab eâ ascendet, totum dolium replens, & ægri corpus circumdans, in eo maneat per horæ quadrantem, post quam linteo se involvat, & in lectulo optimè cooperto se componat per unius horæ spatium, nàm affluenter sudabit, tunc sudorem abstergat, & cibum sumat, à cubiculo per viginti dies non exeat. Tempus fumigandi opportunius erit ante cœnam, quàm ante prandium, vespertinis enim horis producta à luce venereâ sunt in motu, & remedio libentius obedient. Tertio quoque die si æger imbecillis sit, à fumo se abstinere potest. Uncia una cinnabaris est ad cujuslibet infirmi curationem sufficiens, si vero fuerit cinnabaris antimonij ʒ. ß. sufficiet, & tandèm cinnabaris naturalis ʒ. ij. ß. sufficient.

Præterea cùm mercurij inunctio adhuc frequens sit in usu, præcipuè apud Hispanos, & eadem requirit animadversiones, qua supra de mercurij adhibendo fumo tradidimus, operæ pretium erit injunctionum mercurij formulas tradere, in quibus notate, quod nulla alia est differentia inter inunctionem, & fumum, nisi quod mercurius in fumo corpus intrat sub formâ fumi: in inunctione verò mercurius corpus intrat sub formâ ejusdem mercurii, undè unus, idemque est utriusque modi finis, & scopus; tutiùs tamen erit mercurium in formâ fumi, quàm inunctionis exhibere, ex eo quia inunctio nimio impetu, & quantitate in corpus intret, symptomatumque vehementiam quàm maximè acceleret; fumus verò quia in medici arbitrio est, illum in majori, vel minori quantitate administrare, & ab ejus continuatione cessare, si eum nimium urgeat, tutiori eventu exhiberi potest. Verum tamen est, quòd obstinatis gummatibus, nodis, prout etiam pertinacibus doloribus fumo non cedentibus, efficax inunctio proficere non parùm solet. Undè præparato ægro, prout de fumo adhibendo diximus, omnia observanda sunt, præter quòd antequàm dolium æger ingrediatur, inungi debet, deindè dolium calefactum ingredi per horæ quadrantem, ut inunctio penetret. Tam variæ sunt inunctionum formulæ ex conglomeratis inutilibus ingredientibus, vel rebus pretiosis pro divitibus, & magnatibus, ut tædiosum foret opus eas transcribere. Neapoli sequens est in usu.

℞. *Mercurij*,
adip. porc. recent. & non salat
ana ℥. viij.
ol. laurini ℥. j.
ol. signi guajaci destill. ℥. j. ß.
styracis ℥. j.
quæ dissolvi debet in
tereinth ℥. j. ß.
& f. ung. s. a.

Joannes Zyvelferus in animadversionibus in Pharmacopœiam Augustanam sequens receptum describit:

℞. *Mercurij vivi mundati*
axung. porc. veteris ana lib. ij.
litharg. yr. argentei,
ceruss. ana ℥. ij.
myrrh. elect.
thuris masculi,
bdellij,
ammoniaci ana ℥. j.
theriacæ Andromachi,
Mithridatij Democratis ana ℥. j. ß.
ung. Agrippæ,
martiati ana ℥. ij.
de althæâ ℥. ij. ß.
ol. laurini ℥. iv.
axung. viperinæ veræ ℥. ij:
resinæ pini ℥. ij. ß.

Dissolvantur gummi in spiritu vini, & cum reliquis juncta, lege artis in unguentum redigantur.

Verùm tot adjunctorum congeries propter lentorem, crassitiem, & unctuositatem, vel propter plumbi calces, nempè lithargyrij, & cerussæ commistionem, mercurij efficaciam infringit, poros occludit, cutem obstruit, & intimarum partium penetrationem retardat, nec malignitatem obtundit, quia stultè mercurius vinctus, nec debita quantitas admissa fuit, nec integris viribus, sed hebes, & torpidus membris hæret, undè graviora

viora ſymptomata non excitat, & hæc eſt ratio, cur ægri, qui iſtis inunctionibus mercurialibus quaſi perfectè curati viſi ſunt, brevi poſt recidivam paſſi fuerint. Mercuriales inunctiones quò ſimpliciores ſunt, eò majorem ſucceſſum, & celeriorem ſortiuntur effectum: ſecùs verò in tantâ rerũ ferè innumerarũ ferragine evenit ubi plura intermiſta ſunt, quæ magis obeſſe, quàm prodeſſe poſſunt. Noſtra inunctionum formula talis eſt:

℞. *Argenti vivi ſucc. limon. extincti* ℥. *ij.*
axung. porc. vin. generoſo lotæ ℥. *iv*
ung. nuc. moſch. ℥. *j.*
m. omnia ſimul. f. ung.

Cum quo tantùm plantas pedum, & manuum volas inungere ſufficit, nàm mercurius per univerſum corpus penetrabit, non ſecùs ac fumus. Si aliqua in corporis parte pertinax perſeveret, vel gumma, vel nodus, vel dolor, hoc unguento mercuriali læſo tantùm loco adhibito, integra obtinebitur curatio. Inunctio in robuſto ſemel in die, in debili verò ægro alternatim celebrari debet: Unguenti mercurialis pro valido uncia una, pro debili uncia dimidia ſufficiet. Partes dolentes fortiter cum panno fricentur per dimidiam horam, deindè inunganter, & poſtmodùm dolium intret, poſt cujus egreſſum involvatur linteo optimè calefacto, & in lecto calido ſtragulis tectus per horæ ſpatium ſudorem expectet, abſterſo ſudore, æger in altero lecto placidè calido ſe componat. Quamdiù continuari debent inunctiones, non facile eſt ſtatuere propter individuorum varietatem, attamen continuari poſſunt, quouſque gingivæ tumeſcant, quod ptialiſmi eſt principium, vel quandò ſolvitur corpus, vel in ore ulcera fuerint curata, & quod melius quandò dolores, & gummata evanuerint.

Et habetis jam omnium medicamentorum mercurialium, quæ tàm intrò, quàm extra in lue Venereâ adhiberi poſſunt, exactam præparationem, & genuinum adminiſtrandi modum cum omnibus accidentibus, quæ illis in adminiſtratione ſupervenire poſſunt; hæ verò præparationes licet multæ ſint occultæ, & rariſſimis medicis cognitæ, laudem tamen non merent apud veros ſpagyricos, nàm non ſolùm ab his ut proficuæ non recipiuntur, ſed ut quoque modo noxiæ exploduntur, quippè apud illos ſublimiores inveniuntur præparationes, quibus argentum vivum omninò figitur, curatque radicitus quamlibet morbi Venerei ſpeciem ore aſſumptum trium granorum pondere, nulla concitante ſenſibili evacuatione, hujuſmodi eſt Mercurius diaphoreticus Paracelſi, & Helmontij, cujus præparationem tradidimus in noſtrâ *Pyrotechnîâ ſophicâ, lib. 4. cap. 3. art. 4.*

CAP. XX.

De Gummatibus.

MAla ſymptomata ſunt dolores Venerei, ſed peſſima gummata, & omnem antecellunt noctis torturam, nec ipſi equuleo aſſimilanda, ſunt ipſo doloroſiora dolore; cum doloribus, vel poſt dolores accidere ſolent. Appellantur gummata, quia materiam continent craſſam liquato gummi non abſimilem.

Signa.

Tumores sunt circa articulos, & internodia, qui sæpiùs oriri solent in fronte, capite, tibijs exteriore parte, & cæteris locis excarnibus. Cognoscuntur ex aliquo luis etiam diutissimè prægresso symptomate, & noctù tantùm cruciant. Interdùm sunt majores, interdùm minores, & nunc minùs duri, sæpius steatomatum, & atheromatum naturam habent, rarò meliceridum, attamen folliculo carent. Quandóque tophacei sunt majori ex parte lapidosi, & porum osseum tangentibus præbent.

Causæ.

Vulgàres pro gummatum causâ pituitam, & melancholiam tenacem, in pravam & vitiosam materiam redactam assignant, quam natura concoquere non potest ratione viscerum malè affectorum, & præcipuè hepatis, illamque ad partes demandat imbecilles, in quibus gummata, & tophos progignit. Verùm hæc vulgarium causa nimis est trivialis, sicut tota eorum doctrina; nec materiam, nec modum, quo gummata fiunt, explicat, ideóque suspicionem existimamus.

Diximus dolores fieri per fermentum Venereum ab ultimo partium nutrimento ad sanguinem transmissum; sanguis enim nutrimento salsior est. Si istud sal à venulis, & arteriolis capillaribus ad periostia se colligat Venereo fermento imprægnatum, exaltatur, & corrosivum evadit, primò atrocissimos parit dolores; Si inter ossa, & periostia se diffundat, immobiliterque perseveret, dolores fixos, deindè dolorosissima excitat gummata, tandèm nodos, & tophos.

Prognosis.

Gummata quandóque sunt simplices tumores, at si per aliquod temporis spatium cruciârint, sub periostio ossa exedunt, corrumpunt, & mortificant.

Curatio.

Ad gummata discutienda vulgares primò corpus de communi morborũ omnium purgant catharticis, & deindè ad salsæ parillæ decocta deveniunt, tanquàm hepatis alterativa, quia efficacissimam censent salsam plusquàm lignum, ac ejus corticem. Verùm nos observavimus salsam nunquàm eliminasse, non tantum gummata, sed nec etiam dolores; tùm ratione modi, quo decocta conficiunt: tùm quia imbecillia sunt pro tàm sævo extirpando symptomate, quod majora, & efficaciora requirit medicamina.

Ad hunc etiam finem gummatibus *emplastrum de Ranis cum duplici, vel triplici mercurio* imponere solent, vel linimentum mercuriale. Verùm licèt quandòque hoc emplastrum, vel linimentum gummata colliquet, majores tamen emergunt procellæ, (nisi totaliter lues extirpetur) nàm liquatâ gummatum materiâ, & per totum diffusâ, fit lues universalis. Id in tenuioris fortunæ fœminâ observare nobis evenit, hæc gummata in capitis vertice cum truci patiebatur dolore, nocteſque ejulando peragebat insomnes, undè doloris impatiens facta nos consulit, sed quia pauperie premebatur, quæ est immedicabile malum, vix emplastro de Ranis cum duplicato mercurio à nobis descripto potiri potuit, cujus impositio intra octo dies dolorem, & gumma discussit, sed brevi spa-

rio

tio gummatis materia in corporis habitum à capite defluxit, & universam cutem confertum variolarum Venerearum agmen conspurcare cœpit, quarum numerum comprehendere impossibile erat, undè miserabiliter suis cessit fatis. *Sennertus*, ut experimento probatum refert infrascriptum emplastrum, ut.

℞. *Empl. diachyl. cum gummat.* ℥. j.
simpl. ʒ. ß.
merc. salivâ extincti ʒ. j.
ol. guajacini q. suff. f. empl.

Verùm hoc emplastrum non multùm differt ab emplastro de Ranis, ideóque ijsdem angit procellis.

Inungunt gummata *oleo ligni guajaci*, sed incassùm, nunquàm enim hoc oleum gummata resolvisse, vel vidimus saltem sedasse dolores, nec decantatis chymicorum encomijs satisfeciisse, imò promisso ludit inani, undè à remediorum suppellectili meritò recessit. Nonnulli *vini spiritu* gummata resolvere tentant, sed frustrà, cùm vini spiritus sit debile medicamen ad gummata resolvenda, & siquam moliretur resolutionem, malum pejoraret, nàm subtili parte resolutâ, nodi, & tophi resolubiles persisterent.

Si gummata resolutione fuerint incapacia, licet suppurationi reluctentur, ea suppurare satagunt varijs oleis, *amygdal. lilior. chamomill.* diversisque *adipibus etiam rancidis, gallinæ, porci &c.* Vel utuntur Galeni emplastro, ut

℞. *Pernam porcinam salitam,*
sed rancidam, bull. & f. jus,
in quo caseum vetustissimum
coque ad emplastri consistentiam,

& supra gummata, nodos, & tophos applicant. Aliqui *emplastro de mucilaginibus, & filij zacch.* utuntur. Colligant vulgares gummata inter tumores frigidos, scilicet inter atheroma, steatoma, & meliceridem, crassam, tenacemque materiam coctioni reluctantem cum folliculo habentes, & mitamur, quòd ea vanidis oleis, pinguedinibus, & mucilaginibus suppurare tentant. Certè gummata illud juvamen consequentur, quod ex unguento hernia.

Solent gummata quandóque ex diutinâ suppurantium applicatione mollitiem sub cute contrahere, at decepti vulgares chirurgi ea ferro aperiunt; si subjectum os deprehendunt adesum, abradunt, vel adurunt, aliàs digerunt, mundificant, carne replent, & demùm consolidant. Verùm ferri apertio dolorosa, horribilis, & periculi plena est, præcipuè si fiat in articulis, nervis, & tendinibus.

In nodis, & tophis fortiora usurpant emollientia, ut *radices bryoniæ, cucumeris agrestis cum radice althææ in aquâ ardenti &c.* Item *gummi ammoniacum in aceto solutum &c.* Vel imponunt *laminam plumbeam mercurio illitam.*

Gummatum curatio ità perficitur: Applicetur supra partem affectam emplastrum de Ranis cum triplici mercurio, quod post 24. horas removeatur, & post quatuor dies sumat patiens *Turpetum minerale dulce* ter, vel quater eo modo, quo de doloribus diximus. Vel corpus optimè *extracto catholico cum mannâ mercurij* purgetur, deindè ad suffumigiorum, vel inunctionum usum deveniendum est, illis adhibitis cautelis, quas suprà recensuimus; verùm quia in horum exhibitione horribilia emergunt symptomata, & ægri in magno vitæ discrimine versari

videntur, meritò ea repudiamus, cùm tutiora habeamus remedia : Eapropter nullum majus, & certius medicamen pro absolutâ gummatum sanatione, quàm nostra *Aqua Anti-Venerea* reperitur, quæ citò, tutò, & jucundè his extremam imponit manum, si eam juxta nostrum parandi, & exhibendi modum quisque præbeat, & brevi tempore absque topicis evanescunt cum totali luis exterminio. Quòd si quandóque resolutioni reluctentur, topica mercurij inunctio adhiberi potest.

Interdùm gummatum suppurationem molimur, tunc citissimè nostro *emplastro Benedicto*, quo nullum extat majus, suppuramus, & aperimus, deindè nostro *Vnguento Magistrali* ad cicatricem usque utimur, antequàm aquam Anti-veneream propinemus, vel *mercurium diaphoreticum* alibi à nobis descriptum præbeamus, quo luem funditùs extirpamus.

Si nodosa, vel tophacea sint gummata ab acido coagulante, tunc causticio mercuriali, cap. de Bubone descripto, aperimus, & post materiæ eductionem, ut suprà progredimur.

Cap. XXI.

De Ossium Corrosione.

In nullo symptomatum genere Venerea lues tàm suam digito demonstrat naturam, quàm in ossium corrosione, & quasi depositâ veste usque ad ossa, ante omnium oculos se contemplandam præbet, bardosque reprehendit vulgares se non occultè, sed manifestè agere; est enim ejus venenum corrosivum de salis exaltati naturâ, id clarè paret in cutiebus, ulceribus, doloribus &c. qui non nisi à merâ producuntur corrosione. Si hoc sal ulteriùs quàmmaximè exaltetur, ac supremos exaltationis gradus, & activitatis nanciscatur, in potentissimum corrosivum transit venenum, quod cane pejus ossa corrodit.

Signa.

Si gummata exquisitis adhibitis remedijs non resolvantur, certissimum signum est ossa, quæ ipsis subjacent, esse corrosa. Qui diuturno capitis dolore ex Venereâ lue affligitur, & nullis præsidijs curari potest, illæsâ capitis, cute, subjectum cranium habet adesum. Si gummata adaperta fuerint, & ægrè ad cicatricem perducuntur, qua inductâ, paulopost cicatrice ruptâ, iterum aperiuntur, de osse carioso nullus remanet ambigendi locus, quia sanies ex carioso osse emanans cicatricem corrodit, & ulcus patefacit. Hinc certissimè conjicere licet: Siquod ulcus sæpiùs renovetur, semper de osse adeso suspicionem præbet. Sæpiùs palati ossa, & narium cariantur, si horum ulcera in longum protrahantur tempus, putrefactivâ exesione primùm ossa, quia densitate suâ magis resistunt, exedunt, & corrumpunt, post modùm carnem, quia rara, & foraminata est. Cognoscitur hoc, quia sanies ex ulcere emanans copiosior est, quàm pro ulceris magnitudine, estque tenuis, fœtida, & livi-

da;

da; caro ulceri superposita mollis, & flaccida redditur à sanie. Si ossium caries se subtrahant oculis, specillo immisso in ulcus usque ad os explorantur, nàm si os inæquale, asperum, & molle deprehendatur, cariosum esse sine controversiâ est. Si specillum minùs intrat, corrosio superficialis est, si verò altiùs descendit, profunda.

Causa.

Credunt vulgares ossa cariem contrahere, & corrumpi ab occultâ luis proprietate; cæterum est occulta in causâ, & manifesta in effectu, & integrâ remanente causâ effectui medentur, vel illa præbent medicamenta, quæ ab occultâ proprietate curant: sed si est causa, eam non cognoscunt, nisi ab effectu, & sic perpetuò occultum per occultius, & ignotum per ignotius assignant. Fiunt ossium corrosiones, cùm ulcera, intolerabilis capitis dolor, & gummata non tempestivè curantur, sed ossa, quæ ipsis subjacent, exaltati ad supremum activitatis gradum salis paulatim contagium suscipiunt, quod per eorum substantiam disseminatur, undè ossium corrosiones, putrefactiones, & mortificationes succedunt.

Prognosis.

Truculenta in luc Venereâ est ossium corrosio, sed adhuc truculentior, cùm corroduntur in illis locis, ubi chirurgicæ operationes non facilè instituì possunt, ut in articulis, magnorum ossium capitibus, circa musculorum capita, nervos, & tendines, imò truculentissima est eorum putrefactio, & corruptio. Ossium corrosio ulceris sanationem impedit, nec ulcus perfectè sanari potest, cui corrosum subiacet os. In ossium corrosione caro livida malum portendit; significat enim maximam eorum corruptionem. Si palati os adesum fuerit, sermo vitiatur, nàm aër, qui in palato, tanquàm in loco camerato, elidi deberet, simul per foramen ad nares penetrat, & per eas erumpit. Omnia liquidiora, quæ per os assumuntur, ex naribus prosiliunt. Malum ad nares serpit, & facilè cerebro communicatur. Erosis nasi ossibus, exeduntur narium pinnæ, & cartilago, ac ad palatum, cerebrum usque serpit. Si capitis os corrosum fuerit, facillimè lues cerebro communicatur.

Curatio.

Ossium caries curant vulgares carnem absumendo usque ad os subjectum *alumine, usto, pulvere sabinæ, calchanto adusto, vel aquâ aluminosâ*, vel carnem ferro abscindunt, vel ferro ignito, vel causticò uruntur medicamento. Si foramen aliquod in carne adesit, ut plerùmque fieri solet, illam *turundâ ex gentianæ radice, vel ex spongiâ concinnatâ* aperiunt, os cariosum detectum abradunt, *vel euphorbij, & peucedani pulveribus* ad lævitatem reducunt, & tandèm sarcoticis ulcus curant. Si os fuerit corruptum, naturam expectant, ut illud auferat, & separet, sed natu-

natura tardè, & vix 40. vel 60. & quandóque 80. dierum ſpatio oſſa corrupta ſeparat, & interim vitium in morâ pars ſana contrahit; Si totum opus naturæ imperio committant, præterquamquod Venerea lues eſt extra naturæ juriſdictionem, conclamatum eſt de vitâ ægri. Eapropter ad oſſis exciſionem deveniunt, idque ſcalpro exciſorio cum malleolo aſſequuntur, eodem fetè modo, quo ſtatuarij ſtatuas efformant, quouſque lividum, & denigratum ablatum fuerit poſtmodùm *myrrhæ, & radicis ariſtolochiæ pulveribus* os exciſum aſpergunt. Si os totum corruptum fuerit, auferunt illud, & primò alimento privant ſiccis medicamentis, uti ſunt *folia hyoſcyami, radix peucedani, utriuſque ariſtolochiæ, iris, opoponax, ſquamâ æris, arugo &c.* vel ferro ignito; deindè os nutrimento deſtitutum facilè auferunt, imò cadit, non aliter ac folia autumno, cùm humido radicali privantur.

Si capitis os tectum fuerit, & carioſum, vel corruptum, cutem ſecant, detectum os abradunt, ſeparando à ſano corruptum; verùm ſi corruptio profundiùs ſe inſinuavit, totum auferunt terebrâ, vel meliùs trepano, circumliniunt oleo roſaceo cutem ad inflammationem arcendam, & ſtuppam cum ovi albumine conquaſſato per 24. horas ſuper imponunt, deindè *aquâ aluminoſâ cum aquâ roſaceâ temperatâ* os foraminatum madefaciunt, *emplaſtrum de Betonicâ, vel de Gummi Elemi* applicant. Quandóque affectam partem abluunt adſtringente *decocto ex roſis, betonicâ, ligno guajaco, parato in vino auſtero*, adduntque *aluminis* parum, & tandèm *unguento de plumbo* cicatrizant.

Si palati, vel naſi os corruptum fuerit, bis in die *aqua aluminoſa magiſtrali* goſſypio excepta affectam madefaciunt partem. Quandóque ad ſaniei eductionem palatum *melle roſaceo* inungunt, tum *aquâ aluminoſâ cum aquâ roſaceâ, vel plantaginis* detergunt, & interim *decocto ſcabioſæ, plantaginis, agrimoniæ, roſarum*, ut os abluat æger, imperant, vel *decocto ligni guajaci, & ſaſſa parato in aquâ plantaginis.* Interea per totum curationis tempus decocta frequentant.

Iuxta varias oſſis corroſi indicationes vario modo ejus curationem inſtituimus, undè corpore depleto, ſi os ſub oculos non cadat, quia carne operitur, ulcus inducatur, & ſpecilli intruſione exploretur, quòd ſi aſperum, & minùs penetrans deprehendatur, ſuperficialis erit corroſio; tunc tota caro abſumenda eſt *præcipitato dulci, noſtrâ aquâ ſalis armoniaci, ejuſvè ſpiritu, vel ſpiritu mercurij albo*, donec corroſio ſecundum totam ſuam latitudinem, longitudinem in conſpectum veniat, & fiat oſſis abraſio lima ad lævorem, vel madefiat *balſamo caryophyllorum, in quo facta fuerit peucedani, euphorbij, & radicis ariſtolochiæ rotundæ infuſio, vel bryonia trita* imponatur. Verùm ſi aliquantulum profundiùs corroſum fuerit, totum corroſum ad ſanum uſque auferatur, lævitate ſuperinductâ, deindè ſarcoticis, & præcipuè *unguento*

guento nostro magistrali, periostio inducto, ad cicatricem perducatur.

Si caro appareat flaccida, spongiosa, pallida, aut livida, ossis corruptio profundior erit, tunc totum corruptum auferatur; neque enim quod mortuum est corrigi, emendari, & in naturæ gratiam redire potest, cùm à privatione ad habitum non detur regressus, & hoc præter naturam est, & à naturâ gratiam non amplius recipere valet. Nec ossibus sphacelus accidit, sed tantùm corrosio, & putrefactio, cùm sphacelus solummodò in partibus carnosis mollibus accidat. Nullâ interpositâ morâ, citam ablationem procurare debemus, præsertim in thoracis ossibus.

Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Nec naturam pro ossis separatione præstolari possumus, quia actu affert perniciem, & nisi ablatio fiat, irreparabilis sequetur mors. Eapropter ista procrastinatio periculosissima erit, nec unquàm in Lue naturam crisim moliri observavimus. Caro itáque superjacens absumatur medicamentis suprà propositis, vel causticò, vel cauterio potentiali, vel dissecetur, quousque os corruptum denudetur, & ne nervi, tendines, musculorum capita, aut arteriæ, & venæ majores lædantur, secundum partis longitudinem, fibrarumque ductum, neutiquàm transversim, instituatur; verùm non semper ità commodè operatio celebrari potest, quin aliqua harum partium læsio non oboriatur.

Medicamenta, quæ os corruptum à sano separant, exsiccantia esse debent, ut excrementitias superfluitates in corrupto absumant, & ipsum sanum conservent, hujusmodi sunt *oleum sulphuris p. d.* hoc modo paratum:

℞. *Sulph. citrini lib. j.*
ponatur ad ignem lentum, ut liquescat, cui adde
tartari usti pulverisati lib. ß.
misce diligenter, donec frigida evadant. Postèà pulverisentur, & super lapide in loco humido ponantur, donec in oleum p. d. transeant. Hoc oleo ossa corrosa, & corrupta inungantur. Multùm ad sequestranda ossa valet *Acetum radicatum.* Itèm hæc *tinctura Euphorbii*:

℞. *Peucedani,*
euphorbii,
radic. utriusque aristoloch.
iridis,
bryoniæ ana ℥ ß.
myrrhæ,
aloes ana ℥ ij.
spiritûs vini q. s. &
extrahatur tinctura.

Si tanta sit ossis corruptio, ut his, vel aliis medicamentis tolli non possit, ubi os non ità altè corruptum est, scalpro, ubi profundiùs, terebrâ opus est, quæ operatio tunc absoluta est, cùm scobs nigra desiit. Si totum vitiatum est, totum eximendum.

Si capitis os carioſum fuerit, secetur cutis, in qua operatione si magna sanguinis profusio succedat, *nostrâ Aquâ Arteriali, in Pyrotechniâ, vel Tomo 1. De Tumoribus cap. 15. De Aneurismate descriptâ*, sistatur. Deindè os abradatur, vel *tinctura Euphorbii,*

phorbij, vel oleo sulphuris, vitrioli, sive spiritu salis armoniaci alternis diebus cum filamentis madefiat os, donec ad liquorem reducatur, interim vulneris margines, partes sanæ muniantur, & *fodicationum emplastrum* superponatur, ac *unguento nostro Magistrali* cicatrice obducatur. Si corruptio profundiùs serpat, vel totaliter sit corruptum, trepano auferatur, & *tinctura caryophyllorum* regatur pars cum *fodicationum emplastri* superpositione, & *unguento magistrali* pedetentim ad cicatricem deveniat. Curatio diuturna est; eapropter ad longam, invictamque tolerantiam hortetur æger, & interea *Aquâ nostrâ Anti Venereâ* utatur.

Palati ossi carioso, vel corrupto quàm citissimè est occurrendum imò cùm medicus palati pustulas & ulcera observet, statim ossis corruptioni consulere debet; purgato itáque corpore pilulis pluries suprà repetitis, leviter os tangatur *aquâ viridi, vel nostrâ salis armoniaci, tinctura euphorbij, sive spiritu mercurij albo cum aquâ persicariæ diluto,* penicillo bis in die. Os interim pluries in die gargarismate *ex decocto persicariæ, scabiosæ, & rosarum cum sale armoniaco, & melle rosaceo simplici* colluatur, & corrupta ossicula frustulatim sequestrantur, ac patiens *aquâ nostrâ Anti Venereâ* non defraudetur.

LIBER QVARTVS.

De Tabe ex Venereo fermento productâ.

FErmenti Venerei jùm patefecimus essentiam, quam in fixione liquorum volatilium, resolubiliumvè per viventia corpora sese moventium consistere probavimus. Quippè qui eorum fixiones aliàs volatiles ad ipsa accedentes cognoscunt, & ad eorum naturam vitali calori resistentem se convertunt, facilè ejus quidditatem adipiscuntur. Docuimus præterea affectuum differentias, quibus hujusmodi fermentum inquinatorum corpora torquet, pendere ex ipsorum corporum partibus, in quas fermentum istud diffunditur, & imprimitur: si in liquidis, versantibusque corporis humoribus fiat fermenti diffusio, prima producitur effectuum differentia; si verò solidis spermaticis mollibus imprimatur fermentum, secunda excitatur morborum differentia; tandèm si solidis duris, ossibus scilicèt, fiat fermenti adhæsio, tertia enascitur læsionum differentia. Has differentias exactè tranavimus, signa, quibus ipsæ se pandunt, aperuimus, prognoses, quibus earum eventus in bonum, sive

sive in malum portenditur, adduximus, & medicamenta, quibus efficacissimè curari possunt, tradidimus; verùm quia Tabes Venerea omnibus his tribus notatis differentiis, quibus corpora à contagio Venereo lædi possunt, supervenire potest, ne in eâ curandâ in dubio, perplexoque maneatis judicio, operæpretium vos magnum esse facturos existimavimus, si Venereæ tabis singularem explicationem in hujus tractatûs complementum vobis suggereremus, unde sit.

CAP. I.

De Nominibus, quæ Synonima cum Tabe existimantur.

SCriptores tùm veteres, tùm recentiores, qui litterarum eruditionem professi sunt, in nominùm proprietatibus laborârunt, ut id quod per ea connotare vellent, sine ullâ ambiguitate perciperetur; artium verò profitentium vulgus hujusmodi nominum eruditione jejunum faciliter in confusionem omnia trahit, ea rebus tribuendo nomina, quæ nunquàm talia meruêre; hinc per abusum multa in medicâ facultate sunt in obscuro, perplexaque in rebus percipiendis tyronum ingenia fiunt, ut in hoc affectu, quem tabem connotare existimârunt, ac per marcorem hecticam, marasmum, atrophiam, cachexiam, & phthisim designari solent; undè ab horum nomine unamquamque rem eandem significari credatur, cùm ità non sit apud eruditos; priusquàm igitur rei interpretationem aggrediamur, operæpretium erit dictorum nominum genuinam significationem tradere.

Tabes vox est latina significans viventis corporis extenuationem ex curâ, vel animi mœrore procedentem, translata deindè quoque fuit ad ejus corporis affectiones, quæ in extremam exsiccationem illud adducunt, vel paulatim corrumpunt.

Marcor etiam latinum est nomen idem ferè significans, ac tabes; verùm quodammodò generalibus nomen est marcor, quàm tabes, nàm ea, quæ sine corrumpente causâ sponte in exsiccationem properant, ut extrema senectus, & vegetatione ultima periodus, magis marcorem pati dicimus, quàm tabem, quæ tempestivam corruptionem designat.

Tabi, & marcori Marasmus respondet, cujus tres species ab antiquis proponuntur.

Prima marasmi species est, cùm alimentum ad corporis partes non accedit, & summa oritur macies, & hæc marasmi species à græcis Atrophia dicitur.

Secunda marasmi species, cùm ob molam corporis habitûs dispositionem nutrimentum, quod ad illud fertur, corrumpitur, & hæc marasmi species ab ipsis græcis Cachexia appellatur.

Tertia marasmi species est, cùm ex putrido ulcere præcisè in partibus

intra thoracem contentis contracto nutrimentum contaminatur, & non apponitur, & hanc marasmi speciem phthisim dixêre Græci.

Hectica deindè græca etiam vox est, & sonat habitualis, sive habitûs corporis mala dispositio, quæ unicuique illius particulæ solidæ est uniformiter impressa, ità ut non sit particula ulla solida in corpore, quæ affectu cunctis aliis communi non laboret; hinc apud Galenum passim invenietis calorem hecticum, febrem hecticam, pulsum hecticum, & his similes loquendi modos, qui habitualem totius corporis passionem designant.

Hinc sciendum est, quòd hectica dispositio præcedit in corporibus tabem, sive marcorem latinorum, sive dicas marasmum græcorum, & per consequens tres illas marasmi species, atrophiam scilicèt, cachexiam, & phthisim. Impossibile enim est, ut totum corpus marcescat, & contabescat, quin priùs singulæ, & universæ ipsum corpus componentes particulæ malè afficiantur, & singulæ universæque paulatim in marcorem abeant: undè est, quòd periti Medici conatus exerceri non debet in investigando, quid sit tabes, quid atrophia, quid cachexia, quid denique phthisis, quæ habitualem corporis dispositionem, veluti causam consequuntur: sed omnes ingenij vires intendere debet medicus, ut quantùm fieri possit, clarè, distinctéque cognoscat primum illud, ex quo habitualis dispositio suum nacta fuerit initium, undè fit,

Cap. II.

De Habituali viventium corporum Affectione in genere.

Consentiunt cum antiquis recentiores in eo, quòd una natura vivens animal regit, conservat, & movet; diversa tamen illa nobis apparet ex functionum partium diversitate; oculus enim videt, & non audit, auris audit, & non videt: verùm ista functionum diversitas minimè quidèm à diversis naturis intra animal latentibus pendet, sed ab ipsâ organorum diversitate; quippè oculus ab aure differt, auris à palato, & sic de aliis; at natura cùm sit principium motûs ejus, in quo inest, una semper est, & eadem, motuum verò, sive functionum, actionumque diversitas pendet ab organo mobili, quod pro suæ texturæ, & compositionis proprietate movetur. Igitur cùm una natura in singulis corporis particulis vigeat, sintque in ipso corpore aliqua membra, in quibus ob functionum nobilitatem, & præstantiam, ipsam naturam veluti præsidere cognoscamus, non erit à ratione alienum nobis suadere id, quod à magnis viris sancitum fuit, Naturam scilicèt viventium influam, & insitam esse; influam quidèm in principalibus membris, insitam verò in substantiis totius corporis particularum.

Nunc intelligere erit facile naturam influentem, & naturam insitam, si concipiamus ignem in suo foco

foco accensum ; & multa corpora circa ipsum posita , quæ ab ipsius ignis præsentiâ sint excalefacta , in hoc enim exemplo ignis in suo foco influus dicitur, quippè qui in vicina corpora suum diffundit calorem, iis illum imprimit ; color verò calefactorum corporum insitus dicitur , ex eo quia ab igne in suo foco existente fluit, ipsis corporibus participatus , subsistitque per perseverantem præsentiam ipsiusmet ignis. Constat etiam ex eodem exemplo explantari , & minui calorem insitum in circumstantibus corporibus pro majori , & minori influi ignis robore , & vehementiâ : extingui quoque prorsùs si ignis omninò extinguatur.

Simili sanè modo natura viventium influa , & insita dici potest; influa enim est in illis membris, quorum functionibus reliquis corporis particulis aliquid præparatur, & subministratur. Insita deindè est in cunctis particulis , quæ aliundè vivendi actum mendicant , & ab alieno pendent arbitrio.

Ex his cùm clarum sit , quid intelligi venit pro naturâ influâ , & insitâ ; restat nunc videre , quænàm corporis pars influæ naturæ privilegio gaudeat , & quænàm insitâ fruatur.

Primò , ventriculus influam habet naturam : etenim quòd à cibis separatur nutrimentum , à ventriculo in reliquum corporis diffunditur.

Secundò , eandem naturam continent intestina , tùm pro munere , quod commune cum ventriculo habent , tùm etiam ob excrementorum transmutationem ex superioribus intestinis ad inferiora.

Tertiò , eàdem naturâ potitur lien ob serositates , quas à ventriculo fugit , & in venas transmittit.

Quartò influens natura est in renibus , qui serum ab humano corpore fugunt , & in vesicam deponunt.

Quintò , influa quoque existit in hepate , quod sanguinem colat, volatilem facit , & ad corpus vivificandum idoneum.

Sextò , influam naturam obtinent pulmones , quorum ope aër intra corpus recipitur ad diversos fines necessarius.

Septimò , influam habet naturam cerebrum , cùm sibi continuâ spinali medullâ , ab his enim tùm ros albis , spermaticisque partibus subministratur , dùm voluntarius infunditur motus.

Præter notata membra principalia, quæ influentem naturam continent, reliquæ omnes corporis particulæ eandem naturam insitam habent , & ab illis supradictis influxum aliquem recipiunt necessarium, ut exempli gratiâ à ventriculo nutrimentum , à corde sanguinem, & calorem, à cerebro rorem, & cambium antiquorum.

Sunt ergò isti principaliores influxus tres , primus est nutrimenti,

quod à ventriculo, & inteſtinis toti corpori ſuppeditatur. Secundus eſt ſanguinis, & caloris, qui in corde perficitur, & per univerſum corpus diſtribuitur. Tertius tandem eſt roris, & cambii, quod in ſolidas totius corporis partes diſpergitur à ſubſtantiâ medullari cerebri, & ſpinalis medullæ elaboratur.

Hac doctrinâ naturæ influentis, & inſitæ poſitâ, poſito quoque in ventriculo nutrimenti influxu, & in corde ſanguinis, & caloris, & tandem in cerebro roris, & cambii, ut affectionem habitualem intelligamus, priùs nobis perpendendum eſt, quomodò ſe habeant iſti influxus in homine ſano, qui integrâ valetudine gaudet, nàm facile deindè erit cognoſcere, quomodò iidem ſe habeant in malè affecto, & infirmo corporis habitu.

Ventriculo, corde, & cerebro in eorum naturali conſtitutione manentibus, neceſſariò univerſi corporis habitus apparebit floridus, vegetus, & optimè nutritus, non ex aliâ cauſsâ, niſi ex eâ, quòd à ventriculo particulis illius nutrimentum perfectè elaboratum diſtribuitur, à corde optimus ſanguis, & temperatus calor impertitur, & à ſubſtantiis medullaribus in ſolidas ipſius corporis particulas roridus liquor diffunditur.

Habemus optimum corporis habitum, quoties ſingulæ, & univerſæ corpus componentes particulæ optimum nutrimentum à ventriculo habent, optimum ſanguinem, & temperatum calorem à corde, & optimè paratum rorem à medullaribus ſubſtantiis. Ac cum ſit extra omne dubium eorundem membrorum eſſe functiones læſas, quorum ſunt functiones ſanæ: ergò ſi optimus, vel ſanus corporis habitus à ſanis functionibus ventriculi, cordis, & cerebri producitur; malus, & infirmus ejuſdem corporis habitus à læſis, depravatiſque eorundem membrorum functionibus producitur, quod accuratè fuit à *Galeno* animadverſum *lib. de Marcore* ſequentibus verbis: *Itáque perſpicuum iàm eſt, ſi marcor totius corporis affectus ſit, ipſe niſi etiam animalis principio patiens fieri poſſe: imò verò fieri non poteſt, ut alius in toto animali affectus ſit, aliud verò principium occupârit: ità fit, ut marceſcentibus neceſſe ſit cordis corpus exſiccari, quamobrem ſi omnes cauſſas, à quibus exſiccari cor ſolet, invenerimus, etiam utrum, qui marceſcunt omnes inſanabiles, an cuncti quidam eorum poſſint, intelligamus.*

Præſupponit ergò malus corporis habitus principalium membrorum læſionem vel omnium, vel quamplurium, vel ſaltem eorum unius; ſufficiens enim eſt unius principalis membri læſio, ut reliqua deindè lædantur: quippè principalia membra mutuo gaudent influxu, nec poteſt eorum unum malè ſe habere, quin reliqua, & ipſum univerſum corpus malè ſe non habet; intereſt tamen multùm ſcire medicum, quod membrum primò, & per ſe læſionem contraxit, quod deindè per conſenſum, & per influxum, ſive per accidens; Id enim multùm facit tùm ad prognoſim, tùm ad curationem ſuper-

pervenientis marasmi, ut suprà citato loco fortè innuit *Galenus*, remque clariùs explicat *eodem libro cap.* 7. in sequentibus verbis: *Totum autem febris voco etiam animalis partem, quæ primò suis solidis partibus immodicè calefacta sit, cor igitur primùm calidius, quàm par sit affectum, hecticam febrem affert: Deindè jecur non tamen per se, ut cor, sed quod illud in consensum secum trahit, enimverò ipse affectus cordis rationem caussæ obtinet; sed qui sunt corporum cordi vicinorum, tamen ventriculus, & post hunc quoque alia concalefacere cor possunt: quare si vicinitatem attendas, oportet pulmonem maximè omnium aliorum simul concalefacto corde febrem hecticam, & siccam importare, ex qua marcor consequitur.*

Ut itáque ex allatâ doctrinâ Habitualis Affectionis essentiam intelligatis, & eam definiendo, memoriæ mandetis, dicimus, quod *malus corporis habitus est dispositio singularum universum corpus componentium particularum à naturali statu recedens ob lasionem substantiæ alicujus membri principalis, quod ratione sui muneris aliquid cunctis ipsis totius corporis particulis distribuit.* Explanabimus nunc hujus definitionis partes, ut clariùs habitualis affectionis essentiam percipiatis.

Diximus primò, quod sit dispositio singularum &c. ut sciatis non satis esse aliquam, corporis partem, ut manum, pedem, hisque similem ob topicam aliquam affectionem contabescere ad constituendum affectum habitualem; nàm particularis cujusdam membri corporis tabes, vel facilis curationis erit, vel vitæ extinctionem non affert, quod contrà se habet in affectu habituali totius corporis.

Diximus à naturali statu recedens, ut intelligatis impossibile esse habitualem affectum produci, nisi dispositio singularum corporis particularum à naturali statu recedat; nàm quousque natura insita membrorum malo influxui resistet, eousque bonus habitus perseverabit, ac tunc in malum declinare incipiet, cùm insita partium natura pravo, malóque influxui succumbere inceperit.

Diximus ob læsionem substantiæ alicujus membri principalis, ut indè percipiatis habitualem affectionem produci non posse, nisi principale aliquod membrum non per accidens, sed essentialiter in propriâ substantiâ læsionem contraxerit; quippè si per accidens lædatur, ut in putridis evenit febribus, eousque malus habitus duraverit, quousque humor, sive materia febris putridæ suâ præsentiâ, & motu turbetur, ac temperiem principalium membrorum non tenuerit, redeunte deindè pristina temperie ob coctionem materiæ ejusdem putridæ febris, redibit & simul bonus corporis habitus, ac quoties substantia membri principalis læditur, malus habitus talem læsionem consequitur, nunquàm cessabit, nisi cum restitutione integrâ lædæ illius membri substantiæ, dummodò à morte non præveniatur infirmus.

Diximus tandem, quòd ratione sui muneris aliquod cunctis &c. ut certi indè fiatis læsionem substantiæ illius principalis membri habitua-

bitualem affectum inducere, quòd animal functionem exercet, ob quam aliquod cunctis totius corporis particulis præparatur, ut in bono habitu conservetur; etenim licèt oculi sint viventis animalis principalissimæ partes, ut etiam sunt testes, quia tamen istæ partes functiones non exercent, quarum ope aliquod cunctis corporis particulis præparatur, si oculi extrahantur, si testes abijciantur, vel quomodolibet istæ partes corrumpantur, non proindè habitualis affectio inducetur, quod non sic evenit, si hepar, lien, intestina, ventriculus, cor, pulmo, & cerebrum in earum lædantur substantiis, vel à corporibus extrahantur: nàm omnes corporis particulæ, quæ ab his aliquid recipiunt, vel depravatè recipiunt, à naturali habitu recedere coguntur.

Est tamen hîc advertendum, quod dari potest casus, ut illæ substantiæ, quæ à principalioribus membris cunctis corporis particulis præparantur, absque eo quod læsæ essentialiter sint, ipsorum membrorum principalium functiones à caussâ aliquâ externâ polluantur, deturpentur, contaminentur, reddanturque ad bonum habitum producendum ineptæ, ut in Lue Venereâ infectis accidit, de quibus paulo infra, & in iis, qui ex vulnere, vel ulcere malè curato tabidi fiunt; parùm enim interest, ut id, quod ad particulas corporis accedit, ab hac, vel illâ caussâ deturpetur, cùm ad malum constituendum corporis habitum sufficiat, ut id quod accidit, deturpatum sit, undè pro rei complemento adducta definitio possit in hanc formam redigi: *Affectus habitualis est dispositio singularum universum corpus componentium particularum à naturali statu recedens ob id, quod ad illas accidit sive ab externâ in contaminatum, sive à lasâ substantiâ principalis alicujus membri illud producentis pollutum.*

Tandem vos in admirationem adducere non debet nos febris hecticæ, & caloris hectici additionem in definitione habitualis affectionis præteriisse, cùm ex communi medicorum sententiâ ad constituendam essentiam hecticæ affectionis calor febrilis necessariò requiratur; enimverò in tractatu de febribus docebimus affectionem illam viventium corporum, quam febrem Medici appellitant, in caloris excessu nullo modo consistere, sed in motûs cordis depravatione, quam multoties exorbitans naturalis calor comitatur, multoties verò non. Hanc sanè doctrinam in habituali affectione nunc ulteriùs confirmamus, cùm sæpissimè experti simus tabescentia corpora nullo penitùs exorbitante calore exuri, vel exsiccari, imò tactûs frigoris, vel potiùs teporis sensum replere, illorum verò marcidum habitum replere, illorum marcidum celeritati, frequentiæ, & inæqualitati pulsari conjunctum proximæ mortis dedisse argumentum. Placuit ergò potiùs illâ loquendi formulâ uti, scilicèt dispositio à naturali statu recedens, nàm sive habituali affectione conjunctus sit hecticus calor, sive non, optimè per dispositionem à naturali statu recedentem intelligi utrumque potest, quod nobis suggerere non

præter ii *Galenus libro de Marcore*, ubi de Marasmo ultima senectute, vel fame laborantibus supervenientè loquitur.

Cap. III.

De Habitualis Affectionis Differentiis.

Quantum nostro ingenio assequi potuimus præcedente capite, patefecimus habitualis Affectionis Essentiam, & quomodò primò in corporibus producatur. Nunc, ut pleniùs rem quisque concipiat, differentias, & species habitualis affectionis, quæ paucæ non sunt, docere aggredimur cum earum propriis, & pathognomonicis signis, quod multùm interesse tùm ad præsagiendum habitualis affectionis finem, tùm ad rectam ejus curationem instituendam. Placet ergò uti veteri illâ, & generali græcorum marasmi distinctione, quæ vult marasmum, vel atrophiam, vel cachexiam, vel phthisim dici debere secundum trium modorum diversitates, quibus produci solet, etenim licèt alias species proponemus, ad notatas tamen tres differentias, veluti ad generaliores reduci ipsæ possunt: est quodammodò congrua habitualis affectionis in tres species secundum veteres græcos distinctio; enimverò cùm vel ab eo, quod ad particulas corporis advenit jàm contaminatum, vel ab eo, quod ab ipsis particulis malè affectis contaminatur, vel tandem ab eo, quod contaminatum advenit, & in ipsis ultrò corrumpitur, affectionem habitualem produci necesse sit; primo modo atrophiam dici debere, secundo cachexiam, tertio phthisim congruenter existimatum fuit.

Producitur atrophia vel cum nullus assumitur cibus, vel cùm licèt assumitur, nullam penitùs in ventriculo patitur alterationem. Utroque modo singulæ corporis particulæ alimento prorsùs destitutæ in atrophiam, & mortem properant. Hujusmodi atrophiæ remedium non admittunt, verùm qui cibum non assumit, quia non vult, non quia non potest si deindè voluerit, fame non peribit.

Secundo modo producitur atrophia, cùm læsa ventriculi, vel cordis substantia, adjacentiumque his visceribus principalium membrorum, liquores, qui ab ipsis generantur, & ad cunctas corporis particulas fluunt, ab iis non admittuntur, neque assimilantur ob pravam illam impressionem, quam à læsâ viscerum substantiâ receperunt; tunc enim non solùm inducitur habitualis affectio, ex eo quod particulæ nutrimento privantur, sed universum corpus celerrimè contabescit ob recursum repudiatorum liquorum versus naturales, spiritualesque partes, & hujusmodi atrophia aliquandò curationem admittit, aliquandò verò non, ut infrà patebit; quæ verò atrophia originem ducit à contaminatis corporis liquoribus contagio externæ causæ, curationem utplurimùm admittit, si prudens sit medicus, & remediis utatur oportunis.

Secunda marasmi species dicitur cachexia, produciturque cum conservantibus adhuc ventriculo, corde, adjacentibusque membris eorum temperiem, atque producentibus adhuc toti corpori liquores non pravos; quia tamen natura insita singularum particularum à sanâ dispositione recessit, advenientes illos liquores non solùm in earum habitu non apponit, sed eos corrumpit, universumque corporis habitum mucidum reddit ex languore, qui cachexia dicitur.

Recedit natura insita particularum totius corporis à sanâ dispositione, si humiditas vitalis non quidem advenit, sed substantia earum, quæ à medullâ cerebri regitur, sanas proprietates amittit, quippè tunc functiones naturæ insitæ læduntur, & non solùm id, quod particulis advenit, non assimilat sed etiam corrumpit, affectionemque habitualem cachexiæ producit.

Præsupponit cachexia substantiarū medullariū à naturali statu recedentem temperiem, undè evenit, quod ros, & cambium, quibus fibræ spermaticæ solidæ sustentantur, non ut convenit, elaborantur, & cùm illo rore vita solidarum partium vivat: ergò secundum naturam se non habente singularum solidarum partium œconomiâ, dissolvitur, undè adveniens ad venas hepatis corruptas habitualis affectus, qui cathecticus dicitur impossibilis ferè curationis est, ex eo quia non potest inveniri remedium, quod medullarem substantiam deperditæ temperiei restituat.

Fuêre non pauci, qui differentiam inter atrophiam, & cachexiam in eo esse existimârunt; quòd Atrophia constituatur à totali defectu illarum substantiarum, quas ad bonum producendum habitum particulæ corporis requirunt: Cachexia verò constituitur non quidèm à defectu, sed ab accessu ipsarum substantiarum, quæ, quia contaminatæ sunt, ab ipsis particulis respuuntur, undè cachecticus evenit habitus.

Phthisis verò ferè semper cachexiæ succedit: fit enim cùm contaminati, vitiosique liquores à particulis solidis non admissi, in mesenterium, vel thoracem recurrunt, producuntque in visceribus naturalibus, vel spiritalibus apostemata, abscessus, inflammationes, erysipelata, similesque affectus, quos necessariò exulceratio sequitur, eosque secuta cachexia jàm in phthisim degeneravit, quæ incurabilis ab omnibus existimatur, cùm in ipsâ non solùm requiratur medicamentum, quod à principali aliquo membro vitium contractum abstergat, sed ei naturalem temperiem restituat, quod munus vix naturæ permittitur, & arti omninò negatur.

Assignatas marasmi species propria signa comitantur, quæ eas distingunt.

Atrophiæ signa sunt pallor, macies, labiorum retractio, narium acuminatio, unguium excessus supra carnem, rugæ cutis, ipsius exsiccatio, sitis sine linguæ ficci-

tate

tate, alvi excretio, vigilia, pulsus frequens, & exilis, extremorum refrigeratio, respiratio anxia, & rara sine tussi; his apparentibus signis atrophiâ infirmum laborare indicabis, à totali ciborum defectu, vel à prorsùs facultate ventriculi destitutâ dependente.

Verùm cachexiâ infirmum laborare conjicies, si cutis universæ colorem non simpliciter pallidum, sed fœdum animadvertes, si in eâ non simplicem siccitatem, sed squalorem observabis, furfuribus, aliisque spurcitiis horridum, pediculorumque multitudinem, hujus ungues sunt aduncæ, ut etiam nares, os lividum ostendet, & limosum, non multùm sitit, cibum stomachatur, sæpè diarrhœâ laborat, pulsus habet frequentes, inæquales, exiles cum acuto quodam, sed paulo calore, quovis corporis motu, licèt levi spiritûs anxietatem patitur, tussiculâ cruciatur siccâ. His apparentibus signis cachexiâ laborare infirmum tibi suaseris, à vitiosis humoribus enascente, sive à læsione principali alicujus membri, sive à causâ externâ vitium contraxerit.

Notare hîc convenit, quòd cachexia, quæ neque ab externâ causâ, neque à læsione alicujus visceris, vel regionis naturalis, vel spiritalis originem ducit, necessariò à substantiâ medullari cerebri vitiatâ movetur, cujus signa sunt: Aridus totius corporis habitus, præceps, & inexpectata macies pulsus parùm à naturali statu recedens, artuum contractio, & abbreviatio, aspectûs mutatio, acutus calor, falsa fames, excrementorum copia, & hujusmodi cachexia facillimè in phthisim degenerat.

Phthisis signa sunt extrema macies, certis squalor, calor acutus, & exurens, infimo non sensibilis pulsus frequens, & durus, spirandi difficultas, tussis profunda, purulentæ materiæ excreatio cruori commista, vigilia, anxietas, ciborum desiderium, frequens diarrhœa, cui mors imminet.

Hoc est signum omnibus dictis tribus marasmi speciebus, malus habitus, qui in deteriorem semper abit, depravatio motuum pulsûs absque sensibili accessione, vel declinatione, symptomatum exacerbatio post prandium, & cœnam.

Pathognomonicum, & proprium signum est marasmî à luis Venereæ fermento procedentis, symptomatum exacerbatio circa vesperas usque ad mediam noctem, ex proprietate ejusdem fermenti Venerei, quod in illis horis suos excitat furores.

Præterea, cùm dictæ marasmi species à læsione substantiæ cujuscumque principalis membri originem ducere possint, ut jàm præditum est, unumquodque ipsorum membrorum læsum propria, & pathognomonica signa in suo marasmo patefacit.

Undè primò à ventriculo producti marasmi signa sunt, duricies, & tensio in situ orificii superioris ipsius ventriculi, tussis tenax cum excreatione tenacis pituitæ, per intervalla spirandi difficultas, pulsus frequens, & inæqualis, extremorum tactus tepidus, & ad frigi-

ditatem potiùs inclinans.

Inteſtinorum maraſmi ſigna ſunt, durities circa meſenterium, aſſidua diarrhœa cum cruentâ, & mucosâ excretione.

Lienis maraſmi ſigna ſunt, ſcorbuticæ affectiones, ſcilicèt anhelitûs fœtor, marcidus cruor à gingivis effluens, excretio cruentæ materiæ ipſius lienis durities, ulcera fœtida in cruribus, urina pauca, rubra, & quæ ſtatim corrumpitur.

Maraſmi hepatici ſigna erunt, fœdus color totius cutis, ejuſdem hepatis tumor, & durities, meſenterij omnimoda exſiccatio, diarrhœa, cruenta, & continua ſitis, calor acutus.

Renum maraſmi ſigna ſunt, anhelitus nidoroſus corporis macies, urina purulenta, putrida, & peſſimè olens, calor acutus, ſitis, & à cibo febris incrementum.

Pulmonis maraſmi ſigna ſunt, tuſſis perennis, purulenta excreatio, ſpirandi difficultas, vocis raucedo, ſanguinis arterialis excretio, genarum rubor, calor acutus, pulſus frequens, tenuis, & durus.

Cordis maraſmi ſigna ſunt calor exurens, pulſus frequentiſſimus, & parvus, labiorum rubor, anxietas, & circa coſtas ejuſdem cordis inæqualis pulſatio, quibus reliqua, quæ de pulmone diximus, ſuccedunt, ac tandèm mors.

Cerebri maraſmi ſigna ſunt, repentina totius corporis macies, cui nulla præceſſerit tuſſis, nulla ſpirandi difficultas, nullus vehemens calor, & nulla pulsûs depravatio: ſed hæc omnia illam ſubſequuntur uſque ad phthiſis productionem, & hæc ſunt ſigna maraſmum comitantia, quæ certum præſtant argumentum membri principalis læſi maraſmum producentis primò, & per ſe; nàm reliqua membra deindè per accidens concurrunt, unumquodque pro ſui muneris functione per accidens læsâ.

Maraſmi verò, qui ab externâ cauſa ducunt originem, uti ſunt illi, qui ab ulcere malè curato, & à lue Venereâ producuntur, præter communia ſpecialia ſigna, & propria non habent, niſi ulcera cachoetia, & fermenti Venerei indubitabilem diffuſionem, adeò ſunt in aperto, ut de iis dubitari non poſſit, & ratio eſt, quia in maraſmo tam ex ulcere, quàm ex Venereâ lue proveniente membra principalia non per ſe, ſed per accidens ſunt læſa: nàm liquores corporis à dictis cauſis externis contaminati, dùm ad principalia membra accedunt, neceſſariò illa inficiunt, ac illorum unumquodque in ſui muneris functione depravatur; hinc confuſa oriuntur ſigna, & non minùs unius membri læſi, quàm aliorum præſtant argumenta: fieri tamen poteſt, ut cùm principalia membra roboris æqualitate non gaudeant, eorum imbecillimum facilìùs recipit vitiatorum liquorum affluxum, & reliqua in illud jàm debile factum ſe exonerant, quod cùm illi tolerabile non ſit, ejus ſubſtantiæ læſionem faciliter contrahere poteſt, atque tunc licèt vitium ab externâ cauſâ productum efficacibus remediis cure-

curetur, marasmus tamen non cessat, nàm à læsione substantiæ membra posteà ab externâ causâ contaminata foventur.

CAP. IV.

De Indicatione curativâ Tabis in genere.

INdicatio curativa tabescentium corporum nullo modo à malo habitu contracto desumenda est, ut verbi gratia à macie, ut pinguis habitus producatur, & à fœdo cutis colore, ut floridus fiat: ab exorbitante calore, ut ad temperiem reducatur, & à similibus, quo modo medicorum vulgus hodiè tabidorum curationem aggreditur, nàm prædicta sunt effectus, & symptomata potioris causæ, à qua pullulant, tanquàm à radice. Ridiculus sanè est medicus, qui tabescentem pinguem reddere conatur, nisi tabis causam priùs evellat, imò tantùm abest, ut cibus optimi, & plurimi nutrimenti in tabescentis corpore in bonum cedat, ut corruptioni, plusquàm alii obnoxius maximum afferat nutrimentum. Erit ergò indicatio curativa omnium marasmorum purificatio liquorum partes solidas corporis irrorantium cum correctione vitii eos contaminantis, sive illud in substantiis membrorum principalium sit impressum, sive à causâ externâ originem ducat; Verumenimverò cùm liquores corporis purificationem admittere non possint, usque dùm contaminans illos vitium subsistit, & contrà correcto vitio, facile sit ipsi naturæ liquorum purificationem moliri, cardo curationis marasmorum omnium in correctione vitii in substantiis membrorum principalium contracti, vel ab externâ causâ exorti prorsùs innititur: quippè vitio correcto, liquores etiam corriguntur, atque paulatim in bonum habitum corpus adducunt absque medicamenti, vel cibi specialis exhibitione, sed communis, & ordinarii.

Est adeptorum medicorum sententia dari non posse medicamentum, quod membra principalia essentialiter læsa ad pristinum restituere possit, nisi indolem habeat universalem, scilicèt ut sit tantæ subtilitatis, perfectionis, & temperiei, ut ipsi naturæ ob symbolum conjungi possit, & membris reddere, quod illis deficit, vel auferre, quod illis præter naturam est additum; cúmque ad tale medicamentum obtinendum summa industria, & artificium requiratur, specifica quædam trademus medicamenta, quæ instaurationem principalium viscerum summoperè promovent, & marasmo ab ipsis provenienti succurrant.

Igitur si in tabidum incideris, qui signa tabis ventriculi suprà notata præseferat, sitque auxilio capax, vomitu primò illum levabis hoc modo:

℞. *Salis vitrioli* ℈. ij. *fiat pulvis*, qui in conservâ florum boraginis inclusi exhibeatur, & immediatè pòst jusculi gallinacei ℥ iij. superbibendum præbe. Verùm hoc

Unable to display this page

ma curatio, ità ut obstinatas etiam vincat quartanas.

Scirrhosum etiam hepar suam affert tabem cum propriis signis, ut suprà, quam diarrhœa cruenta semper comitatur, hanc tabem hepatis totò curabis sero caprino absque ullâ additione, nisi solius syrupi violarum.

℞. *Seri lactis* ℔. *iij.*
syr. viol. ℥. *ij.*

Exhibe per xv. dies quolibet mane, nec te exterreat cruentus fluxus à seri usu, fluxûs causam quippè abstergit cum partium integrâ mundificatione. Post seri usum liquore absinthii per mensem hepatis substantiam roborabis, quem ità parabis:

℞. *Absinthii fol. & summitates, quæ contundantur crasso modo, injiciantur in vas vitreum amplum absque ullâ additione, quod optimè obstruatur, ne exhalet, & bulliat in MB. per 24. horas, refrigeretur tunc vas, & aperiatur, liquoremque pretiosum absinthii à foliis separatum remove leni foliorum expressione, & serva; cujus liquoris recipe* ℥. *ij.* & infirmo exhibe *in vini albi generosi* ℥ *ij.* per mensis spatium. Interea hepatis regionem *unguento ex santalis* fovebis.

Corroboranda demùm est hepatis substantia *rhabarbari essentiâ*, quam ità parabis:

℞. *Rhabarbari opt.* ℥ j.
fiat pulvis, cui in vase vineo affunde
Spiritûs vini ardentis ℔. ß.
sine, ut simul maneant per 12. dies, post quos spiritum vini intensè coloratum à rhabarbaro separa per inclinationem. Spiritum hunc tinctum retorta vitrea inde, & lenissimo calore fac, ut vini spiritus pro tertiâ parte destilletur. Quod remanet in retortâ, serva, est rhabarbari genuina tinctura, qua balsamum est hepatis Dosis ejus est unius scrupuli quolibet die per mensem.

At si marasmum ex pulmone signa affirmaverint, & tussis assidua, & spirandi difficultas vigilem faciat, ægroto somnum pro quiete tussis cynoglossæ usu concilia.

℞. *Pilul. de cynoglossa gr.* xii.

& infirmo exhibe post cœnam quarto quolibet die. Verùm si ex sanguinis ejectione periculum immineat, sequenti utere arcano, quod nunquàm te deseret in sanguinis ex pulmone dejectione:

℞. *Ranas palustres integras, uti sunt, atque vivientes in calidissimum furnum in vase positas immitte, ibique exsiccentur, usque dum in pulverem redigi possint, fiat earum pulvis, cujus infirmo exhibe* ʒ. j. *in Syr. de papavere:* cessabit illicò sanguinis ejectio, inducitur que lacerato vasi cicatrix, ità ut novâ laceratione opus sit ad novi sanguinis ejectionem. Pulmonem deindè *elixire proprietatis* robora.

℞. *Elixiris proprietatis destill.* ℥ ß.
Syr. de papavere ℥ *ss. m.*

Hæc dosis per 24. horas ægro sufficiat per vices ad modum lambitivi.

Petrus Poterius lib. 2. Pharmacop. cap. 9. Anti-hecticum mirabile describit ex alumine, quod nos multoties proficuum experti sumus, & multos ægrotos ex faucibus orci eripuimus, præstat igitur in proximi utilitatem, & tyronum gratiam illud describere, ut

℞. *Alu-*

℥ *Aluminis rupei q. v.*
solve in aquâ pluviali, coque in alembico, donec spumam exhibeat, spuma cum cochleari ligneo separandâ, rursùs coque, & inter coctionem adde aceti destillati, tunc alumen deponit vitriolum suum in superficiem instar spumæ cerulea, quæ rejicienda, filtra solutum, & despumatum alumen infunde in vas ligneum, ut crystallisetur. ℥. *purificati hujus aluminis lib.* ß. *destilla in alembico phlegma leni igne ad siccitatem, cavendo, ne spiritus ascendant, sed ut alumen saltem terra alba fiat, quam impragna proprio phlegmate, & cohoba. Indè sumatur caput mortuum tartari, ex quo omne sal com. tartari fuit extractum, hoc in crucibulo reverbera aperto igne per mediam horam, ut fiat terra porosa absque omni salino sapore. Hanc terram tartaream philosophicam inde filtro chartaceo, rursùs supra terram aliam pone chartam bibulam, in quam aluminosam terram proprio phlegmate solutam filtra, sic acida terra aluminis attrahitur ab igneâ terrâ filtri, & saltem dulcis terra transit filtrum cum proprio phlegmate, quam rursùs coagula per destillationem abstrahendo phlegma, repete solutionem hujus cum proprio phlegmate, & filtrationem per terram tartari rursùs elotam, & tertiâ vice reverberatam. Sic alumen deponit per præcipitationem à phlegmate omnem terram adstringentem*; & crystallisatur primum ens aluminis in frigore instar sacchari.

Aliud *Anti-hecticum* magnarum virium, & multis aliis morbis proficuum describit *Poterius*, quod nihil aliud est quam *regulus antimonii, & Iouis compositus, cum triplo nitri perfectè fixatus.*

Portò si tabes ex corde tibi signa apparuerint, potiùs mortis prædictionem, quàm salutem ex medicamentis proponere poteris, incipienti tabi ex corde *lac perlarum* mederi tantùm potest, quod absque industriâ, & artificio haberi non potest, aliquod tamen perlæ promittunt, si aceto stillatitio solvantur, oleo tartari præcipitentur, à sale abluantur, & residuus earum pulvis per 60. dies infirmo exhibeatur quolibet mane pondere unius scrupuli. Multùm enim præstat tabidis ex corde *cinis cancrorum fluvialium* loco, & tempore hausti pondere ʒ. ß Demùm liquore ex cornu cervino tanquàm magno remedio in tabe ex corde utere, quem ità parabis:

℥. *limaturæ corn. cervi* ℥. j.
bull. in aquæ com. ℔ ß.

ad duarum partium aquæ consumptionem, quod remanet aquæ à limaturâ separa, & serva, cujus aquæ Recipe ℥. j. *magist. perlarum supra descripti* ʒ. j. *agro propinæ per* 40. *dies.*

Hunc etiam curationem adhibere poteris tabi ex cerebro, quæ unquàm fieri invenitur auxiliis capax: & hæc de curatione marasmorum, qui ex læsione substantiæ principalium membrorum ducunt originem.

Verùm si ab externâ causâ corporis liquores contagium susceperint, ac propterea tabidum produxerit habitum, prudenti medico utplurimùm

nùm salutis spem relinquunt ; ac primò si ex ulcere ab externâ causâ producto tabes aliquem invasit, hoc modo illum curabis.

Solutiva sunt fugienda, ut etiam vomitum cientia , corpus , si opus fuerit, aloë, vel rhabarbaro tantùm leniendum, deindè tota spes in vulnerariis reponenda , inter quæ hoc, quod tradimus , efficacissimum experti sumus:

℞. *limaturæ eboris,*
cornu cervi,
ligni guajaci ana ʒ ij.
ponantur in pipatellâ deindè recipe
betonicæ.
sampsuci,
santal. rubr.
rosar. incomplet. ana ʒ jß.
aquæ fontis lib j. ß.

Ponantur hæc omnia simul cum pipatellâ in vas vitreum altum , quod optimè obstrue , ne exhalet, & bulli in MB. per quatuor horas, sine deindè ut omnia frigida fiant , ac à pulveribus , & pipatellâ decoctum exprime , cujus Recipe ʒ v. *infirmo exhibe mane , & vesperi duabus horis ante cibum , quo vulnerario utere per* 40. *dies* ; nàm paulatim æger bonum habitum adipiscetur cum ulceris curatione.

Subdemus hìc jura consumpta ex viperis , quæ tabidos ex quavis causâ summoperè instaurant , ac præcipuè ex quavis causâ summoperè instaurant, ac præcipuè ex causâ externâ ; vires enim ità sublevant, ut infirmo difficile non sit medicamentis validioribus uti , quæ alioquin tolerare non posset:

℞. *Viperas ij. à senectâ denudatas,*
abscissis capitibus, & caudis, minutissimè contere , ac in vitrum amplum injice, quibus adde
vini generosi ʒ j.
aquæ Card. bened. ʒ jß.
santal. rubr.
cinnam. contus. ana ʒ j.

Vas optimè claude , & bulliat in MB. trium horarum spatio. Post refrigerationem vasis fiat juris expressio , quod propinetur infirmo bis in die per 40. dies, nàm magni hujus remedij effectus admiramini.

Nunc pro hujus Tractatûs complemento curationem marasmi à contagio luis Venereæ exorti, quam proposuimus; instituemus , ac promittimus sequentium remediorum rectâ administratione semper Tabis ex lue Venereâ curationem assequi posse dummodò ab ipsius luis virulentiâ substantia alicujus membri principalis non sit læsa , vel vas aliquod conspicuum sanguinem continens corrosum , adapertumvè sit: his enim impressionibus à lue Venereâ factis , certa promitti non potest marasmi curatio , cùm licèt contagium Venereum ex integro eradicare valeamus , vasorum corrosionem, & substantiarum læsionem restituere promittere non licet.

Tabem ex Venereo fermento productam vulgares tentare curant juribus consumptis , quæ *Ludovicus Septalius animadvers. lib. 7. num. 214,* proponit, ut

℞ *Sals. parill. minutim incis* ʒ vj.
infundantur horis 24. *in aquæ calidæ lib xv.*
in loco calido , vase clauso. Deindè bull. lento igne ad consumptionem tertiæ

partis. Hinc cochleari perforato extrahatur salsa parilla, & contundatur in mortario. Contusa eidem aquæ injiciatur addendo

carnis vitulinæ macræ lib. ij.
sem. coriand præp. ʒ j.

& vase aperto iterùm lento igne bulliant, donec remaneant lib. V. & in fine aromatizentur.

cinnam. electi. ʒ iij.

Hinc fiat colatura cum forti expressione, quæ usui servetur in vase vitreo, vel vitreato. De qua æger mane horis quatuor ante cibum capiat ʒ vj. vesperi autem horis tribus ante cœnam ʒ iv. vel v. Quòd si æstas sit, aut si conjuncta febris hectica, addit hordei excorticati unc. iv. atque in usu medicamenti plurimis diebus perseverat, quandóque etiam ad centesimum usque diem.

Si tabes his juribus non cesserit, tanquàm ad sacram anchoram recursum habent ad lactis asinini exhibitionem, inito tamen priùs consilio: Asina debet esse nigra, & omni manè pexa, eam in otio degere sinunt, nutriuntque herbis refrigerantibus admistâ ligni guajaci scobe, & salsâ parillâ minutim incisâ. Verùm hæc vulgarium præsidia pro tollendâ tabe Venereâ insufficientia sunt experta, nec ipsam tollere sunt idonea.

Itáque tabis Venereæ curationem ità instituimus: Corpus leniter purgandum hoc modo:

℞ *Pilul. de tribus* ϑ j.
merc. dulc. gr. x. m.

Exhibe ante cœnam. Deindè decoctum vulnerarium paulò suprà descriptum bis in die infirmo propina, cui adde *elixiris proprietatis destillati* ʒ ij. optimumque erit, si simul cum pulveribus vulneratiis *carnem duarum viperarum* commisceatis; nàm vis vulneraria additione viperarum summoperè augetur. Hoc vulnerarium cum viperis per decem dies ægroto exhibe absque ullo alio medicamento, ut vires restaurentur, & natura sublevetur. Vel si tabidi vires fuerint fractæ, sequentibus juribus consumptis reparentur:

℞ *Salsæ parillæ minutim incisæ* ʒ ij. ß.
rasuræ eboris,
limaturæ corn. cervi,
santal. rubr. ana ʒ j.

Infundantur per 12. horas in loco calido in aquæ communis unc. ix. Deindè injiciatur pullus deplumatus, exenteratus, & in frusta dissectus, cinnamomi acuti ʒ j. *salis communis ad gratum saporem q. s. Operi vas, ne quid exhalet, & bulliat leniter per tres horas, postmodùm refrigerato vase, fiat lenis expressio*, & pro Cœnâ ad plures dies ægro propina. Restauratis viribus, infirmum ad cinnabaris suffumigia disponetis eo modo, quo suprà tradidimus, adhibitis omnibus circumstantiis, quas ibidem adnotavimus. Dotis cinnabaris ʒ j. pondus non excedat, & non quolibet die, sed alternis diebus suffumigationem adhibete ac pro ægri viribus. Si in remedij cursu diarrhœa cruenta, vel grumefactum sanguinem per os infirmus ejiciat sine vomitu, & tussi, non solùm aliquid mali timere non debetis, sed proximam curationem expectate, si æger præscriptam servabit regulam,

gulam, infra duorum mensium spatium non solùm bonum acquiret habitum, sed præter modum pinguescet.

Verùm nec medicamentum secundum, aut quicquam simile viget aquæ nostræ Anti-Venereæ, nec ipse Mercurius sive in suffumigiorum, sive inunctionis formâ, tàm exaltatus, quàm præcipitatus in rabidâ Venere persanandâ est comparandus; hæc enim tàm mitis, tuta & jucunda est, ut nunquàm aliquem læserit, omnesque sanarit, & id nos jurejurando affirmare possumus.

Denique *Arcanum Metallicum* patefeciemus, quod omnes luis Venereæ species curat, ac præcipuè tabem restitutione læsionis substantiæ membrorum principalium, hoc tantùm remedio obtinere poteris, si illa sit remedij capax: fixum est hoc remedium, ac cum cibo assumitur, nullam causat sensilem evacuationem, & indolem habet universalem, ejus præparatio exercitatum requirit spagyricum, & talis est:

℞. *Merc. ter aquâ forti semper recenti,*
& qualibet vice ad rubedinem præcipitati unc. j ß.
butyri antimonij unc. j.
Ea simul in urinali vitreo conjunge, & adde
aquæ regis unc. iv.
urinali supponatur cooperculum cum suo rostro, aquam regis lento igne à mercuriis destilla, quam iterùm deindè super ipsos mercurios repete quinquies, in fine destillationis augendo parùm ignis gradus, post quintam aquæ regiæ cohobationem remanebunt in fundo urinalis ambo mercurij fixi, qui fusionis ignem sustinebunt reduc materiam in pulverem, ac retorta vitrea injice, addendo

Spiritûs vini ardentis unc. iv. *quem lento igne à pulvere destillabis, deindè eandem quantitatem recentis spiritûs vini injice, & eodem modo destillabis, & hoc duodecies repetes; nam pulvis remanebit dulcis, ut mel, nullam acredinem præseferens, estque mercurius diaphoreticus vi sulphuris antimonialis ad summam perfectionem evectus.* Dosis est granorum iij. usque ad vj. cum cibo prandij, vel cœnæ, nullam promovet sensibilem evacuationem, ac triginta dierum usu omnem curabilem tabem radicitus cura absque metu recidivæ. Si hoc arcanum aliis applicaveris morbis, usus te pluta docebit.

CAP. V.

De Præservatione à Lue Venereâ.

ESset hic pro coronide de Luis Venereæ præservatione agendum, quia multùm glorioſius esset hanc luem præcavere, quàm eandem curare; siquidèm postquam homo hac fuerit conspurcatus, non nisi post multum tempus, improbo cum labore, & graviſſimis incommodis ab hac dirâ eripitur lue, omni proindè nixu movendus esset hic lapis ponderoſiſſimus: Verùm enimverò turâ conscientiâ ista antidota doceri non posse credi-

credimus, quæ tot homines ad libidinem liberiùs accenderent, quos ab eâ forsan morbi metus avertere poterat. Eapropter multi monent authores (& reverà est efficacissimum præsidium,) ut Veneris palæstra omninò vitetur, quia sic evitantur pericula: sanum sanè consilium, quod nemo, vel saltim unus observabit, cùm caro fragilis, & infirma ad carnem semper anhelet, quò circà esset tollere, non solvere, quod quæritur, ac proindè non defuêre scelesti authores, qui hæc deseripserunt antidota, quibus tanquàm clypeo muniti ganeones confidunt se posse meretrices maximè infectas penetrare, omnesque ganeas liberè peragrare. Hujus farinæ authores fuêre *Hercules Saxonia*, *Aurelius Minadoüs*, *Eustachius Rudius*, *Iulius Palmarius*, & præ cœteris *Gabriel Falloppius*, qui *de luis Venereæ præservatione cap.* 89. tractat scribitque *Ego nihil feciſſe videor, niſi doceam vos, quomodò quis videns pulchram Sirenem, & coiens cum eâ, etiam infectâ à carie, & lue Gallicâ præservetur.* Paulò infrà proponens antidotum inquit: *Ego feci experimentum in centum, & mille hominibus, & Deum testor immortalem nullum eorum infectum fuisse.*

Pro luis præservatione his utuntur medicamentis authores, imprimis mulier, cum qua Venus exercenda sit, nùm infecta, investigandum, quod cognoscitur ex superiùs propositis signis, quæ cùm dubia utplurimùm sint, & coëuntes non sunt semper medici, ideò ad alia confugiendum magis veridica, vel aliorum sectanda sententia; nam videndum, an madida, & humecta sint, vel tumida muliebria, an aliqua sordities in eâdem parte resideat, an dolor, & ardor in, & post coitum, vel lancinatio intra urethram persentiatur, tunc enim clara sunt luis vestigia, ac proindè pluries fortiter emungendus est priapus, ut seminis reliquiæ propellantur, & abstergendus erit subuculâ, mox emittenda est urina, qua pluries abluendus, vel vini efficacior erit ablutio, præcipuè si in eo fuerint *incocta myrti folia, rosæ rubræ, alumen, absynthium, aristolochia, limatura guajaci ad ana.*

Falloppius tanquàm præsentaneum suum extollit Antidotum, quod ità paratur.

℞. *Radices gentianæ,*
aristolochiæ longæ,
rotundæ.
dictamni albi ana ʒ ij.
pulverum santali albi,
rubri,
ligni aloes ana ʒ ij.
pulv. corall. rubr.
spodij ex ebore.
Corn. Cervi ust ana ʒ ß.
sol. scordij,
sonchi,
betonicæ,
scabiosæ,
tormentillæ ana m. j.

rosa-

rosarum m. jß.
scobis guajaci ℥. ij.
squamæ aris ℥ ijß.
præcipitati prap. ℥. jß.
vini malvatici opt. potentis ℔. jß.
aquæ fonchi,
scabiosæ ℔. ij.

Assumitur vinum & aqua, & in his infunditur scobs guajaci per 24. horas, deindè adduntur reliqua omnia, & bulliunt simul ad consumptionem medietatis, deinde colatur decoctum, & exprimuntur medicamenta ista diligentissimè, in hoc decocto perturbato maceratur per noctem pannus lineus purissimus, deindè siccatur in umbrâ, & hoc fit tribus vicibus, ter enim maceramus, ter etiam siccamus. Posteà paramus frusta ad proportionem glandis, & semper habeantur in marsupiolo. Quoties ergò quis coiverit, abluat pudendum, vel panno detergat, posteà habeat linteolum ad mensuram propriæ glandis paratum, quo post coitum obvolvatur glans, & præputium recurrat, horâ transactâ, novâ linteoli portione obvolvatur, primâ rejectâ, & sic repetatur quater, vel quinquies.

Si timetis, ne caries oriatur in medio canali, habeatis ejusdem linteoli portionem in modum turundæ, sive penicilli, & in glandis foramen inijcite, eodem modo repetendo; ejus namque beneficio, si contracta fuerit virulenta materia, facilè extrahitur.

Verùm si prutitus in pudendo sentiatur, expertum medicamen est illud suffumigare suffitu ex cinnabari, & thure ana.

Opportunum quoque nonnulli censent glandem fovere spongiâ madefactâ in guajaci decoctione in æqualibus partibus vini, & aceti factâ. Valere quoque credunt hanc decoctionem, ut

℞. *Ligni guajaci limati* ℥. v.
infundantur in aquæ font. ℔. ix.
per 24. horas, deindè bulliant lento igne ad consumptionem tertiæ partis addendo
radic. cucumeris agrestis,
malvarum,
althææ ana ℥. j.

Radices contundantur, & fiat ebullitio ad medietatem, qua colaturâ abluantur pudenda, & foveantur linteis in eâdem madefactis

Quò facto, si adhuc dubitet scortator de aliquo contagio, jubent assumendos syrupos ligni guajaci, pro quo:

℞. *lign. sancti, limat.* ℥. x.
infundantur in aquæ font. lib. xii.

Per 24. horas in vase benè clauso super calidos cineres, deindè bulliant in Balneo vaporoso ad medietatis consumptionem, ex qua colaturâ cum sacch. f. syr. Dosis unc. j. vel jß. manè sub aurorâ ad plures dies.

Ad majorem præcautionem ulteriùs laudant, ut ante coitum abluantur genitalia roborante, & adstringenti aliquâ decoctione, cujus vis resistat Lui, si qua timeatur, ut

℞. *Cortic. myrobolan.* ℥. j.
nucum cupress. num. xv
ros. rubr. p. ij.

absynth. pontici m. iij.
gallar.
granat.
myrtill. &
semin. sumach. ana unc. j.

Contundantur, & macerentur omnia in vino rubro austero, deindè destillentur per alembicum, de quo liquore fiat ablutio ante coitum.

Iisdem præsidiis utuntur mulieres, quas in matium gratiam tantùm præservari convenit, nàm ex alio capite nullâ essent pietate dignæ, cùm ab ipsis omne malum originem ducat; sollicitæ idcircò multùm esse debent, ut à coitu muliebria emundent, & receptum semen infectionis suspectum illicò expurgent lotionibus, & artificiis propositis, postmodùm panno lineo frequenter exsiccando. Verùm ante coitum mulieres non statim se comprimere faciant, scortatoribus inter oscula, & tactus blandiantur, & blanditias, arripiant penem, illumque emungant pluries propter gonorrhœæ metum (solent gonorrhœâ laborantes ante coitum priùs mingere, ne sanioſus conspiciatur fluxus,) recurrat præputium, ut glans cum coronâ observetur, inspiciant interim inguina, ut cum securitate futiti possint: Cœterùm quia castæ Penelopes hanc diligentiam adhibere non possunt, ne æstimationi sibi detrahant, nec scorattores ob hanc æstimationem earum pudenda observare audent, undè statim decumbunt, & pallam ad genua usque sublevant, ideóque facilè inficiunt, & inficiuntur. Mulieres verò meritoriæ quia his observationibus incumbunt, rarò hac dirâ corripiuntur Lue.

Verùm decipiuntur, & decipiunt vulgares, credentes hanc Luem in occultâ qualitate consistere, & in hepate sibi præfigere thronum, postmodúmque in externis partibus linteolis, suffitu, lotionibusque illam præcavere. Sunt hæc medicamenta vanida, valida lenocinia, ac irritamenta malorum, licèt hæc Lues per minima corpuscula sanioſa communicetur, quæ si abstergantur, extrahantur, dissipentur, hanc avertere possunt, tamen nec fomitem in externis pudendorum partibus abstergere queunt, quia nullam vim anti-Veneream habent, nec internas à conceptâ Lue eripiunt partes, cùm contagium corpus per porositates permeet. Eapropter ablutiones, quæ solùm externas attingunt partes, & alia medicamenta extrapositа certam præcautionem, & incolumitatem minimè polliceri possunt, ac proindè his non valdè fidendum. Præterea non solùm per pudenda in coitu, verùm per os, papillas, podicem, omnesque partes perfectâ cute carentes hæc dira Lues cùm contrahi possit, arduum nimis erit illam præcavere, cùm non omnibus occurrere possimus partibus, & ignoremus, quænàm primò illam contraxerint.

Habemus nos nobile, & expertum antidotum ad Luis Venereæ præcautionem, quo siquis, postquàm cum infectâ coierit, utatur, facilè à pustulis, cariebus, ulceribus, gonorrhœâ & bubone præcavetur, illudque sparsim communicavimus; nolumus tamen locum, ubi extet, cuique digito demonstrare, sed emunctioribus seligendum relinquimus, ne hujusmodi remedium tantummodò in abusum trahatur, & citò scortationem repetant,

tant, ac nos libidinum fautores videamur. Unum tantummodò hîc tutissimum & infallibile docebimus antidotum, quo, qui usi sunt, nunquàm hac correpti fuêre Lue, quod est à scortis abstinere, & perpetuò præ oculis habere, quòd justus Deus scortatores castigabit, qui etiam in hac vitâ isto fœdissimo morbo eos afficere solet.

Sed jàm ad calcem pervenimus eorum, quæ nobis hoc præsenti Tomo scribere, atque posteritati tradere instituimus; Itáque manum de tabulâ moveamus, ipsa monet res. Certè scripsimus hæc non inviti, qualiacumque essent, námque cùm ferè omnes oras perterraverit dira Lues, miseréque hominum genus afflictaverit, haud fuit difficile ad hæc edenda animum inducere, firmiterque nobis videri omnibus accepta fore, quæ aliorum commodo insudavimus, atque votis expetere, & undequaque conquirere ea, undè aliqua salus speretur; Itáque præter expectationem non erunt, quæ nobis ab initio hujus operis fuêre proposita.

FINIS Tomi IV.

INDEX

INDEX
RERUM ET MATERIARUM
Quæ in IV. Tomis
TRUTINÆ
CHIRVRGICO-PHYSICÆ
R. D. CAROLI MVSITANI
Continentur.

A

ABdominis Vulnera, Tom. III. pag. 339
Signa, 340
Causa, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 341
Iuxta Authorem. 343
Abscessus, quid. t. 1. p. 9
Etymon, ibid.
Signa, ibid.
Causæ, juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, t. 1. p. 10
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Quare ad sectionem deveniant. p. 11
Curationis processus ulterior, 12
Curatio juxta Authorem, ibid.
Sectica varia proponuntur, 13
Abscessus frigidi, quid juxta Galenicos t. 1. p. 23
Sunt in duplici differentia, ibid.
Causa eorum materialis juxta Galenicos. 24
Causa juxta Authorem, ibid.
Sunt trium generum, nempe Atheroma, Steatoma & Meliceris, ibid.
Signa. 25
Contenta quædam in iis solida unde oboriantur, 27
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 28
Iuxta Authorem à triplici indicatione desumitur, ibid.
Abscessus ani. V. Ani inflammatio t. 1. p. 282
Acrochordon, vide Verruca pensilis t. 1. p. 145
Acrochordon ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa. 111
Causa juxta vulgares ibid.
Iuxta Authorem, ibid.

Prognosis, 112
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 113
Ægilops, *t.* 1. *p.* 162
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares. 163
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares. 164
Iuxta Authorem. 165
Aer salia secum vehit. *t.* 2. *p.* 12
qui ulcerosis eligendus. *t.* 2. *p.* 16
Vulneratis vitandus. *t.* 3. *p.* 5
Affectio habitualis corporum viventium *t.* 4 *p.* 148
Ejus definitio, 151
Quæ per partes exponitur, ibid. *& seq.*
Ejus differentiæ, 153
Alopecia in lue ven. *t.* 4. *p.* 105
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares 106
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares. 107
Iuxta Authorem, 108
Alvus lubrica constrictâ conducibilior *t.* 2. *p.* 25
Amphibia, *cur tum in sicco*, *tum in aquis* *vivere possint*, *t.* 3. *p.* 264
Amygdalæ v. Tonsillarum Tumor t. 1. *p.* 186
Anchilops v. Ægilops t. 1. *p.* 162
Causæ juxta vulgares, 163
Iuxta Authorem, ibid.
Signa ibid.
Prognosis, 164
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 166
Aneurisma, *quid*, *t.* 1. *p.* 89
Signa, ibid.
Causæ, 90
Platerus & Regius refutantur, *t.* 1. *p.* 92
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 93
Iuxta Authorem, 94
Animalium propagatio est duplicis generis, *t.* 2. *p.* 70
Anthiades. v. Tonsillarum Tumor t. 1. *p.* 186
Anthrax, *variis appellatur nominibus* *t.* 1. *p.* 19
Unde dicatur, ibid.
Quid sit. 30
Ejus subjectum, ibid.
Signa, ibid.
Causæ, *juxta vulgares*, 31
Iuxta Authorem, ibid. & 32
Externæ, 33
Prognosis, ibid.
Curatio, *juxta vulgares*, *quinque indicationibus comprehenditur*, *p.* 34
Pleraque omnes repudiantur. 35 *& seqq.*
Curatio, *juxta Authorem à triplici indicatione pendet*, 37
Saphirus conducit, 39
A corrosivis & sectilicis abstinendum, ibid.
An pestis sit, *cognoscendi ratio* ibid, *& p.* 40.
Antidotum antipestilentiale authoris t. 1. *p.* 245
Antihectlicum Poterii t. 4. *p.* 359
Anus cerebri. *t.* 3. *p.* 123
Anus, *podex*, *t.* 3. *p.* 338
Ani Condylomata, *Thymi*, *Ficus*, *Crista &c. t.* 1. *p.* 292
Signa, 293
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 294
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 295
Ani inflammatio t. 1. *p.* 282
Signa, ibid.
Causæ, ibid.

Prog-

Prognosis, p. 283
Curatio juxta vulgares, 285
Iuxta Authorem, ibid.
Ani procidentia t. 1. p. 288
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, 289
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis 289
Curatio 290
Aphthæ t. 2. p. 154
Signa ibid.
Causæ juxta Galenum, ibid.
Iuxta Authorem, 156
Prognosis, 157
Curatio juxta vulgares 158
Iuxta Authorem 159
Aperientia medicamenta non sunt unius generis t. 2. p. 27
Apostema vide Tumor. t. 1. p. 2
Aqua purulenta est sale referta, *t. 2. p.* 11
Aquam cum cane demorsi abhorreant, *t. 3. p.* 101
Aqua antivenerea, *t. 4. p.* 120
Arterialis, *t. 1. p.* 94
Castitatis, *t. 1. p.* 281
ad Dentes mobiles, Authoris, *t. 2. p.* 179
I. B. de la Porta, ibid.
Omnium Florum t. 1. p. 174
Gentiaci &c. quomodo exsiccet, *t. 2. p.* 41
Salis armoniaci t. 1. p. 172. *& t. 4 p.* 114
Venerea, *t. 2. p.* 141
Viridis Ioh. Hartmanni t. 2. p. 141
Aranearum venenum & usus t. 3. p. 8
Argentum vivum, *v. Mercurius t. 4. p.* 123
Aristoteles fuit balbus, *t. 2. p.* 189
Armarium Paracelsi, *t. 3. p.* 21
Arteriarum substantia est musculosa t. 1. p. 90
Arteria aortæ vulnus quomodo cognoscatur, *t. 3. p.* 298
Vulneris prognosis, 301
Aspera Arteriæ Anatome, *t. 3. p.* 260
Cartilagines, 261
Membrana, ibid.
Vena, ibid.
Usus, ibid.
Aspera Arteriæ ulcera t. 2. p. 191
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Prognosis, 192
Curatio juxta vulgares, 192
Iuxta Authorem, 193
Vulnera. t. 3. p. 268
Signa, *t. 3. p. 5. &* 297
Causæ, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 269
Iuxta Authorem, ibid.
Historia, 270
Arteriæ crurales, *t. 3. p.* 407
Artuum vulnera t. 3. p. 407
Signa, 408
Causæ, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 409
Iuxta Authorem, ibid.
Atheroma quid t. 1. p. 24
Pultatio latinis dicitur, ibid.
Quomodo producatur. p. 25
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid. *& seqq.*
Prognosis, 27
Curatio juxta Vulgares, 28
Iuxta Authorem, ibid.
Vide *Abscessus frigidi.*
Atrophia, *duobus modis producitur*, *t. 4. p.* 153
Signa, 155
Auditus, *quâ in parte auris fiat*, *t. 3. p.* 222
Quo medio fiat, 223
Auditus gravis, *t. 2. p.* 130
Signa, 132
Causæ, 133
Prognosis, 134

Curatio, 135
Aurium anatome, t. 3. p. 216
Musculi, 217
Glandula, ibid.
Cavitates, 218
Ossicula, 219
Auris Batava, t. 1. p. 134
Aurium dolor, t. 2. p. 115
Signa, 116
Causa juxta Galenicos, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Galenicos, 117
Iuxta Authorem, ibid.
Aurium fluxus, t. 2. p. 122
Signa, 123
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 124
Iuxta authorem, ibid.
Aurium Inflammatio, t. 1. p. 194
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 195
Iuxta authorem, 196
Aurium sonitus, t. 2. p. 124
Signa, 115
Causa juxta vulgares, 116
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 128
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 129
Aurium ulcus, t. 2. p. 119
Signa, ibid.
Causa juxta Galenistas, 120
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 121
Iuxta authorem, 122
Aurium vulnera, t. 3. p. 216
Signa, 217
Causa, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, ibid.
Aurium abscissio adulterorum & furum olim pœna & quare, t. 3. p. 226
Historia super his facta, ibid.

B.

Balbus fuit Aristoteles, t. 2. p. 189
Balbuties, t. 2. p. 187
Signa, 188
Causa juxta Galenistas, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 189
Iuxta authorem, 190
Balsamus arsenici, t. 1. p. 22
Balsamorum, t. 1. p. 141
Proprietatis per infusionem, t. 1. p. 13
Proprietatis in lue ven. t. 4. p. 82
Radicalis, t. 2. p. 9. & t. 3. p. 17
Balsami vulnerarii, t. 3. p. 29
Batrachos, v. Ranula, t. 1. p. 181
Belisarii stipem emendicantis dictum, t. 3 p. 212
Bilis generatio juxta de le Boë Sylvium, t. 3. p. 351
Rejicitur, ibid.
Usus. 352. & seqq.
Blasi, quid à balbis differant, t. 2 p. 187
Bocium, t. 1. p. 217
Signa, 218
Causa juxta vulgares. 219
Iuxta authorem, ibid.
Quibusdam in locis est morbus endemius, 220
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 221
Brachii musculi t. 3. p. 384
Vena, t. 3. p. 391

Bron-

Bronchocele, v. Bocium. t. 1. p. 217
Bubo simplex, t. 1. p. 236
Tripliciter in inguinibus oritur. ibid.
Signa, ibid.
Causa, juxta vulgares, 237
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 238
Bubo pestilens, t. 1. p. 239
unde dictus, ibid.
Signa, ibid.
Causa juxta Vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 241
Curatio, ibid.
Antidotum antipestilentiale Authoris p. 245
Bubo spurius ex lue ven. t. 4. p. 81
Signa, ibid.
Causa, ibid.
Prognosis, 82
Curatio, juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Bubo venereus, t. 4. p. 73
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, 75
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 76
Iuxta authorem. 78
Bubonocele v. Hernia, t. 1. p. 252
Buso salivâ vel urinâ tantùm venenatus est, t. 3. p. 83
Ejus in Medecina usus, ibid.
Buganze v. Perniones, t. 2. p. 311

C.

Cachexia quî producatur, t. 4. p. 154
Signa, 155
Caffea potus ulcerosis conducit, t. 2. p. 18
Calamus scriptorius, t. 3. p. 12
Callus, t. 1. p. 324
Signa, ibid.
Causa juxta Galenicos, ibid.
Iuxta authorem, 325
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 326
Iuxta authorem, ibid.
Calor dicitur qualitas positiva, t. 2. p. 39
Calor & ignis non differunt, ibid.
Caloris sensus quomodo producatur, p. 42
Calvaria, t. 3. p. 117
Cambium, t. 2. p. 9
Canalis biliarius, t. 3. p. 340
Cancer, vel Carcinoma, quid. t. 1. p. 40
Est vel non exulceratus, vel ulceratus, ibid.
Vnde dicatur, ibid.
Noli me tangere, *quibusdam dicitur,* ibid.
In tres dividitur species, ibid.
Signa, 41
Causa juxta vulgares, ibid.
Inter quas vermiculi referuntur, p. 42
Causa, juxta authorem, ibid.
Prognosis, 44
Curatio pluribus à Vulgaribus impletur indicationibus, ibid.
Iuxta authorem, 45
Vide *Vlcus cancerosum, t. 2. p.* 95
Cancri fluviatiles aceto injecti effervescunt, t. 3. p. 9
Canes linguâ vulnera sua curant, t. 3. p. 32
Canis rabidus quî cognoscatur, t. 3. p. 89
Capitis anatome, t. 3. p. 115
Ossa, 118
Sutura, ibid.
Meninges, 119
Vulnera, 129
Ea curandi ratio, t. 3. p. 16
Capitis contusio, t. 3. p. 118

Signa, p. 128
Causæ, 129
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, 131
Carbo, unde dicatur, t. 1. p. 29
Carbunculus, unde dicatur, t. 1. p. 29
Vide *Anthrax.*
Caries ex lue ven. t. 4. p. 87
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, ibid.
Carpi musculi, t. 3. p. 387
Cartilago mucronata, t. 3. p. 280
Cassiæ conserva, t. 4. p. 60
Cataplasma dignoscendæ Pestis aptum, t. 1. p. 40
Cerebellum, t. 3. p. 122. & 123
Cerebrum, t. 3. p. 120
Duplo cerebri habet homo quam bos. p. 121
Mares plus quam fœmina cerebri habent, ibid.
Ventriculi, 122
An in plenilunio plenum, in novilunio verò non, t. 3. p. 176
Cerebri fungi, t. 3. p. 185
Signa, 186
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 187
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 188
Cervicis uteri ulcera & Rhagades, t. 2. p. 206
Signa, 208
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 209
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Vulgares, 210
Iuxta Authorem, 211
China radix. t. 4. p. 52
Ejus descriptio, 53
Virtutes ipsi tributa, ibid.
Ejus decocta parandi modus, 54
Authoris de iis judicium, 53. & *seq.*
Chirurgus ad primum vulneris intuitum quid animadvertere debeat, t. 3. p. 62
Cibus quo ulcerosis utendum, t. 2. p. 17
Qui vulneratis concedendus, t. 3. p. 8
Cicatrices quandoque honestæ, quandoque non, t. 3. p. 197
Cicatrices quî deleri possint, t. 3. p. 197
Circocele, t. 1. p. 269
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 270
Cistis cholidocus, t. 3. p. 349
Clavicula, t. 3. p. 278
Clavus v. verruca, t. 1. p. 145
Clavus, t. 1. p. 324
Signa, ibid.
Causæ juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, 325
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 326
Iuxta Authorem, ibid.
Clitoris, t. 2. p. 207
Quædam fœminæ eâ coëunt, ibid.
Colli Anatome, t. 3. p. 255
Etymon. ibid.
Ejus commensuratione discognoscitur virgo à compressa, ibid.
Usus, 256
Musculi, ibid.
Venæ, 257
Arteriæ, ibid.
Nervi, 258
Vertebræ, ibid.
Vulnera, ibid.
Eorum signa, ibid.

Causa, 258
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 259
Iuxta Authorem, 260
Columborum applicatio in bubone irridetur, t. 1. p. 247
Columella exulceratio in lue ven. t. 4. p. 103
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, 104
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 105
Columella laxitas & Inflammatio, t. 1. p. 189
Signa utriusque, ibid.
Causa utriusque juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio laxitatis juxta Vulgares, p. 191
Iuxta Authorem, 193
Inflammationis juxta vulgares, 192
Iuxta Authorem, 193
Conarion, t. 3. p. 123
Condylomata ani, v. Ani condylomata, t. 1. p. 292
Condylomata ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa, 111
Causa juxta vulgares. ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 112
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 113
Contabescentia membrorum, t. 3. p. 420
Signa, 421
Causa, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 427
Iuxta Authorem, 424
Cor, unde dictum, t. 3. p. 285
Figura, 288
Substantia & parenchyma, 287
Paries, 262. & 288
Vulneratum qui cognoscatur, t. 3. p. 4 & 297
Vulnerum ejus prognosis, 501
Cor pilis quandoque hirsutum, 287
Cornua t. 1. p. 50
Coryza, t. 2. p. 142
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 143
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 144
Costa & earum numerus, t. p. 3. 125. & 279
Cranium, t. 3. p. 117
Cranii fractura, cum Meningum & cerebri vulnere, t. 3. p. 143
Rima, ibid.
Contusio, 144
Depressio, 145
Sedes teli, 146
Contrafissura, ibid.
Non admittitur, 147
Signa, 148
Varii modi eam explorandi, t. 3. p. 150. *& seqq.*
Causa, 153
Prognosis, 154
Curatio juxta vulgares, 158
Iuxta Authorem, 161
Terebratio periculosissima, 164, *& seq.*
Crista Ani. v. Ani Crista, t. 1. p. 292
Crista ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa, 111
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibi.
Prognosis, 112
Curatio juxta vulg. ibid.
Iuxta Authorem, 113
Crusta lactea, t. 2. p. 386
Cubiti musculi, t. 3. p. 311
Cuticula, t. 3. p.

An sit partibus corporis annumeranda, 311
Cutis, t. 3. p. 313
Glandulæ, ibid.
Pori, ibid.
Arteriolæ, ibid.
Venæ, ibid.
Nervi, ibid.
Usus, 314

D.

Decocta cum vino parandi ratio, t. 4. p. 49
Decocta non dantur exsiccantia, ibid.
Demosthenes linguæ vitia quomodo correxerit. t. 2. p. 189
Dentes, t. 3. p. 243
Dentium color fœdus & sordities, t. 2. p. 173
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 174
Prognosis, 175
Curatio juxta vulgares, ibid.
Dentium dolor, t. 2. p. 164
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, 165
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 167
Curatio juxta vulgares, 167
Iuxta Authorem, 169
In nonnullis est certissimum graviditatis signum, 171
Dentium mobilitas & casus, t. 2. p. 177
Signa, ibid.
Causa, ibid.
Prognosis, 178
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Dentium stupor, t. 2. p. 171
Signa, ibid.
Causa juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 172
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 173
Dentitio difficilis, t. 2. p. 180
Signa, 181
Causa, ibid.
Prognosis, 182
Curatio, ibid.
Derma, v. Cutis, t. 3. p. 313
Diaphoreticum Paracelsi, t. 1. p. 83
Diaphragmatis anatome, t. 3. p. 281
Nomina, ibid.
Partes, ibid.
Usus, 282
Vulnerati signa, 5. & 298
Prognosis, 301
Digiti, t. 3. p. 382
Digitorum musculi, t. 3. p. 388
Pedis musculi, t. 3. p. 399
Diploe, t. 3. p. 117
Dolor malè dentibus adscribitur, t. 2. p. 164
Dolorum quinque species, t. 2. p. 115
Dolores venerei, t. 4. p. 116
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 117
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 119
Dorsi musculi, t. 3. p. 277
Vertebræ, 279
Draco mitigatus, t. 4 p. 132

E.

Ecchymosis, quid. t. 1. p. 85
Signa, ibid.
Causa externa & interna, ibid.
Prognosis, p. 86
Curatio juxta vulgares, ibid.

Iuxta Authorem, p. 87
Elephantia, t. 1. p. 128
Elephantiasis, unde dicta, t. 1. p. 128
Signa, 129
Causa juxta vulgares est succus melancholicus, 130
Causa juxta Authorem, ibid.
Prognosis, 131
Est morbus contagiosus, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 133
Emplastrum de fuligine, t. 1. p. 206
De Herba Thaa, 84
Magneticum, 206
Apostolicum Nicol. Alexandrini, 251
Schroderi ad Hernias, 258
An horis ad rupturas, 258
De lapide calaminari, t. 2. 51
Vulneraria, t. 3. p. 33
Sticticum, 34
Oppodeldoch Paracelsi, 35
De Betonica, 157
De Gummi elemi, 157
Basilicon majus Mesuæ, 137
Enterocele, t. 1. p. 252
Signa, 253
Causa, ibid.
Prognosis, 253
Curatio ibid.
Enteromphalon, t. 1. p. 230
Signa ibid.
Causa, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, ibid.
Epidermis, t. 3. p. 311
Epiglottis. t. 2 p. 267
Epi ycles unde dicta, t. 1. p. 109
Quid, ibid.
Signa, 110
Causa juxta vulgares, 111
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem 112
Epiplocele, t. 2. p. 252
Signa, 253
Causa, ibid.
Prognosis, 254
Curatio, ibid.
Epiplomphalos, t. 1. p. 230
Signa, ibid.
Causa, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, ibid.
Epiploon, t. 3. p. 321
Epulis, t. 1. p. 179
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 180
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Erysipelas, variè appellatum, t. 1. p. 63
t. 2. p. 57
Distinguitur, ibid.
Differt à Phlegmone, ibid. t. 2. p 57
Signa, 64
Causa juxta vulgares. ibid.
Iuxta Authorem, 65
Prognosis, 66
Curatio juxta vulgares, 67
Iuxta Authorem, tribus perficitur indicationibus, 68
Sanguis le oris conducit, 72
Essera. quid. t. 1 p. 112
Differunt ab Epinyctide, 113
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 114
Iuxta Authorem, ibid.
Estiomenos herpes, t. 1. p. 229
Eunuchi infames, t. 1. p. 280
Semen emittere possunt, ibid.
Eunuchi propter Regnum Dei, ibid.

Excrementa alvi qualia esse debeant, t. 2. p. 25
Exomphalos, t. 1. p. 229
Exostosis, t. 1. p. 142
Causæ, 143
Prognosis, ibid.
Difficillima curationis 144
Extranea quomodo à Vulneribus extrahenda, t. 3. p. 37
In extrahendis præcautiones adhibendæ, 39
Duplex modus extrahendi, 40
Exumbilicatio, t. 1. p. 229

F.

Facies, t. 3. p. 116
Unde dicta, 189
Faciei anatome, t. 3. p. 189
Vulnera, 190
Signa, 191
Prognosis, 192
Curatio, ibid. & seq.
Faces alvinæ, ni debito tempore excernantur, coctionem interturbant, &c. t. 2. p. 25
Falx, t. 3. p. 118
Messoria, 122
Fauces, t. 3. p. 243
Quid sint propriè, ibid.
Earum usus, ibid.
Favus, t. 2. p. 108
Fel, t. 3 p. 352
Usus, 353
Fellis folliculus, v. folliculus fellis, t. 3. p. 349
Femoris musculi, t. 3. p. 395
Ficus, vide verruca pensilis, t. 1. p. 145
Ficus ani, v. ani fistula, t. 1. p. 291
Ficus ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa, 111
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 112
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 113
Fistula, quomodo à Sinu differat, t. 1. p. 17
Quid sit. p. 18. t. 2. p. 85
Duplicis est speciei, t. 1. p. 18
Signa, ibid. & t. 2 p. 85
Methodus ejus cavitatem explorandi, ibid.
Causæ juxta Galenicos, ibid.
Iuxta authorem, 19
Prognoses juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Curatio, juxta Vulgares, 20
Iuxta authorem, 21
Fistula ani, v. ani fistula. t. 1. p. 282
Fistula lachrymalis, v. Ægilops, t. 1. p. 162
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, 163
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 164
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 165
Fistula sacra, t. 3. p. 125
Flatus an sint causæ morborum, t. 2. p. 126
Sunt duo in nobis, 127
Differunt à vaporibus, ibid.
Folliculus fellis, t. 3. p. 349
Partes, ibid.
Usus, 350
Fontanellæ in ulceribus inutiles, imo & noxiæ, t. 2. p. 48
Formica. v verruca, t. 1. p. 145
V. Myrmecia, t. 1. p. 317
Frigus est diaphoreticum in nobis, t. 1. p. 81
Non est privatio, sed ens, t. 2. p. 39
Frigida quomodo calorem inducere possint, t. 2. p. 41
Frons, t. 3. p. 190
Furfuratio. t. 2. p. 108
Furunculus, quid, t. 1. p. 106

Vndè sic dictus, p. 106
Signa, ibid.
Causa juxta Galenum, 107
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, juxta vulgares, 108
Iuxta authorem, ibid.

G.

Ganglion, varia sortitur nomina, t. 1. p. 141
Quid, ibid.
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, 143
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 144
Iuxta authorem, ibid.
Gangræna, quid, t. 1. p. 46
Quomodo à Sphacelo differat, p. 47 & 48. & 50
Signa, quæ pro causæ diversitate variant, ibid.
Monitum super his ad Chirurgum, 48
Causæ, juxta Galenistas, ibid.
Iuxta authorem, 50
Prognosis, 51
Curatio juxta vulgares, tribus indicationibus completur, quæ improbantur p. 53
Curatio juxta authorem, 57
Si à nimia perfrigeratione, ibid.
Si à nimio calore, 58
Si à succi nutritii defectu, ibid.
Si ex sanguinis & spirituum interceptione, 59
Si à veneno, ibid.
Si ex humorum malignorum affluxu, ibid.
An ignis actualis ad sistendam gangrænam sufficiat p. 62
Gargareon, v. Columella, t. 1. p. 190
Gaudium ad valetudinis conservationem conferre, t. 2. p. 35
Generatio sponte viventium quæ fiat, t. 2. p. 75
Gingivæ, t. 3. p. 244
Gingivarum exulceratio, t. 2. p. 161
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 162
Iuxta authorem, ibid.
Glandula, t. 1. p. 142
Differt à Ganglio, ibid.
Glandula pinealis, t. 3. p. 123
Glandulæ renales, t. 3. p. 376
Gonorrhæa, quid, t. 4. p. 57
Ejus signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 58
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 60. & 62
Grando, v. Hordeolum, t. 1. p. 160
Guajacum, t. 4. p. 45
Ejus natale solum, ibid.
Proceritas, folia & fructus, ibid.
Differt à buxo, ibid.
Vires ipsi tributæ, ibid.
Eligendi ratio, ibid.
Variæ parandi formulæ, 46
Decocta, 49
Oleum, 51
Gummi, ibid.
Authoris de eo judicium, 45
Gula, v. Oesophagus, t. 3 p. 271
Gummata ex lue ven. t. 4. p. 139
Signa, 140
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 141

Gurgulio, v. columella, t. 1. p. 190
Gustus, qua in parte linguæ ejus fiat sensatio, t. 3. p. 249
Qui fiat, 251
Gutta Rosacea, t. 1. p. 172
Dicitur & rabiosa, ibid.
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 173
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Gutturis tumor, v. Bocium, t. 1. p. 217

H.

Hæmorragia narium, v. narium hæmorragia, t. 2. p. 144
Hæmorragia vulnerum qui sistatur, t. 3. p. 40
Hæmorrhoides Narium, v. Polypus, t. 1. p. 167
Hepatis Anatome, 345
Duplicis mentio, ibid.
Deficientis exemplum, ibid.
Substantia, ibid.
Color, ibid.
Figura, ibid.
Membrana, ibid.
Magnitudo, ibid.
Pondus, 346
Humani ab illo brutorum differentia
Primas tenet juxta Galenum, 347
Debito in ordine ponitur per Auth. ibid.
Vsus, 348. 349
Hepatis vulnera, t. 3. p. 355
Signa, 356
Causæ, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 357
Iuxta Authorem, ibid.
Herbæ vulnerariæ t. 3. p. 23
Hernia umbilici ab intestinis, v. Enteromphalon, t. 1. p. 230
Ab omento, v. Epiplomphalon, ibid.
Ab aqua, v. Hydromphalon, 232
A flatu, v. Pneumatomphalon, 233
A carne, v. Sarcomphalos, 235
Hernia inguinis, t. 1. p. 252
Hernia veneris, v. Testium Tumores ex lue ven. t. 4. p. 67
Herpes, Latinè, Serpigo, quid, t. 1. p. 72
Quomodo ab Erysipelate differat ibid.
Miliaris, quid, ibid. & seqq.
Esthiomenus, 73
Signa utriusque, ibid.
Causæ juxta Galenistas, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Trium specierum, 74
Prognosis, 75
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 77
Hippocratis Aphorismi 50. libri 7. reducitur, t. 1. p. 51
Aphorismi 11. libri 6. refellitur, 97
Aphorismi 24 libri 6. arguitur, ibid.
Hordeolum, quid. t. 1. p. 160
Signa, 161
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 161
Iuxta authorem, 162
Humeri musculi, t. 3. p. 384
Humiditas vulgo dicitur qualitas positiva, t. 2. p. 39
Quomodo definienda, 40
Hydroa, vid. Sudamina, t. 1. p. 140
Hydrocele, t. 1. p. 260
Signa, 261
Quomodo à Sarcocele differat, ibid.
Causæ juxta vulgares. 262
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 263
Curatio, ibid.
Per acum laudatur, ibid.
Hydrocephalon, quid. t. 1. p. 150

Signa,

Signa, 150
Differentiæ, ibid.
Causæ juxta vulgares, 151
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 154
Hydromphalon, *t.* 1. *p.* 232
Signa, ibid.
Causæ, *juxta vulgares*, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 233
Curatio, ibid.
Hydrophobia in demorsis à canibus causa *t.* 3. *p.* 101
Historiæ, 107
Hydrops scrotti, *v. Hydrocele*, *t.* 1. *p.* 261
Hydrops siccus, *v. Pneumatomphalon*, *t.* 1. *p.* 253

I.

Ichor, *quid. t.* 2. *p.* 4. & 7
Ichor è podice aliquando effluens quid sit *sit*, *t.* 1. *p.* 282
Ignis an venenum extinguat, *t.* 1. *p.* 204
Ignis S. Antonii, *t.* 1. *p.* 46
Ignis Persicus, *t.* 1. *p.* 29 & 46
Ignis Sylvestris, *v. Phlyctena*, *t.* 1. *p.* 137
Impetigo quid. t. 1. *p.* 134
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 135
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem. 136
Inflammatio, *Græcis Phlegmon*, *t.* 1. *p.* 3
Quid, ibid.
Quotuplex apud vulgares, 4
Signa, ibid.
Causæ internæ juxta Galenistas, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Externæ, ibid.
Prognosis, *p.* 5
Curatio juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, 6
Per peram Phlogosis dicitur, *t.* 1. *p.* 3
Insectorum generatio unde, *t.* 2. *p.* 72 & 76
Variæ opiniones, ibid. & *seqq.*
Intemperies calida frigida, *&c. Galenistarum irridentur*, *t.* 2. *p.* 39
Intestina, *t.* 3. *p.* 329
Longitudo, ibid.
Substantia, 330
Vsus, ibid.
Tenuia, 321
Crassa, 323
Intestinorum vulnera, *t.* 3. *p.* 339
Signa, 340
Causæ, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 341
Iuxta Authorem, 343
Ira sanitati adversatur, *t.* 2. *p.* 25
An aliquem interimere possit, ibid.

L.

Labia, *t.* 3. *p.* 240
Musculi, 241
Labiorum usus & præsagia, *t.* 2. *p.* 194
t. 3. *p.* 240
Labiorum Rhagades & ulcera, *t.* 2. *p.* 194
Signa, 195
Causæ juxta vulgares, 196
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 197
Iuxta authorem, ibid.
Lac virgineum, *t.* 1. *p.* 136
Lactis coagulatio, *t.* 1. *p.* 227
Signa, ibid.
Causæ, ibid.
Pregnosis, 228
Curatio, ibid.

Lac plurima mala sugentibus inferri, t. 2. p. 156
Lapis medicamentosus, seu salutis, t. 1. p. 71
Laryngis anatome, t. 3. 265
Musculi, ibid.
Cartilagines, 266
Vena, arteriæ, nervi, 267
Glandulæ, ibid.
S. Lazari morbus, t. 1. p. 129
Vide *Elephantiasis.*
Leontiasis, t. 1. p. 129
Vide *Elephantiasis.*
Leporis pinguedo extranea à vulneribus extrahit, t. 3. p. 39
Sanguis Erysipelatis conducit, t. 1. p. 72
Lepra, quid, t. 1. p. 123
Duplex Græcorum & Arabum, 124
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Juxta authorem, ibid.
Prognosis, 125
Curatio juxta vulgares, ibid.
Juxta authorem, 126
Lepra Arabum, vide *Elephantiasis, t. 1. p.* 182
Lienis anatome, t. 2. p. 358
Transpositio, ibid.
Defectus, ibid.
Duplicis & triplicis exempla, ibid.
An sit viscus, ibid.
An eximi possit absque animalis noxa p. 359
Figura, 360
Color, 361
Magnitudo, ibid.
Partes 362
Officium juxta quamplurimos, ibid.
Juxta Authorem, 365
Lienis vulnera, t. 3. p. 366
Signa, ibid.
Causa, 367
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 367
Juxta Authorem, 368
Ligatura in vulneribus necessaria, t. 3. p. 15
Ligatura Bagnini ad Hernias, t. 1. p. 257
Lignum sanctum, v. Guajacum. t. 4. p. 45
Lingua, t. 3. p. 246
Ejus arteria, 247
Nervi, ibid.
Membrana, ibid.
Fibræ 248
Musculi, ibid.
Usus, 249
Lingua Tumor, t. 1. p. 183
Signa, 184
Causa, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Vulgares, ibid.
Juxta Authorem, 185
Linguam quam loquerentur infantes nullam edocti, t. 2. p. 131
Historia super hoc, ibid.
Lingua frænum quomodo in infantibus præscindendum, t. 2. p. 190
Linguâ vulnera lingebant prisci homines t. 3. p. 32
Lues Venerea, t. 4. p. 1
Quid per eam intelligant Medici, ibid.
Ejus Nomina, 2
Quo tempore irrepserit, 4
An Medici ante annum 1404. de illa aliquid tradiderint, vel eam cognoverint, 8
Ejus diffusionis per varias provincias ratio, 12
De ejus duratione scriptorum judicium, 13
De ejus Essentia variæ opiniones, 15
Authoris sententia, 24
Quî propagetur, 25. *& seq.*
Cur hæc lues ibi primùm innotuit sævissima fuerit, 28
Cur aliquando post unum aliquando post

post plures congressus manifestetur, p. 28
An vir & mulier non infecti inficere possint, 29
Ejus Sedis variæ opiniones, 30
Authoris sententia, 33
Ejus Signa, 35
Præsagia, 37
Curatio juxta Vulgares triplici perficitur indicatione, 40
1°. *Phlebotomiâ, omnimodâ, quæ minus probatur,* 41
2°. *Purgatione quadam generali quæ minus ad scopum,* 42
3°. *Lignis & radicibus, de quibus suum interponit Author judicium p.* 45. *& seq.*
Juxta Authorem curatur mercurialibus, 56
De modo ab ea se præservandi, 163
Lumborum musculi t. 3. p. 277
Lumbrici quomodo in humano generentur corpore, t. 2. p. 77
Lupia, t. 1. p. 142
Causæ, 143
Prognosis, ibid.
Difficilis est curationis, 145
Vide *Ganglion.*
Lupus, tumor, quid & unde dictus, t. 1. p. 41. *& t. 2. p.* 4 *&* 95. *& seqq.*
Lympha, quid. t. 3. p. 375
Lympha, quibus partibus constet, t. 1. p. 101

M.

Magati vulnera tractandi methodus, t. 3. p. 19
Magnes arsenicalis, t. 1. p. 248
Mamma variæ magnitudinis, t. 2. p. 199
Mammarum inflammatio, t. 1. p. 222
Signa, 223
Causæ juxta vulgares, ibid.
Juxta Authorem, p. 224
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Juxta Authorem, 225
Mammillarum ulcera, t. 2. p. 198
Signa, 200
Causæ, ibid.
Prognosis, 201
Curatio juxta vulgares, ibid.
Juxta Authorem, ibid.
Manus anatome, t. 3. p. 381
Musculi, 384 *& seqq.*
Ossa, 389. *& seqq.*
Arteriæ, 391
Venæ, ibid.
Marcor, t. 4. p. 147
Marasmus est triplex, t. 4. p. 147
Signa Marasmi, 155
A lue venerea, ibid.
A læsione substantiæ membri, ibid.
A ventriculo, ibid.
Intestinorum, 156
Lienis, ibid.
Hepatici, ibid.
Renum, ibid.
Pulmonis, ibid.
Cordis, ibid.
Cerebri, ibid.
Ab externis, ibid.
Mares plus cerebri habent quam fœmina, t. 1. p. 121
Matrimonium certum & infallibile libidinis remedium, t. 1. p. 280
Matrix, v. uteri ulcera, t. 2. p. 212
Maxillæ, t. 2. p. 243
Superioris usus, ibid.
Ossa, ibid.
Maxilla t. 3. p. 241
Musculi, 242
Mediastinum, t. 3. p. 183
Medicamentum purgans inflammationibus noxium, t. 1. p. 7
Medicamenta vulnera mundificantia, t. 3. p. 32.

Medicamentorum delectus habendus in vulnerum curatione, t. 3 p. 36
Quomodo eorum vis ad partem affectam sine alteratione pervenire possit, t. 3. p. 184
An semper in itinere eorum vis obtundatur, 185
In Medicastros scomma, t. 3. p. 163
Turba Medicorum Cæsarem perdidit, t. 3. p. 167
Medici divinæ ultionis executores, t. 4. p. 42
Medulla spinalis vulnus quomodo cognoscatur, t. 3. p. 5
Medulla oblongata & spinalis, t. 3 p. 124
Melagma, t. 3. p. 7
Melancholia, Humore melancholico, *t. 1. p.* 142
Vide *Ganglion.*
Meliceris, quid. t. 1. p. 25
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 26
Prognosis, 27
Curatio juxta vulgares, 28
Iuxta Authorem, ibid.
Vide *Abscessus frigidi.*
Membra abscissa restitui non possunt, t. 3. p. 228
Membrana, t. 3. p. 216
Membrana carnosa, ibid.
Usus, ibid.
Membrana musculorum, ibid.
Usus, ibid.
Mentula, v. Penis, t. 2 p. 217
Crassa Meninx, vel dura Mater, t. 3. p. p. 119
Tenuis Meninx, vel pia mater, ibid.
Mercurius quid sit, t. 4. p. 123
De ejus qualitatibus discrepantes Scriptorum opiniones, 125
An sit venenum nec ne, ibid.
Est luis venereæ antidotum, 127
Observationes Authoris in illum, 128
Ejus præparationes, ibid.
Mercurius in cinnabarim conversus in pristinum mercurium reduci potest. 131
Manifesta actione luem exterminat, ibid.
Ejus variæ præparationes, ibid.
Ejus summa energia, 134
Mercurius dulcis, 132
Mesenterium, t. 3. p. 315
Migliarine, vid. *Sudamina, t. 1. p.* 140
Mœstitia valetudini officit, t. 2. p. 35
Mora ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa, ibid.
Causa, juxta vulgares, 111
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 112
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem. 113
Morbi essentia in quo consistat, t. 4. p. 20
Morbus quomodo in sano corpore accidat, 22
Morphæa, t. 1. p. 175
Signa, ibid.
Causa juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 176
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Motus utilitates, t. 2. p. 21
Quomodo ex eo corpus incalescat, 22
Musculi brachii, t. 3. p. 384
Carpi, 386
Cubiti, 387
Digitorum, 388
Femoris, 395
Humeri, 384
Intercostales, 277
Pedis, 397
Pollicis, 388
Radii, 387
Tibiæ, 397

Iuxta

Imi ventris, 317
Vola Manus, 387
Myrmecia, vel verruca, t. 1. p. 145
Myrmecia, t. 1. p. 316
Signa, 317
Causæ juxta vulgares ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, 318
Myrmecia ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa, 111
Causæ juxta vulgares. ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 112
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 113

N.

Napta, Natta, & Nata, v. Testudo, t. 1. p. 157
Narium ulcus ex lue ven. t. 4. p. 94
Signa, 95
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 96
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 97
Narium Sarcoma, t. 1. p. 166
Differt à Polypo, 167
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 168
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 170
Narium ulcus, t. 2. p. 137
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, 138
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, p. 140
Narium hæmorragia, t. 2. p. 144
Signa, 145
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 146
Prognosis, 147
Curatio juxta vulgares, 148
Iuxta Authorem, 152
Nascentia ex se vel sponte, varia de iis opiniones, t. 2. p. 72. *& seqq.*
Nasi Anatome, t. 3. p. 229
Musculi, 229
Ossa, ibid.
Cartilagines, 230
Nervi, ibid.
Externi usus, ibid.
Vulnera, 236
Signa, 237
Causæ, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, ibid.
Nasus quam maximè pulchritudini confert, t. 3. p. 237
An ex ejus magnitudine de membri genitali mole judicari possit, ibid.
Nasum sibi abscideruntvirgines Angla ne suæ pudicitiæ vis inferretur, ibid.
Nasi abscissio pœna olim adulterorum, ibid.
Nasus amputatus an refigi possit, 238
Historia, 239
Nasutos Heliogabalus congregavit lasciviæ socios, 237
Natura influens, t. 4. p. 148
Insita, ibid.
Necrosis, t. 1. p. 49
Nervorum septem paria, t. 3. p. 126
Conjugationes, 127
Vulnera, 410
Signa, ibid.
Causæ, 411
Prognosis, ibid.
Curatio, cautiones in ea adhibendæ, 413
Iuxta vulgares, 414

Iuxta Authorem, 415
Nodus, *t.* 1. *p.* 142
An curari possint, 144
Vide *Ganglion.*
Noli me tangere, *quid & unde dicatur*, *t.* 1. *p.* 40. *&* 41. *t.* 2. *p.* 95.
Noli me tangere, *v. Gutta rosacea*, *t.* 1. *p.* 172. *& t.* 2. *p.* 4
Nomodes, *t.* 2. *p.* 4. & 5

O.

Oedema, *quid*, *t.* 1. *p.* 99
Duplex, *ibid.*
Signa, 100
Causa iuxta Galenum, *ibid.*
Iuxta recentiores, 101
Prognosis, 102
Curatio iuxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 105
Occiput, *t.* 3. *p.* 116
Oculorum anatome, *t.* 3. *p.* 200
Musculi, 203
Nervi, *ibid.*
Membrana, *ibid.*
Humores, 204
Vulnera, 211
Signa, 212
Causa, *ibid.*
Prognosis, *ibid.*
Curatio iuxta vulgares, 213
Iuxta Authorem, 214
Odores quid sint, *t.* 2. *p.* 235
Oesophagi Anatome, *t.* 3. *p.* 271
Vena, *arteria*, *glandula*, *musculi*, *ibid.*
Usus, 272
Oesophagi ulcus, *t.* 2. *p.* 191
Signa, *ibid.*
Causa iuxta Galenicos, *ibid.*
Iuxta authorem, 192
Prognosis, *ibid.*
Curatio iuxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 193
Oesophagi vulnera, *t.* 3. *p.* 272
Signa, *ibid.*
Causa, *ibid.*
Prognosis, *ibid.*
Curatio iuxta vulgares, 273
Iuxta authorem, *ibid.*
Olfactus, *in qua nasi parte fiat varia Philosophorum opiniones*, *t.* 3. *p.* 231
Omoplata, *t.* 3. *p.* 278
Ompholocele, *v. Exomphalos*, *t.* 2. *p.* 229
Oleum Appariciis, *t.* 3. *p.* 140
Oleum Bufonum, *t.* 2. *p.* 115
Myrrhae, 206
Olea vulneraria, *t.* 3. *p.* 29
Omentum, *t.* 3. *p.* 321
Varia nomina, *ibid.*
Usus, *ibid.*
Opium ab Aphris nonnullis devoratur, *t.* 2. *p.* 28
Oppodeldoch Paracelsi, *t.* 3. *p.* 35
Oris anatome, *t.* 3. *p.* 240
Oris ulcera, *v. Aphthae*, *t.* 2. *p.* 154
Oris ulcera ex lue ven. t. 4. *p.* 98
Signa, *ibid.*
Causa iuxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, 98
Curatio iuxta vulgares, *ibid.*
Iuxta authorem. 100
Oscheocele, *v. Hernia*, *t.* 1. *p.* 252
Os hyoides, *t.* 3. *p.* 245
Ossa femoris & cruris, *t.* 3. *p.* 400
Ossa sesamoidea, *t.* 3. *p.* 404
Ossis cancer, *vel Sphacelismus*, *v. Spina ventosa*, *t.* 1. *p.* 118
Ossium corrosio ex lue ven. t. 4. *p.* 142
Signa, *ibid.*
Causa iuxta vulgares, 143
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, *ibid.*
Curatio iuxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 144
Otalgia, *v. Aurium dolor*, *t.* 2. *p.* 115
Ova, *animalis animam continent*, *t.* 2. *p.* 70

Ovipara quomodo à viviparis differant, t. 2. p. 71
Ozæna, t. 2. p. 137
Signa, ibid.
Causæ, 138
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 140

P.

Padarthrocace, v. Spina ventosa, t. 1. p. 318
Palatum, t. 3. p. 244
Panaritium, v. Paronychia, t. 1. p. 303
Pancreas, t. 3. p. 336
Ductus Wirsungii, 337
Usus, 338
Panniculus carnosus, v. Membrana carnosa, t. 3. p. 317
Papillarum fissura, t. 2. p. 204
Signa, ibid.
Causæ, ibid.
Prognosis, 205
Curatio, ibid.
Papillarum ulcera, t. 2. p. 198
Signa, 200
Causæ, ibid.
Prognosis, 201
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Paracelsi Armarium, t. 3. p. 21
Diaphoreticum, t. 1. p. 38
Oppodeldoch., t. 3. p. 35
Paristhmia, v. Tonsillarum Tumor, t. 1. p. 186
Paronychia, t. 1. p. 303
Signa, 304
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 305
Prognosis. ibid.
Curatio, juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem. 306
Parotides, t. 1. p. 198
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares. 200
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 201
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 205
Parulis, t. 1. p. 179
Signa, ibid.
Causæ juxta Vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 180
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Pelioma, t. 1. p. 85
Pelvis, t. 3. p. 123. & 371
Penis etymon, t. 2. p. 217
Varia nomina, ibid.
Descriptio, 218
Penis caruncula ex lue ven. t. 4. p. 89
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 90
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 91
Penis ulcera, t. 2. p. 217
Signa. 220
Causæ juxta Galenicos, 221
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 223
Penis cerebri, t. 1. p. 123
Pericardium, t. 3. p. 283
Ejus tumor aquosus, 284
Vnde oriatur, ibid.
Vulnerum ejus prognosis, 300
Pericranii vulnera, t. 3. p. 133
Signa, ibid.
Causæ, 134
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 135

Unable to display this page

Curatio juxta vulgares, 168
Iuxta Authorem, 170
Poppeæ dictum falax, *t.* 1. *p.* 276
Porri, *t.* 1. *p.* 145
Porrigo, *t.* 2. *p.* 108
Porus biliarius, *t.* 3. *p.* 350
Potiones vulnerariæ, *t.* 3. *p.* 21
Earum operationes, 183
Earum delectus habendus, 185
Potus ulcerosis præscriptus, *t.* 2. *p.* 18
Vulneratis concedendus, *t.* 3. *p.* 8
Præputium, *t.* 2. *p.* 219
Præputii ulcera ex lue ven. *t.* 4. *p.* 89
Signa, *ibid.*
Causæ juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 90
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta authorem, 91
Priapismus, *t.* 1. *p.* 274
Vnde dictus, 275
Signa, 276
Causæ juxta Galenum & vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 277
Curatio juxta vulgares, 279
Iuxta authorem, *ibid.*
Processus mammillares, *t.* 3. *p.* 113
Vermiformes, *ibid.*
Psora, vide *Scabies*, *t.* 1. *p.* 114
Pterigium, vide *Vnguium Pterigium*, *t.* 1. *p.* 309
Pulforum in bubone applicatio irridetur, *t.* 1. *p.* 247
Pulmo, *t.* 3. *p.* 292
Figura, *ibid.*
Substantia, *ibid.*
Vulneratus, *qui cognoscatur*, 297
Vulnerum ejus prognosis, 300
Pulmones habent ex piscibus Delphines Phoces, *& omne cetaceum genus*, *t.* 3. *p.* 262
Pulvis mesues ad casum, *t.* 1. *p.* 87
Pulvis sanguinem purgans, *t.* 1. *p.* 176
Pulveres vulnerarii, *t.* 3. *p.* 35
Pus, *quid.* *t.* 2. *p.* 4 & 7
Pustulæ, *t.* 1. *p.* 175
Signa, *ibid.*
Causæ, *juxta vulgares*, *ibid.*
Iuxta authorem, 176
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta authorem, *ibid.*
Pustula ex lue ven. *t.* 4 *p.* 83
Signa, 84
Causæ juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 85
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta authorem, *ibid.*
Pylorus, *t.* 3. *p.* 323

Q.

Qualitates primæ Galenistarum deridentur, *t.* 2. *p.* 39
Quies utilis ulcerosis, *t.* 1. *p.* 24

R.

Rabie non soli canes, *sed & alia bruta corripiuntur*, *t.* 3. *p.* 104
Rabies in alios insinuari potest, 106
Radii musculi, *t.* 3. *p.* 387
Ramex v. Hernia, *t.* 1. *p.* 252
Ranarum propagatio, *t.* 2. *p.* 76
Ranula, *t.* 1. *p.* 181
Signa, *ibid.*
Causæ juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, 182
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta authorem, *ibid.*
Receptum ultimum, *t.* 1. *p.* 369
Renum Anatome, *t.* 3. *p.* 369
Actio, 371

Repletio corpus alterat, t. 2. p. 27
Respiratio, quo modo fiat, t. 3. p. 262
Rete mirabile, t. 3. p. 122
Rex Gallia Strumas attactu eliminat, t. 1. p. 217
Rhabarbari essentia, t. 4. p. 159
Rhagades Cervicis uteri, t. 2. p. 206
Labiorum, 194
Rhagades ex lue ven. t. 4. p. 108
Signa, 109
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 110
Ros corporum animatorum, t. 2. p. 9
Roseolæ unde dictæ, t. 1. p. 314
Quomodo à paronychiis differant, ibid.
Signa, 315
Causæ juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, ibid.
Roseolæ saltantes, t. 1. p. 110
Ruptura, v. Hernia. t. 1. p. 252

S.

Sabafati, v. tinea, t. 2. p. 108
Salis Armoniaci conficiendi ratio, t. 4. p. 115
Salis Armoniaci laus, t. 4. p. 114
Salia ulcerum causæ, t. 1. p. 10
Salsaparilla t. 4. p. 51
Unde advehatur, ibid.
Optima nota, ibid.
Qualitates ipsi tributæ, ibid.
Præparationes variæ, 52
Authoris de ejus virtutibus judicium, ibid.
Sanguinis missio in inflammationibus cum febre periculosissima, t. 1. p. 8. t. 2. p. 61
Sanguinem quatuor de causis mittunt vulgares t. 2. p. 61
Confutantur, ibid.
Sanguinis motus decies celerior per arterias quàm per venas, t. 1. p. 90
Sanguinis missio an ampto vel angusto foramine celebranda t. 2. p. 149
Sanguis vulnerum qui sistatur, t. 3. p. 40
Sanguinis per cordis ventriculos motus t. 3. p. 263
Sanguis leporis Erysipelati conducit, t. 1 p. 72
Sanies, quid. t. 2. p. 4. & 7
Sapor, t. 3. p. 253
Sapphirus Anthracibus confert, t. 1. p. 39
Sarcocele, t. 1. p. 265
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 266
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Sarcoma Narium, v. narium sarcoma, t. 1. p. 166
Sarcomphalon, t. 1. p. 235
Signa, ibid.
Causæ, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio, ibid.
Sathin, penem Veteres appellabant, t. 1. p. 275
Satyriasis, t. 1. p. 274
Unde dicta, 275
Signa, 276
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 277
Prognosis, 278
Curatio, juxta Vulgares, 279
Satyriasis, v. Elephantiasis, t. 1. p. 128
Scabies, quid. t. 1. p. 114
Peculiaris speciei, 115
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.

Unable to display this page

Curatio juxta vulgares, 321
Iuxta authorem, 322
Spiritus animales quomodo coërceantur in somno, t. 1. p. 18
Spirone, *v. Pernones*, *t. 2. p.* 311
Sphacelus, quid. t. 1. p. 46
Quomodo à Gangræna differat, p. 47, 48. & 49
Signa quæ pro causæ diversitate variant, 47
Monitum super his ad Chirurgos, 48
Prognosis, 51
In Aphorismæ Hippocratis, de Cerebro sphacelato, animadversio, 52
An curari possit, 62
Spiritus Matricalis Dolai, t. 1. p. 88
Spiritus vini est maximè refrigerans, t. 1. p. 69
Steatoma, quid. t. 1. p. 24
Quomodo à struma differat, 25
Signa, *ibid.*
Causæ juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 26
Prognosis, 27
Curatio juxta vulgares, 28
Iuxta Authorem, *ibid.*
Vide *Abscessus frigidi.*
Sternum, t. 3. p. 274. & 280
Stigmata, t. 1. p. 85
Stomachus, t. 3. p. 323
Struma, t. 1. p. 207
Signa, *ibid.*
Causæ juxta vulgares, 208
Iuxta authorem, 209
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares; 210
Iuxta authorem, 212
Magica, 216
Septimus continuo ordine natus filius cujuscunque matris strumas sanare valet, &c. 216
An Gallia Reges attactu illas sanent, *ibid.*
Sudamina, quid. t. 1. p. 140
Signa, *ibid.*
Causæ, juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, 141
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, *ibid.*
Sudor quando salubris, t. 2. p. 26
Sudoris & urinæ eadem est materia remota, t. 3. p. 371
Surdi à nativitate cur muti, t. 2. p. 130. & *seqq.*
Surditas, t. 2. p. 130
Signa, 132
Causæ, 133
Prognosis, 134
Curatio, 135
Sutura cranii, t. 3. p. 118
Sutura quæ acu fit, omnino improbatur, t. 3. p. 14. & 193
Sutura per gluten optima, t. 3. p. 193
Symbolum debet intercedere inter corpora ad hoc ut inter ea fiat actio vel motus, t. 4. p. 27
Sinciput, t. 3. p. 116
Syrones, quomodo in nobis producantur, t. 2. p. 77
Syrupus de symphito Fernelii, t. 3. p. 140

T.

Tabes ex lue venerea, t. 4. p. 146
Ejus synonima nomina, 147
Signa tabis in genere, 155
Curatio in genere, 157
Tabis cerebri signa, 156
Curatio, 160
Cordis signa, 156
Curatio, 160
Ab externis signa, 156
Curatio, 160
Hepatic signa, 256
Curatio, 159

Tabis Inteſtinorum ſigna, t. 4. p. 156
Curatio, 158
A laſione ſubſtantiæ membrorum ſignæ, 156
Curatio, 157
Lienis ſignæ, 156
Curatio, 158
A lue venerea ſigna, 156
Curatio juxta vulgares, 161
Iuxta authorem, 162
Pulmonis ſigna, 156
Curatio, 159
Renum ſignæ, 156
Curatio, 157
A ventriculo ſigna, 156
Curatio, 157
Talpa, v. Teſtudo, t. 1. p. 157
Telorum à vulneribus extractio ſit duobus modis, t. 3. p. 39
Tempora, t. 3. p. 116
Terebratio cranii periculoſiſſima, t. 3. p. 164
Terminthus quid, t. 1. p. 109
Terra ſancta quare citò cadeverum carnes conſumat, t. 4. p. 115
Teſtes cerebri, t. 3. p. 123
Teſtium Tumores, t. 1. p. 260
Horum ſex ſpecies, ibid.
Inflammatio, 270
Signa, 271
Cauſæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognoſis, 272
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 273
Teſtium Tumor ex lue ven. t. 4. p. 67
Signa. 68
Cauſæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognoſis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 69
Teſtudo, variis inſignitur nominibus, t. 1. p. 157
Quid, ibid.
Signa, ibid.
Cauſæ juxta vulgares, 158
Iuxta Authorem, ibid.
Prognoſis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 159
Theæ potus ulceroſis conducit, t. 2. p. 18
Vulneratis ſalubris, t. 3. p. 9
Thoracis anatome, t. 3. p. 274
Muſculi, 275
Oſſa, 278
Vulnera, 295
Signa, 4. & 296
Cauſæ, 299
Prognoſis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 302
Iuxta Authorem, 306
Thymion vel Thymum, v. verruca, t. 1. p. 146
Thymus, v. verruca penſilis, t. 1. p. 145
Thymi ani, v. Ani thymi, t. 1. p. 292
Thymi ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa, 111
Cauſæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognoſis, 112
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 113
Thymus pars Thoracis mediaſtino adnaſcens, t. 3. p. 283
Tibiæ muſculi, t. 3. p. 397
Tibiarum ulcus, t. 2. p. 240
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Timor inſignes in corpore mutationes efficit, t. 2. p. 36
Hiſtoria, ibid.
Tinctura Euphorbii, t. 2. p. 94
Tinea, t. 2. p. 108
Differt à porrigine, achoribus, cruſta lactea & favo, ibid.

Sahafati, *ab Arabibus dicta*, *p.* 109
Sex species juxta Gregarios, *ibid.*
Signa, *ibid.*
Causa juxta vulgares. *ibid.*
Iuxta authorem, *ibid.*
Prognosis, 111
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta authorem, 113
Tonsillarum Tumor & Inflammatio, *t.* 1. *p.* 186
Signa, 187
Causæ juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta authorem, *ibid.*
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares. 187
Iuxta Authorem, *ibid.*
Tonsillarum ulcus, *t.* 2. *p.* 183
Signa, 184
Causa juxta Galenicos, *ibid.*
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares, 185
Iuxta authorem, 186
Tonsillarum ulcera ex lue ven. t. 4. *p.* 101
Signa, *ibid.*
Causa juxta vulgares, 102
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 103
Topinaria, *v. Talpa*, *t.* 1. *p.* 157
Tortura noctis, *v. dolores Venerei*, *t.* 4. *p.* 116
Transpiratio insensilis, *t.* 2. *p.* 26
Quomodo fiat, *t.* 3. *p.* 372
Tumores sunt in triplici differentia, *t.* 1. *p.* 1
A Græcis & Arabibus Apostemata vocitantur, *t.* 1. *p.* 2
Tumoris præter naturam definitio, *ibid.*
Tumorum p. n. septem differentiæ vel distinctiones, *ibid.*
Tumor linguæ, *v. lingua tumor*, *t.* 1. *p.* 183
Turpetum minerale, *t.* 4. *p.* 132

V.

Vari, *t.* 1. *p.* 177
Signa, *ibid.*
Causa juxta vulgares, 178
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, *ibid.*
Curatio juxta vulgares, *ibid.*
Iuxta Authorem, 179
Varices quid. t. 1. *p.* 95
Signa, *ibid.*
Causa juxta Galenum, *ibid.*
Iuxta Authorem, *ibid.*
Prognosis, 96
Curatio juxta vulgares, 97
Iuxta Authorem, 98
Vena cava, vulnerata quomodo cognoscatur, *t.* 3. *p.* 298
Vulneris prognosis, 301
Venena innocuè comedebat Mithridates, *t.* 2. *p.* 28
Venenata vulnera quomodo cognoscantur, *t.* 3. *p.* 5
Veneris usus moderatus valetudini confert, *t.* 2. *p.* 29
Immoderatus officit, *ibid.*
Vulneratis noxium. t. 3. *p.* 9.
Palæstra quo tempore ineunda, *t.* 2. *p.* 29. & 30
Quo situ decurrenda, 31
Antidota, 33
Veneris sensus, *t.* 2. *p.* 224
imi Ventris Anatome, *t.* 3. *p.* 310
Cuticula, 311
Cutis, 313
Pinguedo, 314
Membrana, 316
Musculi, 317
Eorum quinque paria, *ibid.*
Peritonæum, 320
Omentum, 321
Ventriculi actio quî perficiatur, *t.* 3. *p.* 354

Ventriculi Anatome, t. 3. p. 321
Situs, ibid.
Figura, 322
Magnitudo, ibid.
Membranæ, ibid.
Orificia, 323
Nervi, 324
Arteriæ, ibid.
Venæ, ibid.
Usus, 325
An insit succus acidus, ibid.
Vulnera, ibid.
Signa, 326
Causa, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, 327
Iuxta Authorem, 328
Ventriculi cerebri, t. 3. p. 122
Tres Ventriculos cordis an habeant quadam animalia, t. 3. p. 262
Vermiculi an cancris insint, t. 1. p. 42
Vermis terrestris paronychiæ confert. t. 2. p. 307
Vermes quomodo in nobis generentur, t. 2. p. 77
Verruca quid, t. 1. p. 145
Variæ species, ibid.
Signa, 146
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 146
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 149
Verrucæ ex lue ven. t. 4. p. 110
Signa, 111
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 112
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 113
Verrucæ pensiles, t. 1 p. 145
Vertebræ, t. 3. p. 225. & 279
Vertex, t. 3. p. 116
Vesicula crystallina ex lue ven. t. 4 p. 91
Vesicula felis, t. 3. p. 349
Vesicæ Anatome, t. 3. p. 369. & 375
Vulnera, 377
Signa, ibid.
Causæ, ibid.
Prognosis, 378
Curatio juxta vulgares, 379
Iuxta authorem, 380
Vesicæ, vide *Phlyctenæ.*
Vibices quid, t. 1. p. 85
Vigiliæ nimiæ incommoda, t. 2. p. 21
Vinum multis particulis salinis scatet, t. 2. p. 11
Quando vulneratis concedendum, t. 3. p. 9
Viperæ non sunt venenatæ, t. 3. p. 79
Solummodo earum saliva, 88
Viperarum utilitates, t. 3. p. 82
Viperarum jura conficiendi modus, t. 1. p. 126
Virgines explorandi modus, t. 3. p. 255
Virus, t. 2. p. 7
Visio, qui fiat, variæ opiniones, t. 3. p. 203
Vita, in quo consistat, t. 4. p. 20. & seqq.
Vitranella, vide *Sudamina.*
Vitriolum, anodynum & cur, t. 1. p. 6
Viviparorum propagatio, t. 2. p. 70
Ulcus, quid sit, t. 2. p. 1
Quomodo à vulnere differat, ibid.
Subjectum, 3
Differentiæ quinque, ibid.
Accidentia, 3
Species, 4
Causæ occasionales, 5
Signa, 6
Causæ juxta vulgares, 8
Iuxta Authorem, 9. & seqq.
Externæ, 13
Prognosis, 14
Ulcus simplex, 36
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, 37

Iuxta authorem, p. 37
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 38
Vlcus cacoëte, vide *ulcus Dysepulotum* t. 2. p. 103
Vlcus cancerosum, t. 2. p. 95
Vide *Cancer*, t. 1. p. 40
Signa, 96
Causæ juxta Galenum, 97
Iuxta Authorem, 98
Prognosis, 99
Curatio juxta vulgares, 100
Iuxta Authorem, 101
Vlcus cum carnis excrescentia, t. 2. p. 94
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 95
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Vlcus Chironium unde dictum, t. 2. p. 103
Vlcus Dysepulotum, t. 2. p. 103
Signa, 105
Causæ juxta Galenistas, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, 106
Vlcus cum Erysepelate, t. 2. p. 56
Signa, 57
Causæ juxta Galenum, ibid.
Iuxta Authorem, 58
Prognosis, 59
Curatio juxta vulgares, 60
Iuxta authorem, ibid.
Sanguinis missio nullatenus præstat, 61
Vlcus fistulosum, t. 2. p. 85
Signa, ibid.
Causæ juxta Galenistas, 86
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 86
Curatio juxta vulgares, 87
Iuxta Authorem, 88
Vlcus cum humorum effluxu, t. 2. p. 46
Signa, 47
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta authorem, ibid.
Prognosis, 48
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem. 50
Vlcus cum inflammatione, t. 2. p. 51
Signa, ibid.
Causæ juxta Galenistas, 52
Iuxta Authorem, 53
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Galenistas, 54
Iuxta Authorem, ibid.
Vlcus cum Intemperie, t. 2. p. 38
Signa, 42
Causæ juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, 43
Prognosis, 44
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 46
Vlcus cum labiis callosis, t. 2. p. 79
Signa, ibid.
Causæ juxta Galenistas, ibid.
Iuxta Authorem, 80
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Vlcus œdematosum, t. 2. p. 63
Signa, ibid.
Causæ juxta Galenistas, ibid.
Iuxta Authorem, 64
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Galenistas, 65
Iuxta Authorem, 66
Vlcus cum Ossis carie, t. 2. p. 89
Signa, 90
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 91
Prognosis, ibid.
Curatio juxta vulgares, p. 92.

Curatio

Iuxta Authorem, ibid.
Vlcus sinuosum, t. 2. p. 81
Signa, ibid.
Causæ apud Galenistas, ibid.
Iuxta Authorem, 82
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, 83
Vlcus sordidum, t. 2. p. 77
Signa, ibid.
Causæ juxta Galenistas, ibid.
Iuxta Authorem, 82
Prognosis, ibid.
Curatio juxta Galenicos, ibid.
Iuxta Authorem, 83
Vlcus Telephium, vide ulcus Dysepuloton, t. 2. p. 103
Vlcus verminosum, t. 2. p. 69
Signa, 70
Causæ juxta varios, 72. & seqq.
Iuxta Authorem, 75
Prognosis, 78
Curatio juxta Galenistas, ibid.
Iuxta Authorem, 79
Vlcera per universam cutem ex lue ven. t. 4. p. 92
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 93
Curatio juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Vnguium Pterigium, t. 1. p. 309
Signa, ibid.
Causa, ibid.
Prognosis, 310
Curatio, ibid.
Vnguentum de Cynoglosso, t. 1. p. 88
Vnguentum Hartmanni ad varices, t. 1. p. 99
Vnguentum pro scabie, t. 1. p. 122
De minio camphoratum, t. 2. p. 51
Vnguenta vulneraria, t. 3. p. 27
Vola manus musculi, t. 3. p. 387
Volatile agens supra fixum fixatur, t. 4. p. 27
Vox & locutio differunt, t. 2. p. 131
Voces articulatæ sunt signa ex instituto, ibid.
Vreteres, t. 3. p. 374
Vrina non retinenda, t. 2. p. 25
Naturalis conditiones, ibid.
Ejus viæ, 26
Et sudor conveniunt in materia remota, t. 3. p. 371
Vrinatores, cur tamdiu in aqua sine respiratione vivant, t. 3. p. 265
Vteri varia nomina, t. 2. p. 212
Descriptio, 213
Vteri descriptio, t. 1. p. 297
Vteri Procidentia, t. 1. p. 295
Signa, 296
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, 298
Prognosis, ibid.
Curatio, 299
Vteri ulcera, t. 2. p. 212
Signa, 214
Causæ juxta vulgares, 215
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, ibid.
Iuxta Authorem, 216
Curatio juxta vulgares, ibid.
Vulnerati an sanguine minui & purgari debeant, t. 3. p. 43
Vulneratorum convulsio, t. 3. p. 57
Signa, ibid.
Causæ juxta vulgares, ibid.
Iuxta Authorem, ibid.
Prognosis, 58
Curatio, ibid.
Vulneratorum febris, t. 3. p. 51
Signa, ibid.
Causa, 52
Prognosis, ibid.
Curatio, 53

Unable to display this page